Digitized by Google


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
G
15
NAPOLI
XV. G. 15
Digitized by Google

Digitized by Google

XV
G
15

Digitized by Google

ANTONII
BENGEI
IN ALMA BITVRIGVM
ACADEMIA ANTECESSORIS PRIMICERII
ET
FRANCISCI
PINSSONII
PARIS. ADVOCATI,
EIVSDEM EX FILIA NEPOTIS
TRACTATVS
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS
EX DEFINITIONE DESVMPTVS,
AD VSVM FORI GALLICI,
ET
LIBERTATVM ECCLESIÆ GALLICANÆ
ACCOMMODATVS.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

PARISIIS,
Sumptibus ANTONII DE SOMMAVILLE, in Aula Mercatorum, ad inſigne Scuti-Gallici.

M. DC. LIV.
EX CONCESSO REGIS PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO D.
POMPONIO
BELLEVRÆO,
GALLIARVM SENATVS
PRINCIPI.

DE Sacerdotiis Eccleſiaſticis diſputationem aggreſſurus, Præses Illvstrissime, *cuinam alteri præfari poſſim aut debeam, quam tibi ſummo, iuxta ac ſupremo legum Sacerdoti? Namque is es, quem vel noſtro teſte Vlpiano, iuris Sacerdotem & Antiſtitem merito appellemus, Quidni vero? cum dubiis & flagitantibus Iuſtitiæ Themidiſque oracula quotidie depromere ſoleas, quibus non modo euerſis afflictiſve ſua ſalus, ſed & oppreſsis quies & tranquillitas ſecurior reddatur; Nec tantum priuatorum fortunis tibi conſulere datum eſt, ſed & publicis, imo & ipſis periclitantis Gallicanæ Eccleſiæ rebus ſuccurrere; eam enim in te rerum omnium notionem, & prudentiam*

Digitized by Google

agnoſcimus, & agnitam veneramur, quæ te vel in ſummum interioris reipublicæ adminiſtrandæ conſortium vocet & admittat, vel grauiſsimis Regni negotiis apud exteras gentes pertractandis demandandum indicet; Nec enim tua virtus, vel nominis BELLEVRAEI *gloria, intra Regni fines & terminos circumſcribi potuit, ſed in vicinas pariter & longinquas oras liberius ſe ſe effundens vbique percrebuit. Nouit Anglia, quæ te ſaluti tuendæ, & cum Gallico Imperio fœliciùs ſociandæ vidit intentum: Nouit Batauia, quæ priſtini cum Regibus & ſalutaris ſibi fœderis admonentem demirata eſt: Nouit denique Sacerdotalis dignitatis, de qua agere inſtituimus, mater & Magiſtra Romana ſedes & Curia, quæ te grauioribus Eccleſiæ diſceptandis controuerſiis æquiſsimum arbitrum experta eſt, adeo vt vere dici poſsit & de te prædicari, nullam in Europæis patere regionem, quæ tui plena laboris non fuerit; Verumtamen cum non exteris tantum regionibus; ſed & patriæ, & regno te natum ſimul habeamus, non fuiſti diutius à dulciſsimæ & munificentiſſimæ parentis deſideriis auellendus, ſed reuocandus in eius amplexum atque ſinum, quæ te ardentiſsimis ſtudiis repetebat, ſupremis regni ordinibus præponendum, vt qui exteriora fœliciter rexeras, interiora tutius, & ea qua polles induſtria tractares. Ea igitur Regis Chriſtianiſsimi mens fuit, vt te ſummo Legum Sacerdotio præficeret, qui iuſtitiam coleres, & boni pariter, & æqui notitiam in omnibus profitereris: fœliciter edoctus Princeps Regnum & Imperium non fore conuellendum, ſi vel optimis Magiſtratibus abundaret reſpublica: Nec vero mentem Regiam fefellit quotidiana illa quæ vel in diiudicandis priuatorum litibus, vel in publicis negotiis expediendis vſus es ſolertia, quæ tibi quaſi innata eſt & domeſtica, & velut ab illuſtri & vere quæſtorio* BELLEVRAEORVM & BRVLARTIORVM, *paterno & materno ſanguine mutuata, quam optimo & præcipuo iure in te transfuſam nouimus, vt certiorem ex ea ad dignitatum omnium apices, non modo auſpicareris aſcenſum, ſed & proprio labore & induſtria domeſticis exemplis excitatus enitereris. Quamuis enim iure aliàs apud Iudæos ſeruato, & in Eccleſiam Armeniæ inducto, quiſque in Sacerdotium admitteretur, qui ex tribu Leuitica, & ex ſanguine Sacerdotum originem duceret, id tamen iuris in te quod in aliis tranſcribere ſoles, vt neque paterna, neque materna tibi iura adſcribas, niſi propria effeceris; quod & in te adeo fœliciter ſucceſsit, vt vtramque perſonam ſolus exhibeas, & quodcumque exequeris,* BELLEVRAEVM *pariter ſpiret &* BRVLARTIVM; *namque ab his infractis hominibus id vnum didiciſſe viſus es, vt cuilibet ordini tibi ſubmiſſo primæuum ſplendorem reſtitueres & dignitatem; hoc ſenſit nuper togatus patronorum ordo, cui non modo prærepta iura reddi curaſti, ſed & dignitatis &*

Digitized by Google

promotionis inſignia vel obſoleta vel deperdita recredi voluiſti: Hoc itaque nomine tibi gratulatur ampliſsimus ordo, cuius ego licet infimus; ex eo tamen gloriabor, ſi id vnum iuſseris nomen tuum huic paginæ inſcribi, vt loci veneratione perterrita longius faceſſant inuidorum querelæ, & ad hoc veluti præſidium, & ſacram nominis anchoram miſerrime allidant: Quod vtique optat,

Tibi obſequentiſſimus
& addictiſſimus
FRANCISCVS PINSSONIVS.

Digitized by Google

RATIO INSTITVTI OPERIS
ET DVPLICIS NOMINIS FRONTI INSCRIPTI
AD LECTOREM.

CVM viri clariſſimi Antonij Bengei Biturigum Anteceſſoris Primicerij aui plurimum colendi ſchedas peruoluerem, quæ ſucceſſione paterna mihi quæſitas plurimum lætor, incidi in ſpecimen tractatus de Beneficiis Eccleſiaſticis, quod ex intimis definitionis beneficiariæ viſceribus deſumendum, quotidianis recitationibus parauerat; ſed heu incæptis mors inopina progreſſum inuidit, cuius tamen conatus cum ab auditoribus inter recitandum & legendum exceptus, in manus amicas deueniſſet: ita primum illud ſpecimen longioris tractatus æquis iudicibus arriſit, vt continuo dolerent præreptum ſibi quod optauerant beneficiariæ diſputationis implementum; non defuere tamen ex amicis qui nouerant me auitarum ſchedarum heredem, vt incæpto operi perficiendo me accingerent, & monerent Bengeum quaſi in decurſu lampada mihi tradere voluiſſe, quod & lubentius aggreſſus ſum, cum & illud nouiſſem nihil mihi poſſe contingere decentius forenſi etiam palæſtra exercendo, quam ſi ad auitos labores aſſurgerem, vt pleriſque noſtris iuriſprudentibus accidit, Ælio Pæto patri & filio, Antiſtio Labeoni ſimiliter patri & filio, Cocceio Neruæ patri & filio; Cum itaque ſæpius quod tentauerat perlegiſſem, mihi ſenſum authoris tandem penetrare datum eſt & aſſequi, vt inde perficiendo operi me totum darem, & amicorum ſuaſionibus & monitis quodammodo reſponderem; ſed ne vel optimo parenti ſua gloria ſubtrahatur, vel ea te in dubium & anxietatem inducant, quæ tractatui inſerta temporibus minus conueniant, te monitum in primis volui, beneuole Lector, authoris ipſius ſchedas ita in manus meas deueniſſe, vt minus digeſtæ & compoſitæ haberentur, cum & ipſi numquam in animo fuerit, eas extra ſcholam, & pulpitum egredi; itaque quaſi ad mediam ſuſcepti operis partem tum legendo tum dictando peruenerat, cum mors præpoſtera, & inopina Bengeum à mortalibus eximens, promiſſorum exſolutionem anteuertit, quod ex ipſius ſchedis facile colligi poteſt: namque ſecundum propoſitum ſibi ordinem, & ſingula definitionis verba percurrens, tria illa priora verba in fronte definitionis poſita, *militia quædam cæleſtis* executus fuerat per annum integrum, binos heb-

domadæ dies quos carnium abſtinentiæ dicauit Eccleſia inſumens, vt ipſe teſtatur, dum à ſuſcepto opere ceſſauit, & deſiit in explicandis officiis, muneribus, ſtationis neceſſitate, atque excuſatione, gradibus, dignitatibus, titulis, ac nominibus eorum qui ſtipendiis Eccleſiæ militant, à ſummo Pontifice vſque ad Capellanos, & præſtimoniis addictos, de quorum vita, & decenti vitæ conuerſatione diſſeruerat latius, & hoc maxime effecerat, vt oſtenderet cœleſtem debere eſſe militiam, & dignam domino cui inſeruit, ſemotam à quæſtu, & negotiationibus, & iis quæ ſpe lucri contrahuntur, prædiorum, aut vectigalium conductionibus, imo nec ipſas militias ſiue beneficia commercio vel nundinationi ſubjacere. Rurſuſque ad ſuſceptum opus perficiendum ſe parauerat circa annum Domini 1615. & aggreſſus explicationem huius definitionis particulæ *cum ſuo reditu*, probare tentauerat cuique beneficio ſuum reditum ineſſe debere diſtinctum & ſeparatum, eidemque diſputationi quatuor capita ſubiicienda promiſerat, quorum priora tantùm tria executus fuit, quæ de origine bonorum Eccleſiaſticorum & diſpenſatione, alterum de Eccleſiarum fundatione & dote, & de ſubiectione earumdem, tertium. De iure quod in bonis Eccleſiaſticis Eccleſiæ vel perſonis Eccleſiaſticis competit, poſterioris explicationem quæ erat de oneribus & immunitatibus Eccleſiarum & bonorum Eccleſiaſticorum, & forte totius operis conſummationem protrahens in alterum tempus, quod ſibi futurum ſperabat commodius, & forte contigiſſet, niſi ad neceſſarium æternitatis opus properandum iuſſiſſet Deus, ſic enim ipſe teſtatur. Poſtquam priora tria capita executus eſt, quorum expoſitio in tempus vacationum producta eſt: *Hactenus*, inquit vt ex ſchedis colligitur, *de iure quod in bonis Eccleſiaſticis, & fructibus eorum Eccleſiæ, & perſonis Eccleſiaſticis competit, quod fuit argumentum huius tertij capitis, cui pollicitus eram me ſubnectere quartum de oneribus & immunitatibus Eccleſiarum & bonorum Eccleſiaſticorum, ſed vacationum tempus quod jam appetit, non ſinit me quod pollicitus eram implere, ſpero tamen id aliquando me facturum, ſi Deus volet, cui ſoli ſit laus, honor, & gloria:* namque ipſemet Deus cui ſe totum committebat aliud voluit, & eodem ſubſequenti anno 1616. ad ſe Bengeum reuocauit, vt patet ex publico teſtimonio quod ipſi demortuo appenſum eſt, & huic paginæ ſubiici volui, vt ex eo tibi probaretur quiſnam fuerit ille Bengeus, qui tibi tam ſedulo euigilauerat, vt neceſſarium iuxta & vtile opus pararet. Eo igitur ſubducto ne imperfectum opus diutius ſupereſſet, huic implendo me totum tradidi, quod ita executus ſum, non tantum vt quod propoſito ordini deerat, ipſemet adderem, ſed vt ea quæ minus perfecta Bengeus dimiſerat, meliori ordini redderem, forenſi noſtra & quotidiana exercitatione implerem, capitibus variis & ſectionibus diſtinguerem, vt tibi facilior ad diſputationem

Digitized by Google

beneficiariam pateret aditus, & forenſi noſtro vſui, & trituræ accommodatior euaderet; namque eamdem non tantum varia & multiplici pragmaticorum noſtrorum beneficialium teſtimonio & auctoritate firmaui, ſed & variis rerum in ſupremis curiis iudicatarum exemplis, & præiudiciis corroboraui, quæ pluribus locis inſita reperies, cum nec Bengei temporibus innotuiſſent, adeo vt illud noſtri authoris tentamen ita nouum euaſerit, vt nec ipſemet facile agnoſceret; & hæc tibi ſubminiſtranda erit perpetua conciliandi ratio, ſi quid minus temporibus conueniens inciderit in ea parte tractatus, quæ Bengeum authorem habebat, & quę vt ex ſuperioribus patet, & ex ipſo auctoris teſtimonio à principio definitionis ſiue verbo *militia*, producta eſt ad verba eiuſdem definitionis *cum ſuo reditu*, & ad caput quartum de oneribus & immunitatibus Eccleſiarum: ab eo igitur capite ſupplementum auſpicatus ſum, & ad finem vſque ſecundùm propoſitum ordinem perduxi, quod & mediam totius tractatus partem complectitur; & in ea quidem parte peragenda non eſt, vt tibi rationem ponam inſequentis diſſertationis; patebit enim manifeſtius ex ſubiecta eiuſdem tractatus ſynopſi, cuius & ordinem pede fixo inſequuutus ſum, niſi in iis in quibus aliô perrcurentis diſputationis curſu abreptus ſum; Quis igitur mihi non immerito inuideat, ſi ſeruatis ſuis Bengeo præmiis, huius tractatus fronti me inſcripſerim; quis non iniquus paternæ ſocietatis oſor fuerit, qui ab auo nepotem diuelli iubeat? Patere igitur Lector amantiſſime, chariſſimo parenti filium, doctori diſcipulum ſociari, & hæc lubens excipe, vt ad maiora tibi præſtanda me accingam.

ANTONII BENGEI TVMVLVS.

QVI AD IVSTITIAM ERVDIVNT MVLTOS quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, DANIEL. cap. 12.

D. O. M.

ET MEMORIÆ CONIVGIS BENE MERENTIS
vxor mœſtiſſima cum omni familia.

H. M. P.

M*ANTA quiſquis viator perbitas, non hic volgaris vmbra inſalutatos manes queretur ſi præteris; Hìc ſunt Antonij Bengei oſſa condita; ſatis dixi. Sed heu non ſatisfeci; iuſta etiam ſua poſtulat*

poſtulat iuſtus dolor , & ſuccincta verba dare vetat paternæ mortis fæcundus mœror ; Antonius ille Bengeus iuris vtriuſque doctor celeberrimus , ſcholæ princeps meritiſsimus , qui per omnes ſcientias incredibili , captu progreſſus , à forenſibus negotiis ad publicum docendi munus omnium conſenſu reuocatus 27. ætatis anno in demortui D. Cujacij locum tam auſpicatò ſuffectus eſt ; vt ereptum ſolem quem lugebant docti omnes , quamprimum ſibi redditum eloquentiæ puritate nitidiorem mirati ſint : Operoſo huic docendi muneri ſic addictus à reipublicæ interim cura non abſuit , neque à conſiliis , neque à iure dicundo. Semper & ciuibus ſuis propter ſummam morum ſuauitatem multum amabilis, optimatibus gratioſus , ſtudioſis charus , omnibus gratus , & in omnibus ſcitiſsimus , & cui plebiſcitum non æque ſcitum fuit. Eo denique docendi munere 24. annos perfunctus , tandem acerbiſsimum ſui deſiderium relinquens anno D. 1616. immaturo lectiſsimis viris fato ſublatus eſt , duos tantum & quinquaginta annos natus, lugente Academia , mœrentibus Muſis , alumnoque cariſsimo breuiorem vitam perpetua nominis fama repenſuris ✠ huic bene precare & vale.

Cineri , atque oſsibus viri incomparabilis , tactus mœrore incomparabili , iuſta ſoluebat Antonio Bengeo , Antonius Bengeus , iuriſperitæ iuris ſtudioſus , Anteceſſori diſcipulus , etiam proh dolor ! patri meritiſsimo filius mœrentiſſimus.

é

Digitized by Google

AD STVDIOSOS

REI BENEFICIARIÆ BREVIS ADMONITIO

IN TRACTATVM DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

MEDITANTI mihi immenſas iuris Pontificij plagas peragrare, vt vobis ex vberrima ſegete, ampliſſimam meſſem colligendam præberem, qua nihil vtilius aut ditius vobis poſſit obuenire. (Quantum enim ſpiritualia præſtant corporalibus, tantum ius Canonicum Iuri Ciuili præfertur) occurrit ampliſſima *Rei Beneficiariæ* diſputatio, quæ maximam Iuris Pontificij partem explet, & ſingulas eius partes ſtudioſiſſime peruagatur; maxime cum Iuris Pontificij in eo verſetur ſacra ſimul & politica adminiſtratio, vt bona Eccleſiaſtica legitimè diſpenſet, vt ſacris & Eccleſiaſticis Ordinibus addictos, ſingulis præficiat miniſteriis, quæ Beneficiorum nomine appellare ſolemus.

Quamuis autem innumeri qui in hanc fœcundiſſimam meſſem falcem immiſerunt, inter quos Ioannes Coraſius Senat. Tholoſ. Præſes. Gregorius ex eadem Academia Tholoſanus dictus, & Franciſcus Duarenus Bituricenſis Academiæ Profeſſor celeberrimus à propoſito abſterrere potuiſſent, tamen id fortiùs ſuſcepto operi alligauit, quod ea erat meſſis quæ quotidiè ſuccreſcens plures meſſores admitteret: ſed & illud dubium & fluctuantem animum obfirmauit, quod ſaltem vt alteri Ruth Moabiti ſpicas manus metentium fugientes colligere liceret.

Hanc igitur Iuris Pontificij partem aggredior, quæ de Beneficiis tractare ſolet. Hunc autem ordinem ſequi decreui, vt propoſita definitione beneficij ſingulas eius partes explicem, & quidquid de hoc tractari ſolet argumento ſingulis definitionis verbis ſtudioſè accommodem, quod mihi equidem credo fœliciter ceſſurum; Eſt enim cuiuſque rei definitio velut index naturæ rei quam definit, quod & de ſolis & ſimplicibus nominibus plures teſtantur.

Nec enim caſu aut fortuito cuique nomen ceſſit, ſed quaſi diuina prouidentia omnium rerum naturas perſcrutante datum eſt, quod mire & eleganter expreſſit D. Cyprianus aut alius quilibet in Sermone de Montibus Sina & Sion his verbis. *Ita ab initio & deinceps, omnes homines naſcentes de tempore & facto à parentibus ſuis nomina accipiebant (non quidem ex ſe; ſed à Deo mente impellebantur, qui ante-*

Digitized by Google

quam fiant præſcius eſt futurorum) vt quales poſt crementum ætatis futuri eſſent poſteriori tempore, verbis & nominibus Hebraïcis deſignaretur, & quid ſingulis futurum eſſet interpretatio nominum deſignaret veritatem, quod & fuſius perſequitur.

Et ex eo natum eſt vt alij putauerint primo parenti noſtro Adamo, qui vi infuſæ à Deo cognitionis omnium rerum qualitates intimas, & ſecretiores nouerat, nominis imponendi conceſſam fuiſſe facultatem, eaque vſum fuiſſe cognitione, vt ſingula ſuis nominibus ſecerneret & notaret, ex quo non mirum ſi ſua quoque ſint nominum myſteria, ſicut & numerorum, naturam cuiuſque rei indicantia.

Verum enim Romani fœlicis Imperij nomen aucupari conſueuerant, ex fauſto fœlicique nomine Imperatoris, vt ſi in adminiſtratione Reipublicæ nomini ſuo reſponderet, nominis ſui virum appellarent, ita Seuerum Imperatorem, Probum, Commodum, Pertinacem, & alios ſui nominis viros dixerunt Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores.

Et quidem ad illud appoſite eleganterque dixit D. Petrus Chryſologus Rauennatum Archiep. Serm. 154. in D. Stephanum Protomartyrem cuius nomen Martyrij coronam exhibebat, *Sicut Dominum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipſa ſæpe Sanctorum merita indicant & teſtantur inſignia.*

Illudque etiam de ipſis inanimatis cæteriſque rebus teſtatur ipſe Tertullianus lib. de Carne Chriſti cap. 13. vbi ait, *omnia periclitabantur alter accipi quam ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quam ſunt cognominantur, fides nominum ſalus eſt proprietatum, etiam cum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum poſeſſiones*; vt vere dixerint impp. *in l. 10. cod. de ingen. manum. ad recognoſcendos ſingulos nomina publico conſenſu fuiſſe comparata*; quod & ſecutus Imperat. Iuſtinianus *in §. 29. Inſt. de legat.* dum ait, *nomina ſignificandorum hominum gratia reperta fuiſſe.*

Et inde fluxit quod iuris interpretes ſæpiſſime ex nominum inquiſita origine, quam Ethimologiam vocant ſiue veriloquium, argumenta & probationes deducant certiſſimas, vt obſeruauit maximus Cujacius eiuſdem Academiæ Bituricenſis decus & lumen in ſolemnibus recitationibus digeſtor. *ad l. 1. dig. de Iuſt. & iure*, vbi Ethimologia definitio nominis appellatur, Græcis ὀνοματώδης.

Verum ſi ex ea nominis definitione, quæ exteriora tantum ſiue corticem attingit, aliqua rei cognitio erui poſſit, maxima eluceſcet veritas ex propoſita rei definitione quæ οὐσιώδης Græcis appellatur, omnis enim optima definitio ex genere & differentia compoſita extat, quæ totam rei definitæ ſubſtantiam continent: vnde Cicero lib. 1. officiorum eleganter & appoſite dixit: *Omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id de quo diſputatur.*

Quamuis autem Hermogenes Rhetor duo definitionum vitia notauerit, alterum per exceſſum, alterum per defectum, ita vt eam definitionem vitij arguat, quæ generis & differentiæ cancellos egreſſa latius diuagatur, eamque in deſcriptionis naturam tranſire velit; tamen quia ſola definitio ſolam rei ſubſtantiam explicet, nec proprietates aut qualitates ſubſtantiæ proximas attingat, quæ ipſa deſcriptio paululum diffuſior aperit.

Ex eo erit vt propoſitam beneficij definitionem paululum diffuſiorem efficiamus, vt omnem beneficiorum ſubſtantiam, ſingulas eius partes, proprietates, qualitates, officia, reditus, cæteraque ad eum Tractatum perti-

Digitized by Google

nentia clarius explicet, maxime cum Iure-Conſultus *in leg. 202. dig. de regul. Iuris.* omnem definitionem in iure periculoſam eſſe aſſerat.

Hæc igitur erit noſtra definitio, quâ tractandæ materiæ non potuit affingi conuenientior, his verbis expreſſa vt ſit *militia quædam cæleſtis, cum ſuo reditu, Clerico idoneo, ad vitam concedenda*, & *Canonica inſtitutione conceſſa*, cuius ſingula verba minutatim expendendo ſecundùm propoſitum nobis ordinem, totam beneficiorum naturam exponemus, & per varios iuris Pontificij Tractus ſine reprehenſione vagantes, ſingulis partibus quantum opus erit conſiſtemus.

Verum antequam propoſitæ materiæ pleniorem tractatum ingrediamur, licebit præmittere quamdam totius Tractatus Synopſim, vt ab ipſis principiis lux quædam vobis præfulgere, & ſubſequentis diſputationis notio patere poſſit: Erit igitur hæc ſynopſis quaſi quædam aurora futuræ & maioris lucis prænuncia, quam oculis veſtris & examini ſicut & ampliorem Rei Beneficiariæ Tractatum ea lege ſubmiſſos velim, vt ęquiore animo & iudicio ſuſcipiatis.

SYNOPSIS TOTIVS TRACTATVS
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS
EX DEFINITIONE DESVMPTI.

BENEFICIVM eſſe dico *Militiam quandam cæleſtem; cum ſuo reditu, idoneo Clerico, ad vitam concedendam, & Canonica inſtitutione conceſſam. Militiam* appello latino vocabulo, & in id etiam à Gregorio vſurpato, *can. Presbyteros 16. quæſt* 1. vbi Clericatum militiam eſſe dicit, & Clericos omnes militare, atque beneficia numquam à Clericatu ſeiuncta, quia nec à militia, tametſi in Eccleſia (vt nunc viuitur) duas militię ſpecies obſeruare vnicuique ſit expeditum, ſunt enim quædam imaginariæ, & vt ita dicam codicillares, ſine functione, ſine myſterio, ſine reditu, quales eorum qui ſacris initiati, nulli tamen Eccleſiæ addicti, aut in Preſbyteros ordinati ſunt: nam pleriſque videtur illos à functionibus Eccleſiaſticis eſſe immunes, at diuini quidem officii recitationi quas horas canonicas vocant, obnoxios.

Verum ii qui Eccleſiis adſcripti, & reditus Eccleſiaſticos poſſident, ſtatutum illud ac diurnum officium prætermittere nequeunt, nec aliis muneribus deeſſe, quibus Eccleſiæ ſuæ leges eos adſtrinxerunt, ex quo intelligere poſſumus, cur beneficia in iure Pontificio Eccleſiæ appellentur, quamque optimâ ratione ſacri Canones præcipiant beneficiarios Eccleſiis ſuis aſſiduos eſſe oportere.

Hic igitur fugitiui illi & errones Beneficiarii, in ſuas erunt Eccleſias & militias euocandi, ac ne effugiant reſidentiæ vinculis adſtringendi, quod ſi pluribus Eccleſiis ſe addictos eſſe cauſentur, hac cura liberandi, reuocatis in vſum Canonibus, qui in vnam atque eandem perſonam, plurium beneficiorum criminoſam cumulationem damnauerunt, quorum tamen

Digitized by Google

gratiam (reſidentiæ dico & beneficiorum pluralitatis) à ſummis Pontificibus haud multum anxie impetrandam eſſe monebo.

Militiarum autem Eccleſiaſticarum quas deinceps beneficia appellabimus, plures ſunt gradus, quædam enim ſacro miniſterio iunctam habent dignitatem, vt ſunt Epiſcopatus, & Abbatiæ, quamquam in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, dignitates & perſonatus appellantur, vt Decanorum, Theſaurariorum, Præpoſitorum, Præcentorum, Archidiaconorum, & Cancellariorum militiæ, ac ſi quæ aliæ hominum opinione, aut ex cuiuſque loci conſuetudine, dignitatum titulo cenſeri ſolent, multis locis appellantur, veluti in *cap. maioribus de præb. cap. penult. de verbor. ſignif.* tametſi non improbabiliter tentari poſſet ſupradictis locis, majora beneficia ratione prouentuum quaſi pinguiora appellari. Secundum genus beneficiorum ad ea pertinet, quæ ſine dignitate curam animarum miniſterio conjunctam habent, vt Parochiæ; poſtremum eorum quæ ab omni cura & dignitate ſejuncta vulgo ſimplicia dicuntur, quorum in iure Pontificio non infrequens mentio, & horum omnium quædam ſecularia, quædam regularia, quæ & qualia ſint, per ſpecies & exempla ſeriatim explicabo, & ab omnibus Hoſpitalia, Melitenſium militum Præceptorias, aliaque id genus ſpeciem beneficiorum habentia, ſi videatur, diſparabo.

Poſt hæc ſcrupuloſius inquiri oportebit in illam definitionis noſtræ particulam *quædam*, nam & hæc non vacat myſterio, quippe quæ notat beneficium eſſe munus aliquod ſeparatum & diſtinctum, & vt dialectici vocant indiuiduum, quod plerumque ſpeciali titulo, qui vicem nominis habet, ab aliis diſtinguitur, hic vero de titulis beneficiorum, ex veteri ordinationum vſu, & conſuetudine deductis, erit diſſerendum, & quoniam ſingula ſunt beneficia, & ſingulares titulos ſortita, etiam ſingulis indiuiſim conferenda, non vnum duobus pluribuſve, nec plura ſimul confundi & vniri, nec in totum vel pro parte extingui, commodum igitur hoc loco tria capita ſubjicere, vnum de prohibita beneficiorum ſectione, alterum de vnione, tertium de extinctione.

Poſtquam vero his tribus capitibus, beneficiorum ſaluti, atque æternitati proſpexero, licebit honori & dignitati conſulere, cui nihil eſt ſub cœlo quod comparari poſſit, regna fortaſſe quædam cogitas ac dynaſtias, atqui ſeruire Deo regnare eſt, hoc autem regnis ac dynaſtiis omnibus militię noſtrę pręſtant, quod illę mundo, hę cœlo imperitant, idque ſymbolo coronę ſignatur, quam ab inſtitutione Eccleſię Romanę, milites Chriſti in capite geſtant, in ſignum vt ait Hieronymus, regni quod in Chriſto expectant, *can.* 7. 12. *quæſt.* 1. quamobrem in definitione *cœleſtem* dixi, cum eodem ſenſu ſacras aut ſpiritales dicere potuiſſem, vt *can. quæcumque* 77. *diſt.* nam & qui eas exercent Chriſti milites dicuntur, *can. reprehenſibile* 23. *quæſt.* 8. cum vero cœlo militent, à ſęcularibus negotiis, quęſtibus, & iocis abſtinere debent, & hic non erit parergon, pauca quędam & neceſſaria de vita & honeſtate clericorum aſpergere.

At vero ſi rerum prophanarum, ac temporalium negotiatio erit interdicta: quanto magis militiarum, ſeu beneficiorum, quę vt res ſacrę ac ſpiritales omne genus commercij refugiunt, nec quicquam eo prætextu ſibi blandiri oportet, quod prouentus beneficiis deſtinati ſunt temporales,

Digitized by Google

ſic enim ſacro & ſpiritali miniſterio cohærent, vt ſeparari nequeant, quid autem magis ſacrum, cœleſte, aut ſpiritale dici poteſt, quam Euangelij doctrina, Sacramentorum adminiſtratio, Miſſarum celebratio; cæteraque id genus, in quibus omne Eccleſiaſticæ militiæ punctum conſtitutum eſt; non erit vero alienum hoc loco duas ſimoniæ ſpecies inſectari, vnam quæ in acquirendis, alteram, quę in exercendis beneficiis committi ſolet; concipitis animo vt credo, ſacra & ſpiritalia eſſe beneficiariorum munera, eoſque ſacris & ſpiritalibus rebus, non etiam profanis & ſecularibus negotiis implicari debere.

Sed verendum forſitan, ne dum aſſidui cultui diuino miniſteria religionis impendunt, rebus ad vitam neceſſariis deſtituti, militiam deſerere, & vt profanum vulgus quæſtui ſe addicere cogantur, cui malo ante obſiſti non poteſt, quam ſi ſingulis beneficiis, ſui quoque prouentus aſſignentur, quid enim æquius, quam eos qui altari ſeruiunt de altari viuere, & qui ſpiritalia nobis ſeminant, metere temporalia, hinc beneficia nomen ſuum ſortita, nam ex quo benefit illis, quibus ob ſacrum Miniſterium huiuſmodi prouentus adſignantur, beneficia ſunt appellata, à beneuola dantis actione, ad res donatas paululum inflexo vocabulo, imò recto & proprio, ſed à profanis ad ſacra tranſlato. Quis enim neſcit prædia & poſſeſſiones, quæ militibus armatis olim à principibus, & vaſallis à dominis dari ſolebant, beneficia fuiſſe appellata, & eos qui eiuſmodi liberalitatis titulo acceperant beneficia beneficiarios dictos Plinio, Cęſari, & aliis, ac ſi quis profana, illa cum Eccleſiaſticis conferre voluerit, pręter nominis ſocietatem, alia multa deprehendet communia, atque inter cętera, quod illa armatis militibus dentur, hęc Clericis qui Deo militant, illa propter obſequium & fidem, hęc propter diuinum officium & miniſterium.

8 Hinc vero liquet, cur in beneficij definitione dictum ſit, *cum ſuo reditu* ſui enim pronomen potiſſimum notat, vnicuique beneficio, ſuos eſſe reditus aſſignatos, & conſtitutos, adſignatio eſt priuatorum, conſtitutio Prælatorum, vt hîc oſtendam, & vt diſtincta beneficia, ita diſtincti beneficiorum prouentus, & à beneficiariis diſtincte, non communiter percipiendi, tametſi olim vnus fuerit, & communis Eccleſiæ fiſcus, ex quo Clericis ſtipendia pendebantur, quare cum ad hunc locum acceſſero, ſollicite quærendum erit, quænam fuerint naſcentis Eccleſiæ facultates, & quam ex paruo capite ſurgens Pactolus Eccleſiæ, in tantum inundauerit, vt maximam partem agrorum, quos laïci poſſidebant patrimonio adjecerit, & quibus tandem aggeribus Principes noſtri, inundationem illam repreſſerint.

Poſt hæc bona Eccleſiaſtica, ex quibus reditus percipiuntur, in duo genera diuidam, ſpiritalia, & temporalia (ſequemur enim vſitata in hac re vocabula) ſpiritalibus adſcribam decimas, primitias, oblationes, ſacra vaſa, atque ornamenta, cæteraque cultui Diuino conſecrata, ſecundum *Duarenum lib. 7. de ſacris Eccleſ. miniſt cap. 9.* temporalibus fundos, poſſeſſiones, pecuniam, & res alias mobiles, vel immobiles, ex quibus plerumque reditus percipiuntur: His adjungam diſtributiones quotidianas, quæque ex laudabili locorum conſuetudine præſtari ſolent, & quoniam Epiſcopos video proprios aliquot reditus ſibi vindicantes, hos quoque leuiter attingam.

Digitized by Google

Sed cùm omnes fructus intelligantur deductis oneribus, merito culpari poſſem, Si bonorum Eccleſiaſticorum onera reticerem, non duo illa vulgaria quæ prædiis inhærent, & ab omnibus ſeu laïcis, ſeu clericis agnoſci debent, vt cenſus & ſalaria, ſed quæ fructus Eccleſiaſticos minuunt, & ratione fructuum ab Eccleſiaſticis exigi ſolent, quorum alia perpetua, vt congrua portio Vicario perpetuo debita, alia temporalia, & horum alia rurſus indicta, vt ſunt decimæ, annatæ, oblatorum alimenta, alia quæ conſtituta, vt penſiones, de quibus opportunius hic erit diſputandi locus.

Iam vero deductis oneribus quidquid fructuum ſupereſt, an pleno iure ad beneficiarium ſpectet, & an vſuario magis quam fructuario ſimilis ſit, hoc loco diſcuti oportebit, ſicut & illud, an qui beneficiis ſuis aſſidui non ſunt, omnes fructus ſuos faciant, & lucrentur, & vtrum beneficiarij, de fructibus beneficij perceptis, & non conſumptis, ac de quibuſlibet aliis, occaſione beneficij quæſitis, vel teſtamento, vel inter viuos, diſponere poſſint, & quid de iis ſtatuendum, qui tempore mortis pendentes, nondum tamen percepti erant, quidque de fructibus vacante beneficio perceptis, aut percipiendis, nam quod ad bonorum quæ beneficio cohærent dominium, & proprietatem attinet, in eo nullum ius eſſe beneficiario liquidò oſtendam: Ideoque nec alienare eum poſſe, atque ita hunc noſtræ definitionis articulum ad bona Eccleſiaſtica pertinentem, claudet breue capitulum de prohibita rerum Eccleſiaſticarum alienatione.

Hactenus verò de beneficiorum ſubſtantia dictum ſufficiat, quæ ex duobus conſiſtit miniſterio videlicet, quod plane ſacrum, & ſpirituale eſt, & reditu, ac prouentu temporali, videamus deinceps, quibus res tam auguſta mandari poſſit, ac debeat, id vero duobus verbis facit noſtra definitio, dum ait *idoneo Clerico.* Atque à κλῆρος vocabulo ducta clericorum appellatio ſors eſt, quia beneficia iis dantur quibus ſorte obtigerunt, hoc noto, tametſi malim quam pecunia, aut gratia, vel ambitione, vel laïcis vt ſolet, laïcos vero clericis oppono, & hos, non etiam illos, beneficiorum capaces eſſe contendo, beneficiorum inquam, id eſt eorum quæ in ſacro miniſterio, & reditu temporali conſiſtunt, nam ſublato miniſterio, laïci bonorum Eccleſiaſticorum prouentus iuſtis ex cauſis capere poſſunt, vt oblatorum, atque aliorum exemplo cum huc venero oſtendam, & clericos à laïcis capite raſo, diſtinguam, nec radam ipſe, ſed cui ius datum eſt proprius Epiſcopus, & nonnumquam alienus, ſi quis à proprio, dimiſſorias litteras impetrauerit.

Sed id vnum præmoneo, ne illos omnes, quos raſo capite clericali militiæ videritis adſcriptos, protinus ad beneficia admittendos putetis, res tam auguſta tonſis capillis ęſtimari non debet, non clericum tantum, ſed & idoneum eſſe oportet ad beneficia promouendum, & propterea additum eſt in definitione, *idoneo Clerico*, quęnam vero ſunt illa quę idoneum faciunt, multa, quę in ſumma duo capita contraham: Primum ad ea pertinebit, quę in promouendo adeſſe debent, bonos mores, iuſtam ętatem, litterarum cognitionem, vulgaris linguę peritiam, natalium fidem, legitimum ſtatum, & conditionem, & in hoc regno ius ciuitatis, aut naturale, aut priuilegio quęſitum: Secundo capite ea perſtringam, quæ in promouendo deeſſe debent, animi duntaxat, & corporis vitia, præſertim inſignia, vt matrimonium, & bigamiam, nec deſunt qui medicinam in actu adij-

Digitized by Google

ciant, & medicos à beneficiis arceant, aut ſaltem ad beneficia promotos à medicina abſtineant, quæ omnia indaginem noſtram requirunt.

Sæpe tamen contingit, etiam non idoneos ad beneficia promoueri, ſi prius à ſummo Pontifice, aut ab Epiſcopo, ſecundum iuriſdictionis ſuæ formam gratiam impetrauerint; atque adeo de diſpenſationibus agendum erit hoc loco, & vt præſentio de poſtulationibus, quæ plerumque minus idoneis, ad obtinenda beneficia iter expediunt, nec-non de commendis temporalibus, quæ idoneis æque ac non idoneis committi ſolent: Verum hæc ita procedunt, ſi in ipſo impetrandi beneficij exordio, promouendus non idoneus eſſe deprehenditur, quid enim ſi incapaci beneficium per errorem collatum ſit, hoc caſu ereptitium efficitur, idemque accidit ſi idoneus ab initio, ex poſt facto non idoneus euadat, vtroque enim caſu inuito beneficium aufertur, iure quod vocant deuoluti; excipiam involuntarios caſus, veluti corporis aut animi vitia incautis ſuperuenientia, hæc enim non ſunt tanti, vt propter illa beneficium auferri poſſit, ſed ſi tale ſit beneficium, quod neceſſarium miniſterium requirat, quale eſt Epiſcopatus, aut Parochia, ei qui non idoneus euaſit, Coadjutor aut Vicarius dari ſolet, quæ omnia ſuo quoque ordine perſtringam.

His ita conſtitutis, hinc beneficio cum ſuo reditu, illinc Clerico ad beneficium idoneo, exſpectatis credo, vt confeſtim & ſine mora hoc illi concedatur, ſiſtite tantiſper, & prius inquirite, num in ea ſit cauſa beneficium, vt concedi poſſit ac debeat, deinde ad tempus, an ad vitam concedendum ſit, de vtroque vos monet definitio, dum dicit *ad vitam conceſſa*, neque enim ad tempus beneficia concedi poſſunt, aut ſemel conceſſa ad nutum reuocari, *cap. veniens de filiis presbit. non ordin.* nec prius quam vacent, à quoquam peti, aut promitti, vel conferri poſſunt, peſſimi enim exempli res eſt, viuentium adhuc, ac ſpirantium beneficia aucupari, cui reprimendæ *Ioannes* 23. regulam edidit de veriſſimili notitia, quam vt æquitati, ac beneficiorum inſtitutioni conſentaneam, ſenatus amplexus eſt, & nos velut patriam hoc loco explicaturi ſumus.

Cum vero in definitione dictum ſit, beneficia ad vitam concedenda, nec niſi vacantia concedi poſſint, videamus quibus modis beneficia vacare ſoleant, quod vtique ſcitu neceſſarium eſt, eò maxime quod impetrantes beneficia, modum vacationis exprimere debent. Primus vero vacationis modus mors eſt, quo pertinet vulgare illud axioma, in beneficiis non eſſe ſucceſſioni locum, & an non ſit ſubrogationi videbo. Secundus vacationis modus reſignatio eſt, quæ aut eſt expreſſa, aut tacita, pura, aut conditionalis, ſimplex, vel in fauorem, quæ poſtrema aditum patefaciet ad alias duas regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, quarum vni titulus eſt de infirmis reſignantibus, alteri de publicandis reſignationibus. His ſubijciam tertium vacationis modum, per mutuam ac reciprocam reſignationem, quæ ex cauſa permutationis fieri conſueuit, quamquam hæc bonis moribus contraria, atque ambitionis & auaritiæ ſuſpecta, non ſine cauſæ cognitione recipi ſoleat, vt nec permutationis æmula Epiſcoporum tranſlatio, de quibus hic quoque ſermo futurus eſt.

Sunt & alij modi quibus beneficia vacare poſſunt, veluti per matrimonium, Monaſterij ingreſſum, vel profeſſionem regularem, ordinationis defectum, & noui beneficij adeptionem, quibus omnibus explicandis, pauliſper

Digitized by Google

paulisper erit immorandum, neque silentio prætermittendum, numquam Pontifices, summa illa qua pollent auctoritate, vacatura beneficia quibus volunt destinare posse, mandatis in eam rem ad collatores directis quæ Apostolica dicuntur, seu gratiæ exspectatiuæ, quibus in hoc regno pene abolitis, successit ius nominandi vniuersitatibus concessum: nam quantum ad exceptiones beneficiorum, quas vulgo reseruationes vocant, eæ quoque Leonis constitutione, seu concordatis in totum sublatæ sunt, attingam & breuiter, & in transitu, indulta Curiæ Parisiensis, adoptiones in canonicum nondum vacante præbenda factas, quarum in iure Pontificio, quibusdam locis mentionem fieri notaui, nam hæc & si quæ sunt similia, leuiter recedunt, à stricta illa regula iuris, quæ dictat beneficia, priusquam vacent nec peti, nec promitti, nec concedi oportere.

Quid diutius exspectationi vestræ moram facio: & vacans beneficium idoneo clerico dare supersedeo? ego ne dem ni dandi ius habeam, & vt quis habeat det ne solus, an cum aliis conjunctim, disiunctimue, an exspectet vt alius nominet, aut exhibeat ad beneficium promouendum, & quid si vterque moram faciat, aut quo tandem nominante, vel exhibente, alter oblatum reijciat, aut diutius exspectantem ludificetur, & quænam nominationibus, præsentationibus, collationibus, temporum præscriptiones seruandæ, hæc & alia nosse oportet, rei beneficiariæ peritum, vt discernere possit, an & quando beneficium rite, & secundum iuris ordinem concessum fuerit, quo spectant illa definitionis verba *Canonica institutione concessa* sumpta ex *cap. 1. de reg. Iur. in 6.* huius vero Canonicæ institutionis duo summa genera constituam, electionem, & collationem; & rursus electionem in duas diuidam, vnam quæ per se ius tribuit, alteram quæ confirmatione indiget, notatis beneficiis quæ cuique sunt obnoxia, hanc vero posteriorem concordatis sublatam, & in ius regiæ nominationis conuersam fuisse ostendam.

Hinc patefacta via ad collatores, incipiam ab iis, qui beneficia conferre possunt, priorem locum vt decet Ecclesiasticis tribuam, secundum laïcis, in illo Prælatos constituam quos ordinarios vocant, post reliquos omnes Ecclesiasticæ militiæ conscriptos, quibus extra ordinem ius conferendi datum est, & cum omnibus summum Pontificem supremo quodam iure concurrentem annectam, neque hoc indefinitum relinquam, an delegati ab ipsis, eodem iure vti possint, an Oecumenicum Concilium, vel sede vacante Capitulum, & an possessores beneficiorum, sequestri, conductores, secundo ordine laïcos perstringam, quibus conferendi potestas data est, aut præscriptione, vel longa consuetudine quæsita, vbi Christianissimum regem spectare licebit, iure suo, & à primis huius regni conditoribus, per varias successiones translato, vacantium Ecclesiarum Curam, non in temporalibus tantum, sed plerumque etiam in spiritalibus suscipientem, & quæ pars erit illius Curæ, vacantia beneficia conferentem, quod ius nostrates Regalia appellant, nobis etiam hoc loco discutiendum.

A collatoribus ad collationes descendam, quarum duo genera, vnum liberum, solutum, & ex mera collatorum gratia profluens, alterum adstrictum, ne dicam necessarium: & post rei huius plura exempla, quandoque enim regis, quandoque vniuersitatum nominationi, statis certisque temporibus collatione obnoxia, aut patronorum vt vocant præsentationi,

Digitized by Google

inſtitutio deſeruit, quandoque etiam ceſſante nominatione, aut præſentatione, collator certæ conditionis hominibus, & certo tempore, beneficia conferre debet, veluti iis qui in aliqua Academia gradum aſſecuti ſunt.

Hinc ſumam occaſionem & argumentum, de iure nominationis regiæ, & vniuerſitatum, deque graduatis vt dicunt ſimplicibus, aut nominatis, nec non etiam de mandatariis, & indultariis, & quinam ex illis, in beneficiis obtinendis, potiores habeantur: ac poſtremo de iure patronatus, nam hæc ſunt, quæ vt plurimum, liberam collatorum gratiam adſtringunt, ſed & ſæculi quo nunc viuitur moribus inſeruiens, alias duas collationis ſpecies adijciam, in titulum duntaxat, & in perpetuam fiduciam, quam vulgo commendam vocant: His etiam communia quædam electionum, & collationum præcepta, ſubijciam, vt ſunt hæc, omnes collationes, & electiones gratuitas eſſe debere, omnes puras, nulla temporis, aut conditionis adjectione ſuſpenſas, oneratasue.

Nondum ſatis eſt, cur enim poſtremum definitionis vocabulum inexplicatum relinquam, nec ſortem ei tribuam, quippe non vacat momento illud *conceſſa* quo clauſi definitionem, ſiquidem monet, nemini beneficium adquiri, niſi ab alio conceſſum, duas perſonas eſſe debere dantis & accipientis, vnum conſequens eſt, nec quemquam, ſibi beneficium conferre poſſe, nec ab eo qui vice eius fungitur collatum accipere *cap. vltimo de Inſtitutionibus apud Gregorium cap. per noſtras de Iure patronatus.* Neque hoc tantum de Iure beneficij accipiendum eſt, ſed etiam de poſſeſſione, quam nemo propria auctoritate adipiſci poteſt, quamtumuis & beneficium conceſſum fuerit, *cap. ex parte* 18. *de priuileg.* multo minus vero non conceſſi, & vacantis poſſeſſionem ingredi, alioquin intruſus eſſe exiſtimatur, & vt prædoni, vel furi per poſticum ingreſſo beneficium aufertur, *cap. quia diuerſitatem de conceſſ. præb. capit. ad aures de exceſſ. apud Greg.*

Excipio Triennales & pacificos poſſeſſores, à quibus, non ita præfinite, & ſcrupuloſe titulus exigitur, ſed tituli color, & ſpecies tantum, opportune igitur hoc loco de adquirenda beneficij poſſeſſione, deque intruſis, & pacificis poſſeſſoribus erit diſſerendum, cumque in beneficiis, vt in cæteris rebus, poſſeſſio à iure plurimum differat, vtriuſque nomine poſtquam legitime conceſſa fuerunt, legitimæ quoque actiones proditæ, in rem videlicet qua ius, & interdictum, quo poſſeſſionem beneficij perſequimur, quæ actiones quantum in ſe differant, & vbi exerceri debeant, hoc loco explicabitur, & quoniam vtriuſque iudicij cardo in eo vertitur, vtri litigantium, beneficium quo de agitur, Canonica inſtitutione conceſſum fuerit, quod plerumque ſcripto probari debet, hic erunt litigantibus addenda inſtrumenta, Bullæ duntaxat, & ſignaturæ, de quarum virtutibus, & vitiis, poſtquam diligentius inquiſiero; operi ſatisfactum fuiſſe arbitrabor, & Deo laudes dabo.

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre; A nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & à tous nos Officiers qu'il appartiendra; Salut. Noſtre cher & bien amé François Pinſſon Aduocat en noſtre Cour de Parlement, Nous a fait remonstrer qu'ayant trouué parmy les Memoires de Maiſtre Antoine Bengy noſtre Conſeiller & Doyen de nos Profeſſeurs en l'Vniuerſité de Bourges, le deſſein d'vn traitté intitulé *Tractatus de Beneficiis Eccleſiaſticis*, Il auroit non ſeulement continüé & acheué cét Ouurage ſuiuant ſon deſſein, mais encore remis en meilleur ordre, & reduit ſelon les regles & maximes du Palais, l'vſage de nos Cours Souueraines, & libertés de l'Egliſe Gallicane; Lequel pour le bien du public, il deſireroit faire imprimer par tel Imprimeur ou Libraire que bon luy ſemblera, s'il auoit ſur ce nos Lettres à ce requiſes & neceſſaires. A CES CAVSES, deſirant bien & fauorablement traicter ledit Expoſant, Auons permis, permettons & octroyons à iceluy par ces preſentes faire imprimer ledit Liure par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choiſir, & l'expoſer en vente ou diſtribuër durant le temps de neuf ans, à commencer du iour qu'il ſera acheué d'imprimer; Défendant à tous Imprimeurs, Libraires & autres perſonnes de quelque qualité qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, ny mettre en vente ledit Liure durant ledit temps, ſans le conſentement dudit Expoſant ou de ceux ayans charge de luy, ſur peine de confiſcation d'iceluy, de cinq cens liures d'amende, & de tous dépens, dommages & intereſts enuers luy, à la charge d'en mettre deux Exemplaires en noſtre Bibliotheque publique, & vn autre en celle de noſtre tres-cher & feal Cheualier Garde des Sceaux France le Sieur Molé, ſuiuant noſtre Reglement: Comme auſſi de faire regiſter ces preſentes és Regiſtres de la Communauté des Marchands Imprimeurs & Libraires de noſtre ville de Paris, ſuiuant l'Arreſt du Parlement du huictieſme Avril mil ſix cens cinquante-trois, à peine de nullité des preſentes. SI VOVS MANDONS Que du contenu en ces preſentes vous faciez & laiſſiez iouïr ledit Expoſant pleinement & paiſiblement, en faiſant mettre au commencement ou à la fin dudit Liure ceſdites preſentes: Car tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Paris le vingt-troiſieſme Iuin l'an de grace mil ſix cens cinquante-trois. Et de noſtre Regne le dixieſme. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil LE CONTE.

Et ledit Sieur Pinſſon a cedé & tranſporté ſon droit de Priuilege, à Antoine de Sommauille Marchand Libraire, ſuiuant l'accord fait entr'eux.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le vingt-troiſieſme Iuin mil ſix cens cinquante-quatre.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté, ſuiuant l'Arreſt du Parlement en datte du huictieſme Avril 1653. le vingt-huictieſme iour de Iuin 1653. BALLARD *Scyndic.*

Digitized by Google

SERIES CAPITVM ET PARAG:

AD VERBVM MILITIA.

CAP. I. QVID ſit militia, & vnde militiæ nomen beneficiis Eccleſiaſticis tribuatur. pag. 1
CAP. II. De reſidentia beneficiis debita. 3
CAP. III. De pluralitate beneficiorum. 9
CAP. IV. De diuiſione beneficiorum. 17
§. 1. *De Summo Pontifice.* 18
§. 2. *De Cardinalibus.* 19
§. 3. *De Patriarchis.* 21
§. 4. *De Primatibus.* 21
§. 5. *De Archiepiſcopis.* 23
§. 6. *De Epiſcopis.* 24
§. 7. *De Chorepiſcopis.* 24
§. 8. *De Abbatibus.* 25
§. 9. *De Prioribus.* 27
§. 10. *De Abbatiſsis & Prioriſsis.* 27
§. 11. *De Decanis.* 28
§. 12. *De Præpoſitis.* 30
§. 13. *De Theſaurariis.* 30
§. 14. *De Abbatibus & Prioribus ſæcularibus.* 31
§. 15. *De Archidiaconis.* 31
§. 16. *De Primicerio.* 34
§. 17. *De Cancellario.* 35
§. 18. *De Plebanis.* 36
§. 19. *De Vicariis & Epiſcoporum Officialibus.* 36
§. 20. *De cæteris officiis, & adminiſtrationibus Clericis commiſsis, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus.* 38
§. 21. *De beneficiis Curam animarum habentibus.* 39
§. 22. *De Vicariis perpetuis.* 43
§. 23. *De Rectorum inſtitutione, & deſtitutione.* 47
§. 24. *De qualitate Rectorum inſtituendorum.* 49
§. 25. *In quibus conſiſtat officium Rectoris Parœciæ.* 50
§. 26. *De beneficiis ſimplicibus, ac primùm de Præbendis.* 52
§. 27. *De Capellanis.* 59
§. 28. *De Præſtimoniis.* 60
§. 29. *De Prioratibus ſimplicibus.* 61
§. 30. *Diuiſio beneficiorum in ſæcularia, & regularia.* 61
§. 31. *De his quæ beneficiis accedunt, nec ſunt beneficia.* 63

AD VOCABVLVM QVÆDAM.

CAP. I. De Titulis Beneficiorum. pag. 67
CAP. II. De prohibita ſectione Beneficiorum. 70
CAP. III. De licita, vel illicita Beneficiorum vnione. 72
§. 1. *De variis vnionum ſpeciebus.* 72
§. 2. De *cauſis vnionum.* 74
§. 3. *Quæ Beneficia vniri poſſunt, vel non.* 75

Digitized by Google

§. 4. *Quinam uniones facere poſſunt.* 77
§. 5. *De forma, & conditione unionum.* 79
§. 6. *De reuocatione unionis.* 81
CAP. IV. De extinctione Beneficiorum. 81

AD VERBVM COELESTIS.

CAP. I. De vita, & honeſtate Clericorum. pag. 84
§. 1. *De Clerico mercatore.* 85
§. 2. *De Clerico conductore.* 85
§. 3. *De Clerico procuratore* 86
§. 4. *De Clerico ſæcularem iuriſdictionem exercente.* 87
§. 5. *De iuriſdictione Eccleſiaſtica & ſæculari.* 89
§. 6. *Quibus caſibus Clerici Clericatus priuilegia amittunt.* 96
I. CASVS. *De aſſaſſinatu.* ( ) 96
II. CASVS. *De Clerico in habitu delinquente.* 98
III. CASVS. *De Clerico milite.* 99
IV. CASVS. *De Clerico incorrigibili facto.* 101
V. CASVS. *De Clerico officium regium exercente.* 102
VI. CASVS. *De Clerico ante promotionem reo facto.* 102
VII. CASVS. *De Clerico hiſtrione.* 103
VIII. CASVS. *De Clerico lanione.* 103
IX. CASVS. De *bigamis.* ( ) 103
POSTREMVS CASVS. *Qui Clerici priuilegio gaudeant.* 105
§. 7. De *Clerico venatore.* 105
§. 8. De *Comæ relaxatione Clericis prohibita.* 107
§. 9. De *modo barbæ Clericalis.* 108
§. 10. De *Clerico Aleatore.* 108
§. 11. De *ebrietate Clericis vitanda.* 109
§. 12. De *Clerico Tutore* 110
§. 13. De *Clerico tabellione.* ( ) 110
§. 14. De *Clerico fideiuſſore.* 111
§. 15. De *ſpectaculis vitandis.* 111
§. 16. De *Torneamentis, & Clericis pugnantibus in duello* 112
§. 17. De *Clerico percuſſore, & ſagittario.* 113
§. 18. De *cohabitatione Clericorum & mulierum.* 114
§. 19. De *Clericis concubinariis.* 115
§. 20. De *Clericis coniugatis.* 116
§. 21. De *Magiſtris.* 118
CAP. II. Beneficia eſſe quid ſpiritale, & in eis ſimoniam committi. 119

AD VERBA CVM SVO REDITV.

Cuique Beneficio, ſuum deberi reditum. pag. 130
CAP. I. De origine bonorum Eccleſiaſticorum, & eorum diſpenſatione. 134
PARS I. De origine bonorum Eccleſiaſticorum. 134
PARS II De diſpenſatione bonorum Eccleſiaſticorum. 141
CAP. II. De Eccleſiarum fundatione & dote, & de ſubiectione earumdem. 149
PARS I. De fundatione, ſiue de ædificandis Eccleſiis. 149
§. 1. De *oratoriis priuatis.* 150
§. 2. De *Eccleſiis publicis.* 153
§. 3. De *conſecratione Eccleſiæ.* 155
§. 4 De *pollutione, & reconciliatione Eccleſiarum.* 158
§. 5. De *conſecratione altaris.* 160
PARS II. De dote Eccleſiis conſtituenda. 162

Digitized by Google

§.1. *Quibus dos Eccleſiæ ſufficere debeat.* 163
§.2. *In quibus rebus dos conſiſtere poſsit.* 168
§.3. *De inſtrumento ſtatuendæ doti, & obedientiæ neceſſario.* 170
PARS III. In quibus ſubiiciantur Eccleſiæ Epiſcopis, ſiue de cenſibus. 171
§.1. *De cathedratico, ſiue ſynodatico.* 172
§.2. *De tertia vel quarta parte oblationum.* 173
§.3. *De quarta parte decimationum, ſiue decimarum.* 176
§.4. *De quarta parte mortuariorum.* 177
§.5. *De iure cathedræ vbique ponendæ.* 180
§.6. *De caritatiuo ſubſidio.* 181
§.7. *De iure mittendi Clericos pro negotiis Eccleſiæ expediendis.* 182
§.8. *De iure conuocandi cleri ad exequias.* 182
§.9. *De conuocatione ſynodi.* 183
§.10. *De publicarum proceſsionum indictione.* 184
§.11. *De his quæ ſunt legis iuriſdictionis.* 185
§.12. *De canonica obedientia, ſubiectione, & reuerentia, & aliis legis iuriſdictionis articulis.* 185
§.13. *De cenſuris Eccleſiaſticis.* 186
§.14. *De iuriſdictione ordinaria.* 186
§.15. *De pœnitentiarum iniunctione, & viſitatione annua.* 187
CAP. III. De iure quod in bonis Eccleſiaſticis, Eccleſiæ, vel perſonis Eccleſiaſticis competit, ſiue de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. 189
§.1. *Ad quos pertineat dominium rerum Eccleſiaſticarum.* 190
§.2. *De prohibita rerum Eccleſiaſticarum alienatione.* 191
§.3. *Quibuſdam ex cauſis res Eccleſiæ alienari poſſe.* 193
§.4. *De neceſſaria alienationis cauſa.* 193
§.5. *De inquiſitione commodi, vel incommodi, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum neceſſaria.* 197
§.6. *De Tractatu circa alienationem neceſſario.* 197
§ 7. *Quorum conſenſus neceſſarius ſit.* 199
§.8. *De auctoritate ſuperioris, neceſſaria in alienationibus.* 200
§.9. *De inſtrumento alienationis neceſſario.* 200. *bis*
§.10. *De aliis pleriſque alienationum ſolemnitatibus, & earum remiſsione quandoque facienda.* 201
§.11. *De variis alienationum ſpeciebus, ac primùm de emphiteuſi, & in feudum datione.* 202
§.12. *De precariis.* 204
§.13. *De locatione, & conductione.* 206
§.14. *De alienatione per tranſactionem inducta.* 208
§.15. *De rerum permutatione.* 208
§.16. *De pignoribus, & hypothecis.* 209
§ 17. An clerici vſuariis, aut fructuariis ſimiles, ſeu de peculio clericorum. 211
§.18. De peculio monachorum, vel regularium. 220
§.19. *Quid ſeruetur in Gallia, & aliis regionibus, in hac clericorum, & regularium ſucceſsione.* 224
CAP. IV. De oneribus, & immunitatibus Eccleſiarum, & bonorum Eccleſiaſticorum. 226
PARS I. De oneribus. 226
§.1. *De iure patronatus.* 226
§.2. *De honore patronis exhibendo, & primùm præſentationis.* 227
§.3. *De Prælationis honore.* 229
§.4. *De onere à patronis ſubeundo.* 230
§.5. *De vtilitate, & commodo, ex iure patronatus deſcendente.* 232
§.6. *Quibus modis, ius patronatus adquiritur.* 234
§.7. *De diuiſione patronorum, & variis differentiis.* 236
§.8. *De penſionibus Eccleſiaſticis, & earum origine.* 238
§.9. *In quibus conſiſtere poſsit penſio.* 239
§.10. *De modo penſionis.* 239
§.11. *Quis creare poſsit penſionem.* 241
§.12. *Quibus modis finiatur penſio.* 241
§.13. *De cauſis conſtituendæ penſionis.* 243
§.14. *Cuinam aſsignari poſsit penſio.* 244
§.15. *De iure deportus, ſiue annui.* 245

Digitized by Google

§.16. De *Annatis ſiue Annalibus.* 247
§.17. De *præſtationibus introitus nomine faciendis.* 248
§.18. De *iure regio oblatorum in abbatias immittendorum.* 249
§.19. De *decimarum ſubuentione, & caritatiuo ſubſidio, ab Eccleſia Regi præſtando.* 251
PARS. II. De immunitatibus Eccleſiarum, & earum origine. 252
§.1. *Placita in Eccleſia haberi non debere.* 253
§.2. *In Eccleſiis hoſpitia, conuentus, & nundinas haberi non debere.* 254
§.3. De *iure aſili, & refugij, Eccleſiæ, & cœmiteriis debito.* 255
§.4. De *prohibita ſepultura in Eccleſiis.* 256
§.5. De *vacatione munerum.* 257
§.6. *An immunes Clerici à muneribus patrimoniorum.* 258
§.7. De *priuilegiis Eccleſiæ conceſſis.* 259

AD VOCABVLVM CLERICO.

CAP. VNICVM. Solis Clericis deberi beneficia. pag. 261

AD VOCABVLVM IDONEO.

CAP. I. De qualitatibus ordinandis, vel beneficiandis neceſſariis. pag. 266
§.1. De *tonſura Clericali.* 268
§.2. De *ætate beneficiandorum, & ordinandorum.* 269
§.3. De *Clericis peregrinis non ordinandis, vel beneficiandis.* 274
§.4. De *filiis Presbyterorum, & aliis non ordinandis, vel beneficiandis.* 275
§.5. De *ſeruis non ordinandis, vel beneficiandis.* 277
§.6. De *curialibus, adſcriptitiis, & obligatis ad ratiocinia non ordinandis, vel beneficiandis.* 278
§.7. De *corpore vitiatis non ordinandis, vel beneficiis honorandis.* 279
§.8. De *bigamis non ordinandis, vel beneficiandis.* 280
§.9. De *ſcientia ordinandis, vel beneficiandis neceſſaria.* 282
CAP. II. De diſpenſationibus Eccleſiaſticis. 284

AD VERBA AD VITAM CONCEDENDA.

CAP. VNICVM. Perpetua debere eſſe beneficia, & ad vitam beneficiariorum concedi oportere. pag. 293

AD VERBVM INSTITVTIONE.

De variis modis adquirendi beneficij. pag. 300
§.1. De *electione.* 300
§.2. De *Regia ad Prælaturas nominatione.* 302
§.3. De *ſcholaſtica nominatione.* 304
§.4. De *Regia nominatione ex indultis deſcendente.* 305
§.5. De *Regia nominatione propter iucundum regni aduentum.* 306
§.6. De *mandatis Apoſtolicis.* 308
§.7. De *nominatione patronorum, & ad eam, & præcedentes neceſſaria inſtitutione.* 309
§.8. De *collationibus liberis, ac primùm de Pontificiis.* 311
§.9. De *collationibus beneficiorum in curia vacantium.* 314
§.10. De *collationibus iure concurſus, vel præuentionis peractis.* 315
§.11. De *collationibus iure deuoluto peractis.* 319
§.12. De *collationibus Legatorum ſummi Pontificis.* 320
§.13. De *collationibus ordinariis.* 322
§.14. De *collationibus Regiis, & primum de his quæ iure regalia procedunt.* 324

Digitized by Google

§. 15. *De collationibus Regiis iure fundationis.* 329

§. 16. *De pluribus aliis collatoribus extrà ordinem, & iure ſpeciali conferentibus.* 330

AD VERBVM CANONICA.

De variis, & Canonicis inſtitutionum conditionibus. pag. 336

§ 1. *Quid electionem Canonicam efficiat.* 339

§. 2. *Qua forma fieri debeat Regia nominatio ad Prælaturas.* 346

§. 3. *De forma, conditione, & qualitate ſcholaſtica nominationis.* 355

§. 4. *Qua forma fieri, & exhiberi debeat Regia nominatio in gratiam indultariorum emiſſ.* 369

§. 5. *Qua forma fieri, & intimari debeat nominatio Regia ob iucundum regni aduentum.* 375

§. 6. *De forma mandatorum Apoſtolicorum, eorumque exhibitione, & inſinuatione facienda.* 377

§. 7. *Quomodo nominatio patronorum ad Canonicam formam reducatur.* 380

§. 8. *Quid collationes Canonicas efficiat.* 383

§. 9. *De Pontificiis collationibus ad Canonicam formam reducendis, & primùm vacantium in curia beneficiorum.* 384

§. 10. *De collationibus Pontificiis iure concurſus, aut præuentionis, canonicæ formæ reddendis.* 386

§. 11. *De Canonica forma collationum Pontificiarum iure deuoluto peractarum.* 392

§. 12. *De Canonica forma in Legatorum collationibus obſeruanda.* 395

§. 13. *Quomodo collationes ordinariorum ad Canonicam formam reducantur.* 396

§. 14. *De collationibus Regiis ſua ſpeciali formæ reddendis, & primum de collationibus iure Regalia peragendis.* 403

§. 15. *De forma, & conditione Regiarum collationum, iure fundationis Regibus noſtris competentium.* 407

AD VERBVM CONCESSA.

CAP. I. De variis modis, quibus beneficia vacare ſoleant, vel amitti. pag. 410

§ 1. *De vacatione iure ipſo.* 411

§. 2. *De vacatione ex delicto.* 411

§. 3. *De vacatione ex quaſi delicto.* 414

§. 4. *De vacatione per ſententiam.* 417

§. 5. *De diuerſis vtriuſque vacationis effectibus, & differentiis.* 420

§. 6. *De vacatione ipſo facto tantum.* 422

§. 7. *De vacatione iure & facto ſimul.* 424

§. 8. *De vacatione per mortem.* 424

§. 9. *De vacatione per renunciationem.* 426

§. 10. *De renunciatione ſimplici.* 426

§. 11. *De renunciatione in fauorem.* 428

§. 12. *De aliis conditionibus renunciationi adiectis, quæ in varias ſpecies transformant.* 429

§. 13. *Continens generalia quædam ad prædictos omnes vacandi modos.* 432

CAP. II. De modis quibus conſeruari ſoleant beneficia. 434

§. 1. *De iudiciis beneficiorum ſeruandorum cauſa comparatis, & primum de iudiciis poſſeſſoriis.* 435

§. 2. *De petitorio iudicio.* 438

§. 3. *De ſubrogationibus iudiciariis.* 439

§ 4 *De pacificis poſſeſſoribus.* 442

CAP. III. De editione titulorum conſeruandis beneficiis neceſſaria. 444

CAP. IV. Quibus legibus lites beneficiariæ componi ſoleant, & terminari. 447

CAP. VLTIMVM, Continens quædam alia àd verba definitionis conceſſa maxime ſpectanda. 455

DE

Digitized by Google

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS TRACTATVS,

Ex definitione deſumptus.

Ad verbum *MILITIA.*

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Militia, & vnde Militiæ nomen Beneficijs Eccleſiaſticis tribuatur.

1. *Præmiſſus ordo, diſputationis Beneficiariæ.*
2. *Vnde Beneficij nomen.*
3. *In Iure Ciuili ſimul, & Pontificio, plures res quàm vocabula.*
4. *Quid ſit Beneficium.*
5. *Quid ſit Militia.*
6. *Definitio Beneficij accommodata diſputationi præmittitur.*
7. *Militiæ nomen commune Armatæ, Forenſi, Palatinæ, & Eccleſiaſticæ.*
8. *Vnde Beneficia Militiæ appellantur.*
9. *In quibus Clericorum Militia conſiſtit.*
10. *Horarum Canonicarum recitandarum onus vnde.*
11. *Horarum Canonicarum onus iniunctum ratione Beneficii.*
12. *Item ratione ordinis, non cuiuſcumque.*
13. *Conſuetudo excuſat in minoribus ordinibus conſtitutos.*
14. *Quinam imaginarii, & oſtenſionales Milites, in vtraque Militia.*

Digitized by Google

15. *Differentiæ inter Beneficiarios ſimplices, & ſacris initiatos, in obligatione diurni officii recitandi.*
16. *Ordo, & progreſſus huius diſputationis.*
17. *S. P. non poteſt diſpenſare ab obligatione diurni officii recitandi, & quare.*
18. *Poteſt diſpenſare circa ordinem recitationi præſcriptum.*
19. *S. P. in diſpenſationibus poteſtas confirmatur.*

QVONIAM de Beneficijs dicere inſtituimus, quærendum primùm fuit vnde Beneficij nomen, deinde quid ſit Beneficium: nam vt ſeruatur apud Iureconſultos (qui vel ipſo teſte Cujacio in recitationibus ſolemnibus ad l. 1. dig. de Iuſtit. & Iure id à Stoïcis mutuati ſunt) nominis quæſtio, ſiue ethimologia, ipſius rei quæſtionem, ſiue definitionem præcedere debet.

2. At verò quæſtionis vtriúſque ſolutio patet ex præmiſſis in ſynopſi, vbi diximus Beneficium dici à beneuola dantis actione ad res donatas paululùm inflexo vocabulo, imò (ſi Senecæ credamus, & profana cum Eccleſiaſticis beneficia miſceamus) recto & proprio cùm ipſe dixerit, lib. 2. de beneficiis cap. 34. beneficium eſſe, *actionem beneficam, & ipſum quod datur per illam actionem.*

3. Sed & illud Iuriſconſultorum more accidere, addit idem Seneca penuria verborum, cùm plures ſint res quàm vocabula, vt dicitur in *lege* 4. *dig. de præſcript. verb.* nam ex quo benefit illis, quibus ob ſacrum miniſterium Eccleſiaſtici prouentus adſignantur; beneficia fuiſſe appellata diximus, & inde nomen ſuum ſortita, ſicut & alia quæ militibus prophanis, & ſæcularibus concedebantur, quę & feuda, & beneficia dicta ſunt.

4. Et ex eo fortaſſe fuit, vt nuperus quidam rei beneficiariæ interpres, *Ioannes Quintinus in Commentariis ad capit. de multà de prabendis*, beneficium definiret, *quod per actionem beneuolam, & ſpontaneam, datur alteri, & præſtatur vtiliter*; ex qua definitione, poſterioris quæſtionis ipſam beneficii ſubſtantiam attingentis, ſiue quid ſit beneficium, patet quædam, ſed leuior deciſio.

5. Verùm maior eluceſcit ex præmiſſa definitione beneficii cum diximus beneficium eſſe, *militiam quamdam cæleſtem, cum ſuo reditu, idoneo clerico ad vitam concedendam, aut inſtitutione canonica conceſſam*: Hæc enim eſt definitio, ex qua ſingula verba attingendo & perſcrutando, totam beneficiorum naturam eruemus.

6. Primùm igitur, vt prædicto nobis ordini inhæreamus beneficium dicitur *Militia*, quod nomen eſt vtriuſque Iuris, ciuilis, & Pontificii; Iure ciuili militia non tantùm de armata dici ſolet, cuius ſit mentio, *in lege 6. & lege item miles* 18. *de rer. iud. lege* 4. *dig. qui tut. dare poſſ.* ſed etiam de inermi, quæ litterata appellatur, vt eorum qui in ſacris Scriniis Militant, *lege* 8. *Cod. de prox. ſacr. Scrin.* & Vrbana à Cicerone, in oratione pro Muræna.

7 Et eo ſenſu cauſarum patroni militare dicuntur in *lege* 14. *Cod. de aduoc. diuerſ. iud.* & generaliter officia omnia, ſeu dignitates, quas quis exercet in comitatu, vel Palatio principis, vulgo Militiæ appellantur, quibus vt plurimum annexa certa commoda, ſeu ſtipendia, & annonæ, *des gages*, vt patet *ex lege Lucius* 22. *& lege boue mortuo* 49. §. 1. *de leg.* 2.

8. Sed & eodem ſenſu, officia ſeu munera clericorum, Militiæ appellantur in Iure Pontificio, vt notat *Ioannes de Selua, in tractatu de beneficio, quæſt.* 1. *num.* 35. & ij quoque militare dicuntur. *cap.* 4. *de præb. cap. degradatio de pœn. in* 6. *Can. Presbyteros* 16. *quæſt.* 1. *Can. quicumque* 77. *diſtinct. & Can. reprehenſibile* 23 *quæſt.* 8. *Rebuff. in praxi in formula litt. tonſura.*

8. His auctoritatibus ſubnixus beneficia militias eſſe dixi, eo maxime quod nullum ſit beneficium cui non cohæreat aliquod munus, vel officium, ſeu miniſterium: vnde & beneficium miniſterium appellatur, *cap.* 3. *de cler. non reſid.* in actu aliquo ſpiritali conſiſtens, vt merito beneficium dari dicatur propter officium, *cap. finali de reſcript. in* 6. *cap. cum ſecundum de præb. & dign.*

9. At verò illud officium in his potiſſimum conſiſtit, Euangelij doctrina, Sacramentorum adminiſtratione, Miſſarum celebratione, aliiſque muneribus, quibus ex inſtitutione ordinéque Eccleſiæ beneficiarij ſunt obſtricti. vt patet, *ex cap. ſignificatum de præb. & dign. apud Greg.*

10. Sed & ſi nullum ſpeciale munus beneficio ſit annexum, tamen beneficiarij omnes

Digitized by Google

diurnum nocturnúmque officium, quas horas canonicas vocant, recitare tenentur, *cap. fin. 92. diſt.* Nam hæc illius Canonis verba, *vel qualibet Eccleſia deputatus*, omnes interpretantur de beneficiarijs, idque ex eo manifeſtum eſt, quod beneficium dari dicatur propter officium, *D. cap. fin. de reſcript. in 6.*

11. Verùm & illud pariter confirmatur in feudis, *lib. 2. tit. 21.* quæ & beneficia dicuntur, & propter officium concedi ſolere, quibus & illud adde, quod æquum ſit eum qui altari ſeruit, de altari viuere, vnde à contrario ſenſu ſequitur, eum qui de altari viuit altari inſeruire oportere, atque ita Ioannes Andræas interpretatur. *cap. Dolentes de celebrat. Miſſ. in verbo clerici.*

12. Non nego tamen, quin alij præter beneficiarios, ſtatuto ac diurno officio ſint obnoxij, ratione ordinis, non cuiuſcumque, ſed maioris tantùm; veluti Presbyteri, *cap. 1. de celebr. Miſſ.* quod & omnes latè interpretantur, & ad Diaconos ſimul & Subdiaconos extendunt, quo ſenſu Sacerdotum appellatio latè accipitur, *in cap. 2. de cohabit. cler. & mul.* non etiam ad eos qui in minoribus ordinibus conſtituti ſunt.

13. Nam & ſi videantur omnes clerici eodem vinculo eſſe obſtricti, vt diurnum illud ac ſtatutum officium recitare teneantur, *cap. Dolentes de celebr. Miſſ.* tamen conſuetudo eos excuſat, & proptereà Pragmatica Sanctio, in titulo, qualiter horæ ſunt dicendæ in principio, Beneficiatos tantùm, & in ſacris conſtitutos, ad horas canonicas teneri ait, & Ioannes Andræas in d. cap. dolentes clericorum appellatione ſignificari, ait, Beneficiatos & Eccleſijs quibuſdam deputatos.

14. Si qui enim ſunt clerici, vel minoribus ordinibus addicti, vel nullis Eccleſijs deputati, quos in ſynopſi imaginarios, & codicillares milites eſſe diximus, (vt apud *Lampridium in Alexandro Seuero*; oſtenſionales dicuntur quidam milites quos, & *Suetonius in Claudio*, ita inſtitutos eſſe dicit, vt quoddam eſſet imaginariæ militiæ genus, quod vocat ſupra numerum, quo abſentes & titulo tenus fungerentur) illi omnes horis canonicis recitandis non tenentur, ſicut nec prædicti militiæ armatæ, titulo tenus addicti milites, functionibus militaribus obeundis.

15. Sunt tamen, qui hanc differentiam conſtituant, inter beneficiarios qui nondum in ſacris conſtituti ſunt, & clericos in ſacris conſtitutos, ſiue ſint beneficiarij, ſiue non, quod illi in Eccleſijs ſuis dicere teneantur, hi vero non item, illi diurni officij recitationi per alios ſatisfacere poſſint, non etiam hi, cum perſona eorum & induſtria à domino fuerit electa.

16. Sed quoniam hæc quæſtio propriè ſpectat ad reſidentiam beneficiariorum, pleniorem tractatum in proximum caput remittimus; ſed interim conſulenda Pragmatica ſanctio, & Gloſſa, *in tit. qualiter. Horæ ſint dicendæ, nec-non Panormitanus in cap. 1. de celebrat. Miſſ. num. 5. Albertus de Ferrarijs in ſuis recitationibus, Durantus de ritib. Eccleſ. lib. 3. cap. 22. atque etiam Oliuerius Bonartius in libris Horarum Canonicarum, & alij paſſim.*

17. Sanè in eo conueniunt omnes Doctores, diurni officij recitationem, nec à ſummo Pontifice remitti poſſe, cum perſonale ſit munus, obſequium labiorum cui Iure diuino, ſunt obnoxij clerici in maioribus ordinibus conſtituti, vel Eccleſiis quibuſdam deputati, iuxta illud Dauidis, *ſepties in die laudem dixi tibi.*

18. Verùmtamen Abbas Panormitanus in *D. cap. 1. de celebrat. miſſ. num. 3.* adnotauit, quod cum ordo recitandi diurni officij, ſit iuris poſitiui, ab ipſis ſummis Pontificibus præfixus, & determinatus, & ſecundùm horas quas hodie obſeruamus diſtinctus, poſſe eoſdem Summos Pontifices, eum ordinem immutare, vel etiam alias preces indicere.

19. Verùm enim cùm ad eam gratiam, vel ſimilem concedendam procedunt ſummi Pontifices, ea demum poteſtate vti agnoſcimus, qua de iure ſupra ius diſpenſare ſolent *cap. 3. de conceſſ. preb.* maximè in his quę ſunt iuris poſitiui vt loquuntur interpretes, & nos fuſiùs expoſituri ſumus in proprio, & ſpeciali capite diſpenſationum Eccleſiaſticarum ad verba definitionis *Idoneo.*

CAPVT SECVNDVM.

De reſidentia Beneficijs debita.

1. *Reſidendi neceſſitas generalis, ad quaſlibet militias extenditur.*
2. *Probatur in militiis Palatinis, & Forenſibus.*
3. *In Beneficijs tamen magis neceſſaria.*

4. *Reſidendi neceſsitas etiam conſtitutionibus Imperatoriis iniuncta.*
5. *Reſidendi neceſsitas generalis, & ad quælibet beneficia extenditur.*
6. *Quid iuramentum reſidentiæ ligiæ.*
7. *Nota ad* cap. 1. de cler. non reſid. in 5. *compilatione Decret.*
8. *Conſuetudo Eccleſiæ quæ excuſat à reſidentia, in ſimplicibus beneficiis, eſt generalis.*
9. *Probatur conſuetudo, quæ excuſat à reſidendi neceſsitate in ſimplicibus.*
10. *Beneficiorum diuiſio in ea quæ ſimul teneri poſſunt, & quæ non.*
11. *In cæteris beneficiis reſidendi neceſsitas generaliter inducta.*
12. *Cauſa ſtudiorum excuſat à reſidentia.*
13. *Alia ſtudiorum priuilegia enumerantur.*
14. *An abſens ſtudiorum cauſa, licentiam impetrare debeat.*
15. *In quibus cauſis abſentes ſtudiorum cauſa licentiam impetrare debeant.*
16. *Quos fructus lucretur abſens ſtudiorum cauſa.*
17. *Nota ad* cap. vlt. de reſcriptis in 6.
18. *Item morbus excuſat à reſidendi neceſsitate, & quos fructus æger lucretur.*
19. *Qui vacat negotiis eccleſiæ expediendis excuſatur.*
20. *Nota ad* cap. cum non deceat de elect. in 6.
21. *Priuilegia in id conceſſa pluribus cathedralibus eccleſiis.*
22. *Confirmatur decreto curiæ Pariſienſis priuilegium Bituricenſi eccleſiæ indultum.*
23. *Obſequium S. P. præſtitum excuſat à reſidentia.*
24. *Exemplum Pontificii indulti veniam reſidentiæ facientis.*
25. *Item obſequium ipſi Epiſcopo præſtitutum à reſidendo abſoluit.*
26. *Illud priuilegium ad ſolos canonicos eccleſiæ cathedralis extenditur.*
27. *Familiares S. P. nec quotidianas diſtributiones lucrantur.*
28. *Reſponſio ad ſuperius exemplum Leonis* 10.
29. *Supremæ curiæ Senatores à reſidendi neceſsitate eximuntur.*
30. *Item clerici aulæ & capellæ regiæ inſeruientes.*
31. *Priuilegia clericorum aulæ regiæ inſeruientium probantur decretis ſupremarum curiarum.*
32. *Plures aliæ cauſæ à reſidentia excuſantes enumerantur.*
33. *De vicariis à non reſidentibus conſtituendis.*
34. *In eccleſiis cathedralibus & collegiatis non ſolent vicarii in locum abſentium ſubrogari.*
35. *Quis vſus ſubſtituendi vicarios in locum abſentium in beneficiis curatis.*
36. *Quæ ſeruanda in vicariis abſentium locum implentibus.*
37. *An abſentes à reſidentia excuſati per vicarium deſeruientes, & ab horarum canonicarum recitatione excuſentur.*
38. *Horarum recitationi per vicarium ſatisfieri non poteſt.*
39. *An excuſati ſtudiorum cauſa per vicarium deſeruientes excuſantur, & ab horis canonicis recitandis.*
40. *Rectores parœciarum à reſidentia excuſati ſaltem in celebrioribus feſtis reſidere tenentur.*
41. *Prima non reſidentium pœna, eſt priuatio beneficii.*
42. *Quibus ſeruatis ea pœna inducitur.*
43. *Secunda, & tertia pœna non reſidentium quæ.*
44. *Quis vſus iniectionis manus regiæ in fructus beneficiariorum abſentium.*
45. *Extenduntur pœnæ non reſidentium ad eos qui horarum canonicarum recitationi non vacant.*

Digitized by Google

1. CVm Beneficium ſit Militia, & omnis Militia miniſterium requirat, vt ſupradi-ctum eſt, conſequens eſt, beneficiarios omnes Eccleſijs quarum officio ſunt deputati, aſſiduos eſſe oportere, ſic & Milites armatæ Militiæ non debent diutius abeſſe aut vagari, alioquin vt deſertores, & emanſores puniuntur. *l. 3. in principio. & §. emanſor & lege 4. & ſequenti dig. de re militari.* ij quoque qui in Palatio Principis Militiam obtinent abſque commeatu diutius abeſſe non poſſunt, *lege 3. Cod. de domeſt. & protect.*

2. Et eò ſpectat quod de Præſide prouinciæ ſcriptum eſt in lege illud 15. dig. de *off. præſ.* quodque de prætore 2. *Philippica* non licuiſſe ei abeſſe vltra 10. dies; & in hoc regno officiarij omnes, tenentur aſſidui eſſe in locis, in quibus militiam exercent, vt patet ex ſtilo curiæ, & conſtitutionibus Regiis à Rebuffo commentariis illuſtratis *lib. 1. tit. 2.*

3. Multo minus ergo Beneficiarij, qui Eccleſiis in quibus militant aſſidui eſſe iubentur, cum ſingula officia in Eccleſijs aſſiduitatem exigant perſonatum *cap. ad hæc 13. de præb. cap. quia nonnulli 3. & cap. relatum 4. cap. conquerente & cap. ex parte 8. & toto titulo de cler. non reſid. cap. vlt. de off. vicarij cap. peruenit 2. de appellat.* & de ea reſidendi neceſſitate Iure diuino ſaltem paſtoribus indicta exſtat accuratiſſimus tractatus Franciſci Torrenſis ad Ioan. Salmatium Epiſcopum Cardinalem.

4. Sed & illud etiam principum conſtitutionibus cautum fuit, *lege generaliter 51. cod. de Epiſcop. & Cler. Nou. 6. & 123. §. interdicimus*, vbi Iuſtinianus prohibuit ne vltra annum Epiſcopi ſuis Eccleſijs abſint, niſi à Principe euocati ſint cum Metropolitanorum licentia, & vt in locum Clericorum qui Eccleſias ſuas deſeruerint alij ſubrogentur, *nou. 57.* iniungitur, quod & aliàs obſeruatum fuit in ipſis Sacerdotiis Romanorum vt innuit Seneca dum ait *quoſdam exilia vno loco tenere, quoſdam Sacerdotia.*

5. Nec vllæ fuerunt olim differentiæ inter maiora vel minora Beneficia, nam etſi tenue ſit admodum beneficium, vnde Beneficiarius ſe ſuſtentare nequeat, nihilominus reſidentiam requirit, *cap. conquerente. de cler. non reſid.* nec etiam differentia fuit olim inter ſimplicia & alia quælibet, cum enim clerici in Eccleſiis ſiue Beneficiis intitularentur, vt infra dicemus, & confirmatur Can. ſanctorum diſtinct. 70. in illis perpetuo perſeuerare debebant.

6. Verum enim illud ita inductum fuerat, vt religione etiamnum Sacramenti confirmaretur quod ſtabilitatis in vnaquaque Eccleſia firmandæ gratia emittebant ordinati, cuius formula exſtat in capitularibus Caroli Magni de quo pariter mentio fit in *cap. 13. de cler. non reſid. apud Greg.* quod plenius refertur in cap. 1. eod. in 5. compilatione decretalium Honorij 3. nuper ab Innocentio Cyronio Tholoſate edita vbi Iuramentum præſtitum *de facienda reſidentia quæ ligia nuncupatur.*

7. Namque & ea prædictæ decretalis poſteriora verba à Gregoriana compilatione abſunt, quæ idem Cironius interpretans in notis ad idem capitulum, dicit reſidentiam ligiam appellari, quod maxime liget & aſtringat, ſicut in libris feudorum quæ & beneficia ſunt, homo ligius vaſſallus appellatur, & fides præſtita hominium ligium quod vaſſallum obſequio patrono ſuo exhibendo firmiter alliget & aſtringat.

8. Verum hodie ſimplicia beneficia excuſata eſſe intelliguntur à reſidentia, niſi legibus ipſius Eccleſiæ teneantur ad reſidentiam, vt in Eccleſia Sancti Vulfranii Abbauillenſium ſtatutum refert Renatus Chopinus *lib. 1. de ſacra polit. tit.* 8. & in pluribus aliis obſeruatur ex legibus fundationi dictis.

9. At vero quod dicitur ſimplicia Beneficia à ſtationis neceſſitate exempta eſſe, id ex conniuentia & conſuetudine magis quàm ex iure deſcendit, quam tamen conſuetudinem probaſſe videtur Innocentius III. *in cap. cum omnes. 6. de conſtit.* & vbique locum habet & per vniuerſam Eccleſiam, vt innuit Felinus in *cap. 2. de reſcript. Rebuff. in praxi. Gregorius Tholoſ. in Sintag. Iur. lib. 17. cap. 2.*

10. Et ex eo eſt quod de illis ſimplicibus beneficiis vulgo interpretantur *cap. gratia 7. de reſcript. in 6.* vbi oſtenditur, eſſe quædam Beneficia, quæ ſimul de Iure teneri poſſunt, nimirum illa quæ reſidentiam non requirunt, qua de re dicetur in capite proximo, & ſic in *cap. vlt. de cler. non reſid.* videntur conſtitui duæ ſpecies beneficiorum, eorum videlicet quæ reſidentiam requirunt, & quæ non.

11. Sedenim exceptis ſimplicibus Beneficiis generaliter ſtatuendum eſt, omnia Beneficia neceſſario reſidentiam exigere, niſi iuſtæ excuſationis cauſæ ſubſint, quas omnes breuiter recenſebo, id tamen præmonitum velim eas eſſe exceptiones quæ dum aliquibus perſonis vagandi occaſionem dederint, reſidendi neceſſitas antiquioribus Eccleſiæ decretis inducta ab Eccleſia exulare cœpit, omnibus paſſim exceptionis viam ſibi parantibus.

Digitized by Google

12. Prima eſt cauſa ſtudiorum *cap. relatum de cler. non reſid.* dummodo Beneficiarius eo ſe conferat vbi ſtudia litterarum vigent, veluti in academias *cap. tuæ eod. cap. vlt. de mag. cap. cum de diuerſis 2. de priuileg. in 6. Clem. 1. §. cæterum in fine de ſtatu monach.* ſtationiſque & operæ in academiis exhibitæ teſtes litteras collegio ſuo & capitulo edere curet.

13. Et propter hanc eamdémque cauſam, etiam hi qui parrochiales Eccleſias obtinent, excuſari poſſunt, ne in Sacerdotes promoueantur *cap. cum eo 34. de elect. in 6.* ſed & ius ciuile abſentes ſtudiorum cauſa pro præſentibus haberi voluit, *lege quæſitum 78. de leg. 3. & lege Seia 20. §. Pamphilæ de inſtructo & inſtru. leg.*

14. Verum id quæſitum, an abſenti ſtudiorum cauſa licentia à Superiore ſit impetranda; & quamquam ſupradicti loci & præcipue *cap. relatum, & cap. inter quatuor. de cler. non reſid.* videantur hoc ipſum deſiderare, nihilominus obtinuit, vt etiam abſque licentia ipſo Iure excuſentur, vt docent Panorm. in *cap. tuæ num. 5. de cler. non reſid. Rebuff. in diſpenſat. de non reſid. num. 25. Greg. Tholoſ. inſtit. Benefic. cap. 7. num.* 10. atque ita dictum capit. relatum alternatiuè interpretantur.

15. Sed hoc non habet locum in Beneficiis curam animarum habentibus, in quibus maximè eſt neceſſaria Epiſcopi licentia, propter peculiarem perſonæ & induſtriæ electionem, argumento cap. *cum ex eo de elect. in 6.* neque in clericis regularibus, propter ſpecialem in profeſſione promiſſam obedientiam. *d. Clem. 1. §. cæterum* neque in Eccleſiis in quibus hoc ſpeciali lege cautum eſt vt abſentes licentiam impetrare debeant, leges enim fundationi dictæ religioſiſſime ſunt obſeruandæ.

16. Cæterum hoc notandum eſt abſentes ſtudiorum cauſa omnes fructus Beneficiorum percipere, exceptis diſtributionibus quotidianis, vt teſtatur ipſe Chopinus *lib. 3. de ſacr. polit. tit. 3. num.* 18. & 19. & probatur *cap. licet 32. de præb. cap. finali de mag. cap. 2. de priuileg. in 6. & cap. cum ex eo de elect. in 6. & in Concil. Trid. Seſſ. 25. de reformat. cap.* 1. quod adeò verum eſt vt Carolus Molin. notet ad d. cap. licet de præb. in gloſſa verbi diſtributiones ibi victus quotidiani, nec etiam contrarium ſtatutum capituli ſpecialem reſidentiam inducens, huic gratiæ obeſſe poſſe.

17. Nec vero obſtat *cap. vlt. de reſcript. in 6.* namque illud capitulum reuocat tantum indulgentias ſeu diſpenſationes perpetuas de lucrandis fructibus, non etiam temporarias, de quibus loquitur *Clementina* 1. *§. cæterum de ſtatu monach.* quæ ex variis cauſis hic expoſitis concedi ſolent, & admitti.

18. Secunda cauſa excuſationis eſt abſentia legitima & rationabilis *d. Clem. 1 §. cæterum de ſtatu monach.* veluti propter morbum *can. præſentium 7. quæſt. 1. cap. 1. de cler. ægrot. cap. ad audientiam de cler. non reſid. cap. 1. eod. in 6. cap. ſignificatum* 11. *de præb. & dign.* quo caſu ægroti & valetudinarii omnes fructus lucrantur, ètiam diſtributiones quotidianas *cap. 1. de cler. non reſid.* atque etiam non modò præſentium loco habentur, ſed & diuinis intereſſentium.

19. Item abſentiæ legitima cauſa intelligitur propter Eccleſiæ negotia, *cap. ex parte 13. de cler. non reſid.* qua ratione in Concilio Conſtantienſi cautum eſt, vt qui ad Concilium euocati fuiſſent, & præſentes eſſent, fructus omnes Beneficiorum lucrarentur, necnon etiam diſtributiones quotidianas, *Seſſ. 19. eiuſdem concilii* quod conuenit *cap. 1. de cler. non reſid. in 6.*

20. Sed tamen huic ſententiæ obſtare videtur. *cap. cum non deceat. 30. de elect. in 6.* vbi etiam hi qui abſunt propter vtilitatem Eccleſiæ, non conſequuntur diſtributiones quotidianas, ſed vtrumque ſolet ex conſuetudine cuiuſque Eccleſiæ explicari, vt habetur in gloſſa *d. cap. 1. de cler. non reſid. in 6.*

21. Et ex eo fluxit quod pluribus Cathedralibus Eccleſiis huius regni, id indultum eſt priuilegium, vt earum ſodales dum officio in illis exhibendo aſſidui ſunt, in cæteris eiuſdem diœceſeos Eccleſiis reſidendi neceſſitate eximantur, itaut fructus in illis erogari ſolitos, tanquam præſentes percipiant, & ſimile priuilegium Pio 2. S. P. Ambianenſi Eccleſiæ indultum memorat Renatus Chopinus *lib. 3. de ſacr. polit. tit. 3. num.* 17.

22. Sed & idem plane priuilegium, cathedrali Eccleſiæ noſtræ Biruricenſi conceſſum, nouiſſimis hiſce diebus decreto curiæ Pariſienſis firmatum habemus, in maiore auditorio prolato die 28. Maii anni 1648. in cauſa Stephani *Gillet* ſodalis & canonici maioris Eccleſiæ Bituricenſis, nec non collegiatæ Eccleſiæ Sancti Ciri Exolduni, contra canonicos eiuſdem Eccleſiæ, præbendæ fructus propter abſentiam denegantes, huic enim tanquam præſenti fructus præbendæ erogari iuſſit Senatus perorantibus Franciſco Farcetio & Michaële l'Anglois.

23. Item legitimam abſentiæ cauſam præſtat, obſequium quod familiares S. P. ipſi ex-

Digitized by Google

hibent, circa latus eius aſſiduè verſantes, *cap. cum dilectus* 14. *eod.* vel ab ipſo euocati in varias mundi partes deputantur Eccleſiæ vniuerſæ negotia tractaturi, in quorum fœlici exitu, cum ſpecialis cuiuſque Eccleſiæ vtilitas, & compendium verſetur, propterea quælibet Eccleſia abſenti fructus præbendæ erogare debet.

24. Et ex eo eſt quod cum Leo 10. S.P. Latinum Iuuenalem familiarem ſuum canonicum Eccleſiæ Sancti Petri Apoſtolorum Principis euocaſſet, vt ad Franciſcum I. Gallorum Regem Eccleſiæ negotia tractaturum tranſmitteret, ſocietati & canonicis eiuſdem Eccleſiæ reſcripſit, vt poſthabito Eccleſiæ ſtatuto, quo Roma abſentes per annum collegii prouentibus non iuuantur, de Sacerdotii fructibus nihil detraherent, ſed operam adhiberent vt omne id quod præſenti curabatur ad abſentem integrum, & ſolidum perueniret, cuius epiſtola exſtat in lib. 15. epiſtolarum Petri Bembi eiuſdem Leonis nomine ab ipſo Bembo, Scriba & Amanuenſi inſcriptarum.

25. Idem quoque dicendum de Canonicis quos Epiſcopus in ſuum obſequium & ſeruitium aſſumere poteſt, vt teſtis eſt Renatus Chopinus *lib. 3. de ſacr. polit. tit. 3. num.* 20. olim ſex diaconi erant aſſeclæ ſeu comites Epiſcopi, vt teſtatur idem Chopinus *lib. 2. de ſacra polit. tit. 7. in principio*, hodie tamen non plures duobus ex ſua diœceſi accipere poteſt, *cap. de cætero, & cap. ad audientiam eod.* vbi dicitur eos fructus omnes lucrari exceptis victualibus, quo nomine interpretes docent ſignificari diſtributiones quotidianas, vt in *cap. 1. eod. in 6.*

26. Sed nec è diœceſi tantùm aſſumere debet Epiſcopus Clericos, ſibi inſeruientes, eiſque reſidentiæ gratiam facere, ſed & ex Eccleſia ſua, vt notat *Molin. ad cap. ad audientiam de cler. non reſid. in textu ibi. in ſuo ſeruitio exiſtentes*, vbi ſe de facto reſpondiſſe pro canonicis ſancti Bartholomæi Bellouacenſis refert quoſcumque canonicos alterius collegii licet diœceſis, ab huius priuilegii conſortio excludendos atque etiam familiares Cardinalium.

27. Verùm & ea diſtributionum quotidianarum exceptio, etiamnum porrigitur ad familiares. S.P. vt docet Panor. *in d. cap. cum dilectus, nu.* 5. licet Leo 10. in prędicta epiſtola Iuuenali ſuo omne quod præſenti curabatur erogari mandauerit, id enim ſpeciale eſt, nec porrigendum ad conſequentias ſecundùm regulam in vtroque iure obſeruatam, quę habetur in *lege quod vero* 14. *dig. de leg. cap. quæ à iure* 28. *de reg. iur. in 6.*

28. Sed & illud reſponderi poteſt, differentiam eſſe faciendam, inter præſentem, & diuinis intereſſentem, vt præſenti maiores præbendæ fructus debeantur, intereſſenti vero etiam quotidianę diſtributiones, vt patet, *ex gloſſa Pragmat. Sanct. paſſim in tit. qualiter horæ ſint dicendæ, & ex tractatu I. Petri Monetæ Mediolanenſis de diſtribut. quotid.* vt cùm Leo 10. familiari ſuo quod præſenti dabatur abſenti erogari iuſſerit, de maioribus præbendæ fructibus, id tantùm intellexerit, non de diſtributionibus quotidianis, quæ non modo pręſenti, ſed & intereſſenti exhiberi ſolent.

29. Et hæc quoque in hoc regno locum habent in Senatoribus ſupremarum curiarum, qui Reipublicę negotiis occupari excuſantur à reſidentia, & fructus beneficiorum percipiunt, vt docet ipſe Præſes Burdegalenſis, *Boërius deciſ.* 17. vbi quæſtionem in vtramque partem exagitans, Senatorum partibus tandem adhæret, motus auctoritate decreti eiuſdem curię quod ipſe refert, ſicut & D. Loëtius pleraque alia curię Pariſienſis decreta in poſthuma collectione, litt. C. num. 24.

30. Sed & eadem ratione obſequium regibus noſtris in functione clericali exhibitum ab aſſiduitate in cęteris Eccleſiis aulæ regię inſeruientes clericos excuſat, namque S. P. poſtulantibus etiamnum regibus noſtris variis reſcriptis, & bullatis diplomatibus, capellę regię, & aulicę inſeruientibus clericis, in cęteris Eccleſijs reſidendi gratiam fecerunt, vt etiam abſentes propter obſequium regibus noſtris in ſacello regio & aulico præſtitum, omnes beneficiorum fructus maiores, quotidianis diſtributionibus exceptis, tanquam præſentes conſequerentur.

31. Nec verò eadem priuilegia Pontificia ſimul & Regia auctoritate primum obfirmata, Supremarum regni curiarum approbatione caruerunt, namque variis inde tum Senatus Pariſienſis decretis, tum magni conſilij ſanctionibus, confirmata ſunt, quę ſimul collecta videre eſt, in compilatione priuilegiorum aulæ & capellæ regiæ clericis inſeruientium indultorum quæ Antonio Deperes auctore nuperrimè prodijt.

32. Pręter illas autem prædictas cauſas plures eſſe poſſunt aliæ iuſtę, legitimę & honeſtę non reſidendi cauſę, ob quas aliquis à ſummo Pontifice, vel ab Epiſcopo diſpenſari poteſt, *cap. licet, canon. de elect. in 6. cap. relatum de cler. non reſid.* Verùm enim ſi cui permiſſum fuerit plura beneficia habere, cùm in vtroque deſeruire nequeat, à reſidentia alterutrius excuſatus eſſe intelligitur, *cap. extirpandæ §. qui verò de præb.* qua de re dicetur, in cap. ſequenti.

Digitized by Google

33. Cęterùm his, & ſimilibus caſibus, quibus beneficiarij excuſantur à reſidentia, vicarios eorum nomine tenentur conſtituere, qui Eccleſiæ deſeruiant, niſi fortè ſit Eccleſia in qua plures deſeruire ſint ſoliti, quæque ob abſentiam vnius vel plurium non patiatur ſacri miniſterij ceſſationem, vt in cathedralibus, & collegiatis Eccleſijs obſeruatum agnoſcimus.

34. Tunc enim valet conſuetudo in pleriſque Eccleſijs collegiatis recepta, vt excuſati à reſidentia non teneantur vicarios conſtituere, de qua conſuetudine Panormitanus *in cap. extirpanda. §. qui vero in priori expoſitione, num. 8. & in poſteriori num.* 31. idque probatur argumento, *cap. cum omnes de conſtit. & cap. vlt. de mag.* vbi nulla fit mentio vicariorum.

35. In aliis vero Beneficiis, præſertim iis quę curam animarum annexam habent, omnino neceſſarium eſt ſaltem per vicarium deſeruire, vel perpetuum ſi ſit Eccleſia annexa, vt *in cap. extirpanda §. qui vero de preb.* vel temporalem, ſi fuerit iuſta cauſa non reſidendi, vt ſupra.

36. At verò ipſi vicarii, ſi defuerint per duos menſes, deponi poſſunt, vt teſtatur Chopinus *de ſacra polit. lib. 2. tit. 7. num.* 27. cui quidem vicario ab Epiſcopo, vel ab ipſo Beneficiario conſtituto, ex præſcripto Aurelianenſis edicti art. 5. ſufficientes reditus aſſignari debent, *cap. cum ex eo 34. de elect. in 6.* vt infra dicetur.

37. Hic quęri ſolet an iis caſibus quibus Beneficiarii per vicarium deſeruientes à reſidentia excuſantur, etiam ab horis canonicis excuſari debeant; quod & ſi quidam tentent ducto argumento à reſidentia ad horas canonicas, tamen plerique omnes contrarium ſentiunt, & rectè.

38. Verumenim hic eſt fructus labiorum Deo debitus, *Clem. 1. de celebr. Miſſ.* & velut perſonale obſequium, cui per alium ſatisfieri non poteſt, cum perſonæ ſpecialis induſtria electa ſit, qua de re conſulenda eſt *gloſſa pragm. ſanct. tit. qualiter horæ ſint dicendæ per totum.*

39. Et quidem illud ita inualuit, vt plerique dubitent an ſtudiorum cauſa excuſati per vicarium deſeruientes, ab horis canonicis excuſari poſſint, etiam cum licentia Epiſcopi, qua de re varij varia ſentiunt, inter quos videndus *Greg. Tholoſ. inſtit. beneſ. cap. 6. num.* 13. ſed in ea re tam dubia & varie agitata ab interpretibus Iuris canonici, vix eſt vt certæ ſententiæ hęreamus.

40. Ad hęc vero ſciendum eſt ex conſtitutionibus Regiis, & maxime Blæſenſi edicto art. 15. Epiſcopos & Curiones nulla diſpenſatione adiuuari poſſe quominus reſideant tempore aduentus, paſchatis, natiuitatis Dominicæ, & feſtiuitatis ſacræ Euchariſtiæ, ſed & diſpenſationem ab Epiſcopis Curionibus conceſſam, duorum menſium lapſu expirare niſi fauore ſtudiorum conceſſa ſit, quæ tamdiu durat quamdiu ſtudiis legitimum tempus eſt inſumendum.

41. Reliquum eſt vt videamus quænam ſint pœnæ non reſidentium, neque intereſt quanto tempore abfuerunt, vt docet maximus *Cuiacius ad titulum decretalium de cler. non reſid.* quarum prima eſt, vt propter abſentiam beneficio ſuo ſpoliari poſſint *cap. 2. & 4. de cler. non reſid.* in quorum priori refertur, ſolemnis depoſitio Anaſtaſij Cardinalis Sancti Marcelli, in Synodo Romana temporibus Leonis 4. habita, quod parrochiam ſuam per quinque annos deſeruiſſet, cuius depoſitionis acta videre eſt tom. 3. concil. part. 1. ſect. 2. pag. 93. Binianæ editionis vltimæ.

42. Sed hoc ita accipiendum eſt ſi prius vocati fuerunt & moniti de reditu, *cap. ex parte* 8. *cap. penult. & vlt. eod.* quia ſi fraudationis cauſa latitent tribus edictis euocandi ſunt, publicandis in Eccleſia in qua Beneficium obtinent, quod eſt valde notandum, & poſt trinam illam denuntiationem per ſex menſes exſpectandi, *cap. ex tua. 11. eod. cap. vlt. §. qui ſi forſitan vt lite non conteſt.*

43. Secunda pœna eſt vt à ſpiritualium adminiſtratione remoueantur, *d. cap.* 11. *§. vlt.* cui & iunge tertiam, in hoc regno ex conſtitutionibus Regijs, & maxime edicto Blæſenſi *art.* 14. *&* 5. vſitatam, vt pro rata abſentiæ fructus Beneficiorum amittant *cap. penult. de cler. non reſid.*

44. Sed & ea ſolet eſſe cura regiorum procuratorum, vt Beneficiorum fructus & prouentus pignori capiantur *que nous diſons ſaiſir le temporel*, quas quidem pœnas & ſpecialiter primam & vltimam, ad eos, interpretes porrexerunt, qui horarum canonicarum recitationi defuiſſent, argumento *cap. vlt. 92. diſtinct. cap. penult. & vlt. de cler. non reſid.*

45. Verum neque clerici, neque Beneficiarij, propter ceſſationem horarum canonicarum, prius fructus perceptos prorata ceſſationis reſtituere tenentur, quam ex eadem cauſa Beneficio fuerint ſpoliati, vt videre eſt apud *Greg. Tholoſ. inſtit. Beneſ. cap. 6. num.* 12. quod vt ſupra diximus fieri non ſolet niſi poſt trinam monitionem in Eccleſia habitam.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

De pluritate Beneficiorum.

1. *Pluralitas Beneficiorum condemnata.*
2. *Pluralitas damnata in quibuſlibet militiis.*
3. *Maximè in Eccleſiaſticis, ac etiam Beneficiis ſimplicibus.*
4. *At præcipuè in Beneficiis dignitatem vel curam animarum habentibus.*
5. *Cumulatio Curæ & Vicariatus perpetui condemnatur.*
6. *Promotione ad Epiſcopatum vacant quælibet Beneficia.*
7. *Laudatur Pauli 2. S. P. reſponſum.*
8. *Decretum Scholæ Pariſienſis pluralitatem Beneficiorum inhibentis.*
9. *Coetaneorum ſcriptorum teſtimonia de hoc decreto.*
10. *Pluralitatis Beneficiorum condemnatio confirmatur in Concilio Tridentino.*
11. *Huius condemnationis plures exceptiones traduntur.*
12. *In ſimplicibus Beneficiis pluralitas admittitur.*
13. *Pluralitatem ſimplicium Beneficiorum admiſit Gallicana Eccleſia.*
14. *Modus datus impetrationi plurium Beneficiorum ſimplicium.*
15. *Modus valoris Beneficiorum ſecundum varia tempora.*
16. *Simplex Beneficium cum dignitate vel cura cumulari poteſt.*
17. *In connexis Beneficiis & vnitis quæ obſeruatio.*
18. *Rector maioris Beneficij, non poteſt in inferiori exercere ea, quæ ſunt fori pœnitentiarij.*
19. *In connexis Beneficiis, collatio maioris Beneficij, infert collationem inferioris.*
20. *In connexis vtrumque principaliter poſsideri non poteſt.*
21. *Nemo ſui ipſius patronus eſſe poteſt, aut vicarius.*
22. *Beneficio ſimplici poteſt aliud quod non ſit ſimplex adiungi.*
23. *Beneficium ſimplex non deſinit eſſe ſimplex, quamuis Parrochia ſit annexa.*
24. *Beneficio ſimplici cui annexa ſit Parrochialis Eccleſia, alia eiuſdem qualitatis adiungi poteſt.*
25. *Id probatur auctoritate variorum iuris Canonici interpretum.*
26. *Plura ſimplicia Beneficia, vel in vna ciuitate, vel in pluribus cumulari poſſunt.*
27. *Inuſu abrogati canones pluralitatem ſimplicium Beneficiorum condemnantes.*
28. *Ratio huius abrogationis expenditur.*
29. *Regularia Beneficia quamuis ſimplicia, ſunt incompatibilia.*
30. *Nemo poteſt duo Beneficia conformia, ſub eodem tecto obtinere.*
31. *Idem ſeruatur, quamuis alteri dignitas ſit annexa.*
32. *Aliud in difformibus Beneficiis obſeruatur.*
33. *An duo Beneficia ab eodem dependentia ſimul teneri poſsint.*
34. *Probatur decreto curiæ ſimul teneri poſſe.*
35. *Regularis duo Beneficia ab eodem monaſterio dependentia ſimul tenere poteſt.*
36. *Plura ſimplica Beneficia reſidentiam actualem requirentia, ſimul teneri non poſſunt.*
37. *Aliud ſeruatur, ſi vnum tantùm reſidentiam requirat.*
38. *Plura Beneficia curam animarum, vel dignitatem habentia, ſimul ſtare non poſſunt.*
39. *Fallit vbi vna Eccleſia dependet ab altera.*
40. *Quot modis vna Eccleſia dicitur pendere ab altera.*
41. *Duorum Beneficiorum incompatibilium titulus & commenda ſimul ſtare poſſunt.*

B

Digitized by Google

42. *Item dignitas temporalis, vel portatilis, cum vera & perpetua.*
43. *Diſpenſatio locum facit pluribus, Beneficiis incompatibilibus cumulandis, & cauſam præſtat modicitas Beneficiorum.*
44. *Sufficientia Beneficij æſtimatur, inſpecta qualitate perſonæ.*
45. *Olim Clerici quod deerat ſuſtentationi, ex labore & induſtria quærere debuerunt.*
46. *Item penuria Clericorum idoneorum locum facit cumulationi Beneficiorum.*
47. *Item vtilitas Eccleſiæ, Beneficiorum cumulationem inducit.*
48. *Item merita impetrantis diſpenſationem.*
49. *Quæ inquiſitio fieri debeat meritorum eius, cui diſpenſatio conceditur.*
50. *Scientia parit diſpenſandi facilitatem, & quæ eius probatio.*
51. *Item nobilitas generis diſpenſandi cauſam præbet.*
52. *Diſcutiuntur rationes, quibus ſuſtinentur diſpenſationes nobilium.*
53. *Diſpenſatio niſi iuſta cauſa procedat, diſſipatio eſt.*
54. *Diſpenſationis quis effectus, & vtilitas.*
55. *Diſpenſatus, ad duo Beneficia curata ſimul tenenda, pariter diſpenſatur à reſidentia.*
56. *Iure noſtro non valet diſpenſatio, ad plura Beneficia curata ſimul tenenda.*
57. *Quis poſſit concedere diſpenſationem, de pluribus Beneficiis ſimul tenendis.*
58. *Conciliatur* can. ſanctorum diſt. 70. cum cap. de multa in fine de præb.
59. *In conformibus Beneficiis ſimul tenendis ſub eodem tecto, ſolus Papa diſpenſat.*
60. *Hodie ſolus Papa diſpenſat, ad plura Beneficia ſimul tenenda.*
61. *Qui plura Beneficia olim impetrauerat, eligere poterat quod retineret.*
62. *Lateranenſe Concilium Prioris vacationem indixit.*
63. *Quid iure extrauagantium inductum fuerit.*
64. *Quis vſus, Galliæ noſtræ, ad vacationem incompatibilium.*
65. *Quid Concilij Tridendini ſanctione inductum.*
66. *Adeptione Beneficij incompatibilis ſub eodem tecto, vacat primum ipſo iure.*
67. *Adeptione cuiuſlibet alterius incompatibilis, non vacat primum, niſi ab adepta pacifica poſſeſſione.*
68. *Reticentia Prioris Beneficij, reddit noui impetrationem, ipſo iure nullam, niſi clauſula motus proprij adiecta fuerit.*
69. *Beneficiorum qualitas ſpecialiter exprimenda.*
70. *Nota* ad cap. non poteſt §. cum vero de præbendis.
71. *Reticentia prioris Beneficij, ſimplicis, vel modici, reddit gratiam ipſo iure nullam.*
72. *Quamuis impetrans primum abdicare paratus.*
73. *Clauſula, motus proprij, item, nec non omnia, purgat vitium ſubreptionis.*
74. *Reticentia Beneficiorum, non vitiat collationes ordinariorum.*
75. *Quæritur an adeptione noui Beneficij, primum quod tacitum eſt, vacet.*
76. *Vt adeptione noui* Beneficij *primum vacare dicatur, debet accedere pacifica poſſeſſio.*
77. *Probatur ratione & authoritate iuris canonici.*
78. *Expreſſio Beneficiorum purgat vitium ſubreptionis, ſed non inducit diſpenſationem.*
79. *Impetrantes in curia Romana, omnia quæ poſſident Beneficia exprimere debent.*
80. *Diſpenſatio ad plura* Beneficia, *nulla, niſi omnia exprimantur.*
81. *Expreſſio incompatibilium non inducit diſpenſationem.*

1. CVm ſingula Beneficia, in ſingulis Eccleſiis, aſſiduitatem exigant perſonarum, vt ſupra dictum eſt, conſequens eſt neminem, in vna, vel diuerſis Eccleſiis, plura Beneficia obtinere poſſe, præſertim verò dignitates, & perſonatus, *cap. ad hæc de præb. & dign.* de quorum compatibilitate & incompatibilitate pluribus *egit Alphonſus Hoieda in ſingulari tractatu in eam materiam edito.*

Digitized by Google

2. Et in eo quoque Beneficia militiis comparantur, nam iure ciuili, nemo duabus militiis fungi poteſt, ſiuè armatis, ſiuè litteratis, *lege 5. cod. qui milit. poſſunt vel non lib. 12. lege hac parte 10. cod. de prox. ſacr. ſcrin. l. vlt cod. de adſeſſ.* & in hoc regno, nemo duo ſimul officia exercere poteſt, ex Philippi Pulchri conſtitutione relata à *Rebuffo lib. 1. tit. 14. cap. 13. conſtit. reg.*

3. At verò quod dicitur, neminem plura ſimul Beneficia habere poſſe, generaliter verum eſt, licet exceptiones quaſdam patiatur, vt infrà dicam, ſed & eius ſententiæ, ſeu definitionis probatio ſumitur *ex can. ſingula 89. diſtinct. can. 1. & 2. 21. quaſt. 1. & can. ſanctorum diſtinct. 70. cap. quia in tantum 5. de præb.* quibus locis agitur etiam de ſimplicibus Beneficiis.

4. Nam quantum ad Dignitates, Perſonatus, ſeu Officia, aliaue Beneficia curam animarum habentia, multò magis verum eſt, plura ſimul haberi non poſſe, *can. vnum 21. quaſt. 1. can. vnio 10. quaſt. 3. can. ſi quis iam translato 21. quaſt. 2. cap. quia nonnulli 3. de cl. non reſid. cap. cum non ignores 15. & cap. iam dudum 18. cap. 14. & cap. de multa de præb. cap. audum 54. de elect. clem. ſi plures de præb. extrauag. execrabilis §. qui vero deinceps eod. tit.*

5. Sed nec Cura, & Vicariatus ſimul haberi poſſunt, *cap. 1. de off. Vicarij*, nec duæ Vicariæ, *Clement. 1. eod.* nec dignitas & præbenda, ſaltem ſub eodem tecto, *cap. litteras de conceſſ. præb.* nec duo Epiſcopatus ſimul, *cap. 3. de translat. Epiſc. & can. ſi quis Epiſcopus 7. quaſt. 1.* de quibus omnibus Beneficiorum ſpeciebus ſeriatim tractat *Alphonſus Hoieda in dicto tractatu de Beneficiorum compatibilitate & incompatibilitate.*

6 Nec vero Epiſcopatus, ſimul & alia Beneficia cumulari poſſunt, nam ex quo fuerit conſecratus Epiſcopus, Beneficia quæ ante habuit vacant, *cap. cum in cunctis §. cum de verò de elect. & el. pot. cap. poſt electionem de conceſſ. præb.* quare laudatur à bonis & piis omnibus, factum Guillelmi Epiſcopi Pariſienſis, cui, cum oblata eſſet Abbatia, *abſit* inquit *vt habeam cum ſponſa concubinam.*

7. Sed & huic patrio & domeſtico exemplo, aliud addit Renatus Chopinus *lib. 3. de ſac. polit. tit. 8. num. 18. in margine*, non plane exterum, egregium ſcilicet Pauli 2. S. P. reſponſum, ſupplicanti pro filio regis emiſſum, vt duos Epiſcopatus concederet, Paulus enim Pontifex & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex conſtanter renuit, profeſſus etiam Filio Dei non conceſſurum, nec in Eccleſiam vnquam bigamiam inducturum, quam & à Pariſienſi Eccleſia, penitus exulare volebat Epiſcopus Pariſienſis.

8. Nec illud tantum, de Guilelmo noſtro Pariſienſi memoratur, ſed id quoque, quod auctor fuerit, pluralitatis Beneficiorum inhibendæ in hoc regno, tametſi ægrè, & poſt multas diſputationes obtinuerit, Philippo Cancellario Vniuerſitatis reluctante, qui dicitur ei poſt mortem apparuiſſe confeſſus, ſe damnatum ob pluralitatem Beneficiorum, moraſque iniectas decreto Scholæ Pariſienſis, quo pluralitas Beneficiorum condemnata eſt.

9. Et ne illud pluralitatis Beneficiorum condemnatæ teſtimonium, fabulam aut commentum hiſtoricum fortè putetis conſulendi auctores coætanei *Guilelmus ipſe Pariſienſis, Albertus magnus in libro de Sacramentis, Antoninus in ſumma parte 3. de ſtatibus tit. 8. cap. 3. Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus in libello de modo generalis Concilij celebrandi parte 2. tit. 21.* & alij quàm plures relati ab anonimo quodam Pariſienſi Theologo in tractatu de ſingularitate Beneficiorum *cap. 3. §. 4. argum. 4.*

10. Ex his igitur quæ dicta ſunt, plus quam manifeſtum eſt, plurium Beneficiorum concurſum, iure communi prohibitum eſſe, quod cautum eſt etiam Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1. can. 17. & ſeſſ. 7. de reformat. cap. 1. 2. 3. 4. 5.* quod vbique, & eandem pariter obſeruationem obtinere debet, vt docet idem auctor libri de ſingularitate Beneficiorum, nec non dictus Hoieda *in tractatu de compatib. & incompat. Beneſ.*

11. Nonnumquam tamen ex conſuetudine, ſeu conniuentia, nonnumquam ipſo iure, nonnumquam ex gratia, ſeu diſpenſatione, plura ſimul habere licet, quæ res facit vt quædam Beneficia dicantur eſſe compatibilia, quædam incompatibilia, ſic dicta, quod ſimul ſtare poſſunt, vel non *cap. gratia de reſcript. in 6.* quorum diuerſa qualitas & multiplex materiam præſtitit diſputationis à prædicto Alphonſo Hoieda habitæ.

12. Ecce enim mores Eccleſiæ, vel vt verius dicam Eccleſiaſticorum, quibus receptum eſt, in ſimplicibus Beneficiis reſidentiam non exigi, vt dictum eſt capite præcedenti, etiam hanc conſequentiam induxerunt, plura ſimplicia ſimul obteneri poſſe, quo iure vtimur in Gallia; vt teſtatur *Rebuffus in tractatu diſpenſationum num. 29. Quintinus Heduus ad cap. de multa de præb.*

13. Et certè Gallia iam diu laborauit hoc malo: quæ res occaſionem dedit Alexandro III. improbandæ Gallicanæ conſuetudinis, de pluribus Beneficiis ab vno recipiendis, *cap. 1. de præb.* in antiqua collectione decret. 2. quæ eiuſdem Pontificis auctoritate collecta

eſt, & confirmata, ſed tandem diutius, graſſanti morbo remedium adhibere fruſtrà tentauit, ſacra Theologiæ Pariſienſis facultas, celeberrimo decreto anni 1238. quo Beneficiorum pluralitas damnata eſt.

14. Attamen huic ſeueriori, pluralitatis Beneficiorum condemnationi, plurique hoc temperamentum addidere ex eodem decreto petitum, ſi vnum ex his non ſufficiat, ad ſuſtentandum Clericum, quod & probatum eſt Concilio Tridentino *ſeſſ.* 8. *cap.* 17. alioquin citrà periculum animæ, plura retinere non poſſe, *gloſſa in cap. dudum* 54. *de elect. ſub finem, cap. conquerente, & ibi Panormit. de Cler. non reſid. & idem in cap. Iam dudum de præb. num.* 7. & 8. *& in cap. extirpandæ* §. *qui verò, num.* 30. *&* 34.

15. Et ea de cauſa, modus Beneficiorum definitus fuit, Viginti libris, regnante diuo Ludouico, anno 1238. pragmatica verò ſanctione, ducentis aureis, *tit. de collat.* §. *quod ſi quis ex dictis quæ* qui fuerit conſequutus, ad aliud aſpirare non poteſt, vt docet Quintinus *ad d. cap. de multa.*

16. Quinetiam vſus inualuit, vt quis habere poſſit Beneficium ſimplex, & aliud quod non ſit ſimplex, veluti præbendam cum Eccleſia Parrochiali, vel Dignitate, quod non tantum verum eſt, cum ambo ſunt annexa, & vnum ab altero dependet, quo caſu non conſuetudine, ſed iure communi retineri poſſunt, *cap. dudum* 54. §. *inſuper verſ. niſi vna penderet ab altera, de elect. cap.* 4. *de ætat. & qual. & ibi Molin. in notis ad gloſſam in verbo, pendeant, ibi Prælatum eſſe vtriuſque cap. cum ſingula de præb. in* 6.

17. Nec non eodem caſu, nimirum cum vna pendet ab altera, neceſſe eſt in maiori Beneficio reſidere, & Eccleſiæ dependenti alium præficere, qui Vicarius perpetuus appellatur, *cap. extirpandæ* §. *qui vero de præb.* tametſi rector maioris beneficij, ex quo aliud dependet, vtriuſque ſit Prælatus, ſed illius, hoc eſt maioris principaliter, huius verò per acceſſum tantùm.

18. At verò illud obſeruandum eſt, ità eſſe diſtincta, & ſeparata duo illa Beneficia, ſiuè Eccleſias, vt rector maioris Beneficij, non poſſit in minori & inferiori Eccleſia exercere ea, quæ ſunt fori pœnitentialis, vt docent *Panormit. in cap. extirpandæ* §. *qui vero num.* 15. *de præb. Quintinus ad cap. de multa eod.* de quibus infrà fuſius à nobis diſceptabitur, capite proximo de diuiſione Beneficiorum vbi de Vicariis perpetuis.

19. Et tamen illud conſtat, collato maiori Beneficio, etiam quod ei connexum eſt, tacitè collatum eſſe intelligi, *gloſſa in cap. gratia de reſcript. in* 6. & ſi clauſula cum annexis, adiecta non fuerit, *Rebuffus in praxi*, maius autem appellatur in *cap. extirpandæ* §. *qui vero non* inſpecta natura Beneficij, ſed habita ratione acceſſionis, quaſi aliud ſit principale.

20. Caue enim exiſtimes, vtrumque æque principaliter retineri poſſe, exempli gratia, nemo poteſt ſimul habere maius Beneficium, & Vicariam perpetuam, vel aliud quodcumque Beneficium, à ſuo dependens, niſi fortè à ſummo Pontifice collatum habuerit, qui conferendo eiuſmodi Beneficia, qualitates eorum non tacenti, vitium & pluralitatis, & inceſtus ſpiritualis vt aiunt interpretes, purgare cenſetur.

21. Namque citrà huiuſmodi diſpenſationem Pontificiam, nulla eſſet impetratio, cum idem & ſimul, ſui ipſius patronus, & Vicarius eſſe non poſſit, *cap. vlt. de inſtit. & ibi Panormitanus, Ægid. magiſt. tit. de appell. tanquam ab abuſu cap.* 1. & tamen aduertendum eſt, rarò dari & concedi huiuſmodi diſpenſationes, quarum tamen exemplum refert, *Papo* 3. *notar. tit. de diſpenſat. rat. æt.* ſic ergò accipiendum, quod dixi, duo Beneficia, quorum alterum ab altero dependet, retineri non poſſe.

22. Sed etſi alterum ab altero non dependeat, tamen hoc iure vtimur, vt duo ſimul haberi poſſint, dummodo vnum ſit ſimplex, alterum non; quinimo ſi ſimplici Beneficio, annexa ſit Eccleſia Parrochialis, veluti prioratui adhuc poterit quis huic Beneficio, cumulare aliam Eccleſiam Parrochialem, aut dignitatem, *cap. ſuper de præb. in* 6. niſi vt ibi notat Molin. in Summario, Prioratus originaliter Curatus ſit, & Vicarium perpetuum habens curam tamen animarum quibuſdam diebus feſtis exercere habeat.

23. Verum enim, ex quo prius illud Beneficium, eſt ſimplex ſui naturà, non deſinit eſſe ſimplex; licet Parrochia ei annexa ſit, nec dicitur Beneficium curam animarum habere propriè, nam impropriè poteſt dici, curam animarum habere, *d. cap. ſuper eo de præb. in* 6. nec propriè dicitur Curam animarum habere Beneficium, niſi ab ipſo rectore exerceatur, non per vicarium perpetuum, *de Extrauag. execrabilis* §. *quantum autem de præb. in extrauag. Ioan.* 22.

24. Cum ergo ſimplex ſit Beneficium, licet Parrochialis Eccleſia ab eo dependeat, (quod ex eo patet, quod Prælatus maioris Eccleſiæ, non poteſt exercere ea, quæ ſunt fori pœnitentiarii, in Eccleſia ab ipſo dependente, vndè actu non habet curam animarum) nihil obſtat, quominus aliam Eccleſiam Parrochialem, vel dignitatem ei cumulare poſſit, *d. cap.*

Digitized by Google

ſuper eo. & ibi Molin. in Summario.

25. Et ita ſentiunt, & conſentiunt omnes fere iuris Canonici interpretes, *Innocentius & Hoſtienſis in cap. extirpandæ §. qui vero, & Panormitanus ibidem num.* 11. *Ioannes de Lignano. in ſpeciali tractatu, breui quidem, ſed ſucculento, de plural. Benef. Alphonſ. Hoieda in dicto tractatu de compatib. & incompatib. Benef. Quint. ad cap. de multa de præb. Rebuff. in tit. de diſpenſ. rat. ætat. in verbo etſi curam animarum habeant*, & hoc iure hodie vtimur.

26. Ex his igitur ità concludo, poſſe plura Beneficia ſimplicia, in vnam atque eamdem perſonam concurrere, veluti plures præbendas, in diuerſis Eccleſiis, non in vna tantùm ciuitate, ſed etiam in diuerſis ciuitatibus aut Diœceſibus, etiam abſque diſpenſatione, vt teſtatur *Rebuffus in praxi.*

27. Et ex eo concludi poteſt, inuſu abrogatum eſſe, & deſuetudine quodammodo inumbratum, canonem *ſanctorum, diſtinct.* 70. *& can.* 1. *&* 2. 21. *quæſt.* & alios ſimiles ſi qui laudentur; ex quibus illud ſequitur, cum vno, vel pluribus Beneficiis ſimplicibus, aliud quod non ſit ſimplex poſſe conſeruari, quo & iure vtimur.

28. Sed & illud ea ratione inductum agnoſcimus, quod ordinandi & ſimul conferendi Beneficia, ex Calchedonenſi Sinodo deſcendens ratio, de qua in *d. cap. ſanctorum diſtinct.* 70. abrogata fuerit, quæ non modo non patiebatur quemquam abſolutè ordinari, ſed relatiuè ad Eccleſiam, ſed etiam vt in qua Eccleſia quis intitulatus fuerat, in ea perpetuò perſeueraret.

29. Nunc exceptiones quædam proponendæ ſunt, quarum prima ſpectat perſonas, nam ecce Religioſi, non poſſunt plura Beneficia, licet ſimplicia habere, *cap. cum ſingula* 32. *de præb. in* 6. *& Clem. vnica de ſupple. neglig. præl.* in fine ex quo illud axioma, regularia Beneficia quantumuis ſimplicia, eſſe incompatibilia, propter votum paupertatis emiſſum cui pluralitas Beneficiorum aduerſatur, idem Alphonſus Hoieda de incompatibilitate Beneficiorum, *parte* 1. *cap.* 22.

30. Secunda exceptio ſpectat Eccleſiam ipſam, in qua nemo duo Beneficia ſimul adipiſci poteſt, & vt vulgò dici ſolet, ſub eodem tecto, *cap. litteras de conceſſ. præb. cap. de multa de præb.* ſed hæc indiſtinctè vera non ſunt, nam hæc exceptio, locum habet tantùm in ſimilibus Beneficiis, quæ vulgus interpretum conformia appellat, veluti in duabus præbendis, Alphonſus Hoieda in dicto tractatu *parte* 1. *cap.* 20. *num.* 23.

31. Et illud ità obſeruatur, etiam ſi altera ſit annexa dignitati, neque enim penes eumdem eſſe poſſunt, ſub eodem tecto, atque ità præbenda, quam quis habet in Eccleſia, vacat ipſo iure, poſtquam Archidiaconatum, cui præbenda ſit annexa, in eadem Eccleſia fuerit conſequutus, *Clem. finali de præb.* & hoc ſenſu explicant *cap. litteras de conceſſ. præb.*

32. At verò ſi ſimplex ſit dignitas, cui non ſit annexa præbenda, nemo prohibetur in eadem Eccleſia, cum huiuſmodi dignitate, præbendam poſſidere, & ſine diſpenſatione, quia diſſimilia ſunt Beneficia, & vt dicunt interpretes diſformia, *cap.* 1. *de conſuet. in* 6. quo caſu duplicem habet vocem in capitulo, vt notat *cap. cum olim. de ſent. & re iud. in verbo duplici ſibi voce*, quod & innuit *Car. Molin. ad idem cap. in notis* quod tamen apud nos vix ſeruari crederem.

33. Illud ſcio in controuerſia poſitum fuiſſe, an quis poſſit habere duo Beneficia, non quidem ſub eodem tecto, ſed vtrumque ab eodem Beneficio dependens, veluti duos Prioratus, dependentes ab eadem Abbatia; cauſa dubitandi erat, ſimilitudo Carnalis & ſpiritalis matrimonij, vt quemadmodum duas ſorores ducere non licet, nec valet diſpenſatio in eum finem data, ita non valeat de duabus Eccleſiis, ab vna eademque dependentibus.

34. Attamen contrarium obtinuit, & Senatus Pariſienſis auctoritate firmatum eſt, vt videre eſt in poſthuma decretorum collectione *D. Louetij litt. B. num.* 8. item apud Rubuffum *in prax. parte* 2. *tit. de diſp. cum reg. facta num.* 11. *& Panormit. in cap. finali de inſtit.* nec enim in eo, par eſt ratio carnalis & ſpiritalis matrimonij, vt ibidem obſeruauit D. Louët.

35. Et verò illud adeò verum eſt, vt quamuis in regulari, & monacho, duo Beneficia quamuis ſimplicia, incompatibilia eſſe dixerimus, tamen id fallit, cum ab vno eodemque Monaſterio dependent, tunc enim pro vno cenſentur Beneficio, vt notat Chopinus *lib.* 1. *monaſt. tit. vlt. num.* 24. *Alphonſus Hoieda in dicto tractatu parte* 1. *cap.* 22. *num.* 8. *& ſeq. & ibidem Brod. ad Louet.*

36. Tertia exceptio reſpicit qualitatem Beneficiorum, nam ſi Beneficia quantumuis ſimplicia ſint, reſidentiam exigant, vt plerumque contingit, vel ex natura Beneficij, vt ſunt præbendæ Theologales, vel ex ſpeciali ſtatuto, cuius exemplum præſtat Chopinus *de ſacr. polit. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 13. tùm verum eſt, plura ſimul haberi non poſſe, quia cum ſingula

Digitized by Google

aſſiduitatem exigant perſonarum, non poteſt quiſquam pluribus inſeruire, *cap. 5. ad hæc de præb.* & hæc eſt communis interpretum ſententia *Quintini ad cap. de multa. Rebuff. tit. de diſp. ad plura Benef. num. 5. Staphilæi de litt. grat cap. de ſtatu & qualit. num. 6.*

37. Ex diuerſo autem, ſi vnum exigat reſidentiam, alterum non, licitè retinere poſſunt, vt dictum eſt ſuprà de ſimplici Beneficio & Eccleſia Parrochiali, non annexa, vt docent *Panormitanus in capit. expoſuiſti num. 2. de præb. Quintinus loco ſupradicto.* ita vt Beneficiarius, in eo quod reſidentiam exigit, perpetuo perſeueret, in altero reſidendi neceſſitate iure communi abſolutus maneat.

38. Ex his intelligitur, an, & quando ſimplicia Benficia plura ſimul, vel cum alio quod non ſit ſimplex, concurrere poſſint, cæterum, duo vel plura non ſimplicia, ſimul ſtare nequeunt, vt duo Epiſcopatus, duo monaſteria, duæ dignitates, aut perſonatus, duæ Parrochiales Eccleſiæ, *cap. 3. de transl. Epiſc. can. ſi quis Epiſcopus 7. quæſt. 1. can. vnum 21. quæſt. 1. cap quia nonnulli de Cler. non reſid. cap. iam dudum & cap. de multa de præb. Clem. ſi plures eod. extrauag. execrabilis eod.*

39. Verum hoc recipit exceptiones duas, *ex cap. dudum 54. §. inſuper de elect.* quarum prima eſt, niſi vna pendeat ab altera, quod confirmat etiam *cap. 4. de æt. & qualit. cap. cum ſingula 32. de præb. in 6.* de qua & ſuprà iam plura præmiſimus, præter quæ & illud addendum ex Molinæo *in notis ad d. cap. eam te in gloſſa verbi pendeant ibi Prælatum eſſe vtriuſque ſi in adiutorium ſui ædificata eſſet Eccleſia ſecus ſi vt eſſet Beneficium per ſe ſtans.*

40. Et illud quidem tribus modis fieri agnoſcimus, vno, cum altera alterius eſt acceſſoria, vt ſuprà diximus, *ex cap. extirpandæ §. qui verò de præb.* ſecundo, cum in ſolo alterius Eccleſia fundatur, nam hæc antiquæ ſubiacet, eſtque vnus & idem Prælatus vtriuſque, vt gloſſa & interpretes ſentiunt *in d. cap. 4. de æt. & qualit. Quintinus in cap. de multa.* tertio, cum ſimul vnitæ ſunt, *d. cap. cum ſingula de præb. in 6.*

41. Secunda exceptio eſt, ſi vna in titulum, altera in commendam poſſideatur, *d. cap. dudum §. inſuper de elect. can. Clericum can. quia plures & can. vlt. 21. quæſt 1. gloſſa in cap. eam te. 4. de æt. & qual. in verbo tenues & ibi Molin.* quod & de temporalibus commendis interpretandum, non enim perpetuæ in vſu erant, ſed & idem in illis obſeruatur, vt notat *Ruſæus in tractatu de commendis* & hæ duæ exceptiones ſunt de iure communi.

42. Sed & tertia exceptio addi poteſt pariter ex iure communi proueniens, niſi vna ex illis dignitatibus ſit temporalis, vt Vicariatus Epiſcopi, de quo in capite ſequenti, vbi de dignitatibus, item niſi ſit dignitas imaginaria, vt de Epiſcopis portatilibus tradit Quintinus *ad cap. de multa* cui & applicari poſſunt quod de oſtenſionalibus militibus diximus, ſiuè imaginariis, qui abſentes titulo tenus funguntur.

43. Quarta ex gratia ſeu diſpenſatione, quæ cauſa cognita concedi ſolet, cauſæ autem quæ dant locum diſpenſationi hæ ſunt: prima modicitas redituum Beneficij, *cap 4. de æt. & qual. cap dudum. 54. in fine de elect.* quæ ex eo metienda eſt, cum ex his rector ſe, ac ſuam familiam, commodè & honeſtè alere non poſſit, *can. ſtudeat, in fine. 50. diſtinct. cap. 1. de inſtit cap de Monachis 12. & cap. dilectus 27. de præb. cap. conquerente 6. de Cler non reſid.*

44. Et in ea ſumma eſt habenda ratio, perſonæ & qualitatis, *cap. de multa in fine eod.* & in eo videndus & diligenter peruoluendus, commentarius accuratiſſimus Quintini Hædui *ad cap. de multa de præb parte vlt.* vbi illud temperamentum addit, ex D. Hieronimo; vt Clerico de altari viuere, non luxuriari permittatur, *cap. 1. diſtinct 44.*

45. Tametſi incorrupti olim mores Eccleſiæ, iuberent ea, quæ vitæ tolerandæ non ſufficerent, labore atque induſtria ſibi quærere, *can. Clericus 91. diſtinct.* idque exemplo Apoſtoli, *Actorum 20 ad ea,* inquit, *quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt mihi manus meæ, can. Clericus 21. quæſt 1.* & ad id ſpectat accurratius D. Auguſtini tractatus *de opere Monachorum.*

46. Secunda cauſa diſpenſationis eſt, penuria Clericorum, præſertim idoneorum, qui Eccleſiis præficiantur, nam hoc caſu, vni plures Eccleſiæ committi poſſunt, *d. can. Clerici verſiculo. & hoc quidem in hac vrbe ſeruandum & can. penult. & vlt. 21. quæſt. 1.* quo caſu regularia ſæcularibus, & ſæcularia regularibus Beneficia committi poſſunt, & commendari, contrà communes iuris regulas.

47. Tertia vtilitas euidens Eccleſiæ, vel monaſterij, quæcumque illa ſit, dummodo ab honeſtate non ſit ſemota, argumento *can. requiritis §. niſi rigor. & ſequenti, & can. tali & can. & ſi illa 1. quæſt. 7.* putà ſi euenire poſſit vt propter vnionem, vel potius in vnam eamdemque perſonam, diuerſorum Beneficiorum cumulationem, tutius & diligentius gubernentur, & adminiſtrentur Eccleſiæ.

48. Poſtremò merita eius, cui plura beneficia conferuntur; argumento *d. can. tali 7.*

Digitized by Google

quæſt. 7. quæ vel nota ſunt ſummo Pontifici, & hoc caſu additur in diſpenſatione *nos tibi præmiſſorum meritorum intuitu, ſpecialem gratiam facere volentes*, &c. neque tunc probatio eſt neceſſaria, argumento *legis Attilius 27. de don.*

49. At verò, etſi fortè non ſint cognita, ſummus Pontifex plerumque iubet, vt de his inquiſitio fiat, addita clauſula, *ſi de meritis eius tibi conſtiterit*, &c. vt docent *Rebuffus in praxi, Ioannes Papo 3. notariorum,* quæ inquiſitio in partibus fieri debet, & locorum ordinariis committi, vt quælibet alia inquiſitio, ex reſcriptis in forma dignum emiſſis facienda.

50. Meritis etiam adiungo ſcientiam, cuius & in hac cauſa rationem haberi conſtat, *d. cap. de multa in fine*, nam Eccleſiæ regimem, maximè viris litteratis committi oportet, *cap. cum ex eo 34. de elect. in 6.* litterati autem, non alij exiſtimantur in hoc regno, quàm qui teſtimonium meruerint ab vniuerſitate, & ad gradum aliquem fuerint promoti, vndè vulgare illud axioma, ſcientia ſine gradu, non præſtat diſpenſandi facultatem, vt obſeruatur apud Rebuffum *in tit. de diſp. ad plura Benef. num. 24 I. Paponem 3. notar.*

51. Necnon etiam addo generis ſplendorem, quem vulgò nobilitatem appellamus, nam etſi *capitulum de multa in fine*, loquatur de ſublimibus perſonis tantùm, *caput execrabilis de preb. in extrauag. Ioann. 22.* de filiis regum, tamen receptum eſt, etiam in aliis, qui generis nobilitate præſtant, locum eſſe diſpenſationi, vt teſtatur Rebuffus in principio tractatus diſpenſationum.

52. Verum enim nobiles, & ſublimiores perſonæ, potentiores habentur, ad tuenda Eccleſiæ iura, *cap. officij 38. de elect.* & quod magis attendi debet, maiores ſumptus eos facere conuenit, circa ſe ac familiam ſuam tuendam, quàm plebeis hominibus, ac propterea maioribus, id eſt, pinguioribus Beneficiis ſunt honorandi, *d. cap. de multa.* aut ſaltem pluribus pro vno, nec in hoc tantùm, ſed in aliis quoque cauſis, præcipuus eſſe ſolet fauor nobilitatis, vt in pragm ſanct. *tit. de collat. §. inſuper.*

53. Cæterum, niſi aliqua ratione concedatur diſpenſatio, diſſipatio eſt magis, quàm diſpenſatio, vt diuus Bernardus vocat, in fine *lib. 3. ad Eugenium* Pontificem, qui *de conſideratione inſcribitur*, quæ nec diſpenſanti, nec ei cum quo diſpenſatur, tuta eſt in foro conſcientiæ quidquid in contrarium adulatorio more referat *gloſſa extrauag. Ioan. 22. execrabilis in verbo execrabilis, ibi etiam ſi vſque*, quam ideò rectè refellit *Molin. in not. ibidem.*

54. Diſpenſationis ergò, quæ ex iuſta cauſa conceſſa eſt, vtilitas in eo vertitur, vt non modo excuſet plura Beneficia poſſidentem, in vtroque foro, ſed & immunem præſtet alterius. 55. Reſidentia *gloſſa in cap. 5. de elect. Panorm. in cap. de multa & in cap. extirpandæ §. qui verò eod. tit. Rebuffus in praxi tit. de diſpenſat. ad plura Beneficia*, & hoc etiam addendum ægrè admodum concedi diſpenſationem duarum Eccleſiarum Parrochialium, aut Epiſcopatuum, *vt regula 55. Cancellariæ Romanæ* innuit.

56. Iterum in hoc regno, ex edicto Blæſenſi *art. 11.* nulla habetur ratio diſpenſationis, vt quis plures Epiſcopatus, vel plures Parrochiales Eccleſias, ſimul habere poſſit, & qui huiuſmodi diſpenſationes impetrauerunt cadunt à Beneficiis, quæ antè obtinebant, itemque reuocatur huiuſmodi diſpenſatio, auxilio prouocationis tanquam ab abuſu interpoſitæ.

57. Huiuſmodi autem diſpenſationes, an ab Epiſcopis, an à ſummo Pontifice ſint impetrandæ, anxiè diſputari ſolet, dubitandi cauſam facit, *canon. ſanctorum 70. diſtinct.* vbi dicitur quod ex Epiſcopi diſpoſitione, vnus diuerſis præeſſe poſſit Eccleſiis, ex diuerſo autem, *in d. cap. de multa ſub finem*, hæc poteſtas dicitur ſedi Apoſtolicæ reſeruari.

58. Et verò vt huic diſſidio, concordia adhibeatur, dicendum eſt, hanc poteſtatem, quæ olim Epiſcoporum fuerat in *d. can. ſanctorum*, ad ſedem Apoſtolicam tranſlatam fuiſſe, præſertim cum agitur, de duobus Beneficiis non ſimplicibus, *gloſſa in d. cap. de multa cap. dudum 54. de elect.* eſtque hic vſus Curiæ Romanæ, quod confirmat *cap. ordinarij verſ. ſi verò de off. ordinarij in 6.* quod capitulum tranſlatum in Concilij Tridendini *ſeſſ. 7. de reformat. can. 5.*

59. Nec non idem dicendum eſt, cum agitur de diſpenſatione plurium Beneficiorum, ſibi ſimilium ſub eodem tecto, quæ vulgus conformia appellat, nam hoc ius proprium eſt ſummi Pontificis ipſiſmet Epiſcopis ademptum, *cap. litteras, de conceſſ. preb. cap. 1. de conceſſ. preb. in 6.* ſanè in ſimplicibus Beneficiis, quæ non ſunt ſub eodem tecto, vel in vno ſimplici, & alio quod non ſit ſimplex, ſicubi neceſſarium, Epiſcopi diſpenſare poſſunt, *d. can. ſanctorum diſtinct. 70.* idemque dici debet, de diſſimilibus ſub eodem tecto, *d. cap. 1. de conſuet.*

Digitized by Google

60. Verum hodie, & præſertim in hoc regno, vſus inualuit, vt ſolus Papa, diſpenſationes illas concedat, *Rebuff. in praxi tit. de diſpenſat. ad plura Benef.* ità ſentit Panorm. *in cap. cum iam dudum num. 9. & cap. de multa eodem num. 9. de præb. Papo 3. notariorum tit. de diſpenſat.* quod & ſuo loco commodius diſceptabimus.

61. Supereſt vt videamus quibus pœnis ſubiaceant, plura Beneficia poſſidentes, in quo animaduertendum eſt, olim permiſſum fuiſſe, his, qui plura Beneficia poſſiderent, vtrum vellent retinere, *cap. referente 7. cap. præterea 14. de præb. cap. 4. de ætate & qual. præf.* cuius electionis ſit mentio, *in cap. gratia de reſcript. in 6. cap. cum ſingula de præb. eod.*

62. Verum hodiè, ex Concilio Lateranenſi, ſi quis dignitatem aut perſonatum, vel aliud Beneficium Curam animarum habens, aliud priori ſimile, hoc eſt dignitatem, vel Curam animarum habens recipit, ex die pacificæ poſſeſſionis, primùm ipſo iure vacat, & ſi vtrumque retinere tentauerit, vtrumque amittit, *d. cap. de multa & cap. licet Epiſcopus, de præb. in 6. d. Clem. ſi plures de præb. d. extrauag. execrabilis eod.*

63. Sed & poſtrema ſanctione etiam hoc additum eſt, vt vbi poſſeſſionem ſecundi fuerit adeptus, prius quod vacat ipſo iure, in manibus ordinariorum, verbo & facto dimittere teneantur, intra ſex menſes, alioquin ſecundo ſpoliantur ipſo iure, & incapaces efficiuntur ſacrorum ordinum, & Beneficiorum omnium.

64. Verùm in Gallia hoc iure vtimur, vt ſtatim ac ſecundum fuerit acceptatum, primum ipſo iure vacet, & ab ordinario conferri poſſit, non ex ſpectato etiam ſex menſium decurſu, *Papo 3. notar. tit. de diſpens. circa ætatem pag. 221. & in tit. de ſignat. Apoſt. pag. 291.* quod & alij iuris Gallici & Eccleſiaſtici interpretes adnotauerunt.

65. Et verò ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 9. cap. 7.* permittitur ei, qui plures Abbatias habet, vnam eligere intrà 6. menſes, ſed hoc ad eos videtur pertinere, qui iam plures habebant, ſub ipſo Concilij Tridentini tempore, vt *in d. extrauag. execrabilis;* non vt de cætero, & in poſterum plura impetrandi locus detur, vel retinendi quod voluerit.

66. Videamus an eadem pœna locum habeat, in ſimplicibus Beneficiis, quæ ſunt incompatibilia, & quantum ad ea pertinet, quæ ſunt ab eodem tecto, certum eſt per adeptionem ſecundi, primum ipſo iure vacare, *cap. litteras de conceſſ. præb.* ſecùs in aliis ſimplicibus Beneficiis, quamuis ſint incompatibilia.

67. Namque communis interpretum ſententia eſt, eos qui plura fuerunt aſſecuti, non incidere in pœnas ſuprà dictas, nec adeptione ſecundi, primum ipſo iure vacare, ſed electionem illis dari, vtrum retinere voluerint, vt ſuprà dictum eſt, idemque videtur eſſe permiſſum, Concilio Tridentino, fœminis, quæ duas vel plures Abbatias tenent, *ſeſſ. 9. cap 7.* ſed de his plura apud Staphilæum *in tract. litt. grat.*

68. His autem pœnis ſubiiciam & illam, vt qui Beneficium aliquod impetrauerit, & tacuerit, ſe aliud vel plura beneficia iam habere, prouiſio vltimi tanquam ſubreptitia, nullius ſit momenti, niſi fortè clauſula, motu proprio, ſit adiecta, hæc enim euerriculum, omnis fraudis, & ſuſpicionis, *cap. ſi motu 23. de præb. in 6. Clem. ſi Romanus 4. eod.* & hoc ipſum confirmat *cap. is cui 19. & cap. cum teneamur, eod. lib. 6. et tit. cap. poſtulaſti. 27. de reſcript.* ex quo ſequitur, eos qui Beneficium impetrant, omnia quæ iam habent, ſpecialiter exprimere debere, imo & penſionem *cap. ad audientiam 2. de reſcript.*

69. Et quidem illud notandum, quod dicitur impetrantem noua Beneficia, quæ poſſidet ſpecialiter exprimere debere, quod probatur *cap. 2. de off. ordin.* neque enim ſufficit, generaliter dicere, ſe aliud Beneficium habere, ſed oportet qualitatem Beneficij exprimere, vt putà an ſit dignitas, quin etiam, nomen dignitatis exprimi debet, *cap. ad aures, 8. de reſcript.* & an Cura animarum illi immineat nec ne *Clem. 1. de præb. et cap. cum in illis eod. in 6.* atque ita exprimi ſolitum eſſe refert *gloſſa in d. Clementina 1.* cui adde & notam *Molin. ibidem et in Clem. etſi Apoſtolicæ in gloſſa verbi generalis Beneficij.*

70. Et ſic explicandum eſt, *cap. non poteſt §. cum verò eod. in 6.* vbi dicitur, hanc clauſulam, *non obſtante, quod aliud Beneficium habeat*, id tantum operari nè gratia videatur eſſe ſubreptitia; videlicet ſi Beneficij qualitas fuerit expreſſa, hoc enim ſupplendum eſſe docet Panorm. *in cap. ad aures de reſcript.* alioquin ſola illa generalis expreſſio Beneficij, ſubreptionis vitium nequaquam expungeret.

71. Quod autem dixi, collationem à ſummo Pontifice factam, non prodeſſe ei, qui Beneficium reticuerit, locum habet, etiamſi Beneficium, cuius nulla mentio facta eſt ſimplex fuerit, & modici valoris, nec audiendus impetrans, ſi dicat ſeparatum. 72. Abdicare, *Rebuffus in forma nouæ prouiſ. verſ. nec non omnia num. 4.* atque ità iudicatum in Senatu Pariſienſi, iunctis tribunalibus, refert *d. Louet in memorialibus litt. 6. num. 3.* cui velim addi *quæſt. Ioann. Galli. 170.*

73. Cæterum

Digitized by Google

73. Cæterùm obſeruandum eſt, hoc vitium reticentiæ purgari, atque ità prouiſionem valere, non tantum ſi clauſula, motu proprio, adiecta fuerit vt ſuprà dictum eſt, ſed etiam illa, *nec-non omnia & ſingula*, quam explicat Rebuffus loco ſupra dicto, vtrumque enim, eſt pariter euerriculum omnis ſubreptionis.

74. Ad hæc notandum eſt, reticentiam illam, vitiare tantùm prouiſionem, ſeu gratiam ſummi Pontificis, aut eius Legati, non autem cæterorum collatorum, quibus impetrantes non habent neceſſe, beneficia, quæ tempore prouiſionis habent, exprimere, *Clem. finali de off. ordinar.* cuius rei, hæc ratio redditur, *à Ioanne Gallo, loco ſupradicto*, quia ordinarij præſumuntur, & debent ſcire beneficia Clericorum ſuorum, quæ S.P. ſcire non poteſt.

75. Verum ex prædictis, oritur alia difficultas, nam ſi verum eſt, per reticentiam vnius, vel plurium beneficiorum, quæ quis poſſidet, impetrationem noui beneficij, nullius eſſe momenti, quî fieri poteſt, vt per adeptionem illius, ex impetratione quæ ſublata eſt, priora illa vacent ipſo iure, quæ eſt pœna impetrantium plura beneficia, dignitatem, aut curam animarum habentia, vt ſuprà dictum eſt.

76. Reſpondeo, non per adeptionem ſecundi, priora vacare ſimpliciter, ſed per adeptam poſſeſſionem pacificam tantùm, vt diximus, atqui poteſt adipiſci poſſeſſionem, in vim ſubreptiæ illius prouiſionis, quod cum accidit, & priora vacant ipſo iure, & poſtremum ipſum, de facili auferri poteſt.

77. Nec enim æquum foret, melioris eſſe conditionis, qui iniuſtè poſſidet beneficium, quàm eſſet ſi iuſtè poſſideret, *cap. eum quem de preb. in 6.* atqui ſi iuſtè poſſideret, priora amitteret, ergò etiam hoc caſu propria amittit, & poſteriore quod iniuſtè poſſidet, ſpoliari poteſt, quarè *gloſſ. in Clement. ſi plures, de preb.* cautius facturum eſſe ait, ſi non antè, poſſeſſionem iſtius adipiſcatur, quàm certum ſit, prouiſionem valere.

78. Quid ergo, ſi imperrans expreſſerit beneficia, quæ tum habebat, dicam prouiſionem valere, & nihilominus per adeptionem poſſeſſionis, priora illa, ſi incompatibilia ſint, retineri non poſſe, quia expreſſio illorum, non inducit diſpenſationem, ſed amouet tantùm ſubreptionem, quod eſt valdè notandum, *ex cap. non poteſt §. cum verò, de preb. in 6.*

79. Hoc itaque caput, tribus regulis concludo, prima eſt, beneficia habentes omnia exprimere debere, ſi in Curia Romana, nouum aliquod impetrare volunt, alioquin impetratio eſt ſubreptitia, ſecus eſt in aliis collationibus, *Clem. finali, de off. ordinar.* vt probatum eſt ſuprà.

80. Secunda, diſpenſationem ad plura beneficia non valere, niſi & omnia exprimantur, *cap. non poteſt de preb. in 6. Molin. in not. ad gloſſam Clement. I. in verbo alteri de preb.* cum enim ea diſpenſatio, reſcripti Apoſtolici locum ſubeat, & ipſa ſubreptionis vitio ſubiacet, niſi omnia beneficia exprimantur, quam non purgat diſpenſatio quælibet, ſed ſolam incompatibilitatem.

81. Tertia, per expreſſionem beneficiorum, ab eo factam, qui nouum aliquod impetrat, ſubreptionem purgari, non etiam incompatibilium diſpenſationem induci, *d. cap. non poteſt §. cum verò de preb. in 6.* nec enim in diſpenſatione, quæ iuris communis dicitur relaxatio, caſus omiſſus, trahitur ad expreſſum, vt alibi plenius probaturi ſumus.

CAPVT QVARTVM.

De diuiſione Beneficiorum.

1. *Militiæ armatæ, & Eccleſiaſticæ plures gradus.*
2. *Beneficia alia ſunt cum dignitate, alia cum cura animarum, alia ſimplicia.*
3. *Quid ſit dignitas in iure canonico.*
4. *Qui dignitatis gradus, & ſpecies.*

1. SIcut militiæ armatæ plures ſunt gradus *l. 3. §. qui ſtationis, & §. aliena lege 5. dig. de re militari l. vlt. dig. de cuſtod. & exhibit. reorum:* ità etiam militiæ Eccleſiaſticæ, ac præſertim huius de qua tractamus, nimirum beneficiariæ, itaque beneficiorum diuiſio, hoc loco proponenda, vna trimembris, altera vero bimembris tantùm, de qua ſub finem huius capitis.

Digitized by Google

2. Et primum trimembris hæc eſt, quòd beneficia quædam ſint cum dignitate, & præeminentia, quæ alio modo, & quandoque perſonatus appellantur, vel cum officio, & adminiſtratione, quædam cum cura animarum, quædam abſque dignitate & cura, quæ vulgo ſimplicia appellantur, de quibus ſigillatim hoc loco dicendum eſt, & incipiendum à dignitatibus.

3. Sciendum eſt itaque, dignitatis vocabulum, quandoque latè accipi, vt omnes gradus Eccleſiaſticos comprehendat, veluti *in cap. denique in principio diſtinct. 4. & cap. penult. diſtinct. 5. can. Cleros §. presbiter. 21. diſtinct.* quandoque verò ſignificat, adminiſtrationem Eccleſiaſticam, cum honore vel iuriſdictione coniunctam, vt patet *ex gloſſa cap. 1. de conſuet. in 6. Panormit. in cap. de multa de prab. Quintino ibidem pag. 926. & Nicolao Rebbio canonico Inſulenſi in tractatu de dign. & Off. Eccleſ.*

4. Et hoc ſenſu ſummus Pontifex, Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Decani, Archidiaconi, & ſimiles dignitatem habere dicuntur, inter quas tamen, aliæ alijs celſiores habentur, prout dignitate, vel iuriſdictione cæteris præcellunt, quod plerumque ex conſuetudine magis, quàm iure æſtimari ſolet, *cap. cum olim de conſuet. apud Greg. can. conſuetudo diſtinct. 12.*

---

§. PRIMVS.

De ſummo Pontifice.

1. *Summus Pontificatus dignitas eſt, & Beneficium.*
2. *Primatus ſummi Pontificis confirmatur.*
3. *Summus Pontifex vniuerſalis Epiſcopus.*
4. *Principatus Eccleſiæ Romanæ aſſeritur, & plenitudo poteſtatis.*
5. *Vnde varij Eccleſiæ Prælati, in ſollicitudinis partes vocati.*

1. PRimùm igitur ſummus Pontifex, cuius dignitas vocatur beneficium, *in cap. extrà de maledicis*, licet inter Epiſcopos recenſeatur, & ideò fratres eos appellet, *cap. quam graui. de crimine falſi:* & coepiſcopos, *can. in nomine Domini. 23. diſtinct.* tamen non modo primatum, ſed & principatum inter eos obtinet.

2. Verum enim, de primatu ſatis conſtat *ex can. Paulus Petrum 2. quæſt. 7.* itemque ex eo quod primæ ſedis Epiſcopus vocatur, *can. primæ ſedis 99. diſtinct.* quamquam eodem canone & duobus ſequentibus, Principis Sacerdotum, atque vniuerſalis nomen, veluti faſtus & arrogantiæ plenum damnetur.

3. Attamen ſucceſſu temporum factum eſt, vt vniuerſalis Epiſcopi titulus, Romano Pontifici tribueretur: primum quidem Leoni delatus, huius nominis primo, Concilio Calchedonenſi, vt teſtatur diuus Gregorius ad Mauricianum Imperatorem, deinde ab aliis lentè & faſtidiosè acceptus, vt ſcribit *Paſcaſius lib. 3. obſeruat Gall. cap. 2. & Carol. Molin. in commentario Gallico ad edictum Henrici II. contra paruas datas & Senatuſc. Pariſ.* ſed polulum duriori, & acerbiori ſermone.

4. At vero de principatu Romanæ Eccleſiæ, ac ſummi Pontificis, eiuſque in alios auctoritate, cum multi multa ſcripſerint, hoc tantum dicam, quod ex iure Pontificio, Eccleſiam Romanam, ſuper alias omnes, ordinariæ poteſtatis obtinere principatum, *cap. antiqua de priuileg.* & Epiſcopum Romanum habere plenitudinem poteſtatis, cæteros verò in partem ſollicitudinis eſſe vocatos, *cap. honorem de auct. & vſu pallij.*

5. Verum inter ipſos quoque, in partem ſollicitudinis vocatos, värij ſunt dignitatum gradus, ſeu antiquum, ſeu nouum Eccleſiæ ſtatum intueri velimus, cum enim ſummo Pontifici, vel potius vnitati delata fuiſſet, ſumma adminiſtrandi poteſtas, in plures diuiſa fuit partes, & ſectiones, dum pluribus aliis, quælibet priuatæ Eccleſiæ inferiores, admiſtrandæ creditæ ſunt, intra quarum limites & terminos, ſuam habent Prælati exercere poteſtatem.

Digitized by Google

§. SECVNDVS.

De Cardinalibus.

1. *Qui ſunt Cardinales, & quem dignitatis gradum, in Eccleſia obtineant.*
2. *Vndè legati à latere dicti, Cardinales à ſummo Pontifice demandati.*
3. *Cardinalis nomen antiquiſſimum, & quid primùm ſignificauerit.*
4. *Cardinalis nomen commune presbiteris, Diaconis, & Epiſcopis.*
5. *Rectores paræciarum, olim Cardinales presbiteri dicti.*
6. *Cardinales presbiteri olim, inferiores Epiſcopis.*
7. *Id probatur ex numero teſtium, quibus vtrique rei efficiuntur.*
8. *Primi è pluribus vni regendæ Eccleſiæ deputatis, Cardinales Presbiteri dicebantur.*
9. *Plures Cardinalis nomen ambientes enumerantur.*
10. *Nota ad gloſſam* cap. pudor. 32. quæſt. 2. *ad eoſdem Cardinales.*
11. *Opinio eorum, qui Cardinales presbiteros dicebant, Canonicos Cathedralium Eccleſiarum.*
12. *Quis fuerit ab initio Senatus Eccleſiæ Romanæ, & vt Cardinales eidem ſucceſſerint.*
13. *Quæ Cardinalium creatio, temporibus Marcelli Pontificis, & quis progreſſus.*
14. *Priuilegia Cardinalium & inſignia ſecundùm varia tempora.*
15. *Varij gradus Cardinalium Romanæ Eccleſiæ & titulorum.*
16. *Cardinales Patriarchis maiores.*

1. NVnc igitur Summo Pontifici ſuccedunt Cardinales, qui primam poſt illum in Eccleſia dignitatem habent, & fratres, atque officij Sacerdotalis executores vocantur, *cap. fundamenta* §. *decet, de elect. in 6. extrauag. execrabilis* §. *nos itaque de præb. cap. ad falſariorum de crimine falſi*, & ex quorum corpore Summus Pontifex eligitur, *can. oportet, & ſequenti 79. diſtinct.*

2. Et verò cum circà latus ſummi Pontificis verſantur, ſicubi legatione fungantur, legati à latere appellantur, & ab Yuone Epiſcopo Carnotenſi laterales, quaſi de latere miſſi *cap. ad eminentiam, de ſentent. excommu. cap. volentes & ſequenti, de off. leg. can. decreto. 2. quæſt.* 6. & in eos, tanquam ſummi Pontificis Conſiliarios, & corporis ipſius partes, crimen læſæ maieſtatis committitur, *cap. fœlicis de pœn. in 6.*

3. Cardinalium autem appellatio, nota quidem olim, ſed non in eadem ſignificatione, quâ nunc vſurpatur, nam vetuſtior eſt, quàm auctoritas, qua hodiè pollent Cardinales, vt ipſe animaduertit Onuphrius Pauuinus, in ſingulari tractatu de origine Cardinalium, & altero de eorumdem Epiſcopatibus, titulis, & Diaconiis, vbi & illud notat, Cardinalis appellationem, tunc fuiſſe notam alicuius præeminentiæ, non verò auctoritatis vel iuriſdictionis.

4. Verumenim Presbiteri, & Diaconi, imo & Epiſcopi Cardinales dicebantur, quo verbo, ſignificabatur prærogatiua quædam dignitatis, inter cæteros, vt videre eſt apud diuum Gregorium *lib. 1. epiſt. epiſt. 91. lib. 2. epiſt. 3. lib. 15. epiſt. 7. & 79. & lib. 3. epiſt. 25. can. presbiteri, diſtinct. 24. can. fraternitatem diſtinct. 71. can. Paſtoralis 7. quæſt. 1. cap. 1. de off. Archipresb. apud Greg.*

5. Nec verò caret ratione, quod quidam exiſtimant, Cardinales Presbiteros, eo tempore dictos fuiſſe, eos, quibus Parrochiales Eccleſiæ commendabantur, vt obſeruat Paſchaſius *lib. 3. obſeruat. Gall. cap. 5.* & confirmatur *cap. 2. de cler. non reſid. & Concilio Metenſi ſub Carolo Calu. art.* 54. vbi ſic habetur, *vt titulos Gardinales, in vrbibus, & ſuburbiis conſtitutos, Epiſcopi canonicè, & honeſtè diſponant, & ſine retractatione ordinent*, & indè Cardinales dicebantur, tituli ſancti Laurentij, ſancti Ioannis, & aliorum.

6. Et tamen huiuſmodi Cardinales Presbiteri, inferiores erant Epiſcopis, vt patet exem-

plo Concilij habiti Romæ, contrà Ioannem 10. apud Luitprandum, relati à Stephano Paſchaſio, *lib. 3. cap. 5. Greg. Tholoſ. lib. 15. ſintagm. cap. de Cardinalibus inſcripto*, vbi plures alias auctoritates, huius rei probandæ cauſa, inducunt.

7. Et ad id rectè & appoſitè gloſſa, *in cap. quamquam 2. quæſt. 7.* ait quemlibet Epiſcopum, maiorem eſſe Presbitero Cardinali, idemque confirmat *can. Præſul. 2. quæſt. 4.* vbi maior numerus teſtium exigitur, ad condemnandum Præſulem, quàm Presbiterum Cardinalem, quò enim creſcit alicuius dignitas, eò maiore teſtium numero reus effici debet, vt paſſim notant interpretes *ad d. can. Præſul. 2. quæſt. 4.* & è pluribus Nicolaus Rebbius Inſulenſis Canonicus in *tract. de dign. Eccleſ. cap. 3. de Cardinalatu.*

8. Sed & illud etiam, ex eodem can. & aliis locis ſuprà citatis apparet, non tantum Romæ, ſed etiam in aliis Eccleſiis, fuiſſe Presbiteros quoſdam, & Diaconos, qui Cardinales appellabantur, quaſi primi, & præcipui inter cæteros, Presbiteri primi ordinis, quo ſenſu Epiſcopi, Cardinales dicti, vt probatum eſt ſuprà, cum enim plures, vni Eccleſiæ regendæ deputarentur, eorum primus & præcipuus, princeps, Cardinalis Presbiter, vel Diaconus cæpit appellari, vt notat vigilantiſſimus antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator, *Boëtius epe. lib. 1. heroic. & Eccleſ. quæſt. de Pontificis electione & Cardinalibus num. 190.*

9. Quin etiam hodiè, in Eccleſia Rauennate, & Compoſtellana, ſunt quidam Sacertes, qui Cardinales appellantur, vt obſeruat *gloſſa pragm. ſanct. tit. de moribus & qual. Cardin. in Principio* & Cluniacenſes Abbates, ex antiquo priuilegio, appellari ſe geſtiunt Cardinales, ſicut & Vindocinenſes, titulo ſanctæ Priſcæ inſigniti, vt videre eſt apud Renatum Chopinum *lib. 2. de ſacr. polit. tit. 6. num. 5.* & in Epiſtolis Goffridi Vindocinenſis Abbatis, Nuper à Iacobo Sirmundo editis & notis illuſtratis.

10. Sed tamen illos omnes Cardinales, ridet gloſſa *cap. pudor eſt 32. quæſt. 2.* comparans eos regi Schaccorum, & è noſtris Duarenus *lib. 1. de ſacr. Eccleſ. miniſt. cap. 13.* regi Iuetotio, & certè pro hodiernis Cardinalibus, meritò tales exiſtimari debent, cum ſint veluti vmbra quædam, & inane ſpecimen hodiernæ Cardinalium Romanorum, dignitatis & auctoritatis.

11. Sunt tamen, qui Presbiteros Cardinales fuiſſe contendant, Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, quaſi conſiliarios, & Epiſcopi adſeſſores, & in hac ſententia eſt prædictus Duarenus eod. *lib. & cap.* ductus auctoritate *cap. 2. de off. Archipresbiteri*, cuius opinionem refutat Paſchaſius *lib. 3. obſeruat. Gall. cap. 5.* ſed & eam defendit Guido Conchilius in Poſthumis memorialibus reformationis Eccleſiaſticæ *pag. 23. & in tract. lib. eccl. gall. pag. 79.* eorumque Cardinalium Presbiterorum, veſtigia nobis prodit & exempla, in ipſamet Eccleſia Niuernenſi, ex veteribus Schedis eiuſdem ac monumentis Eccleſiæ.

12. Hoc tamen conſtat, Eccleſiam Romanam, habuiſſe ſuum Senatum, & certe Presbiterorum, *cap. Eccleſia 16. quæſt. 1.* qui tamen Cardinales dicti non ſunt, nec ipſi Summo Pontifici perpetuo adſidebant, cum enim Eccleſiæ vniuerſalis negotia expedienda obueniebant, tum Italiæ Epiſcopi conuocabantur, nationali & prouinciali Sinodo ſuffragium daturi, vnde plures nationales Sinodi, quæ & aliquando generales dicuntur, ſed malè, vt Lateranenſis ſub Alexandro III. & aliæ plures.

12. Sed cum ſucceſſu temporis eueniſſet, vt difficilius, & tardius, quàm negotiorum expeditioni par erat, Sinodi conuocari poſſent, Summi Pontifices proprium, & aſſiduum Cardinalium Senatum, habere cæperunt, ex quorum conſilio, negotia vniuerſalis Eccleſiæ pertractarent, qua ratione, & eadem neceſſitate exigente, Senatorum decretis, aûctoritas dari cæpit, *in leg. vlt. dig. de leg. & Senatuſc.*

13. Nec verò omittam dicere, Marcellum Papam, circà annum Domini 105. quoſdam Cardinales erexiſſe, & inſtituiſſe, ad Cathecumenorum baptiſmum, lapſorum pœnitentiam, & mortuorum ſepulturam, ſed ab hodiernis longè diſpares, quorum ſumma, & excelſa dignitas, regiæ non abſimilis, certam originem non habet, niſi quis dicat, ex eo tempore cæpiſſe, quo Nicolaus II. electionem Summi Pontificis eis permiſit, *can. in nomine Domini 23. diſtinct.* ita tamen, vt populi conſenſus accederet.

14. Sed & illis Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi, dignitatis inſignia addere curans, purpureis veſtibus, & Galero vti, & equo per vrbem vehi conceſſit, atque etiam Summorum Pontificum electioni, per eos exequendæ, modum dixit, quibus acceſſit Ioannis IX. conſtitutio, vt negotia Eccleſiæ, ex eorum conſilio explicentur, vt teſtatur idem *Paſchaſius lib. 3. obſeruat. Gall. cap. 5. Platina in vita Innoc. IV.* Rob. *Guaguinus lib. 7. hiſt. & Paul. Æmil. Annal. lib. 7.*

15. Ex his autem alij ſunt Epiſcopi, alij Presbiteri, alij Diaconi tantùm, omnes certis & propriis titulis diſtincti, à quibus appellantur, & in quibus iuriſdictionem habent Epiſco-

Digitized by Google

palem, Panormit. *in cap. his quæ de mai. & obed. & in cap. dilectus de capell. Monach.* ſed & eorum titulorum explicatio patebit manifeſtius, ex priuata lectione, peculiaris & ſuprà laudati tractatus, Onuphrij Pauuini de Epiſcopatibus, titulis, & Diaconiis.

16. Et hæc quidem de Cardinalibus dicta ſufficiant, & eorum dignitate, velut prima, poſt Summum Pontificem, nam etſi iure Pontificio, primi poſt illum, dicantur eſſe Patriarchæ, vt mox dicam, tamen hodie, Cardinales Patriarchis præferuntur, & priores etiam nominantur, in pragm. ſanct. *tit. de collat.* §. *quod ſi quis.*

---

§. TERTIVS.

De Patriarchis.

1. *Olim quatuor Patriarchæ, & quo ordine.*
2. *Conſtantinopolitanus adiectus, ſecundum locum obtinuit.*
3. *Quæ veſtigia nobis remanſerunt, Patriarchalium ſedium.*
4. *Quæ Eccleſiæ Romæ, Patriarchales ſedes repræſentent.*

1. NVnc ergo agendum de Patriarchis, quorum dignitas quidem excelſa, vt & ipſum Patriarcharum nomen ſonat, ſed exiguus fuit eorum numerus, quatuor enim tantùm ab initio numerabantur, hoc ordine, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolimitanus, quorum quique ſacros quatuor Euangelij ſcriptores exhibebant, vel etiam totidem orbis Chriſtiani Cardinibus, Præſides deputatos, vt teſtatur *Nicolaus Rebbius in tract. de offic. & dignit. Eccleſ. cap.* 7.

2. Verum, cum Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ipſius vrbis, quæ noua Roma appellabatur, titulo ſuperbiret, cæpit ille æmulus eſſe Romani, atque in tantum perfecit, vt Concilio Conſtantinopolitano can. 3. ſecundum ordinem inter Patriarchas acciperet, cæteris vno gradu deſcendentibus, *can. ſacro-ſancta & ſequenti can. penult. & vlt.* 22. *diſtinct. cap. antiqua de priuilegiis*, de quibus fuſiſſime diſputatum, à Renato Chopino *lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 4. *num.* 18. 19. 20. 21. *& ſequentibus & Cuiacio, in cap.* 29. *de præb.* & tamen de illius canonis 3. ex Concilio Conſtantinopolitano deſumpti, veritate dubitat *Seuerinus Binius in notis ad Concilium Conſtantinopolitanum primum.*

3. Sed & cum, illorum quatuor Patriarchalium Eccleſiarum ſedes, vniuerſalis & Catholicæ Eccleſiæ hoſtes occupauerint, eorum tamen, quædam veſtigia nobis remanſerunt, non ſolùm prælatis, ſæpius iiſdem Eccleſiis in partibus deputatis, vt pace eiſdem reddita intitularentur, ſed etiam titulis, & eccleſiis, in ipſa Romana vrbe inſtitutis, qui ſingulis reſponderent, quarum prima Lateranenſis, reſidentem ſemper habet Summum Pontificem, vt Patriarcham Romanum, vnde in ea habitæ Synodi, Patriarchales, vel prouinciales dicuntur.

4. At verò aliæ quatuor inſtitutæ, videlicet ſancti Petri in Vaticano, ſancti Pauli extrà muros vrbis in via Oſtienſi, ſanctæ Mariæ Maioris, vel ad præſepe, & ſanctorum Stephani & Laurentij, quæ aliis quatuor Patriarchalibus Eccleſiis accomodantur, quarum & Prælatos exhibere debeant, & à ſedibus expulſos alere, vt adnotauit idem *Boetius epo. lib.* 1. *Heroic. & Eccleſ. quæſt. de Pontif. elect. & Cardin. num.* 191.

---

§. QVARTVS.

Des Primatibus.

1. *Primates & Patriarchæ dicti, ſolo ſono differentes.*
2. *Primates & Patriarchæ, Archiepiſcopis maiores.*
3. *Diſputatio Primatus Aquitanici, inter Biturıceſem, & Burdegalenſẽ Archiepiſcopos.*
4. *Confirmatur totius Aquitaniæ Primatus, Archiepiſcopo Bituricenſi.*
5. *Boerij auctoritas in id adducitur.*
6. *Item Dadini Alteſerra noui ſcriptoris, licet Aquitanici.*

7. *Qua ratione diuiſus, Aquitanicus Primatus.*
8. *Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Senonenſis Primates aſſeruntur.*
9. *Primatus totius Galliæ Archiepiſcopo Lugdunenſi defertur.*
10. *G. Britonis in eo dubia fides redditur.*
11. *Vnde Primates dicti, & in quibus ciuitatibus conſtituti.*

1. SVnt alij Patriarchæ, qui minores dicuntur, ſiue minorum gentium, cum prædicti, maiorum gentium Patriarchæ appellentur, qui & Primates dicuntur, nam vt obſeruauit *Guido Conchilius in Poſthumo tractatu libertatum Eccleſiæ Gallicanæ pag.* 14. & pleriſque aliis locis, vt & plures alij iuris Canonici interpretes, Primates, & Patriarchæ, ſolo ſono differunt, atque vnam eamdemque dignitatem, & auctoritatem habent, quod probatur *cap. duo ſunt de off. ordin. cap. prouinciæ diſtinct. 99.*

2. Verum & illos omnes, Archiepiſcopis maiores agnoſcimus, hi enim illis ſubſunt & ab his ad illos appellatur, *can. conqueſtus 9. quæſt.* 3. vbi à Narbonenſi Archiepiſcopo, appellari dicitur, Archiepiſcopus noſter Bituricenſis, quem ibidem Patriarcham appellat, vt & *Guillelmus Britto. lib.* 12. Primatem hoc verſu dixit.

Nec-non Bituricus, Turono cum Præſule Primas.

3. De hoc tamen Primatu, vetus controuerſia fuit, inter Bituricum, & Burdegalenſem Archiepiſcopum, mota temporibus Gregorij IX. vt conſtat *ex cap. humilis de maior. & obed. cap. vlt. de dolo & contumacia* de qua videndus Renatus Chopinus *lib. 1. de ſacr. polit. tit.* 8. nec omittendus ſpecialis tractatus, huius diſputationis ſedandæ cauſa habitus, à Ioanne *de Boiſrouuray* Bituricenſi Cauſidico, nec non antiquitatum Eccleſiæ Bituricenſis ſtudioſiſſimo indagatore.

4. Cæterum vt refert Claudius Robertus, auctor Galliæ Chriſtianæ, in Archiepiſcopis Bituricenſibus, Honorius III. S. P. anno 1223. Archiepiſcopo Bituricenſi, ius Primatiæ, in Prouinciam Burdegalenſem, tanquam Aquitaniæ partem, definitiua ſententia confirmauit, ſecutus Innocentium III. prædeceſſorem ſuum, qui pro Archiepiſcopo Bituricenſi, vindicias dixerat, vt Nicolaum I. qui eidem Archiepiſcopo, & Narbonenſem tanquam Primati ſubijcit & Burdegalenſem.

5. Et ex eo eſt, quod Nicolaus Boerius, licet Senatus Burdegalenſis Præſes, adeoque teſtis, omni exceptione maior, & Burdegalenſis Archiepiſcopi, dignitati aſſerendæ, quodammodo addictus, *in tract. de auct. magn. conſil. num.* 5. non dubitauit, Bituricenſem Archiepiſcopum, ſolum Aquitaniæ Primatem dicere, eique Burdegalenſem Archiepiſcopum, cum Narbonenſi, Auxiatenſi, & Tholoſano ſubijcere.

6. Sed de eadem controueſia, ratione Primatus Aquitanici mota, cum nouiſſimè Daduus Alteſerra, doctor Tholoſanus, diſputationem inijſſet, *lib. 4. rerum Aquitanicarum cap.* 4. tandem multis rationibus, in id deductis, Archiepiſcopi Bituricenſis partibus adhæret, quamuis ipſe vt & Boerius Aquitanicus, & Aquitaniæ gloriæ, & dignitatis vindex, aliò abduci, & ad Burdegalenſis Archiepiſcopi partes deflectere debuiſſet, niſi ipſamet veritas, aliud ſuadere potuiſſet, & ſiſtere.

7. Nec enim aliàs, Burdegalenſem Archiepiſcopum, à Primatu Bituricenſi, & Aquitaniæ, defeciſſe teſtantur, quàm Aquitania inferiori, in Anglorum ditionem tranſfuſa, qui vt ſummam rerum, quæ apud Bituriges erat, in ſe reuocarent, & ſacrum Aquitaniæ Primatum, à Ceruibus depellendum duxerunt, porrò de his Archiepiſcopis, quos ſibi Bituricus ſubeſſe profitetur, ratione Primatus, perſcrutanda præfatio, Concilij Bituricenſis, habiti anno 1583.

8. Archiepiſcopus quoque Lugdunenſis, Patriarcha vocatur, à Gregorio Turonenſi & à Philippo Berterio Pithanon *lib. 2. cap.* 5. Nec non etiam Renat. Chopinus *lib. 1. ſacr. polit. tit.* 8 *num.* 16. Archiepiſcopo Senonenſi, eumdem titulum inſcribit, vbi refert controuerſiam, hac de re habitam, inter Archiepiſcopum Lugdunenſem, & Senonenſem.

9. Sed & huius Patriarchatus, contentione inſuper habita, idem Gregorius Turonenſis, totius Galliæ Primatum, Lugdunenſem Archiepiſcopum, habere exiſtimat, quod Britto Philippidos 12. referente Berterio *lib. 2. cap. 5. Pithanon* confirmat his verſibus,

Et Lugdunenſe, quo Gallia tota ſolebat,
Vt fama eſt, Primate regi, cauſaſque referre
Difficiles, vt ibi lis vltima, litibus eſſet,
Nec mittebatur Romam lis vlla, niſi quam,
Lugdunenſe forum, per ſe finire nequiſſet.

Digitized by Google

10 Verum & his verſibus, quanta fides haberi debeat, dubitat idem Berterius *d. lib. 2. cap5.* vbi de Primatu Lugdunenſi agit, de quo videndus Innocentius III. *epiſt.* 41. 61. 65. 68. *&* 122. vbi de eodem Primatu Lugdunenſi, ac etiam noſtro Bituricenſi, exquiſita quædam profert, quibus plura addidit Franciſcus Boſquetus Narbonenſis in notis ad prædictas epiſtolas, ac præcipuè 43. ſed etiam de Primatu Lugdunenſi, plura habet, Petrus de M raa in diſſertatione ſingulari de Primatu Lugdunenſi.

11. Et hi quidem Patriarchæ, ſeu Primates, olim in Primariis tantùm ciuitatibus conſtituti, & iis, in quibus maiores magiſtratus regimen Prouinciarum ſuſcipere, & adminiſtrare ſolebant, *can. 2. & 3. 80. diſtinct.* ijdem etiam principes, & Exarchæ Diœceſeon appellati, *can. 17. Calchedonenſis Concilij.*

§. QVINTVS.

De Archiepiſcopis, &c.

1. *Archiepiſcopi Patriarchis, & Primatibus inferiores.*
2. *Quidam Archiepiſcopi, ſuarum Diœceſeon capita dicuntur.*
3. *Archiepiſcopi, Metropolitani dicti.*
4. *Archiepiſcopi, & Metropolitani, idem.*
5. *Vnde Metropolitani dicti.*
6 *Vnde Metropolis ciuitas.*
7. *Archiepiſcopus diſtinctam habet Diœceſim, nec concurrit cum ſuffraganeis.*
8. *Quænam iura Archiepiſcoporum in ſuffraganeos Epiſcopos.*

1. PAtriarchis autem, ſeu Primatibus, inferiores ſunt Archiepiſcopi, tametſi Patriarchæ ipſi, ſeu Primates, nonnunquam Archiepiſcopi appellentur, *l. iubemus* 14. *cod. de ſacroſ. Eccleſ. nou* 131. *& can. cleros verſ. Archiepiſcopus* 21. *diſtinct.* & quod dico Archiepiſcopos inferiores eſſe Primatibus, & Patriarchis, conſtat ex *can.* 1 *&* 2. *diſtinct.* 99. vbi ab ipſis, ad Primates appellari dicitur.

2. Nec tamen illud, perpetuò verum eſt, ſunt enim quidam Archiepiſcopi, qui Primatibus, & Patriarchis non ſubijciuntur, ſed ipſi ſunt ſuarum Eccleſiarum capita, vt docet Balſamon, primi Concilij Conſtantinopolitani *cap.* 2. neque enim neceſſe eſt, vt vnaquæque Diœceſis, Primatem habuerit, cum etiam ab initio, omnes Archiepiſcopi, eſſent ſuarum Prouinciarum Primates, vt tradit Balſamon eodem loco.

3. Cæterum Archiepiſcopi, dicuntur etiam Metropolitani, tum iure ciuili, *nouell.* 5. *ſub finem, & nou.* 7. §. *nos igitur*, tum iure Pontificio, *can. prouincia & can. nulli.* 99. *diſt. & cauſa* 9. *quæſt.* 3. *per totum*, eodemque modo ſe habent Archiepiſcopi, & Metropolitani, atque Primates, & Patriarchæ, quos ſolo ſono differre probauimus.

4. Et verò, licet inter eos, differentiam conſtituere videatur gloſſa, *in cap. præſenti ſtatim in principio de off. ordin. in* 6. cuius interpretandæ gratia, videndus eſt Cuiacius *in cap.* 29. *de præb. & nou.* 6. tamen in *cap. penult. de cler. ægrot.* qui in inſcriptione, dicitur Archiepiſcopus, in contextu vocatur Metropolitanus, vt indè pateat, inter ſe conuerti ſolere.

5. Nunc igitur illud obſeruandum, Metropolitanos dictos, ex eo quod, in Metropoli ciuitate conſtituti erant, *can. nulli* 99. *diſtinct.* vbi olim Archiflamines, *can. in illis* 89. *diſtinct.* vel vbi maiores magiſtratus conſidere ſolebant, vt teſtatur Volfius Lazius *lib. 2. reipubl. Romanæ cap.* 2.

6. At verò Metropolis, quaſi mater ciuitas, *l. vnica cod. de Metropoli Berito* non vt falsò, Iſidorus exiſtimat, à menſura ciuitatum, quod ex eo relatum in *can. cleros diſtinct.* 21. circumſcribi oportet, ſicut & illud, quod de numero decem, vel vndecim Epiſcoporum, vni Metropolitano, ſubditorum ſcriptum eſt. *can. ſcitote* 6. *quæſt.* 3.

7. Metropolitani ergo, ſeu Archiepiſcopi, ſuas habent Diœceſes, ordinario ſibi iure ſubiectas, ſicut cæteri Epiſcopi, ſuas Diœceſes, nec enim concurrunt, cum Epiſcopis ſuffraganeis, in ſua Diœceſi, vt docet Chopinus *de ſacr. polit. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 3. *in textu & margine*, Guido Conchilius *in Poſthumo tractatu libert. Eccleſ. gall. pag.* 17.

8. Sed hoc tamen inſuper habent, vt Epiſcopi ſibi ſubditi, extrà ea quæ ad Diœceſim ſuam pertinent, nihil inconſulto illo; nec ille quoque inconſultis ipſis, agere poſſit, *can.* 2.

Digitized by Google

& ſequent. 9. quæſt. 3. ab ipſis etiam, vt inferioribus, ad Metropolitanum appellatur, *cap. 1. de off. leg.* & ius viſitandi, ac recipiendi ab ipſis procurationes habent, *cap. ex officio de præſcript.* nec poſſunt abſque venia illius, in aulam Principis proficiſci, *cap. ſi quis Epiſcopus 23. quæſt. 8. nou. 6 & 123. §. interdicimus.*

§. SEXTVS.

De Epiſcopis.

1. *In quibus locis conſtitui debeant Epiſcopi,*
2. *Varij tituli quibus illuſtrantur Epiſcopatus.*
3. *Idem tituli ipſis Epiſcopis inſcripti.*
4. *Epiſcopi omnes olim Papæ dicti.*
5. *Hodiè ſolus Summus Pontifex Papa dicitur.*

1. ARchiepiſcopis autem, & prædictis omnibus, ſubſunt Epiſcopi, qui licet in humilioribus, & obſcuris ciuitatibus conſtitui non debeant, vt cautum fuit in Concilio Sardicenſi, tamen quoſdam ruri etiam & in vicis Epiſcopos fuiſſe probat, *can. 17. Concilij Calchedonenſis*, ſed id improbat Leo, præſertim in locis, & caſtellis, vbi nulli anteà fuerunt, *can. illud diſtinct.* 80. ſingulas certè ciuitates in Oriente, ſuos Epiſcopos habuiſſe, notat *Valafridus Strabo lib. de reb. Eccleſ.* & Philippus Berterius Pithanon *lib. 2. cap. 6.*

2. Verum Epiſcopatus non tantum dignitas eſt, ſed etiam culmen dignitatum, *cap. penult. de preb.* faſtigium Sacerdotale, *d. can. illud* 80. *diſtinct.* & Pontificalis ordinis ſublimitas, *can. reperiuntur 1. quæſt.* 1. ſummum Sacerdotium. *can. Chorepiſcopi 68. diſtinct. & can. legum 2. quæſt. 1. can deus ergo 3. quæſt.* 1. Summus Pontificatus, *can. in ſingulis 77. diſtinct.*

3. Et ex eo eſt, quod & ipſi quoque Epiſcopi, ſummi Sacerdotes appellantur, *can. Sacramentum 2. quæſt. 5. & quæſt. 7. can. accuſatio & can. de his de conſecrat. diſtinct. 5. cap. vnico §. per frontis de ſacr. vnct.* de quibus omnibus titulis, vide Cuiacium ad Rubricam de cohabit. cler. & mul. cumque *cap 1. ſub finem* vt non ſine ratione, primæ ſedis Epiſcopus, id eſt Pontifex Romanus, fratres eos appellet, *can. quam graui extra dicitur falſi*, & Coepiſcopos, *can. in nomine Domini 23. diſtinct.*

4. Quin etiam omnes Papæ dicti, quaſi Patres, vel potius aui, vt eſt apud Chopinum *lib. 3. de ſacr. polit. tit. 1. num.* 14. & colligere eſt, ex antiquioribus ſcriptoribus, vt Epiſtolis Hieronimi, Cipriani, Auguſtini, Gregorij, Sidonij Apollinaris, & apud Greg. Turonenſem *lib 2. hiſt. cap.* 27. Venantium Fortunatum Pictauenſem Epiſcopum, Marculfum Monachum in Formulis & inſcriptione *cap. 1.* & in notis & alios paſſim.

5. Et tamen illud hodie obtinuit, vt ſoli Pontifici Romano, hæc appellatio tribui ſoleat, vt & ſanctitatis vocabulum, quod tamen olim commune fuit aliis Epiſcopis, vt liquet ex epiſt. Caſſiodori, & auctor eſt Paſchaſius *lib. 3. obſeruat. gall. cap. 3.* vtrumque autem nomen, & titulus, propria facta ſunt Summorum Pontificum, temporibus Gregorij VII. vt patet ex eiuſdem *regiſtro lib. 2.*

§. SEPTIMVS.

De Chorepiſcopis.

1. *Chorepiſcopi qui fuerint.*
2. *Eorum temerarius auſus.*
3. *Tandem ſublati in Eccleſia.*

1. HIs addam Chorepiſcopos, de quibus latè Chopinus *lib. 2. de ſacr. polit. tit. 11. num.* 11. Nicolaus Rebbius Inſulenſis Canonicus *in tract. de dign. Eccleſ. cap. 4. de Chorepiſcopis* qui olim in certa aliqua Epiſcopatus regione, pro Epiſcopis ſe gerebant, tametſi minus eis liceret, quàm Epiſcopis ipſis, vt apparet ex comparatione vtriuſque muneris, *can. quamuis 68. diſtinct.*

2. Sed

Digitized by Google

2. Sed & quia Epiſcoporum munera ſibi vindicabant, primùm nimiæ eorum poteſtati modus datus eſt, varijs Eccleſiæ conſtitutionibus, quas refert Greg. Tholoſanus *in ſintagm. iuris lib. 15 cap 12. num. 46.* vetitumque ne aliquid agerent, inconſulto Epiſcopo, in cuius Diœceſi reſiderent, *in capit. Car. magni. lib. 1 can. 9.*

5. At tandem ab omni Eccleſia ſublati, & prohibiti, *can quamuis & ſequenti 68. diſtinct.* quorum poſterior, petitus ex Damaſi Summi Pontificis epiſtola, ad Epiſcopos, quæ exſtat integra, in primo volum. Concil. generalium parte 1. Binianæ editionis, vbi & cauſæ fuſiùs declarantur, propter quas ab Eccleſia exularunt, adeò vt hodiè, ſoli remanſerint Archipresbiteri, ſiuè decani rurales, qui eorum munera obie unt.

§. OCTAVVS.

De Abbatibus.

1. *Abbatis dignitas quæ, & quem locum in Eccleſia obtineat.*
2. *Olim Abbates & Monachi, ſæcularibus Clericis ſubijciebantur.*
3. *Quando ad Clericatum primùm promoti.*
4. *Vndè Abbatis nomen, & eius condemnatio.*
5. *Vnde reduplicatio nominis* Abbapater.
6. *Vbi primum Abbates, & Monaſteria.*
7. *Abbates & Monachi, Epiſcoporum iuriſdictioni, iure communi ſubmittuntur.*
8. *Quoad legem iuriſdictionis, non vero Diœceſanam, & vnde vtriuſque petenda diſtinctio.*
9. *Abbas in ijs quæ peccata ſunt in regulam, & intrà clauſtra, habet omnimodam coërcitionem.*
10. *Prouocatio etiam ab abuſu, non impedit correctionem.*
11. *Vbi extrà regulam peccatum eſt, & ſecundùm iudicij formas pœna ſtatuenda, Epiſcopi notio eſt.*
12. *Probatur iuriſdictio Epiſcopalis in Monachos, auctoritate ſcriptorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.*
13. *Probatur & auctoritate decretorum Eccleſiæ Gallicanæ.*
14. *Hic agitur de exemptionibus, et vndè ortum habuerint.*
15. *Priuilegia exemptionum, decretis Curiæ approbantur.*
16. *Commendatarij Abbates, non habent iuriſdictionem in Monachos.*

1. Epiſcopis ſubiungam Abbates, quorum etiam dignitas, inter maiores recenſetur, *can. ſi quis deinceps. 6 quæſt. 1.* vt potè prima poſt Epiſcopatum, & maior quàm decanorum, aut præpoſitorum, *cap. 1. de ætate & qual. Panorm. in cap. ex ore de priuileg.* vnde & inter Prælatos recenſentur, *cap. 2. de iudic.*

2. Et illud quidem, ità obtinuit antiquitus, vt Abbates, nec non ipſi Monachi, ſæcularium Clericorum adminiſtrationi, & regimini ſubeſſent, & in vltimum Clericorum locum retruderentur, *can. à Subdiacono 93. diſtinct.* imo Clericorum numero, nullatenus inſcribebantur, *can. de Monachis can. alia can. generaliter 16. quæſt. 1.* quod pluribus explicat Renatus Chopinus *lib. 2. de ſacr. polit. tit. 8 num. 6.*

3. Sed paulatim ab ea viuendi forma abſcedentes Abbates, & Monachi, elegerunt ex ipſorum gremio, quos ad Presbiteratus ordinem, promoueri curantes ab illis paſcebantur, Monachi, & Monaſteria regebantur, quorum vnus primum locum obtinebat, quem Abbatem dixerunt *can. Eleutherius 18. quæſt. 2. can. Monachos can. ſi Monachus can. moderamine 16. quæſt. 1.* quod pluribus probat *Claudius Eſpencæus* Theologus Pariſienſis in *tractatu de Miſſa publica & priuata.*

4. At verò ipſum Abbatis nomen, Hebraïcum & Siriacum eſt, & patrem ſignificat, vt docet, d. Hieronimus *ad 4. & 5. caput epiſtolæ d. Pauli ad Galatas*, vbi ſic ait: *cum Abba pater, Hebræo, Siriique ſermone dicatur, & Dominus noſter, in Euangelio præcipiat, nullum Patrem vocan-*

Digitized by Google

dam, niſi Deum, neſcio qua licentiâ in Monaſteriis, vel voce mus hac nomine alios, vel vocari nos acquieſcamus.

5. Quin etiam reduplicato vocabulo, Abbates etiam Patres appellantur, ab eo quòd Chriſtus Dominus orans Patrem dixit, *Abba-pater*, apud *diuum Marcum cap.* 14. *& Paulum ad Romanos cap.* 8. cæterum Monachi ab initio non habuerunt Abbates, vt docet Renatus Chopinus *de ſacr. polit. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 15. vbi de variis Monachorum Generibus ſermonem habet.

6. Nec verò mirum fuerit, hoc nomen à Siria profectum, cum ibi primum Monachi, & Monaſteria fuerint conſtituta, Hilarione primùm, Monaſticam vitam, in ea regione profeſſo, vt ſcribit Hieronimus in eius vita, & Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 10. idem verò Abbates, Archimandritæ appellantur, à Iuſtiniano. *nou.* 5. *& in edicto Iuſtiniani de fide*, relato, *in lege inter claras cod. de ſumma trinit.*

7. Cæterùm Abbates, regulariter Epiſcoporum poteſtati, atque auctoritati, correctioni, viſitationi, reformationi, ac iuriſdictioni, ſubijciuntur *can. hoc tantum, can. Abbates, & ſequenti, can. cognouimus* 18. *quæſt.* 1. *can. interdicimus* 16. *quæſt.* 1. *cap. conquærente de off. ord. cap. cum dilectus de relig. dom.* quod latè perſequitur Ioannes Fileſacus, *de ſacra auct. epiſcop. cap.* 7. §. 1. 2. & 3.

8. Et in ſumma Monaſteria omnia, quantum ad legem iuriſdictionis, Epiſcopis ſubſunt, non verò, quoad legem Diœceſanam. quid ſit autem lex Diœceſana, explicat *Chopinus lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 7 *Panorm. in cap. dilectus* 18. *de off. ordin. & cap. conquærente* 16. *eod. atque etiam Fileſacus lib.* 1. *de ſacr. auct. Epiſcop. cap.* 18. & de ea fuſius dicetur, in capite ſpeciali de reditibus bonorum Eccleſiaſticorum.

9. Nec tamen denegandum, penes Abbatem, eſſe omnem poteſtatem Monaſterij, *can. nulli.* 18. *quæſt.* 2. vt Monachos recipere poſſit, vt docet *Ioan. Papo in collect. arreſt. tit. de relig. art.* 2. coercere errones, circumcelliones, ac fugitiuos reuocare, & caſtigare, præſertim in iis, quæ aduerſus regulam peccauerunt, vt excommunicare poſſit, *can. Abbates* 18. *quæſt.* 2. *cap. cum in Eccleſiis de maior. & obed. cap. ſicut tuus de ſimonia.*

10. Nec verò Monachi, prætextu appellationis, correctionem effugere poſſunt, vt probat Chopinus *lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 4. *num.* 28. auctoritate *cap. ad noſtram* 3. *cap. reprehenſibilem* 26. §. *vlt. de appell. cap. ea qua* 8. *de ſtatu Monach. can. corripiant* 24. *quæſt.* 8. *cap.* 5. *& cap. penult. de off. ordinarij cap. ſuſcepimus & cap. ſignificaſti de homicidio* quod pariter conſtitutionibus regiis confirmatum eſt, ac præſertim Franciſci I. edicto, ann. 1539 *art.* 5. quod & confirmatur, in appellationibus tanquam ab abuſu.

11. Quod ſi lis aduerſum Monachum intendatur, & in figura iudicij, lis iudicio terminanda ſit, aut aliàs extrà regulam peccauerit, Epiſcopus notionem ſuam interponere debet, *can. de perſona* 21. *quæſt.* 1. vt confirmat Panormitanus *in cap. cum contingat num.* 21. *de foro compet. Aufrerius ad quæſt.* 408. *capellæ Tholoſanæ, & probat Renatus Chopin. de ſacr. polit. lib.* 1. *tit.* 4. *num.* 28. quibus adde *Paponem in collectione decretorum tit. de iuriſd. Eccleſ. art.* 14. *& tit. de iuriſd. temp. art.* 36. *Cuiac. ad cap.* 9. *de vita & hon. Cler. & ipſum Aurelianenſe edictum art.* 11.

12. At verò quæ mox diximus, de iuriſdictione Epiſcoporum, in Monachos, & Monaſteria, quamuis ſatis confirmauerim, ex iure Canonico, nunc tamen addam ſcriptores Eccleſiaſticos, *Euagrium lib.* 2. *cap.* 5. *& Nicephorum lib.* 15. *cap.* 9. recitantes Theodoſium quemdam Monachum, ab Epiſcopo ſuo in flagitiis deprehenſum, & Monaſterio pulſum fuiſſe, vt & auctor. eſt Chop. *lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 8. *num.* 21.

13. Et his quidem congruit, Synodus Arelatenſis, qua cautum eſt, coercitiones in Monachos, ad Epiſcopos pertinere, quod & confirmat, Fulberti Epiſcopi Carnotenſis *epiſt.* 61. ad Richardum Abbatem diui Medardi Sueſſionenſis & capp. Car. magni. *lib.* 5. *cap.* 25. nec non etiam Chop. *lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 8. *num.* 21. *&* 24.

14. Excipio Monaſteria, quæ priuilegio ſpeciali ſubnixa, iuriſdictione Epiſcoporum eximuntur, qualia ſunt multa in hoc regno, quorum catalogum videre eſt, adiectum tractatui Ioannis Lomede, Aduocati Pariſ. de exeptionibus Eccleſiaſticis quæ quidem exemptiones, ortum habere cæperunt, temporibus d. Gregorij, dum Monachos Italiæ, quieti reddere tentans, ab Epiſcopali iuriſdictione exemit, vt habetur in eiuſdem epiſtolâ, Ariminenſi Epiſcopo inſcriptâ, quæ exſtat in *can. Luminoſo.* 18. *quæſt.* 2. cuius illuſtrandæ cauſa, adeundus Ioan. Fileſacus *in tract. de ſacr. epiſc. auct. cap.* 7. §. 8.

5. Et hæc quidem exemptionum priuilegia, Concilio Tridentino Paululum imminuta videntur, vt teſtis idem *Chop. lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 3. *num.* 5. *& ſequenti*, & tamen ſecundùm hæc priuilegia, ſæpè Monachi, ab Officialibus Epiſcoporum, ad ſuos Abbates remitti poſtulantes, in Senatu petita obtinuerunt, vt refert Papo in *collect. decret. lib.* 1. *tit. de iuriſd. tem-*

Digitized by Google

porali, art. 36. & tit. de religioſis, art. 1. Ioan. Lomede in d. tractatu exemptionum Cap. 1. num 17.

16. Quod autem dixi, Monachos eſſe obnoxios Abbati, & ab eo caſtigari poſſe, ſi quid aduerſùs regulam peccauerint, locum non habet, in Abbatibus commendatariis, qui non ſunt eiuſdem regulæ, cuius & Monachi, vt refert *Ioan. Canutius tit. de ordine Eccleſiaſtico Cap. 7. Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 8. num. 13. & tit. 7. num. 6. & ſequentibus.*

§. NONVS.

De Prioribus.

1. *Priores Conuentuales dignitatem habent, & qui tales dicantur.*
2. *Probatur Conuentuales eſſe in dignitate, non verò Clauſtrales.*
3. *Differentiæ inter Conuentuales & Clauſtrales, & primùm quoad deſtitutionem.*
4. *Abbas commendatarius, Priorem Clauſtralem deſtituere non poteſt.*
5. *Priores Conuentuales deſtitui non poſſunt, & quarè.*
6. *Tertium genus Priorum ſæcularium, & quinam illi ſint.*

1. CÆterùm Abbatibus, hoc loco coniungam Priores, nam & ipſi dignitatem habere dicuntur, *cap. niſi eſſent 21. de præb. & dign.* quod vtiquè accipiendum eſt de conuentualibus, non de clauſtralibus, nam Prioratuum tres ſpecies eſſe video, conuentuales, cum aliquis ſuo, non alieno iure, conuentui præeſt, nec vllum habet, in eo monaſterio Superiorem.

2. Verum & illos Priores conuentuales, dignitatem habere conſtat, ex eo, quod à ſede Apoſtolica, cauſæ cognitiones, eis delegari poſſunt, *Clement. 2. de reſcript.* atqui non ſolent delegari, niſi iis, qui dignitatem, aut perſonatum habent, aut ſunt Canonici Eccleſiæ Cathedralis, *Cap. ſtatutum* §. 1. *de reſcript. in 6.* vndè concludendum, huiuſmodi Priores conuentuales, habere dignitatem, non clauſtrales, *d. Clem. 2.*

3. Clauſtrales autem dicuntur, qui Abbati ſubſunt, & Vicariam in clauſtro poteſtatem exercent, de quibus eſt, *Cap. cum ad Monaſterium §. Prior autem de ſtatu Monach.* & hi deſtitui poſſunt ab Abbate, §. *tales eodem* ſi modo in titulum, Abbatiam poſſideat, & regularis diſciplinæ diſpenſator habeatur.

4. Namque illud conſtat, Abbatem commendatarium, Priorem clauſtralem deſtituere non poſſe, vt ſæpè iudicatum fuiſſe refert Ioannes Canutius, in collatione decretorum, ordinationem inducentium, vulgò *reglements tit. de ordin. iudicario Cap. 7. Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 8 num. 2 & ſequ.* & alij paſſim.

5. At verò conuentuales, deſtitui non poſſunt, niſi ex certis cauſis *Cap. 2. de ſtatu Monach.* quæ tales eſſe debent, ex quibus Beneficiorum priuatio induci ſoleat, namquè ipſis Eccleſiis, & monaſteriis intitulantur, & in perpetuum regendis præficiuntur, ſecundum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quorum & naturam induunt, communem vſum, & obſeruationem, de qua infrà dicemus.

6. Tertium genus eſt, Priorum ſæcularium, de quibus dicam ſuo loco, & interim videndus, *Greg. Tholoſ. inſtit. Benef. Cap. 10. num. 22.* qui eo dicuntur, quod nulli regulæ addicti conuentu careant, & regimine Monachali, conuentualis autem dicitur Eccleſia, ex quo duo, vel tres ſunt in collegio, & conuentu, quibus regendis, Prior præficitur, *gloſſa in Cap. nobis in verbo in conuentuali de iure Patron. Cap. 1. de elect. & elect. poteſt.*

§. DECIMVS.

De Abbatiſſis & Prioriſſis.

1. *Abbatiſſæ & Prioriſſæ habent iuriſdictionem, ſimul & dignitatem.*
2. *Abbatiſſa Iotrenſis, eſt caput & patrona, non tantùm Monialium, ſed & Clericorum.*
3. *Idem de Abbatiſſa Fontis-Ebraldi, decreto conſilij Regij firmatum.*

4. *Abbatiſſæ & Prioriſſæ, excommunicare non poſſunt, nec claues adminiſtrare.*
5. *Quam cenſuram, Abbatiſſa, aut Prioriſſa, inferre poteſt.*
6. *Suſpenſio, & interdictum, Abbatiſſarum, infert irregularitatem, ſi Ordinarij auctoritate firmentur.*

1. VErum Abbatum & Priorum dignitates, non tantum inter viros, ſed etiam inter fœminas eſſe poſſunt, nam & Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, regunt Monaſteria, *Cap. indemnitatibus 43. de elect. in 6* & iuriſdictionem habent, non tantùm in Moniales, & Nonnas ſuas, ſed & in Clericos ſæculares, qui ſunt in Capellis Monaſterio ſubditis, *Cap. dilecta 12. de maior. & obedientia.*

2. Et ea de cauſa, Abbatiſſa Iotrenſis, aliàs *Ioarre* dicitur eſſe caput, & patrona Presbiterorum, & Clericorum Eccleſiæ Iotrenſis, *Cap. dilecta 14. de exceſſ. prœl.* & in vim iuriſdictionis, ab officiis & beneficiis, ſuſpendere poteſt, *d. Cap dilecta de maior. & obed.*

3. Sed & illud idem, nouiſſimè iudicatum in conſiſtorio Regio, in fauorem, & gratiam Abbatiſſæ Fontis-Ebraldi, quæ ſimiliter Clericorum, & Monalium ſui ordinis caput dicitur, in hiſtoria Fontis-Ebraldi, vbi auctor eam ius ſigilli habere teſtatur, quod probat *lib. 3. cap. 8.* ex eo quod refert, ſe inueniſſe veterem cartham excommunicationis, eiuſdem ſigillo vallatam.

4. Et in eo tamen, minor eſt earum iuriſdictio, quàm Abbatum, aut Priorum conuentualium, quod excommunicare nequeant, aut abſoluere, *ibidem & Cap. de Monialibus de ſent. et. excommun.* quia vt patet ex gloſſa d capitulorum excommunicatio, vel abſolutio, pendet ex adminiſtratione Clauium, quæ fœminis, quamtumuis dignitate vel iuriſdictione præditis delatæ non ſunt, aut creditæ.

5. Nec verò obſtat, quod ſuſpenſio, & interdictum, videantur eſſe partes, cenſuræ Eccleſiaſticæ, *Cap. quæri poteſt 20. de verb. ſignif.* nam hoc accipiendum eſt, de ſuſpenſione & interdicto, per quod irregularitas inducitur, vt in *Can. is cui 29. de ſent. excomm.* quam vim non habet ſuſpenſio Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, vt patet ex gloſſa eorumdem capitulorum.

6. Verum illud ità intelligendum niſi accedat Ordinarij, vel Delegati poteſtas, qui cenſura Eccleſiaſtica, cogat Moniales, & Clericos, eis obtemperare, vt in *d. Cap. dilecta de maior. & obed.* & hoc eſt, quod refertur in hiſtoria Fontis-Ebraldi, Cartham excommunicationis, ab Ordinario ſcilicet illatæ, Abbatiſſæ ſigillo fuiſſe vallatam, vt in ſubditos executioni mandaretur.

---

§. VNDECIMVS.

De Decanis.

1. *Progreſſus, & continuatio huius diſputationis.*
2. *Varia Decanorum nomina, & ſignificationes, & quid iure militari ſignificent.*
3. *Quid iure ciuili Decani nomen.*
4. *Decani vndè dicti lecticarij, & copiatæ.*
5. *Decani dicuntur cuiuſque decuriæ duces.*
6. *Decani nomen mutuatum à militia armata, vt pleraque alia.*
7. *Decani dignitatem habere noſcuntur.*
8. *Decani ſucceſſerunt Archipresbiteris.*
9. *Decani rurales & vrbici, quinam ſint.*
10. *Quæ differentia inter Decanos rurales, & vrbicos.*
11. *Coniectura Decanos Archipresbiteris ſucceſſiſſe.*
12. *Decani iuriſdictio ex conſuetudine magis, quàm ex iure.*
13. *Decani iuriſdictionem habent correctionalem, non contentioſam.*
14. *Quandoque ſolum capitulum iuriſdictionem exercet, quo caſu Decanus iuriſdictioni ſubijcitur.*

Digitized by Google

1. HActenus de maioribus dignitatibus dictum eſt, quibus perpetua iuriſdictio cohæret, nunc de aliis, quæ non ſemper iuriſdictionem annexam habent: huiuſmodi ſunt Eccleſiarum ſæcularium Præfecturæ, quas qui adminiſtrant, aliis atque aliis nominibus, vocari ſolent, quandoque enim Decani, quandoque præpoſiti, vel Theſaurarij, vel Priores, appellantur, pro cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine.

2. Decani autem vocabulum, de quo Gregorius *in ſint:agm. l. lib.* 15. *Cap.* 21. & militare eſt, ciuile, & Pontificium, nam in exercitu Decani dicebantur, decem militibus præpoſiti, *Vegetius lib.* 2. *de re militari Cap.* 8. *&* 13. *& Modeſtinus de vocabulis rei militaris* & alij.

3. Sed & iure ciuili Decani appellantur qui deffunctorum lectos ſeu feretrum geſtabant, *Alciatus lib.* 1. *Parergon Cap. vlt. Cuiacius ad Rubricam Codicis de Collegiatis & in tract. de præſcript. Cap.* 8. *Briſſonius in verbo Decani & in verbo copiatæ. Guido Pancirolus ad notit. Imperij Cap.* 24. *idemque Cuiacius in notis ſolemnibus ad leg.* 4. *cod. de ſacroſ. Eccleſ.*

4 Et ex eo eſt quod Lecticarij, Copiatæ, Viſpellones, olim dicti Decani, de quibus fit mentio *in nou* 43. *&* 59. *& l.* 4. *cod. de ſacroſ. Eccleſ. & lege, ſi qua* 22. *de Epiſcop & Cler. l.* 15. *cod. Theod. eod. l.* 1. *Cod. de luſtrali coll.* vbi inter Clericos recenſentur ſicut & apud Epiphanium *lib.* 3. *contrà hæreſes in fine* & hoc ſenſu accipiendum eſt Decanorum vocabulum *in tit. de Decanis lib.* 12. *Cod. & Cod. Theod. eod.*

5. Hos autem Decanos appellatos fuiſſe credo, quod in decurias diuiſi eſſent, qua ratione in hac vrbe Bituricenſi Decennarij dicuntur *Dixenniers*, qui in ſingulas decurias diuiſi, ſingulos habent cuiuſque decuriæ duces, certè in ſacris litteris *exodi.* 18. legimus Moſem Decanos conſtituiſſe, quorum munus in iudicando verſabatur, tandemque obtinuit, eos qui cuilibet corpori ſeu ſodalitio præeſſent, Decanos appellari.

6. Et certè hoc ſenſu primi Eccleſiarum præfecti poſt Epiſcopum, vulgò Decani appellantur, vt *in cap. ex parte de Cler. non reſid.* vt mirum non ſit rei Eccleſiaſticæ ſcriptores à militia armata pleraque vocabula mutuatos ſtationes, vigilias, teſſeras, vexilla, proceſſiones, Decanos, vt & ipſum militiæ nomen, vt obſeruauit Lacerda in aduerſariis ſacris, *cap.* 144. *num.* 39.

7. Verum & ipſum Decanorum nomen & titulum, conſtat nomen eſſe dignitatis, idque ex eo liquet, quod ſæpius ipſis delegari ſolent à ſummo Pontifice cauſarum cognitiones, vt in *cap. cum dilectus* 30. *de elect. cap. ſignificauit de conuerſ. coiug.* conſtat autem vix aliis delegari, quàm iis qui dignitate ſunt præditi, *cap. ſtatutum* §. 1. *de reſcript. in* 6.

8. Sciendum eſt autem Decanos præſertim Eccleſiarum Cathedralium ſucceſſiſſe in locum Archipresbiteri, vt patet ex deciſ. rotæ, *deciſ.* 451. *in nouis*, vnde etiam hæc vocabula promiſcuè accipiuntur, *cap. ad hæc* 7. *de off. archid. can. in capite* 50. *diſtinct. cap. innouamus diſtinct.* 60. & ex epiſtola Damaſi Papæ relata tomo primo Concil. parte 1. conſtat etiam Chorepiſcopis ſucceſſiſſe, cum & ipſis Archipresbiteri ſucceſſerint, vt ſuprà admonuimus.

9. Verum Archipresbiteri ſeu Decani, vel ſunt in ciuitate, *cap. officium de off. Archipresb.* vel in pagis, *cap. vlt. eod. & cap. ad hæc in fine, de off. archid.* & de his accipiendum eſt *cap.* 7. *de cenſ. & cap.* 1. *ne Prælati vices ſuas ſub ann. cenſu conced.*

10. At verò illi dumtaxat qui in ciuitate degunt, ſunt perpetui, hi verò, id eſt rurales ad tempus tantùm conſtituuntur, *d. cap. ad hæc, in fine de off. archid.* illi dignitatem habent, & propterea delegari poſſunt, hi verò, non poſſunt *Clem.* 2. *de reſcriptis* vbi quod dicitur de Officiali foraneo gloſſa trahit ad Decanum ruralem.

11. Quod autem diximus Decanos ciuitatum qui Collegiis Canonicorum præſunt, videri in locum Archipresbiterorum ſucceſſiſſe, hac coniectura nititur, quod nulla Decanorum mentio habetur in decretis Patrum, & ideo gloſſa *in cap. ex parte, de Cler. non reſid.* ait officium Decani ex conſuetudine magis, quàm ex iure deſcendere.

12. Et verò idem dicendum eſt de iuriſdictione, quæ ipſa magis ex conſuetudine, quàm ex iure eſt æſtimanda, vt in ſpecie *capit. dilectis filiis* 55. *de appell.* videre eſt iuriſdictionem Decani Altiſſiodorenſis, cum Epiſcopali certantem, & in *cap. dilecto de ſent. excommun. in* 6. fit mentio Aurelianenſis Decani cenſuram Eccleſiaſticam iure ſuo exercentis.

13. Non omittam tamen dicere, quod ſcribit Hoſtienſis in *d. cap. dilectis* & Coſmas Guim. *in pragm. ſanct. tit. quomodo diuinum off. ſit celebrandum, in fine* in omnibus penè Eccleſiis huius regni, Decanos iuriſdictionem habere in capitulum, quod vbique accipiendum non eſt de contentioſa iuriſdictione, ſed de ea quæ emendationem ſeu correctionem importat, quam vulgò correctionalem vocant Interpretes, *Panormit. in cap. cum contingat de foro compet.*

14. Et tamen aliquando euenit, vt iuriſdictio ſit penes ipſum capitulum, *capit. irrefragabilis* §. *exceſſus de off. archid.* quo caſu Decanus & cæteri Canonici ipſi capitulo ſubijciuntur, ſic

Digitized by Google

capitulum Carnotenſe Decanum ob delictum diariis ſuis ad tempus ſpoliauit, & factum Senatus comprobauit, vt refert Ioann. Papo in collect. Senatuſconſ. *lib.* 1. *tit.* 3. *art.* 4.

§. DVODECIMVS.

De Præpoſitis.

1. *Præpoſitorum Eccleſiæ ſæcularis origo.*
2. *Præpoſiti Eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis, & Carnotenſes dignitatem non habent.*
3. *Quandoque Præpoſiti dignitatem habent.*

1. DEcanis ſubiiciam Præpoſitos, nam & hi vt Decani cæteris præſunt, & nonnumquam in locum Priorum ſæcularium ſucceſſerunt, dum Eccleſia ſæcularis efficitur, *Greg. in ſintagm. iur. lib.* 15. *cap.* 18. & colligitur certius ex *cap. cum tu. de teſtam. cap.* 4. *de poſtulat. prel. cap. dudum* 22. *de elect. & el. pot. & cap. vlt. de conceſſ. preb.*

2. Et tamen in quibuſdam Eccleſiis, ſunt & Decanis inferiores Præpoſiti, *cap. conſtitutus* 46. *de appellat. cap. ex ore. de his quæ fiunt à mai. parte capit.* ſic in Eccleſia ſancti Martini Turonenſis, ſunt quindecim Præpoſiti Decano inferiores, vt refert Chopinus *lib.* 1. *de ſacr. polit. tit.* 6. *num.* 13.

3. Verum hi præpoſiti non habent dignitatem, ſicut nec in Eccleſia Carnotenſi *Innoc. in cap. de multa in verbo, Perſonatus: de preb.* & tamen præpoſitos dignitatem habere conſtar, ex eo quod ſæpius à S. P. delegentur, cauſarum cognitionem ſuſcepturi, vt videre eſt *in cap.* 4. *de appell. cap. vlt. de praſcript. cap. per tuas & cap. cum præſentata, de teſtibus cap. ſignificauit de except. cap vlt. de conceſſ. preb.*

§. DECIMVSTERTIVS.

De Theſaurariis.

1. *Theſaurarij ſacrorum ſacellorum primam dignitatem in Collegio obtinent.*
2. *In Eccleſia Turonenſi, Lingonenſi, & aliis poſtponuntur.*
3. *Theſaurarij Eccleſiarum ſæpius dignitatem habent.*
4. *Theſaurarij Niuernenſis dignitatem habentis inſignia.*

1. QVod dixi de Præpoſitis idem dicendum de Theſauriis, qui nonnumquam primariam in Eccleſia dignitatem obtinent, vt Theſaurarij ſacri Sacelli Pariſienſis, Bituricenſis, Nemoris Vincennarum, propè Lutetiam, Vadi Malnei Cœnomanenſis, & aliorum de quibus Renatus Chopinus *lib.* 1. *de ſacra polit. tit.* 8. *num.* 6. *& lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 19.

2. Verum & aliquando aliis poſtponuntur vt in Eccleſia Turonenſi, & Lingonenſi, ſicut videre eſt in inſcriptione *cap. ex tenore* 2. *de foro compet. apud Greg. & cap. ſignificauit, de conuerſ. Coniugatorum: & apud Vidum Conchilium in hiſtoria Niuernenſium, pag.* 80. vbi dignitatibus Eccleſiæ Niuernenſis eum ordinem ſtatuit, vt primus ſeruetur Decano, ſecundus Archidiacono, tertius Theſaurario.

3. Sed tamen ex præmiſſis illud ſatis apparet hanc eſſe dignitatem Eccleſiaſticam, eo quod ipſis cauſarum cognitio delegari ſoleat, quod confirmat etiam *cap. cum olim Abbas, de officio Legati*, nec enim in ſola vaſorum ſacrorum cuſtodia Theſaurarij munus conſiſtit, vt habetur in epiſtola Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi relata *tomo* 2. *Concil. parte* 2. ſed etiam in honore & præeminentia.

4. Et ea de cauſa Conchilius ibidem teſtatur Theſaurario Niuernenſis Eccleſiæ patere chori ingreſſum etiam, enſe præcincto, & ocreato, aut prædatoria pugno inſidente, & in prærogatiuæ maioris teſtimonium, domeſticorum ſtemmatum atque inſignium fronti & capiti volucrem gladio inſidentem appingere ſolere.

Digitized by Google

§. DECIMVSQVARTVS.

De Abbatibus & Prioribus ſæcularibus.

1. *Abbates & Priores ſæculares quandoque præſunt Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis.*
2. *Eorum exempla quædam in Eccleſiis noſtris.*
3. *Qui præſunt Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis, habent iuriſdictionem correctionalem.*

1. SVnt & aliæ Eccleſiarum præfecturæ quæ Abbatiæ ſæculares vel Prioratus nominantur, & de huiuſmodi Abbatia ſæculari fit mentio *in capit. ex tranſmiſſa, de renunciat.* vbi Hoſtienſis in ſumma, multas eſſe refert huiſmodi Abbatias in Hiſpania.

2. Et in hoc quoque regno, multi ſunt Abbates ſæculares, vt videre eſt apud *Rebuffum in praxi, Renatum Chopinum de ſacra polit. lib.* 1. *tit.* 1 *num.* 17. veluti Claromontanæ Eccleſiæ, ſancti Petri Doratenſis, ſancti Martini Turonenſis, ſancti Sebaſtiani Narbonenſis, Prioratuum verò ſæcularium fit mentio in *Clem.* 1. *§. cæterum de ſtatu Monach.*

3. Porrò hi omnes, de quibus ſupra dictum eſt, Decani videlicet, Præpoſiti, Theſaurarij, Abbates, Priores, & ſi qui ſunt alij, Eccleſiarum ſæcularium Collegiatarum Præfecti, regulariter exiſtimantur habere ius quoddam correctionis, ſeu emendationis in eos, qui Collegiis ſubſunt, vt putà Canonicos, quam doctores iuriſdictionem correctionalem vocant, non etiam contentioſam, qua de re vide Panormitanum *in cap. cum contingat de foro compet.*

§. DECIMVSQVINTVS.

De Archidiaconis.

1. *Progreſſus & ſeries huius diſputationis.*
2. *Archidiaconi Decanis ſubſunt.*
3. *Probatur variis Eccleſiæ decretis Archipresbiteros Archidiaconis ſubeſſe.*
4. *Archidiaconi Archipresbiteris maiores, & inferiores, quomodo.*
5. *Probatur exemplo Abbatis in minoribus ordinibus conſtituti.*
6. *Progreſſus & ſeries huius diſputationis.*
7. *Olim Archidiaconi officium in diſtributione pecuniæ pauperibus facienda, & quamdiu permanſerit.*
8. *Hodiè quæ munera & officia Archidiaconorum.*
9. *Archidiaconi officium pars & iuriſdictionis Epiſcopalis.*
10. *Promoti ad Archidiaconatum debent eſſe Doctores.*
11. *Plura ad dignitatem Archidiaconi aſtruendam referuntur.*
12. *Archidiaconi iuriſdictio tàm ex iure, quàm ex conſuetudine æſtimatur.*
13. *Archidiaconi quandoque iuriſdictionem non habent, nec deſinunt eſſe in dignitate.*
14. *Archidiaconi Pariſienſis & eius Officialis iuriſdictio.*
15. *Ab Archidiacono Pariſienſi & eius Officiali quis appelletur.*
16. *Nota* ad capit. Romana de appellat. in 6.
17. *Decreto magni Conſilij iuriſdictio Archidiaconi Pariſienſis & Carnotenſis expugnata.*
18. *Idem ſtatutum in Pariſienſi, decreto curiæ Pariſienſis.*
19. *Archidiacono Senonenſi ius competit, mittendi Archiepiſcopum & ſuffraganeos in poſſeſſionem.*

Digitized by Google

20. *Ius deportus vtrum Archidiaconis debeatur.*
21. *Seruatum duobus caſibus ius deportus,*
22. *Plures in vna Eccleſia Archidiaconi pro cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine.*

1. DEcanorum mentio ſuo ordine habita me deduxit ad primarias omnes ſæcularium Eccleſiarum præfecturas, Præpoſitorum, Theſaurariorum, Abbatum, ac Priorum, qui omnes dignitate funguntur, ſed quoniam præter illos, alij quoque ſunt dignitatum gradus, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, de ſingulis breuiter dicendum eſt.

2. Et primum ſermonem faciam ab Archidiaconis, quos ſcio Decanis inferiores haberi, tametſi iure Pontificio, Archidiaconi Archipresbiteris præponantur, & Decani exiſtimentur in locum Archipresbiterorum ſucceſſiſſe, vt ſupra diximus, at verò cæteris aliis anteriores, niſi aliud cuiuſque Eccleſiæ conſuetudo ſuadeat, quandoque ipſis Decanis ſiue Archipresbiteris anteriores.

3. Verum enim Archipresbiteros Archidiaconis ſubeſſe, & eorum præceptis, ſicut ipſius Epiſcopi, obedire debere conſtat, ex Concilio *Toletanò* 1. *cap.* 1. *de off. Archipresb. cap. ad hæc de off. Archid. cap. perlectis* §. *Archipresbiter.* 25. *diſtinct.* quin etiam Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus ſcribit, Archipresbiterum ab Archidiacono eligi, & confirmari ab Epiſcopo, vt ex eodem notat *Cuiacius ad cap.* 7. *de præb.* quod prima facie mirum videri poteſt.

4. Et verò cum Presbiteros conſtet maiores eſſe Diaconis, *can. legimus* 93. *diſtinct.* conſequens eſſe videbatur, Archipresbiteros maiores eſſe Archidiaconis, ſed hunc ſcrupulum tollit Hoſtienſis in ſumma, *ad tit. de off. Archid.* diſtinguens ordinem à dignitate, nam etſi reſpectu ordinis, Archipresbiter ſit maior Archidiacono, tamen ratione dignitatis & officij, Archidiaconus maior eſt Archipresbitero.

5. Sed & illud idem Hoſtienſis probat exemplo Abbatis in minoribus ordinibus conſtituti, vt *in capit. tuam in Domino, de ætate & qual.* hic enim ordine minor eſt Presbitero, ſed officio & dignitate ſuperior eſt, eaque ratione diſcordia, quæ primis Eccleſiæ temporibus inter Presbiteros & Diaconos, eorumque principes ſuborta erat, compoſita fuit pluribus Eccleſiæ decretis & Sinodis, quæ referuntur à Nicolao Ianuario Carnotenſi Archidiacono in tractatu *de iure & offic. Arch. cap.* 5. *&* 6.

6. Videamus igitur quæ ſunt partes officij, ac dignitatis Archidiaconi, nam ex his facilè intelligemus, quàm longè cæteris antcſtet, non modo Archipresbiteris vt dixi, ſed etiam Abbatibus ipſis vt quibuſdam viſum eſt, atque etiam inter cæteros Ludouico Gomeſio in *reg. de ann. poſſeſſ. quæſt.* 11. *ſub finem*, citante Panormitanum in *cap. per tuas extra de ſimonia*

7. At verò officium Archidiaconi, verſabatur olim in pecuniæ diſtributione, vt ipſe innuit Cuiacius *ad nou.* 123. qua de cauſa ſeptem Diaconi ab Apoſtolis inſtituti, *Act. cap.* 6. vt menſis præeſſent, quorum Princeps fuit D. Stephanus, qui Archidiaconus dictus eſt, vel Archileuita, vt notat idem Ianuarius in d. tractatu, cuius & officium fuit communem Eccleſiæ pecuniam in pauperes erogare, quod tamdiu obtinuit donec communis Eccleſiæ fiſcus, in partes diuiſus, ſingulorum Miniſtrorum & Presbiterorum adminiſtrationi creditus eſt.

8. Sed & hodiè Archidiaconi munus & officium, maximè verſatur in obeundis vicibus Epiſcopi, in omnibus quæ ad eum pertinent, & in viſitanda Parochia ſeu Diœceſi Epiſcopo ſubiecta tertio quoque anno, ſi illud Epiſcopus implere non poſſit, & in emendandis & corrigendis omnibus, quæ emendationem exigere videbantur, *cap. ad hæc de Offic. Archidiaconi.*

8. Verum etiam illud poſtremò incumbit, in examinandis Clericis, qui ad ordines & beneficia promouendi ſunt, iiſque deinceps Epiſcopo præſentandis, & poſtquam beneficia obtinuerint in corpoream poſſeſſionem mittendis, & inſtituendis, *cap.* 1. 7. *&* 9. *de offic. Archid. cap. vnico, de ſcrut. in ord. fac.* idemque Curam animarum habere dicitur, *cap.* 7. § *inferiora, de elect. & el. poteſt.*

9. Ex his itaque patet officium Archidiaconi, partem eſſe iuriſdictionis Epiſcopalis, & in eo eſſe vt cæteros examinet, & vicarius ſit ipſius Epiſcopi, & eiuſdem oculus eſſe dicatur, *can. Diaconi* 1 *&* 2 *diſtinct.* 93. *d. cap.* 7. *de off. archid.* & Curam Paſtoralem gerat vice Epiſcopi vt legitur in vita ſancti Amandi, eiuſque iuriſdictionem exerceat, *cap.* 7. *de præb. & dign.* adeò vt ab Archidiacono, vel eius vicario, non appelletur Epiſcopus, cuius vices gerit, alioquin idem à ſeipſo appellari videretur, *cap.* 7. *de præb. & dign.*

10. Verum igitur ex his omnibus concludi poteſt, haud ſine ratione Concilio Tridentino

tino, cautum eſſe, vt qui ad hanc dignitatem promouentur, quantum fieri poteſt ſint magiſtri in Theologia, aut Doctores vel Licentiati in iure Canonico, *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 12. quod & ſacris Regum noſtrorum ſanctionibus confirmatum eſt, & maximè edicto anni, 1606. art. 31.

11. Magnam certè Archidiaconi dignitatem, & Epiſcopali paulò inferiorem ex eo liquet, quod Petrus Ludouici Craſſi Francorum Regis filius, in Eccleſia Pariſienſi Archidiaconatum geſſerit, & quod Muletio Antiochiæ Epiſcopo in Eccleſia loquenti, Archidiaconus occurrens manu iniecta os obſtruxerit, vt teſtis eſt *Sozomenus ſacra hiſtoriæ lib.* 4. *cap.* 28. *&* *Nicephorus lib.* 9. *cap.* 48.

12. At verò hodiè Archidiaconi munus, officium, dignitas, iuriſdictio, tàm ex iure quàm ex conſuetudine æſtimari debet, *cap. dilecto. de Offic. Archid. cap. dudum* 54. §. *ſed cum in iure de elect.* vt in cæteris tàm Cathedralium quàm Collegiatarum Eccleſiarum Officiis & dignitatibus obſeruari ſolet.

13. Et ex eo eſt quod in pleriſque Eccleſiis, Archidiaconi nullam habent iuriſdictionem, nullum officium, nec adminiſtrationem, nec tamen deſinunt eſſe dignitates, ſi modo aliqua prerogatiua vtantur, vti de Parmenſi Archidiacono ſcribit *Innocentius IV. in capit. de multa. de præb. in verbo perſonatus*

14. Et tamen alibi iuriſdictionem habent, vt Pariſiis, vbi Archidiaconus non tantùm habet iuriſdictionem, ſed & Officialem ſuum, qui nomine ipſius iuriſdictionem exercet, ſalua tamen Epiſcopi præuentione, vti Senatus iudicauit referente Chopino *lib.* 1. *de ſacra polit. tit.* 8. *num.* 21.

15. Et quamuis ea iuriſdictio tùm Archidiaconi, tùm Officialis, ab Epiſcopali diſtincta eſſet, tamen ab eo appellatur non Epiſcopus Pariſienſis, ſed Archiepiſcopus Senonenſis, *cap. ſignificantibus, de op. nou. num.* licet *in cap. Romana. de appellat. in* 6. Innocentius IV. S. P. in Concilio Generali Lugdunenſi ſtatuerit, ab Archidiaconis ipſos ſuffraganeos quorum iuriſdictioni ſubiiciuntur, prouocandum eſſe, non Metropolitanos.

16. Verum illud in Archidiacono Pariſienſi iure ſpeciali introductum eſt, nec ideo trahendum ad conſequentias, idemque priuilegium Archidiaconis ſuffraganeorum Archiepiſcopi Remenſis indultum, ſubodoratur Innocentius IV. *in d. cap. Romana*, iis verbis, *niſi aliud Remenſi Eccleſiæ de conſuetudine competat in hac parte.*

17. Sed tamen vos admonitos velim, eius quod reſciui à Candidato magni conſilij, ea omnia priuilegia ipſamque iuriſdictionis Eccleſiaſticæ functionem, Archidiaconis Pariſienſi & Carnotenſi, eorumque Officialibus ademptam, Senatuſconſulto eiuſdem conſilij paucis abhinc annis pronuntiato.

18. Sed & aliàs idem ſtatuerat Senatus Pariſienſis, decreto inter Archidiaconos Eccleſiæ Pariſienſis & Epiſcopum, nec non eius Officialem prolato, die 9. Ianuarij anni 1619. quod refertur ab Antonio Furnio Ambianenſe Canonico & Officiali Pariſienſi, in libello qui inſcribitur, iuriſdictionis Epiſcopalis Contentioſæ faſciculus.

19. Sunt & alia iura Archidiaconorum, ſecundùm varias Eccleſiarum conſuetudines, ità Archidiaconus Senonenſis Ius habet, collocandi Archiepiſcopum, & ſuffraganeos eius in ſede Epiſcopali, *Chopinus ibidem, num.* 15. *& ſequent.* de quo in *capit. dilecto. de Offic. Archidiaconi apud Greg.*

20. Cæterum, cum plerique Archidiaconi in hoc regno, vindicarent ſibi vnius anni reditum Curæ vacantis, qu'ils appelloient *droict de Deport ſur les Cures vacantes par mort ou reſignation*, Senatus Pariſienſis frequenter iudicauit, hoc ius nequaquam eis deberi, niſi aut titulo aut longa & approbata conſuetudine inuiterentur.

21. Et tamen illud ius deportus, duobus caſibus ſeruatum animaduertimus; vno, ſi cura ſine fraude litigioſa ſit, & interim Eccleſia Paſtore deſtituatur, altero, ſi is qui curam obtinet, intrà debitum tempus non fuerit ordinatus, qua de re conſule *Chopinum loco ſupradicto, num.* 18. *&* 19. *& Ioan. Paponem in collectione Senatuſconſultorum lib.* 1. *tit.* 11. *art. vlt.* ſed de eo iure, plura dicemus infrà ad verba, cum ſuo reditu, cap. 4. De oneribus & immunitatibus Eccleſiarum.

22. Quinetiam hoc ſcitu dignum eſt, nonnumquam plures eſſe Archidiaconos in vna eademque Eccleſia, vti Cadurci duo ſunt, vt innuit *Greg. in ſintagm. iur. lib* 15. *cap.* 19. *&* 20. & alibi paſſim, vt & in pleriſque aliis, quemadmodum ab Apoſtolis ſeptem Diaconi electi, quorum officium exequuntur, ſed vnus præſtat cæteris & dicitur maior Archidiaconus.

§. DECIMVS-SEXTVS.

De Primicerio.

1. *Series & continuatio tractatus.*
2. *Exploſa opinio eorum qui Primicerium dicunt ex eo quod, primus in libris ceratis inſcribatur.*
3. *Quintini, Briſſonij, & Connani, opinio circa nominis originem expugnata.*
4. *Primus cuiuſque ordinis dicitur Primicerius.*
5. *Quid in iure ciuili Primicerius, & ſecundicerius.*
6. *Primicerius quis in iure Canonico, & quæ munera.*
7. *Primiceriatus eſt dignitas Eccleſiaſtica.*
8. *Probatur decreto Curiæ Pariſienſis.*
9. *Iuriſdictio Primicerij in minores Clericos cantui præpoſitos, & quæ.*
10. *Cantori Eccleſiæ Pariſienſis competit ius inſtituendi Rectores in minoribus ſcholis.*
11. *Quædam alia Primiceriæ dignitatis commendandæ cauſa.*

1. AB Archidiaconis venio ad Primicerios, qui exiſtimantur eſſe idem ac cantores ſeu præcentores, Græcis πρωτοψάλται, ij ſunt qui primum in choro locum obtinent, vndè & Primicerij ſcholæ cantorum appellantur *à Luitprando lib. 6. de rebus per Europam geſtis.*

2. Nec enim exiſtimandum eſt, Primicerij vocabulum compoſitum eſſe, vt quidam ſcripſerunt, vel à ceris, hoc eſt, libris ſeu ceratis tabulis, in quibus olim ſcribi moris erat, vt ſit Primicerius, quaſi ſcripturæ ordine primus, quo exemplo decuriones in albo ſcribi dicuntur eo ordine, quo quiſque honoratior eſt, *l. 1. dig. de albo ſcribendo,* quæ eſt ſententia Gregorij Tholoſani *lib. 15. ſintagm. cap. 22.*

3. Nec etiam ex eo deducendum, vt ſcribit Quintinus *in cap. de multa.* quod primus ceris, id eſt, libris Ritualibus eſſet præpoſitus, nec veriſimile Primicerium in iure Pontificio appellari ex eo quod, primum cereum portaret ante Epiſcopum, vt teſtatur Briſſonius ſe in veteri vocabulario inueniſſe, neque etiam ex eo quod cereum ſigillum litteris apponeret, vt ſolet Cancellarius, quæ fuit opinio Connani *lib. 4. cap. 14.*

4. Verum illud dicendum eſt, Primicerium ſimplex eſſe vocabulum, & productione quadam vocabuli, primum cuiuſque ordinis, & ſcholæ ſignificare, quo ſenſu Auguſtinus diuum Stephanum Primicerium Martyrum vocat, *ſermone 21.* & Baldricus Dolenſium Epiſcopus in hiſtoria Hieruſalem diuum Petrum Primicerium Apoſtolorum: & in ea ſententia eſt Seuerinus Binius in notis ad Concilium *Toletanum 7. in 2. tomo Conciliorum parte 2.*

5. Sic etiam iure ciuili Primicerius, & ſecundicerius, & deinceps reliqui dicuntur, qui primum, vel ſecundum, vel deinceps inferiorem locum obtinent, in vnaquaque ſchola, vt docet Cuiacius *tit. de Primicerio & Secundicerio, l. 1. de Menſoribus l. 1. de Decanis l. 2. de domeſt. & protect. lib. 12. cod.* quibus exemplis & probationibus vtitur Seuerinus Binius ibidem.

6. Primicerius igitur eſt ſcholæ Cantorum caput, de quo eſt titulus *de Offic. Primicer. canon. perlectis §. ad Primicerium 25. diſtinct.* vbi inter cætera officium cantandi, & cura recitandarum lectionum per Clericos, ad eum pertinere dicitur, quod manifeſtius patet ex epiſtola Iſidori Iunioris Hiſpalenſis Epiſcopi ad Leudefridum Epiſcopum Cordubenſem. quam ex veteri manuſcripto refert, idem Binius, vbi miniſtrorum Eccleſiaſticorum officia explicans, non omiſit ipſum primicerij munus.

7. Sed & Cantoris, Præcentoris, Succentoriſque, fit mentio in *Can. Cleros §. Cantor. diſtinct. 21.* & Succentoriæ, in Eccleſia Pictauienſi, veluti dignitatis Eccleſiaſticæ meminit Innocentius III. *cap. inter dilectos de exceſſ. prœl.* idemque Præcentori Lugdunenſi, tanquam dignitatem habenti, cauſæ cognitionem demandat, *cap. cum pro cauſa, de ſentent. excommun.* & iterùm, in *cap. cum acceſſiſſent. de conſtit.* Primiceriatum, dignitatem appellat, quam, ex cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine, æſtimandum eſſe docet, *cap. cum olim 6. de conſuet.*

8. Et verò idem ſtatuit Senatus Pariſienſis poſtremis hiſce diebus *Petro Langlois* Præcentori Eccleſiæ Collegiatæ de Aiis Gillonis in Diœceſi Bituricenſi ius dicens,

Digitized by Google

cui prior & ſodales eiuſdem Eccleſiæ, primum à parte ſiniſtra ſtallum in choro denegabant, in capitulo prioris vocis emiſſionem, & proximè poſt priorem, qui caput eſt Eccleſiæ, eidem enim ſuam dignitatem, & debitum honorem, Senatus addixit, decreto ex litis recitatione à Domino Sainctot Oratore facta, pronunciato die 5. Auguſti anni 1651. cuius ex eo maior mihi notio ſuppetit, quod in lite ſcripſeram, & Præcentori patrocinium præbueram.

9. Sanè in quibuſdam Eccleſiis, coniunctam habet iuriſdictionem, in minores Canonicos, qui cantui ſunt obnoxij, & vt apud Chopinum legitur *lib.* 1 *de ſacr. polit. tit.* 2. *num.* 10. cantor in Eccleſia Pariſienſi, non cenſetur habere iuriſdictionem in Canonicos, ſed ius tantùm referendi ad collegium, de his quæ in choro deliquerunt, nec tamen ex eo concludendum eſt, non habere dignitatem, vt mox de Archidiaconis monebamus.

10. Sed enim quod auget primicerij Pariſienſis dignitatem illud eſt, quod minoribus ſcholis Pariſienſibus præſit, in quibus inſtituit rectores, quod ex eo fluxiſſe auguror, quod notat Georgius Caſſander in poſterioribus Liturgicis, *de ſchola cantorum & primicerio* ſe in libro peruetuſto legiſſe obſeruatum, in quacumque ſchola repertos pueros benè pſallentes, educi ſolitos, & in ſcholam cantorum Eccleſiæ Cathedralis tranſmiſſos, vt inſtituerentur, & poſteà cubicularij eiuſdem fierent.

11. Verùm his addi velim, quæ de auctoritate Cantoris, ſcribit *Oldradus Conſilio* 146. de Cantore Eduenſis Eccleſiæ, cui & tribuit eadem ferè priuilegia, in ſcholis inſtituendis, quæ Præcentori Pariſienſi competerent, & illud addendum habere etiam Clerum Imperatoris, Proto-pſaltem, vt videre eſt apud Curopalatam *de offic. palat. Conſtantinop.* vt hodiè ſacra Sacella Regiis Palatiis adiecta, nec-non etiam Clerus aulicus ſuum præfectum, qui Cantui, in Sacello Regio & aulico exhibendo præſit, qui & archicappellanus dicitur, de qua plura bet Ioann. Fileſacus, *de ſacr. Epiſc. auct. cap.* 9. §. 15.

---

§. DECIMVS-SEPTIMVS.

De Cancellario.

1. *Varia Cancellarij nomina, & ſignificationes.*
2. *Cancellarius dignitatem habere dicitur.*
3. *Scholarum & ſtudiorum commendatio.*

1. NVnc venio ad Cancellarium, qui idem & Bibliothecæ præeſt, vndè & Bibliothecarius, dicitur Cancellarius quod ſigillum Eccleſiæ tenet, *Cuiacius ad titulum vt Eccleſ. Benef. ſine diminut. Conf.* ſcholaſticus ſeu ſcholarcha & magiſter ſcholarum, pro cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine vocari ſolet, veluti in inſcriptione *Cap. penult. & vlt. de transl. Epiſc. & Cap. veniens de reg. & tranſ. ad monaſt.* & ità in hac noſtra Bituricenſi Eccleſia ſcholarum magiſter olim appellabatur, qui nunc Cancellarius dicitur, *Cap. cum Apoſtolica, de his quæ fiunt à prel. ſinè conſenſu capituli.*

2. Cæterum nota huius dignitatis hæc eſt, quod cauſæ eis mandari ſoleant, vt videre eſt in *capit. cum dilecta* 22. *de reſcriptis*: ſcholarum certè & magiſtrorum, qui eis præficerentur, ad erudiendos Clericos, etiam in grammaticis, & liberalibus diſciplinis, magna certè Eccleſiæ cura fuit, nam & Alexandrinæ ſcholæ, & Pantæni, & Didymi, qui eis præfuerunt, meminit *Euſebius lib.* 5. *cap.* 9. *& Ruffinus lib.* 2. *cap.* 7.

3. Et verò pluribus Conciliis cautum atque prouiſum fuit, vt in Eccleſiis Cathedralibus & aliis, Doctores & Magiſtri conſtituerentur, qui eiuſdem pauperes Clericos erudirent gratis, aſſignato eis ſufficienti beneficio, aut beneficij reditu, *can. de quibuſdam* 37. *diſtinct. cap.* 1. *&* 4. *de Magiſt.* & præcipuè Concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *de reformat.* idemque cautum edicto Aurelianenſi *art.* 8. *&* 9. & hoc inſuper additum, vt in ſingulis monaſteriis, vnus magiſter, expenſis Abbatis aut Prioris conſtituatur, ad Nouitios in litteris & bonis moribus informandos art. 20.

Digitized by Google

§. DECIMVS-OCTAVVS.

De Plebanis.

1. *Plebaniæ quid ſint.*
2. *Plebani habent dignitatem, vel ſaltem perſonatum.*
3. *Plebani differunt, à quibuſlibet Eccleſiæ Parochialis rectoribus.*
4. *Legum ſtudium interdictum Plebanis, non verò cæteris Parœciarum rectoribus.*
5. *Quare Plebanis legum ſtudium interdictum.*

1. INter dignitates Eccleſiaſticas, quidam adnumerant Plebanias, ſunt autem Plebaniæ, Eccleſiæ Parrochiales ſub ſe Capellas habentes, in quibus Clerici perpetui, ſiuè Vicarij conſtituantur, *capit. 1. nè Cler. vel Monach. in 6. & ibi gloſſa D. Geminanus & alij Doctores ibidem.*

2. Et certè Plebani inter eos recenſentur, qui perſonatus habent, *d. capit. 1. & capit. vlt. eod apud Greg. & Innoc. 4. ad capit. cum olim de preb. & dignit.* Plebanos æquiparat iis, qui dignitatem aut perſonatum habent, vt & ipſe Boëtius Epo in commentariis *ad cap. ſuper ſpecula, ne Cler. vel Monachi*, vbi tres Paſtorum Parœcialium ſpecies conſtituit.

3. Verumenim maxima ineſt differentia, inter quoſlibet Eccleſiarum Parochialium Rectores, & Plebanos, tametſi eorum quandoque promiſcuus ſit vſus, & communis ſignificatio, in eoque conueniens, quod vtrique curam habeant animarum, namque in eo differunt, quod Plebani, cum cura animarum coniunctam habeant dignitatem, imo & quandoque iuriſdictionem, vt patet ex capp. ſuprà laudatis, quilibet verò alij rectores Parœciarum, in dignitate eſſe non cenſentur.

4. Et illud quidem maximè probatur, ex *d. cap. 1. nè Cler. vel Monachi. in 6.* in quo Bonifacius ſtatutum Honorij III. in cap. ſuper ſpecula eod. tit apud Gregorium interpretans, quo iuris ciuilis ſtudium interdixerat Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpoſitis, & aliis perſonatum habentibus, conſtituit ad cæteros Eccleſiarum Parochialium rectores non extendi, imò & Plebanos, niſi illis ſint Plebaniis Præpoſiti, quæ ſub ſe cappellas habeant.

5. Sed & illud ità ſtatutum obſeruat, gloſſa eiuſdem capituli, vt Plebani & cæteri dignitatem habentes, ſacræ Theologiæ ſtudio facilius vacare poſſent, quod dignitati eorum magis conueniebat, & à qua ediſcenda auocari poſſent, ſi pluribus aliis ſcientiis minus vtilibus operam darent, quas tanquam pediſſequas, & ancillares tantùm colere debent, & quaſi principali Theologiæ & iuris Canonici ſtudio famulantes, vt obſeruat Boëtius Epo. in commentariis *ad cap. 3 nè Cler. vel Monachi.* quod & ſumpſiſſe videtur, ex integriori decretali Honorij 3. ſuper ſpecula, quæ habetur in quinta compilatione eodem titulo.

§. DECIMVS-NONVS.

De Vicariis & Epiſcoporum Officialibus.

1. *Dignitates Eccleſiaſticæ aliæ perpetuæ & intitulatæ, aliæ temporales.*
2. *Vicarij, & Officiales Epiſcoporum, habent dignitatem.*
3. *Principalis Officialis nomine, Officiales, ſiuè iudices Epiſcoporum continentur.*
4. *Sed & eorum Vicarij Generales.*
5. *Vicarij & Officialis nomina, quandoque promiſcua.*
6. *Vicarij & Officiales Epiſcoporum, vtrum reuocari poſſint.*
7. *Sententia Greg. Tholoſ. & Ioan. Bordenauij.*
8. *Differentia inter Officiales, & Epiſcoporum Vicarios Generales.*

9. *Refellitur huius differentiæ aſſertio.*
10. *Officialis Epiſcopi Canonicus, cæteris non præfertur.*
11. *Perſonatus, & dignitatis nomen, plerumque idem ſonant.*
12. *Perſonæ nomen, plerumque rectorem parœciæ ſignificat.*
13. *Perſonæ nomen, quid in Angliá & Gallia noſtra ſignificet.*

1. CÆterum dignitates omnes de quibus ſuprà locuti ſumus, beneficiis cohærent, imò nihil aliud ſunt quàm beneficia, adeóque in titulum conferuntur, & ſunt perpetuæ; aliæ verò ſunt dignitates, quæ in titulum non conferuntur, nec ſunt perpetuæ, vt ſunt Officiales Epiſcoporum & Generales eorum Vicarij.

2. Verumenim cum dubitatum eſſet, an cauſæ eis delegari poſſent à ſummo Pontifice, quæ vix aliis, quàm dignitate præditis, aut perſonatum habentibus committi ſolent, *cap. ſtatutum de reſcript. in* 6. placuit etiam huiuſmodi Officialibus, & Vicariis eas committi *Clem. 2. de reſcriptis.*

3. Namque principalis Officialis vocabulo, ſignificatur ibi, non tantùm is, qui iuriſdictionem contentioſam vice Epiſcopi exercet, quique aliàs miſſus Dominicus appellatur, *cap. 1. de frig. & malef. cap. 2. de reg. & tranſ. ad monaſt.* de cuius Officio agitur *lib. 6. tit.* 13. *de Offic. Vicarij can. in noua.* 16. *quæſt. 7. & cap. vlt.* 93. *diſtinct.*

4. Sed & illud interpretandum venit de Vicario in ſpiritualibus, qui maior eſt ipſo Officiali, tametſi & ipſe Officialis dicatur, *capit. 3. de inſtitut.* quod capitulum dirigitur ad Cantuarienſem Epiſcopum, qui eſt in Anglia, vbi Vicarij Epiſcorum Officiales vocantur, vt notat Cuiacius ad illud cap.

5. Vicarij ergò Epiſcoporum, & Officialis vocabula ſinonima ſunt, vt ſcribit Ioannes Andræas in annotationibus ad ſpeculum, *in rubrica de Offic. Vicarij.* & quandoque vni totum officium mandatur, quandoque verò in partes, iuriſdictio diuiditur, pro more cuiuſque regionis, vt notat *Rebuffus in forma Vicariatus num. 21. & ſequentibus in praxi*, vtcumque ſit, Officiales & Vicarij dignitatem habent, ſi modo non ſint foranei *d. Clem. 2. de reſcript.*

6. Verum hæc dignitas, vt iam adnotauimus, non eſt perpetua, ſed ad nutum Epiſcopi reuocari poteſt, *Rebuffus in forma Vicariatus num* 192. *& ſequenti, & in principio tit. de Vicariis Epiſcoporum in praxi. Panormitanus in capit. de multa, de præb. num.* 23.

7. Et tamen contrarium affirmare videtur, Greg. *Tholoſ. lib.* 15. *ſintagm. iur. cap.* 37. *ſub finem. item Ioannes Bordenauius canonicus & Officialis Leſcarienſis in tractatu qui inſcribitur, forma iuriſdictionum Eccleſiaſticarum cap. 16. num.* 10. vbi notat differentiam quamdam ineſſe, inter Generales Epiſcoporum Vicarios, & Officiales.

8. Sedenim priores liberè, & ad nutum Epiſcoporum reuocari poſſunt, poſteriores verò ne-quaquam, tanquam Officiales ordinarij, & neceſſarij ipſius Epiſcopatus, vt ità dicam, non Epiſcopi, qui nec ſuam iuriſdictionem, ipſemet exercere poteſt, ſaltem contentioſam, ſed interpoſitis Officialibus, qui vice eorum fungantur, cum Vicarij Generales liberè conſtituantur, & ad nutum Epiſcopi, qui voluntariam ſolus implere poteſt iuriſdictionem.

9. Hanc tamen differentiam expungit Simon Oliuæus Senator Tholoſanus, in deciſ. eiuſdem Senatus ab eodem editis & additionibus *ad cap.* 37. *lib.* 1. quod confirmat decreto eiuſdem curiæ conuocatis Claſſibus prolato; & auctoritate *gloſſæ in verbo per electionem in Clem. 2. de reſcript. item & Hoſtienſis in ſumma de Offic. Vicarij verſiculo, ſed numquid*, vbi ait in huiuſmodi deſtitutione, conſenſum capituli minimè requiri, idque moribus receptum eſſe.

10. Et ex eo ſequitur, quòd licet hæc dignitas, Canonico ſit collata, tamen neque in choro, neque in capitulo, antiquioribus Canonicis præferendus erit, *Rebuffus in forma Vicariatus num.* 28. tametſi cum vices gerit Epiſcopi tùm præferri debeat, *cap. vlt.* 93. *diſtinct.* nec quod dictum eſt in præcedenti capite, de pluribus dignitatibus abſque diſpenſatione non tenendis, ad hanc dignitatem trahi poterit, vt notat Panorm. *in cap. de multa num.* 23. *de præb. Quintinus ad idem capit.*

11. Et hæc quidem de dignitatibus dicta ſufficiant, quo nomine etiam perſonatus intelligo, nam hæc duo vocabula, ſæpius, vocis tantùm ſono differunt, & loquendi conſuetudine magis quàm reipſa diſtinguntur; *in cap. de multa de præb.* idem tamen plerumque ſignificat, vt conſtat *ex capit. cum acceſſiſſent, de conſtit.* vbi primiceriatus nunc dignitas, nunc perſonatus appellatur *& ex cap. ad aures de reſcript. & cap. dudum* 54. *de elect.*

Digitized by Google

12. At verò rectè dixi plerumque, quoniam perſona, quibuſdam in locis rectorem, ſeu Curionem Parrochialis Eccleſiæ ſignificat, *cap. 7. de iure patron. cap. audita de reſtit. ſpol. cap. perſonas ac appell. cap. ad audientiam de Eccleſ. ædif. cap. ex parte 12. de reſcript. cap. conſtitutus de filiis presbit.*

13. Verum hæc conſuetudo loquendi, familiaris eſt in Anglia, vt obſeruat Innocentius 4. *in d. cap. de multa. Coſmas Guimierius in pragm. ſanct. §. in Eccleſiis, in verbo perſona. de collat. Choppinus lib. 3. de ſacr. polit. tit. 6. num. 20. & tit. 3. num. 28.* quin etiam in Gallia hoc vocabulum eodem ſenſu vſurpatum teſtatur Vrbanus II. in *can. quæſitum 1. quæſt. 3.* quod deſumptum ex Concilio Claromontano in Aruernia.

---

§. VIGESIMVS.

De cæteris Officiis, & adminiſtrationibus Clericis commiſſis, ſiuè in perpetuum, ſiuè ad tempus.

1. *Officij, adminiſtrationis, dignitatis, & perſonatus verba promiſcua.*
2. *Admininiſtrationum aliæ perpetuæ, quæ beneficiis cohærent, aliæ temporales.*
3. *Quid ſit intitulari officia, & adminiſtrationes.*
4. *Adminiſtratio temporalis, non eſt beneficium.*
5. *Reprobata pluralitas in dignitatibus, locum habet in Officiis, & adminiſtrationibus perpetuis.*
6. *Quædam differentiæ ratio inter dignitates, & Officia.*
7. *Dignitates & officia æſtimantur, pro cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine.*
8. *Turonenſes, & Carnotenſes Præpoſiti, item Parmenſes Archidiaconi an ſint in dignitate.*
9. *Quæ in quibuſdam Eccleſiis dicuntur officia, in aliis habentur pro dignitatibus.*

1. Dignitatibus autem, & perſonatibus, vt plurimùm adduntur officia, & adminiſtrationes, veluti *in cap. 1. de conſuet. in 6. & in capit. execrabilis, de præb. in extrauag. commun.* & ſicut perſonatum diximus, modò ſignificare dignitatem, modò Parochialem Eccleſiam, ità officium nunc pró dignitate ſumitur, vt *in cap. vlt. 93. diſtinct. cap. ad hæc de præb. & cap. dudum 22. de elect.*

2. Nunc vero pro adminiſtratione ſumitur, quæ cohæret beneficio abſque dignitate, & præeminentia, vt in quibuſdam Eccleſiis, nonnulli vocantur Eleemoſinarij, Veſtiarij, Camerarij, Sacriſtæ, ab officio quod gerunt, ſicut Cellarij, Theſaurarij, ſeu κειμηλιάρχαι, Infirmarii, Cuſtodes, Oeconomi, quæ vt dixi beneficio cohærent perpetuo.

3. Et ex eo eſt, quod etiam intitulari dicantur, & hoc ſenſu, rectè gloſſa interpretatur officij vocabulum, *in Clement. 1. §. ad hæc de ſtatu Monach.* & eadem in *d. capit. execrabilis in verbo, perſonatus.* vbi ex rei iudicatæ auctoritate docet idem eſſe officium & adminiſtrationem in Eccleſia Tholoſana & Pictanenſi.

4. Quod ſi officium vel adminiſtratio non ſint perpetua, nec beneficiis cohæreant, ſed ad tempus concedi ſoleant, vt in quibuſdam Eccleſiis, vnus ex Canonicis præficitur operariæ, cuius etiam magiſter appellatur *Maiſtre de l'Oeuure*, poſt quem deinceps aliis eadem cura committitur, hoc non dicitur beneficium, cum beneficia ſint perpetua, hoc eſt ad vitam eorum quibus conceduntur, vt oſtendam infrà in verbis definitionis *ad vitam*, &c. & idem dicendum de Scindico, Quæſtore, & aliis ſimilibus.

5. Cæterùm quod diximus ſuprà, dignitatibus, & perſonatibus Eccleſiaſticis, plerumque adiungi officia, adminiſtrationes, ſeu officia perpetua, eo pertinet, vt intelligamus, idem ferè de omnibus eſſe ſtatuendum, itaquè, quod diximus duobus præcedentibus capitibus, de reprobata pluralitate beneficiorum dignitatem habentium; locum habet etiam in officiis, ſeu adminiſtrationibus perpetuis, *d. cap. 1. de conſuet. in 6. & d. cap. execrabilis de præb. in extrauag. commun.*

6. Et rectè illud *ferè* adiunximus, quia illud proprium eſt dignitatum, & perſonatuum, vt eis cauſæ à ſede Apoſtolica committi poſſint, *cap. ſtatutum 11. de reſcript. & ibi gloſſa in verbo, dignitatem*: quod tamen non ſemper obtinet in officiis, & adminiſtratio-

Digitized by Google

nibus etiam perpetuis; licet Quintinus in commentariis *ad cap. de multa. de præb. pag.* 16. *num.* 20. exiſtimet quæcumque de dignitatibus dicuntur & de officiis perpetuis dici poſſe quacumque in re.

7. Sed nequemquam tituli, ſeu nomina, vel etiam miniſteria dignitatum, atque etiam officiorum decipiant, generaliter tenendum eſt, vnius cuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem præ omnibus eſſe ſpectandam, vt eatenùs quiſque dicatur habere dignitatem, vel officium, quatenùs reputatur eſſe in officio, vel dignitate, vt in hoc verè dici poſſit plus eſſe in opinione, quàm in rei veritate, quod omnes interpretes vno ſimul ore pronunciant, auctoritate *cap. cum olim. de conſuet.*

8. Sed & huius rei probandæ cauſa, exemplum affert Innocentius IV. *in capit. de multa, de præb.* de Præpoſitis Eccleſiæ Turonenſis, & Carnotenſis, qui licet officia quædam dignitatis exequantur, tamen non reputantur eſſe dignitates, & è contrario Archidiaconus Pariſienſis licet hodiè nullum officium exequatur, tamen dignitas reputatur.

9. Et inde etiam illud eſt, quòd officia quæ in quibuſdam Eccleſiis appellantur, in aliis vocantur dignitates, vt de Camerario ſancti Pauli, Obedientiario ſancti Iuſti, & Sacriſtæ ſancti Nazarij, ſcribit *Papo 3. notar. tit. de diſpenſ. ratione ætatis*, rurſus in Eccleſia Ambianenſi, Pœnitentiarius dignitatem habere dicitur, quam alibi non habet.

---

§. VIGESIMVS-PRIMVS.

De Beneficiis Curam animarum habentibus.

1. *Progreſſus & ſucceſſio huius tractatus.*
2. *Beneficiorum alia ſunt cum dignitate & cura, alia cum ſimplici cura.*
3. *Cura animarum pro correctione morum quandoque accipitur.*
4. *Archidiaconus, & Archipresbiter, quomodo curam animarum habere dicuntur.*
5. *Quid ſit cura animarum ſpecialiter ſumpta.*
6. *Explicatur quid ſit hæc cura animarum.*
7. *Quæ partes curæ animarum ſpecialiter ſumptæ.*
8. *Quomodo cura parochialis dicatur beneficium.*
9. *Quæ conditiones requirantur, vt quis dicatur habere beneficium, cum cura.*
10. *Num Prædicatores, & Minores, dicantur habere curam animarum.*
11. *An cui certa paroecia commiſſa eſt, deſinit habere curam animarum, ſi paroeciani eſſe deſierint.*
12. *Ratio dubiæ faciendæ huius quæſtionis redditur.*
13. *Curam animarum habere in aliqua paroecia, non deſinit, ſi parrochiani deſinant.*
14. *Epiſcopi portatiles qui dicantur.*
15. *Pluralitatis beneficiorum condemnatio, non extenditur ad portatiles Epiſcopatus.*
16. *Portatilium Epiſcopatuum mentio fieri debet, in impetrationibus beneficiorum.*
17. *Diuiſio paroeciarum quando-nam facta.*
18. *Fines paroeciarum impreſcriptibiles.*
19. *Modus paroeciarum, & quæ cauſæ vniendarum.*
20. *Quæ cauſæ diuidendarum paroeciarum.*
21. *Quæ cauſę nouę Eccleſię, in ſubſidium veteris inſtituendæ.*
22. *In quibus noua Eccleſia matrici ſubiiciatur.*
23. *Honor matrici debitus olim in ſcrutinio, baptiſmo, & capitulo conſtitutus.*
24. *Impugnatur opinio nouam Eccleſiam matrici ſubiiciens, & tentatur Eccleſias ſoli Cathedrali ſubiacere.*
25. *Nota* ad capit. his qui. de maior. & obed.
26. *Honor matrici debitus ex conſuetudine magis, quàm ex iure.*

Digitized by Google

27. *Honoris matrici Eccleſiæ debiti taxatio, pendet ab arbitrio Epiſcopi.*
28. *Decretum curię Pariſienſis confirmans debitum honoris matrici Eccleſiæ.*
29. *Parochiâ in duas diuiſâ ſi ſingulis ſui Rectores præficiantur, præſtationes diuiduntur.*
30. *Vbi nouę Eccleſiæ Vicarius tantùm præficitur, oblationes matrici debitę remanent.*
31. *Quid dicendum de decimis, vbi ſingulis Eccleſiis proprius ſacerdos præficitur.*
32. *Quid vbi Vicarius perpetuus præficitur.*
33. *Quid de oblationibus, vbi diuiſę parœcię.*
34. *Oblationes Parochialibus Eccleſiis debitę, ad alias transferri nequeunt.*
35. *Intra parœcię fines quęcumque oblationes factę, debentur rectori.*
36. *Decretum curię Pariſienſis probatorium, & quidnam iuris hodiè.*
37. *Vbi noua Eccleſia intra limites parœcię extruenda, conſenſus rectoris requiritur.*
38. *Quando inuito & reluctante fieri poſsit.*

1. INitio huius capitis diuiſionem beneficiorum trimembrem propoſuimus, & diximus alia eſſe cum dignitate, ſeu officio, atque adminiſtratione, alia cum cura animarum, alia verò ſimplicia. De priori ſpecie ſatis ſuperque dictum eſt, nunc ad ſecundam venio, quæ complectitur ea beneficia, quæ ſine dignitate, curam animarum annexam habent.

2. Verumenim illud adnotandum eſt, quod dicitur ſine dignitate, quia pleraque ex his quæ ſuprà enumerauimus, habent dignitatem, & curam animarum ſimul, vt Epiſcopatus, Archidiaconatus, Plebaniæ, & plures alij gradus, ſed honore & dignitate diſtinguntur ab aliis, quæ in ſola & ſimplici cura conſiſtunt, quod vt facilius intelligatur.

3. Sciendum eſt curam animarum dupliciter accipi, quandoque enim accipitur pro iuriſdictione contentioſa, & iure quodam correctionis, quod conſiſtit in viſitando, inquirendo, puniendo, excommunicando, abſoluendo, & ſimilibus quæ morum correctionem ſpectant.

4. Et hoc ſenſu curam animarum habere dicitur Archidiaconus, Archipresbiter, & quidam Eccleſiarum Collegiatarum præfecti, *cap. dudum* 54. §. *ſed cum in iure de elect. cap. execrabilis* §. *penult. de præb. in extrauag. commun. cap.* 1. *de offic. archid. & cap.* 1 *de offic. archipresb. cap. cum ab Eccleſiarum, & cap irrefragabili, de off. ordin.* & de hac cura animarum non agitur hoc loco, quoniam dignitati cohæret, de qua dictum eſt ſuprà.

5. Quandoque verò cura animarum ſtrictè ac ſimpliciter ſumitur, pro poteſtate ligandi, & ſoluendi, quæ pertinet ad forum pœnitentiale, & hæc non poteſt eſſe penès alium, quàm Sacerdotem, *can. in noua* 21. *diſtinct.* itaque ratione ordinis competit, non ratione beneficij, & vt Philoſophi dicunt, in habitu magis, quàm in actu conſiſtit, neque enim ſacerdos, hanc poteſtatem exercere poteſt, niſi in eos, qui ſpecialiter ei commiſſi fuerunt.

6. Et eo quidem caſu, quo hæc poteſtas in plebem aliquam ſpecialiter data, propriè dicitur eſſe cura animarum, quoniam is cui data eſt, reuerà eam exercet in ſibi ſubditos, quam non habent qui curam animarum exercent quidem, ſed non in plebem ſibi ſpecialiter creditam, & ſuæ iuriſdictioni pœnitentiali ſubmiſſam.

7. Sed & huius curæ partes & munia ſunt, confeſſiones audire, pœnitentiam iniungere, & abſoluere, excommunicare, Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare, prædicare, ac proponere verbum Dei, & miſſas diebus Dominicis & Feſtiuis celebrare, *cap. omnis vtriuſque de pœnit. & remiſſ. Clement. dudum* §. *verum de ſepult. cap.* 2. *de Parochiis.*

8. At verò cum hæc cura, cum miniſterio & officio Eccleſiaſtico, coniunctam habeat redituum, putà decimarum, & oblationum perceptionem, idcircò beneficium eſſe dicitur, ex definitione propoſita ſub initium huius tractatus, non verò ſimplex miniſterium, vt patet in eo, qui ad Presbiteratus ordinem abſolutè, nec relatiuè ad Eccleſiam (vt dicitur *in can. ſanctorum* 70 *diſtinct.*) abſquè titulo, & reditu Eccleſiaſtico promotus fuerit, quod manifeſtius euincemus ad verba definitionis, *quædam & cum ſuo reditu.*

9. Vt ergò quis dicatur habere beneficium cum cura, duo ſunt neceſſaria, primum vt ſit ſacerdos, id eſt, habeat poteſtatem ligandi, & ſoluendi; alterum vt plebs regenda ei commiſſa ſit, aliquando tamen etiam non Presbiteris, huiuſmodi beneficia committuntur, quo caſu intrà annum, ad ſacerdotium promouendi ſunt, *can. licet canon & canone commiſſa de elect. in* 6.

10. Et

Digitized by Google

10. Et verò illud adeò neceſſarium eſt, plebem ei commiſſam eſſe, id eſt, Eccleſiam, ſeu parochiam, vt fratres Prædicatores, & minores, licet ea quæ ſunt fori pœnitentialis exercere poſſint, *ex d. Clem. dudum. §. ſtatuimus, de ſepult.* tamen non dicuntur habere curam animarum, quia poteſtatem aliquam non exercent in ſibi ſubditos, cum ipſi aliis, nec alij ipſis in foro pœnitentiali ſint aſtricti, vt docet gloſſa ***d. Clem. dudum §. ſtatuimus** in verbo, impendant.*

11. Hinc & illa quæſtio de qua *Quintinus ad capit. de multa de præb. pag. 25. num. 1. & Staphilæus in tractatu de litteris gratiæ tit. de qualit. benef. quæ ſunt cur. num. 2. & 3.* an is cui cura animarum in certa parochia commiſſa eſt, deſinat eam habere, ſi caſu fortuito, veluti peſtis, aut belli, parochiani in ea eſſe deſierint, aut alio fortè migrauerint æde ipſa vt plerumque accidit omninò deſtructa.

12. Et quidem in hac quæſtione cauſa dubitandi fuerit, quod vt in iure ciuili loca capta ab hoſtibus deſinunt religioſa, aut ſacra eſſe, *lege cum loca 36. dig. de relig. & ſumpt. fun.* non etiam ea quæ diruta ſunt, *lege ædes dig. de contrah. empt.* ità parochia & cura animarum ibi deſinat eſſe, vbi nulli remanent parochiani in quos exerceatur.

13. Verumtamen alia eſt ratio curæ animarum, quam quis in certa parochia habet, nam etſi parochiani in ea eſſe deſierint, tamen non deſinit curam animarum habere; tametſi interim non exerceat, ſicuti poteſt eſſe Epiſcopus, licet nullius Eccleſiæ ſit Epiſcopus, *cap. 2. verſ. ſicut, de transl. Epiſcop. & cap. 1. de ordin. ab epiſc. **qui renuunt. Epiſcop.***

14. Neque ab his longè diſtant, Epiſcopi vulgò portatiles appellati, quod nulli prouinciæ addicti, facilè huc & illuc portentur; tametſi exterarum regionum, quæ ab infidelibus occupatæ ſunt, titulos præ ſe ferant, vndè oſtentionales dici poſſint, & titulares, vulgò appellantur vt in Sinodo Tridentina, *ſeſſ. 14. de reform. cap. 2.* quod more cuiuſdam militiæ à Claudio inſtitutæ apud Suetonium, *abſentes titulo tenus fungantur.*

15. Et verò ad hos Epiſcopatus, aut parochias, quorum Epiſcopi, aut Rectores, nullam actu gerunt curam animarum, non exiſtimantur pertinere iura, pluralitatem beneficiorum prohibentia, de quibus præcedenti capite dictum eſt, vt docet *Quintinus in cap. de multa de præb. & dign.*

16. Et quamquam non ſint incompatibilia, vt tradit *Hoſtienſis in capit. quia nonnulli. de Cler. non reſid. & Ioan. Andræas in cap. licet canon. de elect. in 6.* tamen illorum mentio fieri debet in impetratione, ad vitandum ſubreptionis vitium, vt notat *Staphilæus in tract. de litt. grat. tit. de qualit. benef. quæ ſunt curata, num. 2. & 3.*

17. Cæterùm primus omnium Dioniſius ſummus Pontifex, qui Eccleſiam rexit circà annum 270. vel ſecundum alios Euariſtus, qui gubernandæ Eccleſiæ præfuit circà annum 212. parochias & cœmiteria diuiſere, & ſingulis Presbiteris eas aſſignauere, iuſſis ſuis finibus eſſe contentos, *can. 1. 13. quæſt 1. cap. paſtoralis de his quæ fiunt à præl. ſine conſ.*

18. Et ea cauſa fines illi & termini, quibus vnaquæque parochia circumſcribitur, ſunt impræſcriptibiles, *in cap. ſuper eo. de parochiis*, nec intrà eoſdem terminos, duæ parochiæ eſſe poſſunt, *cap. plures 16. quæſt 1.* tametſi ex cauſa poſſit Epiſcopus, parochiam in duas diuidere, vel duas in vnam coniungere, *can. præcipuus 16. quæſt. 1.*

19. Verumenim cum Concilio Toletano, modus vnius cuiuſque paroeciæ, ità definitus ſit, vt non minus quàm decem mancipia habeat, ſic dicta, quia ius quoddam ſpiritualis dominij Rectori in ea competit, ſi fortè minor fuerit numerus quàm decem, parochia alteri coniungenda eſt, *can. vnio §. finali. 10. quæſt 3.*

20. Et quemadmodum inopia hominum facit, vt vnæ parochia alteri iungatur, ità multitudo nonnumquam in cauſa eſt, vt vna eademque parochia, in plures diuidatur, *canon. præcipuus 16. quæſtion* 1. argumento *canon. nulli 99. diſtinctione & ibi gloſſa.*

21. Sed & aliquando diſtantia locorum, diuidendæ paroeciæ cauſam præbet, vt ſi non poſſint paroeciani, ſine difficultate in Eccleſiam paroecialem conuenire, ſed & nouæ Eccleſiæ in ſubſidium veteris inſtituendæ, *cap. ad audientiam 3. de ædif vel rep. Eccleſ.* cuius rei exemplum exſtat, in capitularibus Caroli Calui *in Sinodo Tholoſana, capite 7.*

22. Sed & illud obſeruandum, quod cum accidit, nouam Eccleſiam in ſubſidium veteris inſtitui, matrici Eccleſiæ, honor pro facultate loci ſeruandus eſt, *d. capit. ad audientiam* quis autem ſit ille honos, qui matrici Eccleſiæ exhiberi debet, non conſtat inter Doctores, niſi fortè ſit cenſus aliquis modicus, pro facultate nouæ Eccleſiæ, veteri & matrici ſoluendus, in argumentum ſubiectionis, vt habetur *in cap. omnis anima de cenſ. cap. conſtitutus, de relig. dom.* idque ſignari aiunt in ***d. cap. ad audientiam*** his verbis *pro facultate loci.*

Digitized by Google

23. Nec etiam omittendum, honorem illum conſiſtere poſſe, in ſcrutinio, cathechiſmo, baptiſmo, & capitulo, ad matricem Eccleſiam pertinente argumento *cap. dilectus, de cap. monach.* vbi dicitur *Eccl ſia quæ in aliena parrochia ſita eſt* de iure communi *in prædictis ei ſubiacere.*

24. Verùm, vt notant interpretes ad illud capitulum, hoc dicebatur ab vna parte in eo capituli articulo; quod facti narrationem continebat, non iuris diſpoſitionem, nec ideò veritate aut iuris æquitate nititur, cum nulla Eccleſia de iure communi alij quàm Cathedrali ſubiiciatur, niſi hoc ſpecialiter probatum fuerit.

25. Nec verò obſtat *cap. his qui, de maior. & obed.* cuius ſpecies eſt in titulo Cardinalis, cum enim Cardinales in Eccleſiis ſibi ſubiectis, iura Epiſcopalia habere exiſtimentur, meritò pro Cathedralibus reputari debent, & ſic prædicti capituli diſpoſitio, non debet trahi ad conſequentias, vt dicitur in *lege 14. & ſequenti dig. de legibus, & cap. 28. de reg. iur. in 6.*

26. Nunc ergò dicamus, honorem illum matrici Eccleſiæ debitum, nullo iure definitum eſſe, ſed ex conſuetudine potiùs æſtimandum eſſe, aut ſaltem arbitrio Epiſcopi relinquendum, exemplo ſint capellæ, quas Epiſcopus Pariſienſis anno Domini 1568. conſtituit, in tribus parochiis, ſancti Benedicti, ſancti Hypoliti, ſancti Medardi, ad auxilium & ſuccurſum illarum paroeciarum, *ce ſont Egliſes ſuccurſales ou annexes des Parroiſſes.*

27. Sed enim cum vicarios nouis Eccleſiis regendis conſtituiſſet, qui matrici Eccleſiæ nullum honorem deferebant, iuſſit Epiſcopus, vt in feſto Dedicationis matricem Eccleſiam inuiſere tenerentur, & alia onera inferre, quæ honorem matrici Eccleſiæ debitum notarent.

28. At cum matricis Eccleſiæ Rectores, à ſententia appellaſſent abuſus titulo, maiorem honorem repoſcentes, Senatus pronuntiauit, vicarium illum annuis quatuor inſignioribus feſtis, matricem Eccleſiam adire oportere, parochianos verò aliis inſuper diebus eamdem frequentare, & in Paſchate ibidem Euchariſtiam ſumere, & certum Vectigal in annos ſingulos ſoluere, *Chop. de ſacr polit. lib. 3. tit. 3. num. 29.*

29. Verum equidem, meo iudicio, multùm intereſt, vtrum parochia in duas ità diuiſa ſit, vt ſingulis ſui Rectores, & parochi ſint conſtituti, quo caſu, noua Eccleſia à iure prioris abſoluitur, *can. præcipimus 16. quæſt. 1.* niſi fortè matrix Eccleſia, de ſuis redditibus aliquid contulerit, ad fundationem nouæ, quo caſu habet ius patronatus, *d. cap. ad audientiam. Molin. in notis ad cap. eam te, in gloſſa verbi pendeant, ibi Prælatum eſſe vtriuſque, de æt. qualit.*

30. At verò ſi vicarius tantum in noua parochia conſtitutus ſit, vt ſuperioribus exemplis, eo caſu matrix Eccleſia à qua noua dependet, omnia ferè iura retinet, temporalia ſcilicet, vt dicam infrà, & ſecundum hanc diſtinctionem iudicari oportet de decimis.

31. Nam ex quo duæ ſunt parochiæ diſtinctæ, quamuis vna ſit antiquior alterâ, tamen ſingulæ intrà ſuos limites decimas percipere poſſunt, nam cum decimæ ad Eccleſiam parochialem iure communi pertineant, *cap. cum contingat, & ſequenti, de decimis*: conſequens eſt, vt ſi vna parochia in duas diuiſa ſit, & vtrique proprius ſacerdos ſit conſtitutus, ad vtramque etiam decimæ pertineant, quod probari videtur in *d. capit. ad audientiam de ædif. & repar. Eccleſ.*

32. Verum ſi vna ſit parochia, & intrà limites eius capella ſit ædificata, quæ non ſit parochia per ſe, id eſt, non habeat proprium ſacerdotem, ſed vicarium perpetuum tantum, tunc dicendum eſt, ad parochialem Eccleſiam decimas pertinere, non ad capellam, quæ parochia diſtincta non eſt, ſed auxiliatrix Eccleſia tantùm in qua per vicarium perpetuum deſeruitur, & ſic explicandus *can. Eccleſiæ, & duo ſequentes 16. quæſt. 1.*

33. Quod dico de decimis prædiorum, idem locum habet in aliis obuentionibus ſpiritualibus, veluti oblationibus, quæ, parochiâ diuiſâ, diuiſæ eſſe intelliguntur, *d. cap. ad audientiam*, aliàs ad primarium ſacerdotem pertinent, non ad vicarium perpetuum.

34. Namque obuentiones parochiis debitæ, ad alias Eccleſias transferri nequeunt, *d. can. Eccleſiæ & ſequenti, cap. Paſtoralis de his quæ fiunt à præl. vbi Panormit. & idem in capit. cum contingas num. 8. de decimis, & cap. ad audientiam, num. 14. & in rubrica de parochiis.*

35. Sed enim in his omnibus locis generaliter ſtatuitur, omnes oblationes quæ fiunt intrà limites parochiæ, ſiuè fiant capellis, ſiuè antè imagines vbicumque depictas, ſiuè ſacrum facientibus in aliena parochia, ad Rectorem parochiæ pertinere.

Digitized by Google

36. Et ea ratione pro Canonicis ſancti Germani Pariſiis, tanquam primariis Rectoribus iudicatum fuit in Senatu Pariſienſi, aduerſùs Renatum Benedictum, Vicarium eorum perpetuum, in Eccleſia ſancti Euſtachij, vt refert Chopinus *lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num.* 25. ſed hodiè alio iure vtuntur diuiſis parochiis, & ſingulis ſuis rectoribus inſtitutis.

37. De diuiſione Parochiarum, & earum iure in Cappellas ſibi ſubiectas, quas auxiliatrices Eccleſias appellare poſſumus, ſatis ſuperque dictum eſt, nec quicquam addi velim, niſi hoc tantum, Rectoris primarij conſenſum exigi, in noua Eccleſia intrà limites eius extruenda, *d. cap ad audientiam, & cap. ſicut vnire de exceſſ. præl.*

38. Attamen non conſentiente & renitente rectore, poteſt Epiſcopus ex iuſta cauſa iſtud facere, *d. capit. ad audientiam, in fine, de ædif. & repar. Eccleſ* ſicut in vnionibus beneficiorum obſeruatur, cum proprium & ſpeciale rectoris parochialis commodum, Eccleſiæ vtilitati cedere debeat.

---

§. VIGESIMVS-SECVNDVS.

De Vicariis perpetuis.

1. *Rectorum quidem ſunt primarij, quidam Vicarij perpetui.*
2. *Quid plebanus, & quomodo efficiatur.*
3. *Quibus caſibus vicarij perpetui conſtituantur.*
4. *Quibus ſeruatis, vicarius perpetuus canonicè inſtitutus dicatur.*
5. *Alius caſus inſtituendi Vicarium perpetuum.*
6. *Vndè Vicarij perpetui dicantur.*
7. *Qui ſunt Vicarij temporales, & quibus caſibus conſtituantur.*
8. *In Parochialibus Eccleſiis, perſonaliter reſidendum, & deſeruiendum.*
9. *Non valet conſuetudo reſidendi in paroecijs per Vicarium.*
10. *Priuilegia Cathedralium Eccleſiarum, quibus venia datur reſidendi in cæteris.*
11. *Improbatur diſpenſatio aſſiduitatis Cathedralium Eccleſiarum Canonicis conceſſa, maximè in Eccleſiis parochialibus.*
12. *Decretum curiæ Pariſienſis hanc diſpenſationem condemnans.*
13. *Quibus caſibus liceat abeſſe, & per Vicarium reſidere.*
14. *Quibus caſibus, inſtituantur Vicarij perpetui, vel temporales.*
15. *Differentiæ inter Vicarios perpetuos, & temporales, quoad reuocationem.*
16. *Altera differentiæ ratio circa incompatibilitatem.*
17. *Vicarius perpetuus ſuo nomine deſeruit, & Curam animarum exercet.*
18. *Vicariæ perpetuæ in titulum conferuntur, non temporales.*
19. *Altera differentia circà inſtituendi modum.*
20. *Vicarij perpetui in titulum, non in commendam conferuntur.*
21. *Vicarij perpetui alios ſimiles ſubrogare non poſſunt.*
22. *Quis ex primario Rectore, & Vicario perpetuo, Curam animarum habere dicatur.*
23. *Quando primarij Rectores dicantur, Curam animarum habere in Vicariis perpetuis.*
24. *Beneficium ſimplex cui parochialis cura annexa, remanet ſimplex.*
25. *Vbi primarius Rector ſpiritualem iuriſdictionem non exercet in Eccleſia dependente, non dicitur habere curam animarum.*
26. *Rector primarius inuito Vicario perpetuo, non poteſt in Vicaria perpetua exercere ea, quæ ſunt fori pœnitentialis.*
27. *Probatur morte Vicarij perpetui vacare beneficium.*
28. *Enumerantur iura, quæ remanent penès primarium Rectorem.*

Digitized by Google

29. *Remanet plerumque & ipſum ius patronatus.*
30. *Temporalia omnia remanent penès primarium Rectorem.*
31. *Primarius Rector bona temporalia Vicariæ perpetuę vindicare ſolet.*
32. *Quid ſeruandum vbi parochia vnita menſæ, vel pleno iure pertinet.*
33. *Iura temporalia tunc reſident penès primarium Rectorem.*
34. *Vbi menſæ annexa Eccleſia parochialis, omnia iura parochialia tranſeunt in eum, qui menſę præeſt.*
35. *Quid in temporalibus ſeruandum ſit.*
36. *Quid ſit pleno iure ſubiici Eccleſiam.*
37. *Vbi Parochialis Eccleſia exſtructa in Monaſterio, ſed ab eo diſtincta, cura animarum remanet penès Capellanum.*
38. *Regulares Parochialibus Eccleſiis præfecti, Sinodo intereſſe debent.*
39. *Regalia locum habet in Prioratibus Curatis, dum per Vicarium perpetuum exercetur cura.*

1. CÆterum ex ſupradictis apparet, eſſe quoſdam primarios Eccleſiarum Rectores, alios verò Vicarios eorum perpetuos, quod non tantum accidit eo modo, quem ſuprà diximus, videlicet cum in auxilium & ſuccurſum matricis Eccleſiæ, quæ multitudine plebis abundat, alia de nouo ædificatur, in qua Vicarius perpetuus conſtituitur.

2. Et quidem illud aduertendum eſt, nouæ Eccleſiæ inſtitutione facta, primarium Rectorem plebanum effici, eſt enim plebania Eccleſia Parochialis, ſub ſe capellas habens, in quibus Vicarij perpetui conſtituantur, *cap. 1. ne cler. vel mon. in 6. & ibi gloſſa Geminianus*, & alij iuris canonici interpretes, de quibus ſuprà plenius diximus, in proprio & ſpeciali articulo.

3. Sed & alio modo Vicarij perpetui fiunt, veluti cum cuidam beneficio non parochiali, nimirum dignitati, vel præbandæ, parochialis Eccleſia annexa eſt, tunc enim ei qui dignitatem vel præbendam habet, permittitur in maiori Eccleſia deſeruire, in ipſa verò parochiali Eccleſia, Vicarium perpetuum canonicè inſtitutum habere, & de his Vicariis eſt *cap. extirpanda. §. qui verò de preb. & dign.*

4. Tunc verò vicarij perpetui canonicè inſtituti dicuntur cum à primario illius Eccleſiæ rectore, ſiuè ad præſentationem ipſius, ex Epiſcopi conſenſu, atque auctoritate conſtituti ſunt, namque primarij Rectores, ſæpius ſibi ius Patronatus in Vicariis perpetuis retinuerunt, vt patet ex *cap. extirpanda §. finali, de preb. cap. 3. §. in Eccleſiis de priuileg. cap. 2. de ſupp. neglig. prel.* quo innixi Clericos Epiſcopis præſentant, Regendis Eccleſiis in perpetuum inſtituendos.

5. Sed & altero modo Vicarij perpetui conſtituuntur, videlicet vbi Eccleſiæ parochiales monaſteriis vnitæ ſunt, tunc enim cum monachi ſuis clauſtris, & monaſteriis incluſi, & profeſſioni regulari addicti, curæ animarum exercendæ ſubeſſe non poſſint, Vicarios perpetuos inſtituere ſolent, qui Curiales functiones obeant, & eorum vices ſuſcipiant, *cap. 1. de cap. monach. cap. de monachis, de preb. cap. 1. eod. in 6. cap. vnico de cap. monach. in 6*

6. Perpetui autem appellantur, quia ſinè culpa quæ beneficij ademptionem inducat, remoueri non poſſunt, neque ab ipſo Rectore primario, neque ab eo, qui ei ſucceſſerit in eodem beneficio, *cap. ad hæc 3. de off. vic. cap. vnico. de cap. monach. in 6.* atque ità ſunt neceſſarij magis quàm voluntarij.

7. Verumenim alij ſunt Vicarij temporales, ſic dicti, quia ad tempus tantùm ex iuſta cauſa conſtituuntur, veluti ad ſeptennium, quod Rectoribus Eccleſiarum ſtudiorum cauſa datum eſt, intrà quod non tenentur ad Sacerdotium promoueri, *cap. cum ex eo 34. §. porrò de elect.* & de his Vicariis temporalibus, loquitur Ioannes XXII. *in extrauag. execrabilis, in fine, de preb.* & eorum aliud exemplum præbet, *cap. beneficium de regul. in 6.*

8. At verò extrà hos caſus, ſinè iuſta cauſa non licet ei, qui parochialem Eccleſiam habet, per Vicarium deſeruire, *d. cap. extirpanda §. qui verò de prel. cap. licet canon. de elect. in 6.* nec conductitiis Presbiteris Eccleſiam committere, *cap. penult. & vlt. 21. quæſt. 2. cap. quoniam 3. ne prel. vices ſuas*, tametſi fructus, & obuentiones Eccleſiaſticas locare licitum ſit, quo caſu omnes interpretantur, *cap. vlt. eod. tit.* cui congruit *Clem. 1. de exceſſ. prel. §. quidam etiam.*

Digitized by Google

9. Et hæc adeò vera ſunt, vt in contrarium conſuetudo non valeat, de regenda per Vicarium parochiali Eccleſia, vt docet *Panormit. in cap. extirpandæ §. qui vero de præb. Rebuffus in praxi*, cum enim ad regimem Eccleſiarum, perſonæ induſtria ſit electa, & hoc regimen dicatur eſſe, ars artium, *cap. penult. de æt. & qualit.* conſequens eſt alteri permitti non poſſe, argumento *cap. vltim. §. is autem de off. & pot. iud. deleg. & capit. is cui 12. eod. in 6.*

10. Et quidem illud eò proceſſit, vt quamuis pluribus Cathedralibus Eccleſiis, id indultum ſit à ſummis Pontificibus beneficium ſiue priuilegium, vt earum canonici & ſodales, officio in illis exhibendo aſſidui, à ſtatione in cæteris eiuſdem Diœceſis Eccleſiis excuſentur, quod huic noſtræ Bituricenſi Eccleſiæ conceſſum priuilegium, nuperrimè à Senatu firmatum diximus, *in cap. 2.* huius tractatus *de reſidentia.*

11. Attamen illud quotidiè improbatur ab eodem Senatu, dum agitur de regimine Eccleſiarum parochialium, quæ ab ipſis Rectoribus, quamuis canonicis Eccleſiarum Cathedralium aſſiduis & præſentibus, adminiſtrandæ veniunt, poſthabitô qualicumque priuilegio.

12. Namque illud idem decreuit Senatus, in publicis cauſarum actionibus, 27. Ianuarij, anni 1632. in cauſa quæ publicè agitata eſt, in catalogo cauſarum Siluanectenſium, inter Canonicum Eccleſiæ Siluanectenſis, & capitulum prouocans abuſus titulo, à decreto Siluanectenſis Epiſcopi, quo Canonico prouocanti aſſiduitatem in ſua parochia iniunxerat, & eumdem Epiſcopum, cui intimata fuerat appellatio, dum malè & ſinè grauamine prouocatum, pronunciauit Senatus.

13. Nec tamen dubitari oportet, poſſe Epiſcopum, ex cauſa gratiam reſidentiæ ad tempus facere, non etiam in perpetuum, *cap. licet canon. de elect. in 6.* quo caſu ipſius eſt Vicarium conſtituere, niſi fortè modico tempore abſuturus ſit Rector, tunc enim ipſe ſibi Vicarium conſtituere poteſt, argumento *cap. ſi quis in Clero. 7. quæſt.* 1. & ità ſcribit *Panormitanus in d. capit. extirpandæ §. qui verò num. 2. & in repetitione eiuſdem num. 12.*

14. Verum ex ſuperioribus patet, eos qui parochiales Eccleſias habent, per ſe non per Vicarios, aut conductitios ſacerdotes eas regere debere, niſi parochialis Eccleſia, in duas diuiſa ſit, & noua matrici Eccleſiæ ſubiecta, vel niſi maiori beneficio, vt putà dignitati, vel præbendæ ſit annexa, *cap. extirpandæ §. qui verò de præb. & dig.* namque his & ſimilibus caſibus, Vicarium perpetuum in ea conſtituere oportet, interdum etiam temporalem, veluti ſi iuſta de cauſa rector ſit abſuturus, vt docui ſuprà.

14. Verum & eo caſu, ſolent Vicarij ab Epiſcopo, litteras impetrare, quibus vice abſentis Eccleſia regenda committitur, aut etiam præſens rector coadiutorem, qui vulgò Vicarius appellatur, vnum vel plures eligit, per quos munus ſuum facilius exequatur, quod ſummè probandum eſt, & hi non habent neceſſe litteras regiminis impetrare, vt docet, *Rebuffus in diſpenſ. de non reſid. num.* 51.

15. Perpetui autem Vicarij in hoc differunt, à temporalibus, quod illi remoueri nequeunt vt ſuprà dictum eſt, temporales autem poſſunt, ad nutum & voluntatem conſtituentis reuocari, niſi ad tempus conſtituti, quo caſu antè tempus reuocari nequeunt, aut niſi ab Epiſcopo fuerint approbati, tunc enim moribus huius regni receptum eſt, vt antè annum reuocantes, id quod intereſt ſoluere debeant, vt docet Rebuffus loco ſupradicto num. 18.

16. Item Vicariæ temporales non ſunt incompatibiles, cum alio beneficio, Curam aut dignitatem annexam habente, ſicut vicariæ perpetuæ, *Clement. Vnica de off. vic.* & ratio eſt, quia cura animarum, non eſt penès vicarium temporalem, qui non ſuo, ſed alieno nomine deſeruit, quique non videtur eſſe alius ab ipſo rectore *extrauag. execrabilis Ioann. XXII. §. penult. de præb.*

17. Vicarius ergò perpetuus, ſuo nomine deſeruit, nam principalis & primarius rector, eſt quodam modo imaginarius, quantùm ad miniſterium & curam animarum, vt dicetur infrà, & ideò morte ipſius vicarij perpetui, Eccleſia vacare dicitur, vt docet *Staphilaus tit. de qualit. benef. quæ ſunt cur. num. 9. &* 10. non verò morte primarij rectoris.

18. Et ſanè vicariæ temporales non ſunt beneficia, nec conferuntur in titulum, vt ſcribit *Rebuffus in diſpenſat. de non reſid. num.* 15. *& diſpenſatione ætatis in verbo vel eorum vicariæ perpetuæ*, ſicut vicariæ perpetuæ, quæ beneficiis adſcribuntur, *cap. poſtulaſti, de reſcript. cap. conſtitutus de filiis presb.* & in iis locum habent iura, quæ de Eccleſiis curam animarum habentibus conſtituta ſunt, *cap. vlt. de off. vic. Clem.* 1. *eod.*

17. Eſt & illa differentia, quod perpetui vicarij ab Epiſcopo ſunt inſtituendi, *cap. 1. de cap. monach. capit. ad hæc, de off. vicarij capit. cum & plantare §. in Eccleſiis, de priuilegiis,*

Digitized by Google

vicarij verò temporales, conſtitui poſſunt ab ipſo rectore, præcipuè ad modicum tempus.

20. Nec quiſquam ſibi perſuadeat, vicarios perpetuos eſſe commendatarios, nam vt dixi in titulum conſtituuntur, ſicut rectores ipſi, & poſſunt non eſſe ſacerdotes tempore inſtitutionis, dummodo intrà annum curent ſe ad ſacerdotium promoueri, *d. cap. vlt. & Clem.* 1. cum tamen commendatarij, debeant eſſe ſacerdotes, nec vltrà ſemeſtre tempus, commendæ extendantur, *cap. nemo deinceps, de elect. & elect. poteſt. in 6.*

21. Et in ſumma non video, quid interſit inter rectores parochialium Eccleſiarum, & vicarios perpetuos, niſi quod vicarij alios vicarios ſubſtituere nequeunt, vt rectores ipſi *cap. clericos de off. vic.* nec enim perpetuos ſibi ſubrogare poſſunt, nec alios præterquam ad modicum tempus, vt fieri ſolet teſte *Panormit. ibidem & Greg. Tholoſ. in partit. iur. can. lib. 5 tit. 2. cap 3. in principio & in ſcholiis litt. b.*

22. Cum ergò vicarij perpetui, nihil aut parùm differant, ab aliis parochialium Eccleſiarum rectoribus, videamus ſaltem quantum differant à prælatis ipſis, ſeu primitiuis curionibus, quorum perpetuas vices gerunt, quo pertinet & illa quæſtio tàm ſæpè vexata, quinam ex his habere dicantur curam animarum, de qua ſic ſentio.

23. Et in primis obſeruandum eſt, multùm intereſſe, vtrum beneficiarij quibus Eccleſiæ parochiales ſunt annexæ, ſpiritualem iuriſdictionem in eis habeant, necne, vt puta ius viſitandi, & ſimilia, priore caſu, poſſunt videri curam animarum habere, non tamen principaliter, vt diximus ſuprà de pluralitate beneficiorum capite precedenti.

24. Et ideò ſi beneficium fuerit ſimplex, eique parochialis Eccleſia annexa, in qua iuriſdictionem ſpiritualem beneficiarius habeat, quia non habet, principaliter, non prohibetur aliud beneficium, cui cura animarum ſuperemineat, cum illo retinere, *cap. ſuper eo. de præb in 6.*

25. Quod ſi beneficiarius, à quo parochialis Eccleſia dependet, nullam in ea iuriſdictionem habeat, nulla ratione videri poteſt, curam animarum habere, vt manifeſtè probat *d. cap. execrabilis §. penult. de præb. in extrauag. Ioannis 22.* niſi dixeris, penès ipſum, curam animarum reſidere habitu, non actu, ſic enim vulgò diſtingui ſolet.

26. Sed hoc pro conſtanti habetur, non poſſe illum actus fori pœnitentiarii exercere, inuito vicario perpetuo, in quibus maximè cura animarum elucet, vt teſtatur *Quintinus ad cap. de multa pag. 39. Rebuff. de vicariis perpetuis, num. primo* quod videtur probari *d. cap. extirpandæ §. qui vero*, dum dicit *in maiori beneficio eum deſeruire debere & in Eccleſia parochiali vicarium perpetuum conſtituere.*

27. At verò ex his apparet, planè diſtincta eſſe vtriuſque miniſteria, vt mirum non ſit, morte vicarii perpetui Eccleſiam vacare, quaſi proprio paſtore deſtitutam, licet principalis, & primarius rector ſit ſuperſtes, *Staphilæus tit. de qualit. benefic. quæ ſunt curata num. 9. &* 10. cui videtur contraria gloſſa *in cap. ad hæc, de off. vicarij in verbo, Epiſcopi.*

28. Non nego tamen, quin alia quædam ſpiritualia iura, vel ſaltem mixta penès ipſum eſſe poſſint, ex conceſſione, fundatione, vel conſuetudine, vt ſpiritalis iuriſdictio, *d. cap. ſuper eo.* quæ & ipſa cura animarum quandoque appellatur, vt ſuprà diximus.

29. Sed & illud, vt plurimum remanet penès primarium rectorem, ius patronatus, ſeu præſentationis, nimirum vt maioris beneficii rector, poſſit vicarios perpetuos, in Eccleſia parochiali inſtituendos, Epiſcopo præſentare, *cap. de monachis, & cap. in Lateranenſi, de præb. cap. 1. eod. in 6. cap vnico de cap. mon. in 6.*

30. Sanè quod attinet ad iura temporalia, ea eſſe conſtat, penès rectorem maioris beneficii, qui prouentus omnes Eccleſiaſticos, ad Eccleſiam parrochialem pertinentes, percipere poteſt, ſeruata vicario perpetuo, congrua portione, ex qua ſeipſum ſuſtentare, & onera Eccleſiaſtica ſuſtinere valeat, *cap. 3. de off. vicarij d. cap. de monachis & cap. extirpandæ §. qui verò cap. expoſuiſti. de præb. & cap. 7. eod. in 6.*

31. Ex eo ſequitur, rectorem maioris beneficii, res & iura Eccleſiæ, tanquam ad ſe pertinentia vindicare ſolere, vt ſentit *gloſſa & Panorm. in d. capit. expoſuiſti* quamquam vicarius perpetuus, pro redditibus ſibi aſſignatis, non prohibetur agere, *cap. perpetuus & ibi Panormit. de fide inſtrum.*

32. Et hæc ita ſe habent, cum præbendæ vel alii beneficio, parochialis Eccleſia ſimpliciter annexa eſt, ſecùs cum annexa eſt menſæ, vel pleno iure ad aliam Eccleſiam pertinet, vel in ipſo monaſterio eſt Eccleſia parochialis, ab eo diſtincta, hæc enim inter ſe plurimum diſtant.

Digitized by Google

33. Namque priore illo caſu, cum menſæ annexa eſt, ſpiritualia & temporalia iura, tranſeunt in eum, cuius menſæ annexa eſt, vel qui menſæ præeſt, vt ipſe tanquam verus & ſolus Rector Eccleſiæ, vicarium temporalem tantum, non perpetuum conſtituere poſſit, quo defuncto Eccleſia non vacat, *Clem. vnica §. præmiſſa & ibi gloſſa de ſuppl. neglig. præl. Clem. 1. de reſcript. Rebuffus in praxi, tit. de vic. perpet. num. 6. 7. & 8. Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap. 20. num. 15.*

34. Poſteriore autem caſu, cum pleno iure, vel vtroque iure, Eccleſia parochialis alteri ſubiecta eſt, hoc eo pertinet, vt in ſpiritualibus & temporalibus ei ſubſit, ſcilicet vt maioris Eccleſiæ Prælatus, in Eccleſia ſibi ſubiecta, propria auctoritate Rectorem inſtituere, & deſtituere poſſit, quod tum demum contingit, cùm Eccleſiæ ſunt exemptæ à iure Epiſcopali, *cap. quoniam de priuileg. & gloſſa, in d. §. quidam etiam.*

35. Sed & in temporalibus illud obſeruari ſolet, vt poſſit exigere rationem de illis, exemplo patronorum Eccleſiaſticorum, *capit. cum & plantare, §. in Eccleſiis, eod tit. & cap. cum in Lateranenſi, de præb.* non etiam vt fructus, & prouentus Eccleſiaſticos, in ſuos vſus conuertere poſſit; & ſic vnus eſt caſus, quo inconſulto Epiſcopo, Paſtorem Eccleſiæ parochiali præficere licet.

36. At verò quid ſignificetur his verbis, *pleno iure* explicat *gloſſa in d. Clem. vnica, §. quidam etiam, & Panormit. in d. cap. in Lateranenſi num. 4. & in cap. Paſtoralis & cap. quoniam de priuileg. gloſſa in cap. cum plantare §. in Eccleſiis, in verbo pleno iure, & ibi Molinæus* quæ omnia omittimus, ne iam acta agere videamur.

37. Cum autem in monaſterio eſt Eccleſia parochialis ab eo diſtincta, tunc cura animarum non eſt penès monaſterium, ſed penès capellanum, quem de conſilio Monachorum inſtituerit Epiſcopus, *cap. 1. de cap. monach.* vbi nihil de reditibus ſtatuitur, ideoque videndum hoc caſu, quid ex fundatione, vel ex conceſſione, vel conſuetudine, circà temporalia ſeruari oporteat, *gloſſa in capit. de monachis, de præb. & Panormit. ibidem ſub finem.*

38. Sanè multùm intereſt ſcire, an monachi vel Abbates, curam animarum exerceant per ſe, an non, nam primo caſu, tenentur venire ad Sinodum, alio verò nequaquam *Panormitanus in capit. ſuper his, de maior. & obed. Chopin. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num. 9. & 17.* ſi tamen exempti, perſonaliter intereſſe non debent vt obſeruauit *Ioannes Lomedeus in tract. exempt. Eccleſ. cap. 6. num. 3.*

39. Sed & illud aduertendum, quod ſi ipſi Abbates, vel Priores, & Monachi verè ſint Curiones, & Curam animarum exerceant, ceſſare ſolent in illis regaliæ iura, quæ tamen locum habent, ſi fortè curam animarum, per vicarios perpetuos exerceant, *idem Chopinus lib. 1. de ſacr. polit. tit. 7. num. 19.* de quibus infrà plenius agemus.

---

§. VIGESIMVS-TERTIVS.

De Rectorum inſtitutione, & deſtitutione.

1. *Series & progreſſus huius diſputationis.*
2. *Inſtitutio vel deſtitutio Rectoris paroeciæ, iure communi pertinet ad Epiſcopum.*
3. *Exceptiones huius regulæ proponuntur.*
4. *Vnicuique rectori vna Eccleſia parochialis committenda, ſinè diminutione regenda.*
5. *Probatur ſacris Londinenſis & Oxonienſis Concilij ſanctionibus.*
6. *Probatur & nouiſſimo Curiæ Pariſienſis decreto.*
7. *Exponitur pars deciſa huius decreti.*
8. *Ità nec vni plures committi debent paroeciæ.*
9. *Quandoque vnus pluribus paroeciis præficitur, & quibus caſibus.*
10. *Vbi regimen Eccleſiarum Parochialium, Monaſterio vel Collegio commiſſum eſt, non ſcinditur cura animarum.*
11. *In his Eccleſiis non habet locum conſtitutio, de promouendis intrà annum ad Sacerdotium Rectoribus.*

12. *In Eccleſia ſancti Mederici duobus Præpoſitis Rectoribus, non ſcindebatur Cura in ſingulis, ſed remanebat penès Collegium.*
13. *Hodiè Rectoribus ſancti Mederici, omnimodam animarum curam adiudicauit Senatus.*
14. *Proponitur pars deciſa huius decreti.*
15. *Nec tamen diuiſit curam animarum.*
16. *Quid ſeruetur in vicario temporali vel perpetuo.*

1. HActenus dictum eſt de parochialibus Eccleſiis, & earum diuiſione, & modis quibus aliæ aliis ſubiiciuntur, vndè rectorum diuiſio in principales, ſeu primitiuos vt vocant, & vicarios perpetuos, nunc dicendum de eorum inſtitutione, & deſtitutione, qualitate, officio, ac iure: quod ad primum attinet.

2. Sciendum eſt generaliter inſtitutionem, ac deſtitutionem eorum, ad Epiſcopi officium pertinere, *cap. cum ex iniuncto. in fine de hæret. cap. 1. de cap. monach. & cap. vnico eodem in 6. can. omnes & ſequenti 16. quæſt. 7. & can. multis 16. quæſt. 1.* cum enim inſtitutio ſpiritalis ſit, & miſſionem quamdam Apoſtolicam contineat, Epiſcoporum curæ incumbit, quibus in ſpiritualibus; & animarum cura inſtituti ſubiiciuntur, *can. ſanè 16. quæſt. 2.*

3. Sed tamen illud ità obſeruatur, niſi fortè Eccleſiæ, pleno iure ad monaſterium pertineant, aut ad aliam Eccleſiam, quæ à iuriſdictione Epiſcopali ſit exempta, vt ſuprà diximus, aut niſi ex conſuetudine, inſtitutio illa vel deſtitutio ſpectet ad Archidiaconum, vel Archipresbiterum, *cap. ſuper eo. & ibi gloſſa, de off. ind. deleg* quæ tamen, vtrique inſtituendi facultatem, non aliter competere teſtatur, quàm ſi ab Epiſcopo ſpecialiter conceſſa fuerit.

4. Priuſquam verò de qualitate dicamus, hoc obiter notandum eſt, vnicuique Eccleſiæ parochiali, vnum eſſe Rectorem præficiendum, non plures, *can. ſicut vna 21. quæſt. 1. capit. cum non ignores de præb. & dignit. cap. quoniam in pleriſque de offic. ordinarij.*

5. Sed & illud manifeſtius probatur, quodam Oxonienſi Concilio, relato *tomo 3. concil. parte 2* argumento ducto à corporali matrimonio, cum Eccleſia in plures vt ſcortum diuidi non debeat, nec multorum amplexibus frequenter ancillari, quod & repetitur in quadam collatione conſtitutionum Anglicanarum, cura & ſtudio Guilelmi Lyndevoode Cantuarienſis Officialis edita, quæ prouinciale Eccleſiæ Anglicanæ dicitur, *tit. de præb. & ibi gloſſa* ab eodem auctore adiecta, & Concilium Londinenſe apud Mathæum Paridem ad annum 1237. quod exſtat in eod. *tomo Concil. Biniana editionis parte 2.*

6. Et ex eo eſt, quod cùm antiquitùs duorum patronorum, ſiuè collatorum, eiuſdem beneficij collationem vindicantium prætextu, parochialis Eccleſia ſancti Iacobi Ambianenſis, duobus regenda commiſſa fuiſſet, & ſucceſſu temporis factum, vt altero Rectorum decedente, vni ſoli cura animarum, auctoritate capituli Ambianenſis credita fuiſſet, vnionem ſiuè potius alterius portionis extinctionem, quamuis non canonicè, nec Epiſcopi Ambianenſis auctoritate accedente, factam, Senatus Pariſ. comprobauit.

7. Namque decreto in publicis cauſarum actionibus pronunciato, die iouis 11. Aprilis anni 1652. Gabrielem *Rongeault* qui litteras collatitias extinctæ portionis, in curia Romana impetrauerat, & firmandarum cauſa ab vnionis executione tanquam ab abuſu prouocauerat, patrocinio Angeli *de Maſſac* ſuffultum, à petitione ſubmouit in poſſeſſione vnitarum portionum, Iacobum *Auiſſe*, cui Michael *Langlois* aderat, quietum fore pronuncians, Audemaro Talæo Aduocato Regio, vnioni quamuis non Canonicæ, propter diuiſionis incommoda, quæ ſæpius diſcordias parit, ſuffragium præbente.

8. Et ſimiliter plures Eccleſias, non vni, ſed pluribus committendas eſſe conſtat, *can. vnio § ſed hoc neceſſarium 10. quæſt. 3.* idque Dionyſius ille, qui parochias primus diuiſiſſe dicitur, ſe obſeruaſſe teſtatur, cum ſingulos Rectores, ſingulis parœciis præficiens, quoſque ſuis finibus iuſſit eſſe contentos.

9. Verum illud quandoquè accidere poteſt, vt duæ Eccleſiæ propter penuriam populi, & earum vicinitatem, ſimul vniantur, & vtrique vnus tantùm Rector præficiatur, *can. & temporis 16. quæſt. 1.* quod pluribus modis fieri poteſt, de quibus infrà dicemus, ad verba definitionis, *quadam, cap. 3. de prohibita benefic. vnione.*

10. Ex diuerſo autem poteſt, vnius Eccleſiæ regimen, eſſe penès aliquod monaſterium, collegium, aut capitulum, quo caſu dici non poteſt, plures eſſe rectores, cum cura animarum

animarum, non ſit penès ſingulos; ſed penès ipſum monaſterium, collegium, aut capitulum, vt ſolet dici de iuriſdictione ad capitulum pertinente, *cap. irrefragabili §. exceſſus, de off. iud. ordin leg. ſicut §. 1. quod cuiuſque vniverſ.*

11. Et inde fluxit quod in huiuſmodi Eccleſiis, collegiatis ſimul & parochialibus, non habet locum Pontificia conſtitutio, quæ iubet rectores paroeciarum, intrà annum ad ſacerdotium promoueri, nam qui illis collegiis præſunt, non habent curam animarum, ſed capitulum ipſum., *cap. ſtatutum 22. de elect. in 6.*

12. Et ideò ſi capitulum duobus eamdem curam commiſerit, vt ſolebat aliàs in Eccleſia ſancti Mederici Pariſienſis, quod & notat *Chopinus lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num 24.* & ſi vterque confeſſiones audiat, & cætera rectorum munia exequatur, neuter tamen futurus eſt rector, licet enim habeant exercitium curæ animarum, tamen ipſa cura eſt penès collegium.

13. Sed tamen hodiè aliud obſeruatur in eadem Eccleſia, licet capitulum ab ipſa duorum rectorum inſtitutione, curam animarum rectoribus tanquam vicariis perpetuis tantùm demandaſſe teſtaretur, ipſomet capitulo primario rectore permanente, & probaret decreto à Ludouico Seguierio decano Eccleſiæ Pariſienſis, & Petro *Ruelle* cantore eiuſdem Eccleſiæ, nec-non aliis iudicibus à capitulo Pariſienſi demandatis pronunciato, in fauorem capituli dictæ Eccleſiæ ſancti Mederici, contrà eiuſdem rectores die 23. Sept. anni 1597.

14. Verum enim cum rectores dictæ Eccleſiæ, ab eodem decreto tanquam ab abuſu ad Senatum Pariſienſem prouocaſſent, in eo, poteſtate ſua abuſos iudices pronunciatum eſt; ipſiſque rectoribus omnimodam curam ab initio competiſſe declaratum fuit, decreto ex litis recitatione interpoſito, die 10. Iunij anni 1617. litigantibus iiſdem rectoribus ex vna parte, & canonicis eiuſdem Eccleſiæ ex altera.

15. Nec tamen ex eo concludendum eſt, curam animarum diuidi, nam vel in priori caſu tota remanet penès collegium, vel poſteriori ſingulis rectoribus in ſolidum competit, alteruis tamen vicibus exercenda, vt probatur exemplo ſeruitutum *in lege, via 17. dig. ſ. ruit.* vel iuris patronatùs, quod pluribus fundatoris heredibus, in ſolidum competit, vt infrà dicemus.

16. Sed & illud idem accidit, ſi vicario ad tempus demandata ſit cura animarum, tota enim remanet penès committentem, verum ſi in perpetuum cuilibet demendata fuerit, is videtur eſſe proprius ſacerdos, & ità ſenſit *Innocentius in capit. cum non ignores de præb. & Staphilæus in litteris gratiæ tit. de qualit. beneſ. quæ ſunt curata, & Rebuff. de non promotis intrà annum, num. 64. & ſeq.*

§. VIGESIMVS-QVARTVS.

De qualitate Rectorum inſtituendorum.

1. *Qui præficitur Parochiali Eccleſiæ, debet vel eſſe Sacerdos, vel intrà annum ad Sacerdotium promoueri.*
2. *In Collegiatis Eccleſiis quamuis Parochialibus, non incumbit neceſſitas promotionis ad Sacerdotium intrà annum.*
3. *Debet præficiendus Parochiæ 25. annos attigiſſe, nec Ordinarij poſſunt circà defectum diſpenſare.*
4. *Tentatur ordinarios diſpenſare poſſe, circà ætatis deffectum.*
5. *Promouendi ad Parochiales Eccleſias, debent ſcientiâ abundare.*
6. *An Parochiales Eccleſiæ Monachis committi poſſint.*
7. *Probatur Parochiales Eccleſias Monachis committi poſſe.*
8. *Monachi Parochialibus Eccleſiis præfecti, ſoli morari non debent.*
9. *An idem ſtatuendum in Canonicis regularibus.*
10. *Quæ differentia inter Monachos, & Canonicos regulares.*

Digitized by Google

1. CÆterum quod attinet ad qualitates eorum, qui parochiales Eccleſias habent, monui iam ſuprà in primis exigi, vt ſint ſacerdotes, vel ſaltem intrà annum ad ſacerdotium promoueantur, niſi ſtudiorum cauſa excuſati fuerint ad ſeptennium, quod ab Epiſcopo fieri poteſt, *cap. cum in cunctis § inferiora, de elect. & el. poteſt. cap. licet canon. §. 15. etiam & cap. cum ex eo. eod. in 6.*

2. Et tamen excipio collegiatas ſimul & parochiales Eccleſias, *d. cap. ſtatutum eod.* multo magis illas, quæ non ſunt parochiales, licet parochiæ eis annexæ ſint, cum enim per vicarios perpetuos regantur, ipſæ non cenſentur habere curam animarum, vt docui ſuprà *ex cap. execrabilis §. penult. in extrauag. Ioan. XXII.* vndè illis præpoſiti, non tenentur intrà annum, ad ſacerdotium promoueri.

3. Secundò requiritur in iis, qui parochiales Eccleſias regunt, vt 25. annos agant *d. cap. cum in cunctis §. inferiora, & d. cap. licet canon. & Clem. 1. de off. ordin.* id eſt 25. annum inceperint, nec verò compleuerint, vt declarauere Cardinales ad Sinodum Tridentinam *ſeſſ. 23. cap. 12.* quod adeò verum eſt, vt Epiſcopi in contrarium non poſſint diſpenſare, *cap. 1. de æt. & qual. in 6. & ibi gloſſa, & in d. Clementina, de offic. ordinar.*

4. Sed & illud ita obtinuit, licet quidam contrarium probare tentauerint, ad id adducti argumento *cap. indecorum & cap. præterea, de æt. & qualit.* nec non auctoritate *gloſſæ in cap. dilectus, in verbo in ætate, de elect.* & tamen hæc ætas non deſideratur in aliis beneficiis, quæ curam animarum annexam habent, per vicarios perpetuos exercendam, *Clem. 1. §. cæterùm de ſtatu monach.*

5. Poſtremò cum ætate, ſcientia, & morum honeſtas deſiderantur, *cap. cum in cunctis §. inferiora*, vt infrà fuſius dicemus ad verba definitionis noſtræ, *idoneo*, qualis autem hæc ſcientia diſce ex *can. quæ ipſis diſtinct. 38.* & aduerte ſummam eſſe debere, cùm cæteris prælucere debeant Rectores paroeciarum, & inter tenebras viam veritatis pandere.

6. Ad hæc quæri ſolet, an monachis parochiales Eccleſię committi debeant, & ſanè regulariter non ſunt committendę, *cap. 1. de cap. monach.* vbi dicitur etiam in Eccleſiis parochialibus, quę ſunt in monaſteriis, regimen Eccleſiæ monachis non eſſe committendum, ſed populum per capellanum, ſiuè vicarium perpetuum regi debere, multo magis ergò, ſi ſint extrà monaſterium, parochiales Eccleſiæ.

7. Verum propter vtilitatem Eccleſiæ, etiam veteres canones permittunt, ad regimen Eccleſiarum monachos ordinari, *can. doctos & ſequenti, can. ſi quis monachus, & can. in parochiis 16. quæſt. 1. cap. quod Dei timorem, de ſtatu monach.* quod eleganter & in vtramque partem tractat, *Iuo Carnotenſis in Epiſt. 69. & in epiſt. 213.* ex auctoritate variarum conſtitutionum ſummorum Pontificum, quibus tandem definit in eo vt parochiales Eccleſiæ, monachis committi poſſint, vt & *Simon Oliuaus in deciſ. lib. 1. cap. 9.*

8. Sane ſi quando oportuerit, monachos ad regimem animarum vocari, diſpenſatio neceſſaria eſt, *Rebuff. in tit. de diſpenſ. cum regular. facta num. 38. & num. 5.* & hoc maximè præcaueri oportet, ne ſoli per parochiales Eccleſias diſponantur, ſed ſecum habeant aliquem ex ſuis fratribus, *capit. 2. & capit. quod Dei timorem de ſtatu monach.*

9. Et quamquam hoc de monachis ſpecialiter cautum ſit, non etiam de canonicis regularibus, tamen vbi fieri poteſt commodè, hi quoque ſibi adiungere debent alium canonicum regularem, *d. cap. quod Dei timorem, de ſtatu monach.* quia, vt ſæpius iactat ſacræ ſcripturæ codex, *væ ſoli, quia ſi ceciderit non eſt qui releuet eum.*

10. Hinc eſt quod canonici regulares diui Auguſtini, per ſeipſos & ſinè vllo diſpenſationis iuuamine, parochiales Eccleſias regere ſolent, monachi verò Benedictini ordinis non, item quoniam hi Calchedonenſi Concilio, intrà clauſtrum morari iuſſi ſunt, *cap. iuxta 16. quæſt. 1. Chopinus de ſacr. polit. lib. 3. tit. 2. num. 12. & tit. 13. num. 29.*

---

§. VIGESIMVS QVINTVS.

In quibus conſiſtat officium Rectoris Paroeciæ.

1. *In quibus conſiſtat officium Rectoris Paroeciæ.*
2. *Vndè Parochi vocabulum, & vt deduci dicatur ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod eſt præbere.*

Digitized by Google

3. *Dictum pariter à Græco verbo* παροικος, *quod eſt accola.*
4. *Vndè Parochiales Eccleſiæ, baptiſmales dicantur, & matrices.*
5. *Officium parochi eſt ſepelire, niſi defunctus alibi ſepulturam elegerit.*
6. *Non eadem libertas in aditione Sacramentorum, tempore Paſchatis.*
7. *Diſputatio ea de re habita temporibus* Innocentij *V I. Summi Pontificis.*
8. *An Sacerdotes Capellæ, ſiuè Monaſterij, intrà fines Paroeciæ, Rectori ſubiiciantur.*
9. *Monachi olim ſuberant Rectoribus Paroeciarum.*
10. *Monachi olim expertes ſancti Miſſæ ſacrificij.*
11. *Probatur & olim Monachos, Clericos non fuiſſe.*
12. *Monachorum olim commune erat templum, & laïcorum.*
13. *Exemplum monachorum Scithiæ, apud D. Hieronimum.*
14. *Hodiè monachi proprios habent Sacerdotes, & ipſi promouentur ad ordines.*
15. *Hodiè monachi non ſubmittuntur Rectoribus paroeciarum.*
16. *Idem in monialibus obſeruatum.*
17. *Decimæ & oblationes pertinent ad Rectores paroeciarum.*

1. NVnc igitur ſupereſt vt breuiter dicamus de officio rectorum, quod in iis potiſſimum conſiſtit, nimirum Sacramentorum adminiſtratione, Prædicatione verbi Diuini, & Miſſarum celebratione, *cap. 2. de parochiis cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. Clem. dudum* §. *verum de ſepult.*

2. Ex quo pleriſque deduci videtur, parochi vocabulum, ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod præſtet & exhibeat neceſſaria ad ſalutem, & eodem ſenſu parochi dicebantur olim, qui peregrinis ſalem, & ligna præbebant, quorum appellatione, Acron Horatij vetus interpres, dixit omnia ſignificari, quæ hoſpitibus ſunt neceſſaria, explicans illum Horatij verſum

Proxima campano ponti, quæ villula tectum
Præbuit, & parochi, quæ debent ligna ſalemque:

3. Et idem etiam Xenoparochi dicti in *lege, munerum* §. *hi quoque dig. de mun.* Budæus tamen in annotationibus in Pandectas ſcribit paroecos, non parochos appellatos fuiſſe, à Græco verbo παροικος. quod accolam ſignificat, quaſi eiuſdem fani accolas, vndè & paroeciæ quaſi accolarum conuentus.

4. Nec-non etiam baptiſmales Eccleſiæ appellatæ, *can. plures 16. quæſt. 1 cap. 1. de noui operis nunciat.* quod iure communi ſacri fontes, & baptiſteria in Eccleſiis parochialibus ſint conſtituta, vt vnuſquiſque à proprio paſtore baptiſetur, qua de re doctores in *Clem. vnica de baptiſmo & eius effectu* & inter cæteros Michael Lochmaier Patauienſis Eccleſiæ canonicus, in libello qui inſcribitur parochiale curatorum, *cap. 9. de ſacram. collat.*

5. Item ex officio parochi eſt, parochianos ſuos ſepulturæ mandare, quod probat ſubiectio tituli de parochiis in decretalibus Rubricæ de ſepulturis, quod ſæpius in iure non leuioris fidei, & auctoritatis eſt argumentum, nec quiſquam alius ſepulturam dare poteſt, niſi à defuncto prius electum ſit, *cap. ex parte & cap. in noſtram iunct. cap. 1. de ſepult.* quod & pluribus probat idem Lochmaier in *d. tractatu cap. 6. de ſepult. & remed.* Hieronimus Caratus in Opuſculo de iuribus parochialibus, *tit. 7. de ſepult. cap. 13.*

6. Nec eadem eſt libertas in perceptione Sacramentorum, ac præſertim pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ, quam quiſque à proprio ſacerdote, ſemel in anno accipere tenetur *d. capit. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* ea enim ratione doctores ad illud capitulum, verbum *proprij ſacerdotis* interpretantur.

7. Et ea de re celebris mota fuit controuerſia, Aueniōni anno 1357. coram Innoc. VI. ſummo Pontifice, & Cardinalibus Aueniōni reſidentibus, à Richardo Archiepiſcopo Armachano, & totius Hiberniæ Primate, querelæ & prouocationi religioſorum mendicantium, & priuilegiatorum, ad ſedem Apoſtolicam reſpondente, quæ hiſce temporibus ex veteri manuſcripto bibliothecæ Victorianæ prodiit.

8. Verum & ad illud quæſitum eſt, an hæc ordinaria Rectorum paroeciæ iuriſdictio, extendatur etiam in ſacerdotes, aliarum Eccleſiarum, ſiuè capellarum, & monaſteria in eadem parochia, & intrà fines eiuſdem conſtituta, ſiuè an illi parochianorum numero cenſeantur, & mancipiorum, quæ ex Concilio Toletano 16. non minus quàm decem parochiam conſtituere debent, ſic dictorum, quod ius quoddam ſpiritalis dominij, rector paroeciæ ha-

Digitized by Google

bere noſcatur. 9. Et de monachis nulla fuit olim dubitatio.

10. Namque è multis & illud miſſum faciam, quod ait Petrus Bleſenſis in *epiſt. 86. monachos* primis temporibus ſoli contemplationi vacaſſe, expertes miſſarum ſacrificio, etiam in magnis feſtiuitatibus, vt Paſchæ, ità vt ſummum monaſtici ordinis fundatorem, atque inſtitutorem, ignoraſſe dixerit, num Paſchatis feſtum toto chriſtiano orbe celebraretur, quod & confirmat huic quaſi Coetaneus, Goffridus Vindocinenſis Abbas in *ſermone ad feſtum D. Benedicti*.

11. Et tamen ex his omnibus conſtat, & liquidò probatur, monachos olim clericos non fuiſſe, *lege, generaliter, cod. de Epiſcopis & Cler. can. de monachis can. alia, can. generaliter, 16. quæſt.* 1. nec paſcebant ipſi populum, ſed vt populus paſcebantur à clericis, & ſacerdotibus, nec quicquam eis agere licebat ſinè conſilio ſacerdotum.

12. Sed & illud certum eſt, quod in commune templum vt laïci conueniebant, Sacramenta percepturi, *can. hinc eſt, vſque in finem d. can. alia & ſequenti, can. monachus* 16. *quæſt.* 1. & hoc eſt quod colligimus ex nouella 133. monachos Eccleſiam non habere, hoc eſt propriam, ſed in communem cum cæteris laïcis conuenire conſueuiſſe, vt Miſſæ ſacrificio, & cæteris diuinis officiis intereſſent.

13. Et ea de cauſa D. Hieronimus refert, monachos Scithiæ, in vnum conueniſſe, vt ſacerdotem eligerent, qui Miſſarum ſolemnia illis celebraret, *d. capit. hinc eſt, in fine*, & apud eumdem Hieronimum exſtat *epiſtola Epiphanij* 60. in qua legitur Epiphanium ordinaſſe presbiterum monachis, qui eis Domini Sacramenta perficeret.

14. Tandem verò monachi ipſi, in clericos, & ſacerdotes ordinari cæperunt, *d. can. hinc eſt, in fine*. & eis permiſſum eſt, vt ſibi inuicem pœnitentias, & ſepulturas darent, *can.* 1. 16. *quæſt.* 1. & quandoque etiam aliis, ſi fortè parochiales Eccleſiæ eis commiſſæ fuerint, *can. doctos & ſequentibus* 16. *quæſt.* 1 quod & docui ſuprà.

15. Verum & ille vſus ità inualuit, vt nec hodiè monachi ſubſint rectoribus paroeciarum, *cap. dudum* 18. *quæſt.* 2. quod & probatur ex eo quod, cum nullæ Eccleſiæ iure communi aliis Eccleſiis ſubiiciantur, præterquam cathedrali, vt ſuprà dixi, & docet Panormit. *in capit. dilectus de cap. monach. num.* 11. conſequens eſt monaſteria, aut alias Eccleſias ſæculares, non ſubiici parochialibus Eccleſiis.

16. Sed & illud æquè obſeruatur in monaſteriis mulierum, licet enim ſibi inuicem Sacramenta adminiſtrare nequeant, tamen moris eſt, vt Epiſcopus eis proprium ſacerdotem aſſignet, *Panormit. in d. capit. dilectus de cap. monach. num.* 17. *in fine*, niſi à iuriſdictione Epiſcopali eximantur, quo caſu ſolent Generales ordinis rectores conſtituere, qui ipſis Sacramenta exhibeant.

17. Cæterum in vicem ſacerdotalis officij, ac parochialis miniſterij, rectori competit, ius percipiendarum decimarum, intrà ſuam parochiam *cap.* 1. 13. *quæſt.* 1. *& capit. paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. quoniam à nobis, de decimis*, itemque oblationum omnium quæ fiunt intrà limites eiuſdem Eccleſiæ, vt ſuprà diximus, de quibus latior erit diſputandi locus, infrà dum agam de reditibus beneficiorum, ad verba definitionis, *cum ſuo redit*.

---

§. VIGESIMVS-SEXTVS.

De Beneficiis ſimplicibus, ac primum de Præbendis.

1. *Series & progreſſus huius diſputationis, & connexio cum præcedentibus.*
2. *Quid præbendæ nomine ſignificetur.*
3. *Laicis præſtari poſſunt, nec ſunt beneficia.*
4. *Quid præbenda neutro genere, & præbendæ fœminino.*
5. *Præbendæ quare confines dictæ, & quid præbita.*
6. *Generali nomine præbendæ canoniæ, veniunt quælibet beneficia.*
7. *Præbendæ canoniales quę, & canonici præbendarij.*
8. *Canonicatus in merè ſpiritualibus conſiſtit, & eſt quid à præbenda ſeparatum,*
9. *Quæ canonicatus notæ ſpeciales.*

Digitized by Google

10. *Vocis ſuffragium denegatur canonicis nondum ſubdiaconis, & ſtallum.*
11. *Canonicatus poteſt eſſe ſinè præbenda, & quot modis.*
12. *Probatur auctoritate ſimul, & ratione.*
13. *Vbi canonicatus collatus, proximè vacatura prębenda conferri debet.*
14. *Hæc vna exceptio à regula, quæ vetat beneficia promitti antequam vacent.*
15. *Quibus caſibus licet capitulo, vel S. P. augere numerum præbendaum.*
16. *Nouum ius canonicatus ſuprà numerum delati, extinguitur ſupranumerario decedente.*
17. *Numerus præbendarum minui non poteſt, abſque ſuperioris auctoritate.*
18. *Electus in canonicum, & in fratrem, habet ſpem proximam conſequendę prębendę.*
19. *Quid canonicus ſine præbenda creatus conſequatur.*
20. *Tentatur interim nihil conſequi.*
21. *Canonicus ad effectum conſequendæ dignitatis, nihil interim percipit.*
22. *Præbenda poteſt ſine canonicatu deferri.*
23. *Qui ſint prębendati non canonici.*
24. *Præbendati ſimpliciter, non ex eo efficiuntur canonici.*
25. *Canonicatus eſt quid ſpiritale, vt præbenda quid temporale.*
26. *Plures enumerantur, quibus præbenda conceditur, quamuis laïci ſint nec canonici.*
27. *Canonicatus & præbenda ſimul iuncta canonicatum efficiunt.*
28. *Ordo & progreſſus huius quęſtionis.*
29. *Quid canoniæ præbendæ ſpecialiter ſumptæ.*
30. *Origo canonicorum inquiritur, & forma viuendi.*
31. *Vndè canonici dicti, vt à regula & vitę communione.*
32. *Canonicorum commune refectorium, & dormitorium.*
33. *Laudatur ſtudium Canonici Pariſienſis, in expellendis laïcis à Clauſtris maioris Ecclesiæ.*
34. *Quę rerum communio inter canonicos.*
35. *Canonicorum regularium renouatio temporibus d. Auguſtini.*
36. *Vndè diſtinctio canonicorum regularium, & ſecularium.*
37. *Vſus loquendi iuris canonici, idem duobus ſimilibus vocibus exprimens.*
38. *Canonici regulares idem ferè ac monachi.*
39. *Epiſcopi quandoque & Abbates ſimul dicti.*
40. *Canonici Eboracenſis Eccleſię, & regulares, & monachi dicti.*
41. *Canonici regulares ſeculares facti, & eorum exempla.*
42. *Canonici alij Eccleſiarum cathedralium, alij collegiatarum, & vndè cathedrales.*
43. *Cathedralis Eccleſiæ canonici, membra ſunt Epiſcopi, ſimul & ſenatus.*
44. *Idem Cardinales, quoad ſummum Pontificem.*
45. *Canonici cathedralium Eccleſiarum dicuntur primi ordinis, alij ſecundi.*
46. *Canonicis cathedralium Eccleſiarum, inſcribuntur mandata Apoſtolica.*
47. *Cœtus canonicorum cathedralis Eccleſię, pręcedit Abbates.*
48. *Ætas canonicorum cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum, olim controuerſa.*
49. *Ex regula 17. Cancellarię Romanę, ætas canonicorum definita.*
50. *Canonicorum alij maiores, alij minores.*
51. *Quibus ex cauſis maiores dicuntur canonici, & primùm à dignitate.*
52. *Item maiores ratione ordinis annexi, & quando annexus dicatur.*
53. *Nondum ſubdiaconi non habent ſtallum in choro, nec vocem in capitulo.*
54. *Honor deferendus ratione ordinis.*
55. *Contentio inter diaconos, & presbiteros compoſita.*
56. *Prælatio in electionibus quandoque ab ætate, & antiquiori inſtitutione.*

Digitized by Google

57. *Dimidiatę prębendę quænam dicantur.*
58. *Notantur textus de dimidiatis præbendis loquentes.*
59. *Canonici ad effectum conſequendæ, dignitatis, vel præbendæ creati, quem locum teneant.*
60. *Canonici creati ſub ſpe obtinendæ prębendę, de conſuetudine nihil conſequuntur.*
61. *Canonicorum ſub ſpe futuræ præbendæ, creandorum facultas, ſublata concordatis.*
62. *Canonicæ mulieres quæ dicantur.*
63. *Earum exempla proponuntur.*
64. *Canonici Aſſiſij quinam dicantur.*
65. *Canonici Aſſiſij non ſunt de gremio capituli.*

1. NVnc venio ad tertium membrum primæ diuiſionis, quæ eſt de beneficiis quæ neque dignitatem habent, aut perſonatum, neque curam animarum annexam, & ideò ſimplicia appellantur, quo nomine vtitur Gregorius IX. *in cap. vlt. de præb.* cum autem beneficiorum ſimplicium variæ ſint ſpecies, ab his quæ vulgò notiores ſunt incipiam.

2. Præbendæ autem ſi ſtrictam vocabuli ſignificationem ſequamur, eæ ſunt quæ ex bonis temporalibus Eccleſiæ, alicui præſtari ſolent, à præbendo dictæ, vndè & panes præbendarij, dicti *Cuiac. in principio tit. de præb.* ſiuè clerico, ſiuè laïco illati.

3. Nam & laïcis præſtari poſſunt præbendæ vice ſalarij, veluti ſindico, & aliis vt ſuo loco dicetur, & hoc ſenſu præbendæ non tam ſunt beneficia, quàm beneficiorum prouentus, vt conſtat *ex captt. cum M Ferrarienſis de conſtit. & ibi gloſſa, & cap. finali de præb. in 6.* vbi canonicatus diſtinguuntur à præbendis.

4. Nec longè diuerſo ſenſu *Gellius lib. 15. cap. 4.* præbenda neutro genere dixit, pro iis quæ magiſtratibus, qui proficiſcebantur in prouincias præberi ſolebant, Vlpianus in *lege inuiti. 19. de teſtibus*, pro eò quod exercitui præbendum conducitur, tametſi etiam fœminino genere præbendas Caſſiodorus vſurpet, pro his quæ principes diuerſis perſonis largiuntur *lib. 5. var. cap. 39. que nous appellons gages ou penſions.*

5. Et ſecundum hæc in iure canonico, non tantùm reditus ipſi beneficiorum, ſed & ipſa prædia ex quibus reditus colliguntur, præbendæ appellantur, vndè etiam præbendæ confines eſſe dicuntùr *in cap. 3. de probat.* & in iure ciuili, quæcumque alimentorum iure vel ſubſidio præbentur, præbita vel præbenda appellantur, vt notat *Cuiacius, ad leg. 4. dig. de iuſt. & iure.*

6. Sed & cum nullum ſit beneficium, quod non habeat annexum aliquem reditum, ſeu præbendam, vt patet ex propoſita beneficij definitione initio huius tractatus, hinc eſt, quod omnia beneficia generaliter præbendæ, ſiuè canoniæ appellantur in iure Pontificio, nam & canon penſitationem ſignificat, *can. ſi quis dator, & can. ex multis §. conſtituimus 1. quaſt. 3. Rebuffus in concord.*

7. Nos autem hoc loco præbendarum appellationem, neque ſtrictè accipimus, pro annonis ſeu commodis quæ beneficiis cohærent, & beneficiariis pręſtari ſolent, neque generaliter pro omnibus beneficiis, ſed & ſpecialiter pro iis tantum, quę vulgò prębendę canoniales vocantur, & hę in iure ſpiritali eſſe dicuntur, *in cap. dilecto de præb.* & ab iis canonici prębendarij appellantur, *in can. ſanctorum 70. diſtinct.* ad differentiam eorum qui ſunt canonici abſque prębenda, quod vt intelligatur.

8. Sciendum eſt canonicatum nonnumquam à prębenda ſeiunctum eſſe, nonnumquam verò cum ea coniunctum eſſe, eſt enim canonicatus aliquid ſpiritale, quod per ſe ſubſiſtere poteſt, ſinè reditu vllo temporali, & hoc ſenſu canonicatus à canone, id eſt, regula, nomen habet, quicumque enim in eiuſdem regulę conſortium, & ſocietatem allecti fuerint, & in album canonicorum recepti, canonici appellantur, & fratres, *capit. dilectus filius. 2. de præb. & cap. pro illorum eod.*

9. At verò huius ſocietatis indicia hæc ſunt, habere ſtallum in choro, & vocem in capitulo, ſtallum eſt locus in quo canonici ſtant in choro, quod vocabulum Petrus de Vineis Cancellarius Friderici Imperatoris *lib. 6. epiſt. 9.* malè vſurpat, pro ſtabulo equorum, abſit enim verbo iniuria, ſed & *Cuiacius ad cap. 19. de præb.* à ſtallo inſtallandi vocabulum deſumit.

10. Sed & vocis ſuffragium in congregatione capitulari emittendę denegatur iis, qui

ſaltem non fuerunt in ſubdiaconatus ordine conſtituti, *Clementina aut ij de ætate & qualit.* qui etiam in pleriſque Eccleſiis, non poſſunt in altioribus ſtallis conſidere, ſed in inferioribus tantùm, vt ſæpius dicantur, nec habere ſtallum in choro, nec vocem in capitulo.

11. Verum huiuſmodi canonicatus, etiam abſque prębenda deferri poteſt, ſiuè non ſit certus prębendarum numerus, vt *in capit. dilecto de preb.* ſiuè certus quidem fuerit, ſed canonicorum maior ſit numerus, quàm prębendarum, ſiuè cum ęqualis eſſet, ex mandato ſummi Pontificis, aut capituli voluntate, vnus aut plures ſupernumerarij, in canonicos electi fuerint.

12. Namque his & pluribus aliis modis, id fieri poſſe conſtat, *ex cap. cum M. Ferrarienſis de conſtit. & ibi gloſſa cap. pro illorum cap. dilectus 27. de præb. cap. ſi eum 9. & cap. ſi clericus* §. 1. *& duobus ſequentibus eod. in 6. cap.* 8. *de conceſſ. preb.* cum enim duo ſint inuicem diſtincta, & ſeparata, quorum alterum ſpiritale, alterum merè temporale eſt, ità concedi poſſunt, vt altero conceſſo, non ſemper alterius ſequatur illatio.

13. Sed nè is qui ſimplicem canonicatum obtinuit, diu fraudetur emolumento præbendæ, ſupra dictæ conſtitutiones iubent, vt cum primum vacauerit, aut ſeſe occaſio dederit, ipſi conferatur, maximè ſi mandatum fuerit, vt in canonicum reciperetur & in fratrem, ſub exſpectatione proximè vacaturæ prębendę, quæ in eluſionem mandatarij alteri conferri non poteſt, vt probatur *ex d. capp.* propter decretum irritans mandato adiectum.

14. Hæc itaque iuris neceſſitas eſt, quæ facit, vt quamquam aliàs beneficia, quæ nondum vacant, inutiliter promittantur, *cap. 2. extrà de conceſſ. preb.* (etiamſi ſub hac formula promiſſa fuerint, *cum potero, cum erit commodum*, quod tamen olim permittebantur, *cap. accedens eod.*) nihilominus valet promiſſio prębendę ei facta, qui iam in canonicum fuerit electus, *cap. relatum de preb.* quia ea ceſſante promiſſione, ex neceſſitate iuris ei conferenda eſſet, vt ſuprà dictum eſt.

15. Et ex his patet licere, non tantùm ſummo Pontifici, ſed etiam capitulo, numerum canonicorum augere, etiamſi ab initio certus & definitus fuerit, niſi ſtatutum in contrarium iuramento confirmatum ſit, vel à ſede Apoſtolica approbatum, cum clauſula quam vocant irritante, *in d. cap. dilectus* §. *præterea, de preb.*

16. Sed & illud prætereà adnotandum eſt, ius illud ſpiritale, quod de nouo creatur, cum ipſo canonico naſci, & cum eodem extingui, atque ità morte eius antiquum numerum reſtitui, nam & aliàs in iure ciuili, ſi quis priuilegio ſuo, noluerit vti in certa cauſa, non idcircò cadit priuilegio, ſed illud reſumit quandocumque, *leg. 2. dig. de priuileg. veter. leg. voluntariæ dig. de excuſ. tut. & curat.*

17. Sed an quemadmodum canonicorum numerus, augeri poteſt, à capitulo, licet auctus non ſit numerus prębendarum, ità etiam dicemus, minui poſſe, reſpondeo, non licere ſinè cauſa, & ſuperioris auctoritate, vt *in cap. cum acceſſiſſent & cap. ex parte & ibi gloſſa in verbo confirmatum, de conſtit.* qua de re plura dicam infrà dum agam de extinctione beneficiorum.

18. Verum & ſupradicta eò pertinent, vt intelligamus canonicos plerumque fieri, antequam vacet præbenda, quod in Eccleſia Bitterenſi, quandoque contigiſſe teſtatur Bonifacius, *in cap. ſi pro te 13. de reſcript. in 6.* ſic enim legendum non Biturenſi, vt notant Romani emendatores, & quamquam hi, vacent præbenda ad præſens tempus, non vacant tamen, ſpe conſequendæ præbendæ, cum ad eum finem eligantur, vt quandoque præbendæ vacantes eis conferantur.

19. Nec enim vacant interim, omni commodo præbendæ, ſed ſtallum habent in choro, & vocem in capitulo, quinimo diſtributiones quotidianas recipiunt, & excepta præbenda, plenum ius canonicatus habere intelliguntur, *Cuiacius ad Rubricam de preb. Panormit. in cap. relatum de preb. num. 2. Greg. Tholoſ. in partit. iuris canon. lib. 1. tit. 27. cap. 3. num. 4.*

20. Et tamen contrarium de conſuetudine ſeruari, ſcribit *Staphileus in prima forma expectatiuarum, num. 11. & 12. idemque Greg. in ſintagm. iur. lib. 15. cap. 23. num. 14.* verum ea omnia mihi ſatis probati videntur, *in cap. dilectus & cap. pro illorum in fine, de preb.* vt non ſit hac de re amplius diſputandum.

21. Sunt tamen qui hæc omnia denegant iis, qui à ſummo Pontifice canonici fiunt, non ad effectum conſequendæ præbendæ, ſed obtinendæ dignitatis, perſonatus, officij, adminiſtrationis, qua de re conſule *Rebuffum in concordatis, tit. de reſeruat.* §. *vlt. & Greg. Tholoſ. in partit. iur. can. lib 1. tit. 27. cap. 3. num. 4.*

22. Et quemadmodum canonicatus, poſſunt eſſe ſinè præbenda, ità præbendæ ſinè

Digitized by Google

canonicatu eſſe poſſunt, veluti in ſpecie *cap. cum in Eccleſia 25. de preb. in 6.* vbi dicitur in quadam Eccleſia, plures vnà fuiſſe præbendas quàm canonicatus, illam autem Epiſcopo, tametſi canonicus non eſſet, dari conſueuiſſe.

23. Nec ab ea conſuetudine abhorret, quod prior ſancti Martini de Campis Lutetiæ, & Abbas ſancti Euuertij Aureliæ, præbendas habent vt plerique alij, ille in Eccleſia Pariſienſi, hic in Aurelianenſi, *Chop. de ſacr. polit. lib. 3. tit. 3. num. 17. idemque probatur in cap. penult. de mag.* quod ſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi, vbi cauetur, vt in ſingulis Eccleſiis collegiatis, vnius præbendæ prouentus, magiſtro grammatices aſſignetur, & in Eccleſiis Cathedralibus, alia inſuper theologo.

24. Nec enim omnes ſupradicti, ex eo efficiuntur canonici, ſed tandiu reditus præbendæ percipiunt, quamdiu præſtiterunt in docendo officium, vt habetur *in pragmat. ſanct. tit. de collat. §. ſequitur, & in conſtitutionibus Aurelianenſibus art. 8. & 9. Concil. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1. de reformat. & apud Chop. de ſacr. polit. lib 3. tit. 1. num. 21.*

25. Et ex his patet, canonicatum à præbenda, & præbendam à canonicatu, plerumque ſeparari, & canonicatum eſſe quid ſpiritale, ac proindè laïcos, in numerum canonicorum recipiendos non eſſe, *cap. 2. de inſtit.* præbendam verò in merè temporalibus conſiſtere, *Chop. de ſacr. polit. lib. 3. num. 23.*

26. Et propterea colligunt, iuris canonici interpretes, laicos etiam præbendarum capaces eſſe, vndè videmus quaſdam aſſignatas æditu is, Simphoniacis pueris, cantoribus, œconomis, bidellis, ſiuè maſſariis, & aliis, quos conſtat non eſſe canonicos, ſed plerumque laicos, canonicatus incapaces, vt & cuiuſcumque alterius iuris ſpiritalis.

27. Verum vt præbendæ per ſe ſumptæ, ſiuè canonicatus non ſunt beneficia, quia miniſterium ſpiritale annexum non habent, ità nec canonicatus ſinè præbenda, quia ſunt ſinè reditu, tametſi tentari poſſet, propter ſpem conſequendæ præbendæ, beneficia dici poſſe.

28. Nunc igitur & deinceps loquamur de præbendis, quatenùs ſunt beneficia, id eſt quatenùs ſunt iunctæ canonicatui, quo ſenſu prębenda dicitur eſſe ius ſpiritale, *cap. dilecto, de preb* cum in merè ſpiritualibus conſiſtat, priuilegio ſcilicet & iure, vocis in capitulo emittendæ, & ſtalli in choro, dum diuinis officiis celebrandis interſunt canonici.

29. Hæc ſunt igitur, quę canonię prębendæ appellantur, *cap. penult. tit. de præb. in prima collect. decret.* vndè & canonici prębendarij, *can. ſanctorum 70. diſtinct.* id eſt ij qui propter officium, & miniſterium quod Deo exhibent, fructus præbendarum percipiunt, *can. cum dilectus, & ſequenti, de cler. non reſid.*

30. Verum inſtitutum illud, vndè ſumpſerit originem, non conſtat inter omnes, niſi quis exiſtimet, ad normam veterum chriſtianorum, ac præſertim clericorum, eos ab initio vitæ, victuſque communem regulam duxiſſe, quaſi monachos hodiè videmus, vt teſtatur Duarenus, *de ſacr. Eccleſ. miniſt. cap.* 18. de quorum origine conſulendus *Paſchaſius, lib. 3. obſeruat. gall. cap 5. & Fileſ. de ſacr. auct. Epiſc. cap. 13. §. 5. & 7. item Boetius epo. in ſintagm. 1. antiq. Eccl. de iure prou. Eccleſ. ad cap. 1. de teſtam. apud Greg.*

31. Et ex eo quidam putant, canonicos à canone, id eſt regula dictos fuiſſe, quod diſtrictè videlicet ac canonicè viuerent, vt loquitur *Greg. in cap. quoniam 12. quæſt. 1.* quod confirmare videtur, *can. ſcimus, & can. tua 12. quæſt. 1.* & propterea *Franciſcus Turrianus lib. 2. defenſ. conſt. apoſt. aduerſus Magdeburgenſes* non canonicos à regula, ſed κοινώνους à vitæ communione dictos arbitratur.

32. Verum enim ad illud accedit, quod in capitularibus Caroli Calui, *in Sinodo in villa Sparnaco cap. 53.* dicitur *canonicos in ciuitate, vel monaſteriis, ſicut conſtitutum eſt, intra idem dormitorium dormire, & in eodem refectorio comedere debere, item in clauſtris horis congruis degere, & ſub cuſtodia, canonicæ lectioni, & cæteris diuinæ inſtitutionis inſiſtere officiis*, quod ſimilibus verbis *in can. neceſſaria, 12. quæſt. 1.* refertur.

33. Sed & huius communis viuendi formæ, in canonicis olim obſeruatæ, nobis quædam veſtigia ſuperſunt, in clauſtris, ſiuè Canonialium domorum Clauſuris, Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis adiacentibus, in quibus olim, ſolis clericis habitare datum erat, laicis quibuſcunque procul abire iuſſis, *can. neceſſaria & ſequenti 12. quæſt. 1.* quod & hiſce diebus ab Irierio Franciſco Caſtellano, canonico Eccleſiæ Pariſienſis, veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ acerrimo vindice tentatum, ſpes eſt aliquando ſtrictiori obſeruantia, bonis omnibus applaudentibus, fore confirmandum.

34. Nec tamen exiſtimandum, inter clericos, omnia fuiſſe communia, ſed quodammodo communia dicebantur, quia nemo eorum ſuum eſſe dicebat, vt in rebus communibus

nibus & indiuiſis paſſim obſeruatur, vt notat libellus de origine canonicorum ſtatim in principio, & dicam aptius in verbo definitionis *reditu, de origine bonorum Eccleſiaſt. cap.* 1. & interim adeundus *Boetius epo. ibidem num. 66. & ſequenti.*

35. Sed cum antè tempora diui Auguſtini, multi ex clericis bona propria poſſiderent, & ſeparatim viuerent, primus ille clericos, ad vitæ victuſque communionem reuocaſſe dicitur, non tamen inuitos, vt apparet *ex can. certe 12. quæſt.* 1.

36. Et inde factum eſt, vt ſi qui regulę diui Auguſtini, ſe ſpontè ſubmiſerunt, canonici regulares dicerentur, alij verò ſæculares, qui ſeorſim habitabant, etiam cum vxoribus, Eccleſiaſticæ tamen regulæ aſtricti, vt probabitur *ex cap. quia tua 12. quæſt.* 1. cum tamen ipſum canonicorum vocabulum, nihil aliud ſignificet, quam eiuſdem regulæ ſocios, & participes, vt ſuprà dictum eſt.

37. Neque verò hæc vocabulorum, diuerſâ linguâ idem ſignificantium, geminatio inſolens eſt, cum monaſteriorum præfecti, Abbæ patres dicantur, vno Siriaco, altero Græco ſeu Latino, idem omninò ſignificante, quæ & Pharmacopolis eſt in vſu, agnum caſtum côniunctim dicentibus, pro arbuſto quod ſeparatim, vel agnum, vel caſtum dicere potuiſſent, vt notat *Cuiacius ad titulum de præb. in ipſa rubric.*

38. Et ad hos canonicos regulares pertinet *cap. quoniam de vit. & hon. cler. can. ſcimus can. neceſſaria 12. quæſt.* 1. nec multùm hi diſtant à monachis, *can. præſens in fine 20. quæſt. 1. cap. quanto de offic. ordinar. cap. 3. de appellat. in 2. compilat. decretal. & cap. vlt. de fil. presb. in prima.*

39. Sed & ex eo fluxit, quod hi qui ſocietati eorum præerant, Abbates & Epiſcopi ſimul vocarentur, vt notat idem *Cuiacius ex Mathæo Paride in Henr. 3 ad cap. 9. de iudiciis.* vbi idem vocatur Abbas, & Epiſcopus monaſterij, ſiuè Eccleſiæ Dulmenſis, quod monaſterium ſitum eſt in Anglia.

40. Sic & canonici regulares Eboracenſis Eccleſiæ *d'Iorch*, qui & monachi appellantur *in capit. auaritiæ de præb.* aliique multi in Gallia, quos paulatim ſæculares factos fuiſſe, multis exemplis & argumentis oſtendit, *Chopinus lib. 1. de ſacra polit. tit. 2. num. 6. & tit. 8. num. 5. & lib. 3. tit. 3. num. 7. & tit. 4. num. 11. & 13. ſub finem.*

41. Et verò Sebaſtianus Munſterus ſcribit Spirenſes, Vormatienſes, & Moguntinenſes, profeſſione regularis vitæ abiecta, ſæculares factos fuiſſe, circà annum Domini 1056. quod & plerumque euenit, dum regulari Eccleſia in Epiſcopalem tranſlata, monachi, ſiuè canonici regulares ſæculo dantur, à ſummo Pontifice, quod ſæpius accidit in hac noſtra Gallia.

42. His ità expoſitis de origine canonicorum, nunc venio ad differentias, & dico alios eſſe canonicos Cathedralium Eccleſiarum, alios Collegiatarum tantùm. Cathedrales Eccleſias Voco Epiſcopales, à Cathedra quæ ſedem Epiſcopalem ſignificat, *can. non autem can. placuit, & can. ſi quis Epiſcopus* 7. *quæſt.* 1. Epiſcopi enim ſedentes in ſolio, & Cathedra docent, *Duarenus de ſacris Eccleſ. miniſt. lib. 7. cap.* 5. eædem etiam matrices appellantur *cap. venerabili de verb. ſignif.*

43. Canonici ergò Cathedralium Eccleſiarum, longè anteſtant cæteris, Epiſcopus enim caput eſt, ipſi verò membra, & fratres appellantur, vt patet ex pluribus Iuonis Epiſcopi Carnotenſis epiſtolis, quorum ope, & conſilio, res Eccleſiæ diſponere debet, *cap. nouit, & ſequenti, & toto titulo de his quæ fiunt à præl. ſinè conſ. cap.*

44. Nec ab illo inſtituto longè differt ratio, qua ſummi Pontifices, res & negotia totius Eccleſiæ, adminiſtrare conſueuerunt ex conſilio Cardinalium, vndè & alias canonici Cathedralium Eccleſiarum, & Matricum, Presbiteri Cardinales appellantur, vt in Eccleſia Rauennatenſi, & Compoſtellana diximus, item conſilium & ſenatus Epiſcoporum.

45. Eſt igitur maior communio, inter Epiſcopum & capitulum Eccleſiæ Cathedralis, quàm inter ipſum & cætera collegia, *cap. requiſiſti. §. ſi verò de teſtam.* vndè & *Innocentius in cap. ſedes de reſcript.* dicit eos eſſe primi ordinis clericos, cæteros verò non Cathedralium Eccleſiarum, ſecundi ordinis.

46. Verum enim nec immeritò, Cathedralium Eccleſiarum canonicis, æquè ac perſonatum habentibus, & dignitatem, à ſede Apoſtolica cauſæ committuntur, *cap. ſtatutum* §. 1. *de reſcript. in* 6. & cum ſummus Pontifex mandat, beneficia in aliqua Eccleſia ciuitatis conferri, beneficia Cathedralis Eccleſiæ, propter honorem ipſius, non comprehenduntur, hoc mandato, *cap quamuis* 4. *de præb. in* 6.

47. Poſtremò licet canonici Eccleſiarum Cathedralium, honore ac dignitate cedant Abbatibus, vt potè ſecundis ab Epiſcopo, vt initio huius capitis dictum eſt, tamen in

Digitized by Google

publicis proceſſionibus, canonicorum cœtus, tanquam membra Epiſcopi eos præcedunt, ipſi verò reliqua ſecundi Ordinis Collegia, ac ſodalitia vt diſſerit, & probat *Chopinus lib. 2. de ſacr. polit. tit. 6. num. 18. & 19. in textu & in margine.*

48. Et nè quid omittam eorum, quæ pertinent ad differentiam canonicorum, Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, dicam olim controuerſiam fuiſſe, de ætate legitima, ad conſequenda huiuſmodi beneficia, vt patet *ex his quæ ſcribit Panormitanus in capit. ſuper inordinata, de præb.*

49. Verùm ex regula Cancellariæ 17. ad obtinendum canonicatum in Eccleſia Cathedrali, neceſſe eſt vt quis 14. annos impleuerit, cum in aliis Eccleſiis decem impleſſe ſufficiat, cuius ætatis gratiam, ſolus Pontifex facere poteſt, & hę ſunt differentię, inter canonicos Cathedralium Eccleſiarum, & Collegiatarum tantùm, quas longiori ſermone diſcutere noſtri non eſt inſtituti.

50. Nunc videamus in vna eademque Eccleſia, quantum alij, ab aliis differant, conſtat enim alios, aliis eſſe maiores, *cap. 2. de his quæ fiunt à mai. parte capit.* vbi quidam minimi eſſe dicuntur, & *in cap. dilecto* 10. *de offic. archid.* quidam maiores canonici appellantur.

51. At verò differentiæ illæ, nonnumquam ex dignitate ſumuntur, quod accidit cum dignitati annexa eſt præbenda, vel cùm in eadem Eccleſia, vnus & idem dignitatem habet, & præbendam à dignitate ſeparatam (nam conſtat duo beneficia diuerſa, quæ doctores vocant difformia, ſub eodem tecto, non eſſe incompatibilia, *cap. 1. de conſuet. in 6.*) & his caſibus, canonicus qui dignitatem habet, ſimplici canonico præfertur.

52. Item prærogatiua nonnumquam ex ordine ſumitur, ſiuè is ordo fuerit annexus, ſiuè non: annexum ordinem voco, qui neceſſarius eſt, ad conſequendum vel retinendum beneficium, vt plerumque ex fundatione requiritur, eſſe ſacerdotem, vndè ſacerdotales præbendæ, vel non, *capit. cui non de ſacerdotali 27. & capit. ei cui, de præb. in 6. Clem. 2. §. illi vero de æt. & qualit.*

53. Sed & ſi nullus ordo, annexus fuerit præbendæ, tamen ordinis ratio, vt plurimum ſeruari ſolet, idque ex eo maxime ſpectatur, quod qui nondum in ſubdiaconatus ordine conſtituti ſunt, vocem in capitulo non habent, *Clem. 2. de æt. & qual.* & vt docui ſuprà ex conſuetudine quarumdam Eccleſiarum, in ſuperioribus ſtallis ſedere nequeunt.

54. Et ea de cauſa honores, ſecundum ordinem, quem quiſque obtinet in Eccleſia, deferendos eſſe, teſtatur Diuus Hieronimus *can. legimus in fine, diſt.* 93. quamuis in d. cap. & pleriſque aliis eiuſdem diſtinctionis, pateat diacones, aliquando ratione adminiſtrationis ſibi delatæ, presbiteris præferri voluiſſe, & in pluribus tentaſſe.

55. Sed enim conſtat, adminiſtratione illa ſubtracta, dum ſingulis presbiteris Dominici & Eccleſiaſtici patrimonij, portio credita eſt, cæteris clericis diſtribuenda, quaſi lignis foco detractis, contentiones illas facilè compoſitas fuiſſe, ob nullum vel minimum lucrum, quod elationis cauſam præbebat, vt teſtis eſt Nicolaus *Ianuarius Carnotenſis Archidiaconus in libello de iure & offic. Archidiaconi cap.* 5.

56. Item & aliquando ab ætate, & antiquiori inſtitutione, & à meritis, ſcientiâ, ac zelo; alij aliis præferuntur, quod tamen locum non habet, niſi vbi agitur de electione, in qua plerumque voces ponderantur, non numerantur, *cap. dudum* 22. *cap. in Geneſi* 55. *cap. Eccleſia veſtra* 57. *de elect.*

57. Poſtremò ex præbenda ipſa, ſeu reditu præbendæ annexo, quandoque prælatio ſumitur, exempli gratia, qui dimidiatas tantum canonias percipiunt, *que nous appellons ſemiprebendes*, vulgò poſtponuntur iis, qui integras præbendas ſortiuntur, argumento *legis 2. cod. de offic. mag. offic.* vbi dicitur cum gradu antecedere debere, quem meliora ſtipendia fecerunt anteire.

58. Et de his integris, ac dimidiatis præbendis, eſt *cap. cui non de ſacerdotali de præb. in 6. & in Sinodo Agathenſi canone vigeſimo quinto*, notatur diſtinctio præbendarum his verbis *clerici etiam omnes, qui Eccleſiæ fideliter ſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui debitum, per ordinationem canonis à ſacerdotibus conſequantur.*

59. Hinc vulgò exiſtimant, canonicos ad effectum conſequendæ dignitatis, vel perſonatus, quos ſummus Pontifex ſibi creandos reſeruauit, titulo de reſeruat. in concordatis quos vulgo canonicos *in herbis*, nos honeſtiore vocabulo, & à iure ciuili deducto, honorarios appellare poſſumus, cæteris canonicis præbendatis

Digitized by Google

eſſe poſtponendos, qua de re conſule *Rebuffum loco ſupradicto in concordatis tit. de reſeruat.*

60. Et quamquam aliud dicendum videatur de his, qui ad effectum conſequendæ præbendæ creati ſunt, vt videatur iam indè ab inſtitutione, plenum honorem canonicatus eſſe conſequuti, licet ſub exſpectatione præbendæ, idque iure Pontificio expreſſum ſit, *in cap. pro illorum, & cap. dilecto, de præb.* tamen ex conſuetudine contrarium ſeruari docet *Staphilæus in prima forma exſpectatiu. num.* 11. & 12. *Greg. in ſintagm. lib.* 15. *cap.* 23. *num.* 14. vt ſuprà monuimus.

61. Sed hoc poſtremum genus canonicorum creandorum, ſub exſpectatione præbendæ, ſublatum eſt per *pragmaticam ſanctionem in* §. *finali de collat. & in concord. tit. de reſeruat. in fine*, vbi tamen creationes ad effectum obtinendæ dignitatis, ſummo Pontifici reſeruantur.

62. Quemadmodum autem in tractatu de dignitatibus, ſubieci Abbatiſſas Abbatibus, ità nunc placet canonicis ſubdere canonicas, id eſt mulieres, canonicorum ſæcularium more, viuentes, nec propriis renunciantes, nec profeſſionem aliquam, facientes, de quibus *Clem. attendentes* §. *penult. de ſtatu monach. cap. indemnitatibus* §. *penult. de elect. in* 6. & *cap. dilecta de mai. & obed.* vbi non tam videntur probari, quàm tolerari.

63. Harum autem mulierum collegia quædam exſtant, in Germania, & Lotharingia, & Belgio in quibus nobiles recipiuntur, nullo tamen virginitatis aut caſtitatis vinculo aſtrictæ, exceptis Abbatiſſa, & quibuſdam aliis dignitatem habentibus, reliquæ autem quamdiu in collegio manent, non nubunt, ſed quandocumque voluerint, è monaſterio egredi, & nubere poſſunt, *Iacobus Middendorpius in hiſtoria monaſtica cap.* 6. *Greg. Tholoſ. in ſintagm. iur. lib.* 15. *cap.* 17. *num.* 9.

64. A Canonicis venio ad Aſſiſios, quorum fit mentio *in cap. penult. de cler. non reſid.* vbi gloſſa notat quibuſdam in locis, eos manſionarios appellari, vtroque vocabulo, naturam huius beneficij ſignificante, quod reſidentiæ ſit obnoxium, contrà naturam ſimplicium beneficiorum, vt docui ſuprà in *cap.* 2. *de reſidentia, ce ſont ceux que l'on appelle Chanoines de reſidence*; & ſecundum *Greg. Tholoſ. lib.* 15. *ſintagm. cap.* 23. *num.* 12. *habituez.*

65. Et tamen ſi propriè loquamur, non ſunt canonici, cum vocem in capitulo non habeant; nec collegium faciant, *gloſſa & Panormit. in cap. penult. de cler. non reſid.* & hi ſunt forſitam qui in Concilio *Laodiceno cap.* 15. canonici pſaltes, id eſt, cantores, appellantur, quoniam ex officio eis iucumbit canere, tametſi in multis Eccleſiis, cantores præſertim muſicæ periti, ſtipendia tantùm ad tempus accipiant, nec ſint beneficiarij.

---

§. VIGESIMVS-SEPTIMVS.

De Capellanis.

1. *Capellæ nomen, quandoque parochialem Eccleſiam ſignificat.*
2. *Quid Capellæ priuatæ nomine veniat.*
3. *Quid requiratur, vt Capellaniæ inter beneficia reputentur.*
4. *Quid Capellani quoad officium, & inter cæteros ſummi Pontificis.*
5. *Quinam ſint Capellani regij, & aulici.*
6. *Vndè Capellæ, & Capellanorum nomen.*

1. Aſſiſiis autem canonicis ſubiungam capellanos, capellaniæ enim inter beneficia, ſeu officia Eccleſiaſtica adnumerantur, ſed nolo vos ignorare, capellæ vocabulum plerumque ſignificare Eccleſiam parochialem, ſic enim accipitur *in tit. de cap. monach. & cauſa* 16. *quæſt.* 2. *in principio & fine*, vndè & capellani dicuntur Rectores parochialium Eccleſiarum, *Clem.* 1. §. *quidam præterea, de exceſſ. præl. & cap.* 1. *de cap. monach.*

2. Quandoque verò capella, ſignificat locum quemdam in Eccleſia, vel extrà Eccleſiam Deo conſecratum, dico vel extrà Eccleſiam, nám & in priuatis ædibus oratoria, & capellæ haberi poſſunt, non tamen vt ibi miſſa celebretur, niſi ex conſenſu diœceſani, *can. vnicuique & duobus ſequentibus de conſecrat. diſt.* 1. neque vt ibidem campana habeatur,

Digitized by Google

aut pulſetur, *cap. patentibus de priuileg.* licet *Panorm. in d. cap. patentibus*, dicat campanellam habere poſſe, & de his oratoriis eſt *cap. vlt. de cenſ.*

3. Cæterùm capellæ illæ, ſeu oratoria, etiam beneficiis Eccleſiaſticis admunerantur, ſi ex auctoritate Epiſcopi, dotem habeant conſtitutam, id eſt, reditus annexos, & hæc beneficia vulgò capellaniæ appellantur, *Rebuffus in praxi & in tract. nominat.* aliàs vicariæ, ſeu altaria.

4. Non nego tamen quin capellani dicantur aliquando, qui neque capellam, neque beneficium vllum habent, & eo ſenſu, non modò ſummus Pontifex, plures capellanos habet, diuerſi generis, gradus, & priuilegij, alios cum ſtipendio, alios commenſales, alios honorarios, de quibus conſulendus *Ioannes Galli. quæſt.* 31.

5. Sed etiam reges ac principes, ac præſertim noſtri, ſuos habent capellanos, nam quod notandum eſt, ipſum capellæ, atque adeò capellanorum vocabulum, plerique exiſtimant, à regibus noſtris originem habuiſſe, apud quos cappa ſancti Martini, (ſic enim pallium, aut partem pallij, quæ ab humeris dependet, appellare ſolebant) in tanto honore fuit, vt in prælia deferrent, quaſi victoriæ Ilicem.

6. Et ex eo eſt, quod clerici quorum cuſtodiæ commendabatur, capellani, & loca in quibus deponere conſueuerant, capellæ ſunt appellatæ, qua de re conſule *Valafridum Strabonem cap. finali de monumentis rerum Eccleſiaſticarum & Beatum Rhenanum & inſuper Greg. Tholoſ. in ſintagm. I. lib. 15. cap. 29. Guidonem Papæum in quæſt. 107. & 87. & ibi Ferrerium* & è multis ad eundum *Lexicon Schardij in verbo capella*, nec omittendus tractatus *Ioan. Fileſaci de ſacra auct. Epiſc. cap. 9. §. 15.* vbi archicapellani, qui cæteris præſit, mentionem habet.

---

§. VIGESIMVS-OCTAVVS.

De Præſtimoniis.

1. *Præſtimonia vndè dicuntur, & an ſint beneficia.*
2. *Præſtimonia quando beneficia, non cenſeantur.*
3. *Præſtimonia accedunt præbendis, à canonicatu ſeparatis.*
4. *Eorum exempla in Eccleſia compoſtellana, & ſancti Martini Turonenſis.*

1. A Capellanis venio ad præſtimonia, quod nomen puto à præſtando deductum eſſe, vt præbendæ à præbendo: præſtimonia autem quandoque ſunt beneficia, quandoque non, beneficia dicuntur, ſi miniſterium aliquod ſpiritale coniunctum habeant, *Greg. Tholoſ. inſtit. beneſ. cap. 11. num. 9.* veluti horarum canonicarum recitandarum obligationem iniunctam.

2. Nam quæ ſtudiorum cauſa, & fauore, aut pro ſubſidio aduersùs infideles conſtituta ſunt, aut aliàs laïcis deputata, non ſunt propriè beneficia, cuiuſmodi pleraque extant in Hiſpania, vt refert, *Staphilæus in tractatu litterarum gratiæ in quinta forma exſpect. & teſtatur Greg. Tholoſ. inſtit. beneſ. iiſdem capite & numero, & lib. 15. ſintagm. I. cap. 30. Rebuff. in praxi, & alij plerique.*

3. Et hæc quidem præſtimonia, accedunt quodammodo præbendis, vel reditibus beneficiorum, à canonicatu ſeparatis, quos laïcis aliquando, ratione officij, in Eccleſia exhibiti, præberi diximus, ſicut enim præbendæ illæ à præbendo dictæ ſunt, ità præſtimonia à præſtando, vt ſolo ſono & voce, differre videantur: vndè *Concilium Trident. in ſeſſ. 5. de reformat. cap. 1.* dum de ſalario ſacræ Theologiæ Lectori præſtando agit, iiſdem verbis præbendæ & præſtimonij vtitur.

4. Sed & eorum exemplum quoddam profert egregium; *Bernardus Compoſtellanus, in Lectura libri primi decretalium, tit. de conſtit. in cap. cum M. Ferrarienſis* vbi in Eccleſia Compoſtellana, & ſancti Martini Turonenſis, laïcis nobilibus, paupertatis ſubleuandæ cauſa, præbendas inferri dixit, ex quibus quamuis prębendati dicantur, tamen canonici non fiunt.

Digitized by Google

§. VIGESIMVS NONVS.

De Prioratibus ſimplicibus.

1. *Series & progreſſus huius tractatus.*
2. *Prioratuum ſimplicium quænam origo.*
3. *Prioratus ſimplices, quando ſæcularibus commiſſi.*
4. *Vndè Prioratus ſimplices dicti.*
5. *Quando Prioratus vnitus eſt parochiæ, non deſinit eſſe ſimplex beneficium.*
6. *Quænam ætas in Prioratibus ſimplicibus requiſita.*
7. *Quid conſilio Tridentino inductum, quid moribus ſeruetur.*

1. HIs omnibus ſubiiciam aliud genus ſimplicis beneficij, quod vulgò Prioratus ſimplex appellatur, ad differentiam Prioratus conuentualis, vel clauſtralis, de quibus dictum eſt ſuprà, *in tractatu de dignitatibus*, §. *octauo*: quorum tamen Priori magis ſpeciei accedit, cum vterque ſit beneficium, poſtremus verò, ſiuè Prioratus clauſtralis, ſimplex ſit tantùm commiſſio.

2. Eſt autem Prioratus ſimplex, veluti quædam portio Abbatialis patrimonij, ſiuè conuentualis menſæ, ad quam regendam & adminiſtrandam, cum aliàs monachus, vel ſolus, vel cum ſociis deputaretur: ædificatis ibidem & conſtructis capellis, vt Dei ſeruitio, & regulæ obſeruationi inſiſterent, huius dominij, & poſſeſſionis ſolitariæ commodo, ità allecti, vt continuò tanquam formata, & ſeparata beneficia, ſub auctoritate ſummorum Pontificum poſſidere tentauerint.

3. Et eorum exemplo, clerici ſæculares eadem beneficia, ex primæua origine regularia, primùm ſibi commendari curauerunt, vt obſeruat *Carolus Oſſellius lib.* 5. *offic. cap.* 6. *num.* 16. quæ tandem à Cardinalibus, vel ab aliis cum diſpenſatione, tanquam ſæcularia beneficia poſſeſſa, ſæcularia permanſerunt, cum ea qualitas longa poſſeſſione adquiri poſſit, quæ in dubio beneficiis inſita habetur, propter primæuum Eccleſiæ ſtatum, vt mox dicemus.

4. Ex quibus illud patet primum, quoties beneficium ità eſt ordinatum, vt duo tantùm non plures, in eo miniſterium exerceant, ſimplicem Prioratum appellari, *gloſſa cap. nobis, in verbo, conuentuali de iure patron.* idcircò autem ſimplex dicitur, quia neque dignitatem habet, vt Prior qui collegio præeſt, neque curam animarum, ſaltem actu adiunctam.

5. Nam & plerumque contingit, vt Eccleſia parochialis, pendeat à Prioratu, nec tamen per ipſum Priorem, ſed per Vicarium perpetuum exerceatur, quo caſu non deſinit eſſe ſimplex Prioratus, ſi quidem cura animarum videtur eſſe penès vicarium perpetuum, magis quàm penès eum, à quo Eccleſia dependet, vt probatum eſt ſuprà.

6. Et ideò ſunt qui exiſtiment, in huiuſmodi Prioratibus, ſufficere ætatem ſeptem annorum, quod velim accipi de Prioratibus ſæcularibus, nam in regularibus exigitur ætas 20. annorum, *Clementina* 1. §. *caterùm de ſtatu monach.* qua de re conſule *Panormitanum in cap. ſuper inordinata, de præb.*

7. Verum in *Concilio Tridentino ſeſſ.* 7. *tit. de reformat. cap.* 5. nominatim cautum eſt, nè in minoribus ordinibus conſtitutus, poſſit antè decimum quartum annum, beneficium quodlibet obtinere, quod tamen moribus noſtris non comprobatur, vt teſtatur *d. Loüet, in poſthuma collectione decretorum, littera* E. *numero* 2.

§. TRIGESIMVS.

Diuiſio Beneficiorum in ſæcularia, & regularia.

1. *Ordo & ſeries huius tractatus.*
2. *In dubio beneficia præſumuntur ſæcularia.*

3. *Quomodo regularia beneficia conſtituantur.*
4. *Ex quibus cauſis beneficium regulare, vel ſæculare efficiatur.*
5. *Regularia regularibus, ſæcularia ſæcularibus conferenda.*
6. *Regularis ad Epiſcopatum promoueri poteſt, & quæ promoti priuilegia.*
7. *Regularis ad Epiſcopatum promotus, non ſuccedit cognatis.*
8. *Tamen regulari ad Epiſcopatum promoto, ſuccedunt cognati.*
9. *Parochiales Eccleſiæ Monaſteriis vnitæ, ſæcularibus committuntur.*

1. INitio huius tractatus, duas beneficiorum diuiſiones, daturum me ſpopondi, trimembrem vnam, vt ſint quædam cum dignitate, quædam cum cura, quædam verò ſimplicia, cuius diuiſionis membra ſigillatim explicaui, ſequitur altera bimembris, quæ beneficia quædam ſæcularia, quædam regularia, conſtituit.

2. Verum ſæcularia dicuntur, quæ clericis ſæcularibus tantùm, regularia quæ regularibus item debentur, conſtat autem inter omnes, antiquum ac primarium ſtatum beneficiorum, ſæcularem fuiſſe, nam & Chriſtus, & Apoſtoli eius, atque eorum ſucceſſores, ſæculares fuere, communem vitam agentes, *Rebuffus in praxi*, quarè omnia beneficia in dubio ſæcularia eſſe præſumuntur, *Pechius ad cap. 1. de reg. iur. in 6. num. 5. & ſequenti.*

3. Sunt etiam quædam regularibus obnoxia, vel ex inſtituto, & fundatione, vel ex præſcriptione, *gloſſa in §. item placuit, in verbo, regularibus, de collat. in pragm. ſanct. Ioannes de Selua in tractatu de beneficiis, parte 1. quæſt. 4. num. 22.* ex fundatione, ſi nominatim cautum fuerit, vt per regulares regantur, ex præſcriptione, ſi ſæcularia per 40. annos, per regulares fuerint poſſeſſa pacificè & ſine lite.

4. Sed & eodem modo poſſunt etiam fieri ſæcularia, beneficia, *cap. cum de beneficio de præb. in 6.* vbi legitima præſcriptio intelligenda eſt 40. annorum, quæ in rebus Eccleſiaſticis locum habet, *cap. de quarta & cap. auditis, de præſcript.* qua de re velim conſulas *deciſionem rotæ 32. in nouis, tit. de præb. & Staphilæum de litt. gratiæ* in octaua forma exſpectatiuarum.

5. His cognitis ſciendum eſt, regularia regularibus, ſæcularia ſæcularibus eſſe concedenda, *d. cap. cum de beneficio, in fine §. volumus, de collat. in concordatis*, idque adeo verum eſt, vt cum regularium plures ſint ſpecies, non poſſint beneficia vnius ordinis, ſeu regulæ, vt putà ſancti Auguſtini, conferri religioſis alterius regulæ, vt putà ſancti Benedicti, *Clement. 1. de ſuppl. neglig. præl. cap. cum ſingula in fine, de præb. in 6. & Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 10. de reformat.*

6. Poſſunt tamen religioſi, in Epiſcopos ſæcularium Eccleſiarum eligi, *Clem. 1. de elect. & el. poteſt*, quo caſu monaſticę regulę iugo ſoluuntur, *can. ſtatutum 18. quæſt. 1.* nec tamen illius canonis deciſio apud nos probatur, in eo quod, tales Epiſcopos ad legitimas ſucceſſiones admittat.

7. Namque aliud iudicauit Senatus Pariſienſis, die 11. Maij anni 1638. in publicis cauſarum actionibus, è catalogo Pariſienſi recitatis, circà controuerſiam ab Epiſcopo Riuenſi, è Minimorum familia, & monaſterio, ad Epiſcopatum euecto, agitatam in foro, quem à ſucceſſione delata ſenatus penitùs excluſit.

8. Nec tamen omittendum, id ità fuiſſe ſtatutum, quamuis aliàs regularis ad Epiſcopatum promoti, ſucceſſionem, ſenatus idem conſanguineis adiudicaſſet, pluribus decretis à *d. Louetio in poſthuma decretorum collectione relatis, & ab eius Scholiaſte litt. E. num. 4.* nec in eo contrariorum, & ſibi inuicem oppoſitorum, eadem regulà & deciſio eſſe agnoſcitur.

9. Sed & illud obſeruandum eſt, vbi parochiales Eccleſiæ, regularibus beneficiis ſunt annexæ, ad regimen Eccleſiarum, ſæculares, vt plurimùm admitti, quia illud ſæculare eſt, *cap. 1. §. cæterum de ſtatu monach.* cum vix regularibus, permittatur curam animarum exercere, vt probatum eſt ſuprà.

Digitized by Google

§. TRIGESIMVS-PRIMVS.

De his quæ Beneficiis accedunt, nec ſunt Beneficia.

1. *Continuatio diſputationis, & cum præcedentibus connexio:*
2. *Hoſpitalia non ſunt beneficia.*
3. *Probatur beneficiis non adſcribi Hoſpitalia, quamuis reditibus Eccleſiaſticis ditentur.*
4. *Qua forma prouidendum Hoſpitaliis.*
5. *Quando Capellæ Hoſpitaliis vnitæ, cenſeantur beneficia.*
6. *Non ſubſunt decimarum præſtationi Hoſpitalia.*
7. *Quid commendarum Melitenſium nomen importet.*
8. *Præceptoriæ Melitenſes inter beneficia recenſentur.*
9. *Melitenſes milites, parentibus nullatenùs ſuccedunt.*
10. *Præceptoriæ titulus, non penès commendatarium, ſed penès ordinem reſidere dicitur.*
11. *Burſæ & præfecturæ ſcholaſticæ, non ſunt beneficia.*
12. *Quando beneficia cenſeantur.*
13. *Profertur decretum Curiæ Pariſienſis beneficiis adſcribens.*
14. *Penſiones Eccleſiaſticæ beneficiis non annumerantur.*
15. *Penſiones congruæ beneficiis adſcribuntur.*
16. *Mandatis de prouidendo grauatus, non liberatur præſtando penſionem.*
17. *Qui mandato renunciauit penſione conſtituta, non poteſt aliud obtinere, niſi facta renunciationis mentione.*
18. *In impetrationibus beneficiorum, mentio debet fieri penſionis.*
19. *Penſiones hodiè priuata auctoritate diſſoluuntur.*
20. *Penſiones per contractum matrimonij, finem accipiunt.*
21. *In quibus differant penſiones, à beneficiis.*
22. *Penſiones commutationem cum beneficiis non admittunt.*
23. *Laici quandoque penſionum Eccleſiaſticarum capaces, licet non ſint beneficiorum.*
24. *Penſiones priuata auctoritate redimi poſſunt.*
25. *Penſiones Eccleſiaſticæ vacare non ſolent, nec impetrari.*
26. *Vtrum penſiones, decimarum præſtationi ſubſint.*
27. *Quandoque penſiones, decimarum præſtationi ſubſunt.*

1. HÆc de diuiſione beneficiorum dicta ſufficiant, niſi quis hoc loco inquirendum putet, an Hoſpitalia vt vocant, & Hieroſolimitanorum militum præceptoriæ, *les Commanderies des Cheualiers de Malthe*, burſæ, & dignitates ſcholaſticæ Collegiorum, atque etiam penſiones, beneficiis impoſitæ, ipſis beneficiis adſcribi debeant nec-ne.

2. Quantum ad hoſpitalia attinet, cuiuſcumque generis illa ſint, ſiuè Xenodochia, Noſocomia, Gerontocomia, Brephotrophia, Leproſariæ, Eleemoſinariæ, ac ſimiles, quæ domus religioſæ appellantur, vt monaſterium ſancti Antonij de Vienna, & præceptoriæ quæ ab eo dependent, vt potè Antoniano Morbo affectis deſtinatæ, vt refert *Chopinus lib. 1. de ſacra politia, tit. 2. num.* 7. hæc, inquam, & ſi quæ alia, non recenſentur inter beneficia Eccleſiaſtica.

3. Quamuis enim Eccleſias, vel Capellas, aut decimas, aliaue ſpiritualia iura annexa habeant, *Clem. 2. de præb.* nec tamen vlli in titulum beneficij concedi poſſunt, vt habetur *in deciſ. rotæ* 265. & 584. *in antiquis & apud Staphilæum de litteris gratiæ in forma quinta exſpectatiuarum.*

Digitized by Google

4. Sed hoc ità ſeruatur, niſi aut in fundatione ſecùs fuerit conſtitutum, aut per electionem de Rectore huiuſmodi locorum, fuerit prouidendum, *Clement. quia contingit* §. *vt autem de relig. dom.* vbi dicitur duobus his caſibus exceptis, viris idoneis, ac boni teſtimonij, huiuſmodi loca committi debere, quod & regum noſtrorum conſtitutionibus, expreſsè cautum eſt, hoc addito vt ſingulis quoque trienniis, rationes adminiſtrationis reddere cogantur.

5. Quod ſi capellæ ipſæ cum Noſocomio, ſubiiciantur nominationi patroni, & ordinarij præſulis inſtitutione conferantur, nihil prohibet, quominus Eccleſiaſtica beneficia eſſe cenſeantur, vt iudicatum eſſe refert in ſenatu, *Chopinus lib. 3. de ſacra polit. tit. 5. num.* 12. cum in titulum & in perpetuum conferantur.

5. Idemque euenit, ſi Eccleſiis, aut beneficiis vnita fuerint Hoſpitalia, quia cum vnio, ex duobus vnum conſtituere ſoleat, *cap. ſicut vnire de exceſſ. prælat. Rebuffus in tract nominat. quæſt.* 15. *num.* 14. *& ſequenti*, Hoſpitalia beneficiis coniuncta, per vnionem ipſorum naturam mutuantur.

6. Cæterum, quòd dixi, regulariter Hoſpitalia, non cenſeri tanquam beneficia, ex hoc maximè apparet, quòd decimarum præſtationi, non ſint obnoxia, *les Hoſpitaux ne ſont point ſuiets aux Decimes comme les Benefices*, *Guim. in pragm. ſanct. tit. de annatis* §. *volumus, in verbo, beneficiorum*: & quod reditus eorum, pauperibus, aut infirmis ſunt deſtinati, non verò clericis.

7. Ab Hoſpitaliis & religioſis domibus, tranſeo ad præceptorias Melitenſium militum, Ordinis ſancti Ioannis Hieroſolimitani, nam & hi Hoſpitalarij vocantur, *in capit. cum ſæculum, de iure patron.* & præceptores, *in capit. deputati de iudiciis*, corrupto vocabulo, cum potius commendatarij, & beneficia ipſa commendæ appellari debeant, quæ & Gallica lingua exponit, *Commandeurs, Commanderies*, de quibus idem quæri video; an ſint beneficia.

8. Verum ego nihil moror, quin beneficiis adſcribam, quibus etiam adſcribuntur à Quintino eiuſdem ordinis milite *in cap. de multa, de præb. & à Barbatio in Clem* 3. *de elect. Rebuffo in tract. nominat. quæſt.* 15. *num.* 18. nam & ipſi milites religioſi vocantur, & tribus ſolemnibus votis ſeſe aſtringunt, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ.

9. Ex quibus patet, quàm verum ſit quod dicitur, eos ſæculum reliquiſſe, *in d. capit. cum ſæculum, de iure patron.* nec parentibus ſuccedere, apud Chopinum *lib.* 3. *de ſacra polit. tit.* 1. *num.* 26. *Ioan. Stephanum, Durantum in quæſt. iuris, quæſt.* 6. & inter plures alios vide *d. Louetium in poſthuma decretorum collectione litt. c. num.* 8. *& ibi ſcholiaſtem*, plura de Militenſium peculio diſputantem.

10. Nec tamen ipſa beneficia, videntur eſſe penès ſingulos milites, ſeu religioſos, ſed penès ipſum ordinem, qui ad tempus, & magiſtri nutum, ea commendare ſolet, vnde & commendæ dicuntur, *Commanderies*, & ipſi religioſi commendatarij, *Commandeurs*, quibus verbis oſtenditur, eos eſſe beneficiorum adminiſtratores magis, quàm beneficiarij, vt docuit idem Quintinus locis ſupradictis.

11. Scholaſticas porrò burſas, & præfecturas, non eſſe beneficia, nec beneficiorum legibus teneri, Senatuſconſulto Pariſienſi deciſum eſt, referente Chopino *lib.* 1. *de ſacra polit. tit.* 5. *num.* 13. ex quo colligere eſt, nec etiam nominationibus ſcholaſticis ſubeſſe, vt patet ex eodem decreto, vulgò *Gemelli* dicto.

12. Et tamen illud ità verum eſt, ſi ad tempus conferantur, nam ſi in titulum, & clericis tantùm, non laicis, quid vetat beneficiis adſcribi, ità ſentit *Rebuffus in tract. nominat. quæſt* 15. *num.* 20 *& ſequenti*, *Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap.* 11. *num.* 8. de capellis, & Eccleſiis ſancti Saluatoris, in Suburbiis Montiſpeſſulani, & Sanctæ Trinitatis Maguelonenſis.

13. Et ad illud accedit, quod hiſce diebus decreuit ſenatus, in cauſa quæ vertebatur inter Ioannem Duuallium, presbiterum, & capellanum in capella collegij Sagienſis, ex permutatione canonice inſtitutum, cui Iacobus *Iſſali* patrocinium præbebat, prouocantem tanquam ab abuſu, ab impetratione eiuſdem capellæ, & Michaelem *Viel* presbiterum, qui prædictam capellam, à collatore ordinario obtinuerat, cuique & ipſe aderam, prædictum enim Duuallium, in poſſeſſione eiuſdem capellæ, tanquam formati & perpetui beneficij, quietum fore pronunciauit, die 24. Aprilis anni 1651.

14. Poſtrema quæſtio eſt de penſionibus Eccleſiaſticis, vtrum beneficia eſſe cenſeantur, aut non, ſed cum beneficia, miniſterium aliquod ſpirituale annexum habeant, & plerumque etiam reſidentiam requirant, vt docui in primo & ſecundo capite huius tractatus, penſiones

Digitized by Google

penſiones autem, nec miniſterium, nec reſidentiam exigant, vt docent *Rebuff. de pacif. poſſeſſ. num.* 133. & *Gomeſ. in regulam Cancellariæ de infirmis quæſt.* 16. conſequens eſt, non eſſe beneficia.

15. Excipio penſiones, quæ Vicariis perpetuis debentur, quæque vulgò congruæ portionis appellatione ſignificantur, nam & hæ quæ ſpiritali miniſterio, & Curæ animarum cohærent, inter beneficia haberi debent, *cap. de monachis cap. exturpanda §. qui verò de preb.*

16. Cæteræ ergò penſiones, quæ ex fructibus beneficiorum, variis ex cauſis aſſignari ſolent, vt ſuo loco dicetur, non ſunt beneficia, nec in titulum conferuntur, & ideò qui mandatum accepit, vt alicui de beneficio prouideat, non implet mandatum, ſi loco beneficij, penſionem ei aſſignauerit, *cap. quamuis de preb. in 6.*

17. Et tamen qui pro huiuſmodi penſione beneficio renunciauerit, non poteſt alias litteras impetrare, niſi præcedentis illius renunciationis mentionem fecerit, *cap ad audientiam* 31. *de reſcript.* neque ideò magis exiſtimandum eſt, penſionem illam, eſſe beneficium, tametſi in quibuſdam caſibus, inſtar beneficij obtineat.

18. Sed in eo maxime, quod quemadmodum impetraturi beneficia, mentionem facere debent, eorum quæ iam habent, vt docui *in capite 3 ſub finem, de pluralitate beneficiorum*: ità & penſionum mentionem fieri oportet, & ità ſentit, *Panormit. in d. cap. ad audientiam Gomeſ. in regula Cancellariæ de infirmis reſignant. quæſt.* 16. *Rebuff. de pacif. poſſeſſ. num* 15. *Staphilæus in tract. litt. gratiæ in forma* 5. *exſpectatiuarum num.* 11. & *Coraſius lib.* 1. *paraphraſis ſacerd. cap.* 4. *num.* 5. *in fine*, *Greg. Tholoſ. in d. cap. ad audientiam, de reſcript.*

19. Item in eo conueniunt penſiones cum beneficiis, quod vt & beneficia vendi, aut redimi nequeant, niſi ex ſummi Pontificis auctoritate, quam propter periculum Simoniæ ſatius eſt adhiberi, *Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſſoribus num.* 134. *Duarenus de ſac. Eccleſ. miniſt. lib.* 6. *cap.* 4. quod tamen hodiè liberius obſeruatur, vt ſua Eccleſiæ, & beneficiis Eccleſiaſticis, libertas reddatur, cui tuendæ maximè ſtudere debemus.

20. Addo & aliam ſimilitudinem, inter penſiones & beneficia, quod eæ quæ Clericis loco beneficij conſtituuntur, veluti ex cauſa ceſſionis, reſignationis, aut tranſactionis, per contractum matrimonij extinguuntur, vt & beneficia *cap. quod à te. & cap. diuerſis, de cler. coniug.* & ità ſentit *Gigas in tractatu de penſ. Ludouicus Romanus ibidem, Coraſ. lib.* 1. *paraphraſis ſacerd. num.* 3. *Ludouicus Carondas lib.* 1. *pandect.*

21. Verùm in aliis, penſiones à beneficiis plurimùm diſtant, quod multis argumentis probat *Gomeſ. in regula Cancell. de infirmis reſigna. quæſt.* 16. vt mox oſtendam, nam penſio eſt quid merè temporale, vt docet *Rebuffus de pacificis poſſeſſ. num.* 132. & à natura beneficij plurimùm abeſt, quod eſt, quid merè ſpiritale.

22. Et ex eo eſt, quod cum ſpiritualia non poſſint permutari cum temporalibus, aut contrà, *cap. finali, de rerum permutat.* ſequitur penſiones, cum beneficiis non poſſe permutari, *Rebuffus de pacif. poſſeſſ. num.* 124. *gloſſa pragmat. ſanct. §. item quod vniuerſitates, in verbo, beneficiorum; titulo de collationibus.*

23. Sed & penſiones laicis aſſignari poſſunt, argumento *capit. poſſeſſiones* 16. *quæſt.* 1. quæ eſt ſententia *Rebuff. in tract. de pacificis poſſeſſoribus num.* 133. & 135. *Duaren. lib.* 6. *de ſacris Eccleſ. miniſt. cap.* 4. *Aufrer. ad cap. Tholoſ. quæſt.* 472. & aliorum indiſtinctè, qua de re infra dicetur: in proprio & ſpeciali capite de penſionibus Eccleſiaſticis, at laici beneficiorum capaces eſſe nequeunt, vt dicam in verbo, *Clerico*, infrà.

24. Beneficiis quoque, ſine licentia Superioris renunciare non licet, *cap. admonet*, & *toto titulo, de renunciat.* penſiones verò inconſulto ſummo Pontifice, vel Epiſcopo remittere vnicuique liberum eſt, cum ſit ius merè temporale, *Coraſ. lib.* 1. *paraphraſis ſacerd. cap.* 4. *Duarenus lib.* 6. *de ſacr. Eccleſ. miniſt. cap.* 4.

25. Ad hæc beneficia cum vacant impetrari poſſunt, penſiones verò ſtatim vt finiunt extinctæ, cum ipſo beneficio conſolidantur, exemplo vſusfructus, quia perpetuam cauſam habere non poſſunt, ne pleniori beneficiorum vſu, diuitius abſcedente, negligentius onera ſuſtineantur, neceſſariis ſubſidiis, quæ grauitatem onerum plerumque minuere ſolent, omninò ſubtractis.

26. Poſtremò, penſiones non ſubiacent decimarum præſtationi, quibus tamen ſubiacent beneficia, niſi penſiones in quota fructuum conſiſtant, & ità diſtinguit *Gerardus Mainardus lib.* 1. *notab. quæſt. cap.* 43. & 44. & hoc ius hodiè receptum eſſe

Digitized by Google

audio, ſub prædicta diſtinctione, & ſupremarum curiarum decretis firmatum.

27. Et tamen illud certum eſt, aliquando indiſtinctè iudicatum fuiſſe, in Senatu Pariſienſi, decimas etiam à penſionariis, pro rata præſtandas eſſe, vt refert *Pap. lib.* 3. *tit.* 5. *art.* 23. *&* 24. *& lib.* 5. *tit.* 13. *art.* 1. & ità Clerus Gallicanus, plerumque in conuocationibus, Regia auctoritate factis, id ſtatuit, vt habetur in collectione eorum, quæ in iiſdem conuocationibus decreta ſunt.

AD VOCABVLVM QVÆDAM.

CAPVT PRIMVM.

De Titulis Beneficiorum Eccleſiaſticorum.

1. *Quid ſignificet vocabulum definitionis* quædam.
2. *Quæ vocis*, quædam, *vis ac poteſtas.*
3. *Beneficiorum diſtinctio vel eſt ex titulo, vel ex reditu.*
4. *Vox quædam ſignificat diſtincta eſſe beneficia circà titulum.*
5. *Vndè titulorum origo, & vſus in Eccleſia.*
6. *Diſtinctio titulorum beneficij pendet à ſeparatione miniſterij, & loci.*
7. *Exponitur tituli Eccleſiaſtici, & beneficiarij natura.*
8. *Probatur ex* can. neminem, diſtinct. 70.
9. *Origo titulorum in patrimonio conſtitutorum.*
10. *Quod titulus beneficiorum propriè ſignificet Eccleſiam.*
11. *Quæ pœna ordinatorum, & ordinantium ſinè titulo.*
12. *Probatur ex antiquitatibus Gallicis, pœna ſtatuta in ordinantes abſque titulo.*
13. *Ordinantes ſinè titulo debent ſubminiſtrare neceſſaria vitæ ſubſidia.*
14. *In libris feudorum tituli vocabulum pro Eccleſiis vſurpatum.*
15. *Quid Eccleſia titulata, quid commendata.*
16. *Titulus patrimonij ſucceſſit titulo beneficij.*
17. *Quis modus & conditio tituli Clericalis, ex conſtitutionibus Gallicis.*
18. *An titulus patrimonij alienari poſſit.*
19. *Qui ſub titulo beneficij ordinatus eſt, non prohibetur renunciare.*
20. *Quandoque ordinatio valet ſub imaginario titulo.*
21. *Quid ſeruandum, vbi ſub alieno titulo facta ordinatio.*
22. *Titulus tantum ijs neceſſarius, qui maiores ordines ambiunt.*
23. *Tituli Cardinalium vndè originem habuerunt.*
24. *Cardinales in titulis Epiſcopalem iuriſdictionem exercent.*

1. INITIO huius tractatus beneficium definiui *militiam quamdam, &c.* quo vocabulo *quamdam* ſignificare intendo, beneficia omnia eſſe diſtincta, & ſeparata, & certis quibuſdam Eccleſiis adſignata, vel certè ex eo, quod quælibet redituum portiones, diſtinctæ, & ſeparatæ, cuilibet beneficio adſignentur.

2. Eſt enim huius vocabuli *quædam* vis ac poteſtas, vt quamuis rem nominatim non

Digitized by Google

deſignet, eam tamen ità denotet, vt ab alia ſeparet, & ſecernat, vndè apud Philoſophos vox illa *quidam*, indiuidui naturam ſortitur, ſaltem vagi, vt aiunt, qua ratione fluxit, vt in monitoriis litteris, in quibus nominatim eloqui non licet, ſub hac formula certus quidam, rei deſignentur.

3. Diſtinctio autem beneficiorum, vel à titulo pendet, vel à reditu, nam vt ſuus cuique beneficio titulus, ità & reditus debet aſſignari, ſed de reditu beneficiorum aliàs dicetur, in verbo *cum ſuo reditu*, nunc igitur agendum de titulo, de quo proprius incidit hic locus.

4. Verum enim cum dico beneficium eſſe militiam quamdam, ſimul hoc dico, omne beneficium habere proprium titulum, quo velut ſuo nomine ab aliis diſcernitur, vt enim ait d. Petrus Chriſologus, quem in præfatione huius tractatus in id laudauimus, *ſicuti Dominum, limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipſa ſæpe indicant, & teſtantur inſignia.*

5. Sunt enim qui titulorum beneficij vſum, & communem loquendi formulam, ex eo inuectam fuiſſe in Eccleſiam contendant, quod templis, vel altaribus, tituli inſcriberentur, à quibus nomen ſuum ſortiebantur, vt habemus *Act. cap.* 17. eximium illud teſtimonium, altaris apud Athenienſes inſtituti, & ignoto Deo inſcripti, vel ab inſcriptione clericorum, vel intitulatione in codicem, vel matriculam, cuiuſlibet Eccleſiæ, vndè intitulari dicebantur, *in can. ſanctorum diſtinct.* 70.

6. Titulum autem cum dico, certum & definitum miniſterium dico, non tantùm ratione adminiſtrationis, ſed & ratione loci, qui clerico cuilibet aſſignatur, eadem ratione, qua cum idem Chriſologus, milites armatæ militiæ (inter quos & noſtræ cœleſtis, ſiue clericos, cognationem quamdam intercedere diximus) certis quibuſdam titulis adſcribi, teſtatus fuerit, titulos ſic explicat, vt certæ cohorti, vel legioni, adſcribantur.

7. Verum enim ſic titulum beneficij, ſtudioſus ille ac diligens, antiquitatis Eccleſiaſticæ perſcrutator, Boëtius epo, definiuit vel potius deſcripſit, in tractatu prouentuum Eccleſiaſticorum num. 19. *vt ſit firmum quid fixumque, quod publicè receptum ſignificet, vel etiam quod ſtabile ſit, permaneatque ſolo inhærens, inſcriptione etiam num templis & altaribus ſuperaddita, quæ propriè, tituli nomen ſortitur.*

8. Et huic loquendi formulæ accedit quod olim Concilio Calchedonenſi fuerat conſtitutum, *vt nemo in clericum ordinaretur, niſi in Eccleſia ſuæ ciuitatis*, additur in *can. neminem diſtinct.* 70. qui ex eodem Concilio deducitur, *vel poſſeſſionis*, & id malè, nam in Græco legitur κώμης id eſt *vici*, vt videre eſt in notatis ad illum canonem & apud *Mainardum lib.* 1. *quæſt. cap.* 1.

9. Namque illud vocabulum malè acceptum, titulorum ſacerdotalium in patrimonio conſtitutorum, morem in Eccleſiam inuexit, quod repugnat menti, & eiuſdem canonis veræ interpretationi, vt innuunt ſequentia eiuſdem canonis verba, *in martirio vel monaſterio, alioquin vt ordinatio eſſet irrita.*

10. Quoniam ergò ſingula beneficia, certo loco ac miniſterio circumſcripta erant, tituli appellabantur, veluti in *can. ſanctorum 70. diſtinct.* quo loco ſanctorum omnium, ſtatutis cautum dicitur, vt ſinè titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua Eccleſia quilibet intitulatus fuerit, in ea perpetuo perſeueret, ſinè titulo, id eſt ſinè Eccleſia, ſinè beneficio.

11. Sed hoc aliquatenùs immutatum eſt, Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. habito, neque enim voluit Concilium, irritam eſſe ordinationem ex eo quod, ſinè titulo facta ſit, ſed Epiſcopum, qui inopem clericum ordinauerit, non aſſignato ei titulo, tamdiu ei vitæ neceſſaria ſubminiſtrare, donec in aliqua Eccleſia, ſeu beneficio, clericalis militiæ ſtipendia, ei aſſignauerit, *cap.* 4. *& cap. cum ſecundum* 16. *de prab. & cap. ſi Epiſcopus* 37. *eod. tit. in* 6.

12. Et quidem huius rei exemplum illuſtre ſubminiſtrant, *antiquitates Galliæ à præſide Falcetio Collectæ cap.* 11. vbi Bertrandus Oreſtes, & Palladius Epiſcopi, qui Fauſtinianum à pſeudo-rege Gombaldo nominatum, conſecrauerant, abſque vllo alio titulo, eidem ab Epiſcopatu ſubmoto, centum aureos annuos, in vitæ ſubſidium alternatim, & annuatim perſoluere condemnati ſunt.

13. Et in ſumma iubentur Epiſcopi, vel nullos ordinare, vel ordinatis dare, vndè viuere poſſint, *cap.* 2. *eod. tit. de præb.* quod capitulum ſumptum dicitur, ex corpore canonum, condito ſcilicet auctoritate Adriani Papæ, & dedicato Carolo Magno, de quo in altero volumine probationum libertatum Eccleſ. Gall. *cap.* 31. & omnino congruit *nou. Iuſtin.* 3.

Digitized by Google

14. Sed neque prædictis tantum locis, nimirum *can. ſanctorum diſt.* 70. *cap.* 2. & 16. *de præb. &* 37. *eod. in* 6. tituli pro beneficiis accipiuntur, verum etiam & in libris feudorum *lib.* 1. *tit.* 2. vbi dicitur *item ſi Epiſcopus, vel Abbas, vel Abbatiſſa, vel Dominus plebis, feudum dederit, de rebus Eccleſiarum, quæ ei ſubiecta ſunt, & tituli vocantur.*

15. Sed & in *cap. dudum* 54. *de elect. in fine*, Eccleſia intitulata dicitur, quæ in titulum alicui aſſignata, & conſcripta eſt, vt pluribus explicat *gloſſa eiuſdem capit. in verbo intitulata & can. qui plures* 21. *quæſt.* 1. quod illam quaſi animo Domini poſſideat, ad differentiam commendatæ Eccleſiæ, quam commendatarius tanquam procurator, vel depoſitarius tantùm poſſidet, *cap. nemo, de elect. in* 6.

16. Non nego tamen, quin potuerint olim, & poſſint hodie, fieri ordinationes etiam ſinè titulo, dummodo ordinandi, ſufficiens habeant patrimonium, vndè ſe exhibere poſſint, *cap. tuus de præb. can. clericos & ſequenti* 1. *quæſt.* 2. atque ita Romulus, neminem ad ſacerdotium, promoueri voluit, niſi qui ſufficientes opes haberet, vt refert *Dionyſ. Halicarnaſ. lib.* 2. antiquitatum Romanarum.

17. Cæterum regum noſtrorum conſtitutionibus Aureliæ latis anno 1560. nemo in presbiterum eſt ordinandus, cuius patrimonium non ſit, ſaltem quinquaginta librarum, annui reditus, ſub teſtatione quatuor fideiuſſorum, qui eam ſummam fidei ſuæ eſſe iubeant, hoc addito, vt reditus ille alienationi, aut obligationi in futurum non ſit obnoxius, viuo eo qui ordinatus eſt.

18. Et ea ratione deciſa eſt quæſtio, num titulus patrimonij alienari poſſet nec ne, qua de re anxiè olim diſputabatur, vt videre eſt apud *Panormitanum in d. cap. tuus* 23. *de præb. & ibi gloſſa eod. & apud Greg. Tholoſ. in ſintagm. iur. lib.* 25. *cap.* 9. *num.* 2. *& Rebuff. de reſcript. in forma commu. num.* 25.

19. Sed idem quæſitum de titulo Eccleſiaſtico, an ſcilicet is qui ſub titulo beneficij, ad maiores ordines promotionem meruit, eidem renunciare poſſit, & quamuis in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 2. ſtatum fuiſſet renunciari non poſſe, tamen aliud moribus noſtris obtinuit, namque extemporali decreto Curiæ Pariſienſis, in publicis cauſarum actionibus pronunciato, perorantibus Annæo Roberto, & Dionyſio Butillerio reſignatio eius beneficij, cui reſignans ad ordines ſacros promotus intitulatus fuerat, confirmata eſt.

20. Nemo ergò ſinè beneficio eſt ordinandus, vel ſine patrimonio, quod eſt vice tituli, *d. cap. tuus* tametſi etiam poſſit quis, ſub imaginario titulo ordinari, id eſt, eius Eccleſiæ, quæ ab infidelibus occupata ſit, quaque ipſe qui ordinatur, frui non poſſit, vt dictum eſt ſupra, vbi tractatum eſt de beneficiis, curam animarum habentibus.

21. Sed & ſub alieno titulo, ſeu beneficio ordinari, quo caſu tenetur is, qui in ſuum titulum quemlibet præſentauit, ità ordinatum exhibere, eique vitæ ſubſidia præſtare, nec valet conuentio in contrarium, velut Simoniaca, *cap. per tuas de Simonia*, ne fraus fiat Eccleſiæ, in cuius dedecus mendicare cogeretur, vel ordinanti, qui aliàs promoto, abſque titulo vel Eccleſiaſtico, vel patrimoniali, neceſſaria vitæ ſubſidia ſubminiſtrare teneretur.

22. Sed quod diximus, de non ordinandis clericis ſinè titulo, locum non habet in iis, qui ad inferiores ordines promouentur, namque hi titulo opus non habent, ſed qui ad ſuperiores tantum aſpirant, putà Presbiteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum *d. cap.* 2. *& cap. tuus, de præb. & d per tuas* 37. *de ſimonia.*

23. Ex his ergò apparet, beneficia non eſſe vaga, atque incerta miniſteria; ſed proprio titulo, id eſt munere, & loco, atque etiam appellatione, alia ab aliis diſtincta, quod & in Cardinalibus hodie ſpectare licet, qui quamuis eadem omnes dignitate ſint præditi, tamen ſinguli proprios habent titulos, ab Eccleſiis quibus præficiuntur, vt Cardinalis tituli ſanctæ Crucis, ſancti Marcelli, ſanctæ Sabinæ, & aliorum ſimilium.

24. Sed & in his Eccleſiis, vice Epiſcoporum habentur presbiteri Cardinales, & omnia eorum munera exercent, in ſibi ſubditos, vt notat *Panormitanus in capit. his quæ, de maior. & obed.* hoc eſt in eos qui in inferioribus Eccleſiis præficiuntur, quæ titulatæ, tanquam maiori ſubiiciuntur.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

De prohibita ſectione Beneficiorum.

1. *Singuli Clerici ſingulis Eccleſiis inſtituendi, & titulis præficiendi.*
2. *Probatur argumento matrimonij corporalis.*
3. *Plures in vna ſede morari non poſſunt.*
4. *D. Auguſtinus ſedit cum Valerio Epiſcopo Hyponenſi, & quarè.*
5. *Turonenſi Concilio damnata ſectio Beneficiorum.*
6. *Diſcutitur Concilij Turonenſis ſanctio.*
7. *Quibus ex cauſis beneficia diuidi poſſunt.*
8. *Exemplum duorum, Antiochenæ ſedi præfectorum.*
9. *Diſtantia locorum diuidendæ Eccleſiæ locum facit.*
10. *Nota* ad cap. vacante, de præb. & dignit.
11. *Tentatur apud nos Epiſcopatus diuidi poſſe, etiam ordinaria poteſtate accedente.*
12. *Nota* ad cap. cum inferior, de mai. & obed.
13. *Epiſcopatus maioris conſiſtorij beneficia dicuntur.*
14. *Iure noſtro ſeruatur vt Epiſcopatus diuidi non poſſint, vel vniri, niſi ex conſenſu regio.*
15. *Minorum beneficiorum ſectio fit ab Epiſcopis.*
16. *In diuidendis minoribus beneficiis conſenſus capituli requiritur.*
17. *Quid ſit præbendam integrari, & quibus ex cauſis.*
18. *Penſio non ſolet diuidere beneficia.*

1. CVm ergò ſingula beneficia, ſingulis titulis ſint diſtincta, maximè caueri oportet, nè confundantur, quod vtique eueniret, ſi vnus atque idem titulus, in duos diuideretur, aut duobus in ſolidum aſſignaretur; hinc fit, vt ſinguli, per ſingulos titulos ordinari debeant, *cap. Epiſcopi* 80. *diſtinct. can. ſingula* 89. quod & pluribus probat *Andræas Duſauſſay Officialis Pariſienſis, in tractatu de Epiſcop. Monogam. & vnit. aduerſus ſectionem Eccleſiæ Lingonenſis.*

2. Namque Eccleſia, quæ ſponſæ, & vxori comparatur, non debet more ſcorti, inter plures diuidi, *can. ſicut vna* 21. *quæſt.* 2. *can. in apibus* 7. *quæſt.* 1. *cap. cum non ignores de præb. & cap. quoniam, de officio ordinarij Philipp. Prob. in addit, ad gloſſam pragm. ſanct. in proemio* §. *quibus ad plenum, in verbo, dotauit*, quod & ſuprà confirmauimus in *capite præcedenti*, §. 23 de rectorum inſtit. & deſtit. auctoritate Concilij Oxonienſis & Londinenſis quæ habentur in *tomo* 3. *Concil. parte* 2. *Binianæ editionis.*

3. Nec enim poſſunt plures, in vna eademque ſede ſimul inſtitui, quod de ſeipſo *D. Auguſtinus epiſt.* 110. profitetur, dum ait, ſe aſſediſſe cum patre & Epiſcopo ſene Valerio, ignarus eorum quæ in Nicæna Sinodo prohibita fuerant, quod notat *Seuerinus Binius ad can.* 8. *eiuſdem Nicænæ Sinodi* qui prohibitionis prædictæ, fons eſt & origo, & *Chriſtophorus Iuſtellus in notis ad eumdem canonem.*

4. Sed tamen illud obſeruandum, quod idem Binius addit, ex Poſſidonio in vita Diui Auguſtini, Valerium ipſum prudentem ſcientemque, à Primate Carthaginenſis Eccleſiæ id impetraſſe, vt ſibi infirmo nec Valenti, D. Auguſtinus conſacerdos accederet, ne Hyponenſi Eccleſiæ digniſſimus, ab aliis ciuitatibus, Epiſcopo carentibus eriperetur, quod & ſingulari iure inductum, ad conſequentias non ſit producendum, ſecundum regulam, in vtroque iure vexatam, *in lege quod verò, dig. de leg. & in cap. quæ à iure*, 28. *de reg. I. in* 6.

5. Verum illud non tantùm de beneficiis dignitatem, aut curam animarum habentibus, accipiendum eſt, veluti Epiſcopatibus, & parochiis, ſed etiam de ſimplicibus, vt

Digitized by Google

præbendis, & eo pertinet Concilij Turonenſis decretum, ſub Alexandro III. S. P. cui & interfuit Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus, vt patet ex duabus orationibus ab eo habitis in eadem Sinodo, quæ cum cæteris eiuſdem epiſtolis publicatæ ſunt.

6. Sed enim vt eodem Concilio, maiorum beneficiorum integritas commendatur, ità & minorum beneficiorum ſectio prohibita eſt, *cap. maioribus cap. tua & cap. dilecto §. praeterea, & cap. vacante de præb.* quibus locis, aduersùs Concilij decretum, pariter fieri dicitur, cum duo, ad vnam eamdemque præbendam, eliguntur, inter eos diuiſione facta, vel dignitatum commutatione habita, de qua aliàs dicemus.

7. Quandoque tamen accidit, ità ſuadente neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, vt vnum idemque Beneficium, in duo diuidatur, verbi gratia, creſcente populi multitudine, ex vno Epiſcopatu, vel ex vna parochia, duæ fieri poſſunt, *can. decimas, in fine, can. precipimus §. ſicut duo, 16. quæſt. 1. can. nulli 99. diſtinct.*

8. Namque & eadem ratione, referente Baronio ad annum 45. inter Euodium à D. Petro conſecratum, & Ignatium à D. Paulo Antiochenæ Eccleſiæ præfectum, eiuſdem Eccleſiæ regimen, & adminiſtratio diuiſa fuerunt, vt enim penuria populorum, vniendis Eccleſiis locum facit, vt mox dicetur, ità excreſcens numerus, diuidendæ parœciæ cauſam præbere ſolet, vt conſtat ex d. locis.

9. Idem quoque aliquando contingit, ob diſtantiam locorum, aut adeundæ Eccleſiæ difficultatem, vt docui in *cap. 4. de diuiſione beneficiorum* dùm tractarem de parochiis & eadem ratione, ſi pingue ſit, & valde opimum beneficium, quod pluribus ſufficere poſſit, nihil vetat ſectionem fieri, præſertim ſi & aliæ cauſæ concurrant.

10. Et verò illud ità ſeruatur, veluti ſi tenuis ſit numerus eorum, qui in eadem Eccleſia miniſtrant, aut etiam cultus diuinus augeatur, & eo ſpectant verba *d. cap. vacante, de præb. niſi rationabili cauſa, de præbenda vacante duæ fuerint conſtituta, quæ Panormitanus eodem ſic explicat, & gloſſa in d. cap. tua, & Cuiacius in d. cap. maioribus, & in d. cap. vacante, de præb.*

11. Cæterum hoc notandum eſt quod dicitur, ſectionem Epiſcopatuum, ab alio, quàm ſummo Pontifice, fieri non poſſe, *d. can. præcipimus, §. ſicut duo 16. quæſt* 1. namque apud nos veſtigia extant, Remenſis Archiepiſcopatus diuiſi, & ex diuiſione Laudunenſis Epiſcopatus de nouo inſtituti, ordinaria D. Remigij auctoritate accedente, ſicut & Tornacenſis, Nouiodunenſi Eccleſiæ vniti, ex præſcripto D. Medardi, eiuſdem Eccleſię Epiſcopi, quod & probari videtur, auctoritate *cap. cum inferior, de mai. & obed.* vbi agitur de monaſterio, in Cathedralem Eccleſiam, à Colocenſi Archiepiſcopo erecto.

12. Verum vt ſoli ſummo Pontifici vniendorum, vel diuidendorum Epiſcopatuum, poteſtas ſeruaretur, gloſſa eiuſdem capituli, *in verbo cathedralem*, textui addidit illa verba *de licentia Domini Papæ*, quibus ſignificaret, Pontificia auctoritate habitam erectionem, quod & caſui eiuſdem capituli ſiue ſpeciei, Bernardus vetus interpres adiecit, ſed tamen illud hodiè obtinuit, vt nulli alij niſi ſummo Pontifici, vniendorum vel diuidendorum Epiſcopatuum, poteſtas cederet, ab omnibus aliis intacta.

13. Sunt enim Epiſcopatus maiora beneficia, quę apud nos maioris conſiſtorij beneficia appellantur, *benefices conſiſtoriaux*, quę vt, non niſi in congregatione ſummi Pontificis, & Cardinalium, conferri poſſunt, ad nominationem regiam, vt habetur in concordatis, ſic nec diuidi, vel vniri, alia auctoritate accedente.

14. Et ex eo eſt, quod apud nos, nec etiam à ſummo Pontifice, Epiſcopatuum ſectio fieri poteſt, niſi regis noſtri conſenſu & auctoritate intercedente, nec non eius Epiſcopi, cuius diœceſis diuidenda habetur, eędem enim ſunt diuidendi Epiſcopatus, & vniendi regulę, generali Concilio Conſtantienſi pręſcriptę, vt mox dicturi ſumus, ex quibus illi omnes quorum intereſt, vocari debent.

15. At verò cæterorum beneficiorum ſectio, ab Epiſcopo fieri poteſt, *d. cap. vacante, gloſſ. in cap. ſicut vnire, de exceſſ. præl. d. can. præcipimus §. ſicut duo 16. quæſt.* 1. vbi additur, parœcialium Eccleſiarum ſectiones, ab Epiſcopo fieri oportere, de conſenſu Clericorum ſuorum, id eſt capituli, toto titulo *de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap.*

16. Et ex his ità concludo, poſſe quidem ex cauſa, vnum atque idem beneficium diuidi, id eſt, ex vno, duo vel plura fieri, auctoritate Epiſcopi, & ex conſenſu capituli, eius enim exigi, docet, *Panormitanus in d. cap. vacante, de præb.* ſicut in qualibet alienatione, vel diſtractione, vt infrà dicetur, & interim probari poteſt *toto tit. de his quæ fiunt à præl. ſinè conſ. cap.*

17. Sed nondum diuiſo beneficio, duos, in eodem intitulari non poſſe conſtat, vt ſinguli, partem beneficij habere intelligantur, & ſi quando contigerit, duos, ad vnam eam-

Digitized by Google

demque præbendam eligi, aut electio reſcindi debet, *d. capit. tuæ* aut præbenda vtrique integrari, ex iis quas poſteà vacare contigerit, *d. cap. vacante, de preb.* quod ità tamen intelligendum eſt, vt pro integratione vnius præbendæ, non ſcindatur alia, *cap. cum cauſam eod.*

18. Cæterùm non videtur diuidi beneficium, cum vnus in eo intitulatur, & alteri penſio, de fructibus eiuſdem beneficij præſtatur, *Coraſius lib. 1. paraphraſis ſacerdotalis cap. 4. num. 11* vt dicam infrà, in capite ſpeciali de penſionibus Eccleſiaſticis, nec diſtinguendum, vtrum in quota fructuum conſiſtat, an in quantitate pecuniæ eam partem adæquante, quamuis alij, huic diſtinctioni mordicùs inhæreant.

CAPVT TERTIVM.

De licita, vel illicita Beneficiorum vnione.

1. *Vnio beneficiorum prohibita, ſicut ſectio.*
2. *Præmittitur definitio vnionis Beneficiariæ.*
3. *Antiquum vnionis exemplum, & teſtimonium.*

1. EX ſuperioribus patet, ſingulos titulos, ſingulis Clericis eſſe aſſignandos, *can. Epiſcopi 80. & can. ſingula 89. diſtinct.* vt quemadmodum vnus, in duos diuidi non debet, vt docui in præcedenti capite, ita non debeant duo, vni eidemque aſſignari, *cap. cum non ignores de præb. can. vnio §. ſed & hæc 10. quæſt. 3. & 21. quæſt. 1. per totum*, & eo pertinet hoc caput in quo tractabo de vnione beneficiorum.

2. Verum in limine inquirendum venit, quid ſit vnio, & cum eius nulla certa definitio ab interpretibus iuris canonici nobis præmiſſa fuerit, ex pluribus textibus & præcipuè *cap. expoſuiſti de præb.* ſic confingi poteſt vt ſit, *duorum vel plurium beneficiorum, cum cauſæ cognitione, à ſuperiore & ordinario, in perpetuum, canonicè facta connexio.*

3. Sed & huic definitioni accommodari poteſt, quod dicitur in ſupplemento ad Sigeberti chronicum ad annum 1183. *Vualterium Rothomagenſem Archiepiſcopum, impetraſſe à Domino Henrico Rege, vt Abbatia ſancti Eleſij, quæ in inſula Gregoſi, quam Guilelmus filius Hunni fecerat, in eadem inſula, conſilio, & auxilio Domini Regis, iungeretur Abbatiæ de voto, quæ eſt iuxta Cæſaris-Burgum, & quam Imperatrix, mater Henrici Regis ædificauerat, erat autem tripliciter ditior, tam in Normania, quam in Anglia, quam Abbatia de voto, erat autem vtraque, de ordine canonicorum regularium. facta eſt itaque Abbatia de voto, mater & caput, habens, & perenniter poſſidens, Abbatiam de Inſula, & omnia ſibi pertinentia*, ex qua definitione, & præmiſſo exemplo, plures quæſtiones, naturæ vnionis exponendæ inſeruientes, erui poſſunt.

§. PRIMVS.

De variis vnionum ſpeciebus.

1. *Plures vnonis ſpecies inueſtigantur.*
2. *Concurſus plurium Beneficiorum in eamdem perſonam, non propriè dicitur vnio.*
3. *Prima vnionis ſpecies, & exemplum.*
4. *Alterum eiuſdem exemplum proponitur.*
5. *In prima ſpecie vnionis, vtrumque beneficium ſaluum permanet.*
6. *In hac vnionis ſpecie, diſpenſatur cum Rectore, vt duas vnà die Miſſas celebret.*
7. *Vnitis diuerſarum Diœceſeon beneficiis, vtrique Diœceſano ſua iuriſdictio ſalua permanet.*
8. *Secunda ſpecies vnionis proponitur.*

9. In

9. *In hac ſpecie vnionis, in maiori beneficio reſidendum, & minori Vicarius perpetuus præficiendus.*
10. *In hac vnione, inferioris Eccleſiæ iura, in ſuperiorem transferuntur.*
11. *Seruanda tamen Vicario perpetuo congrua portio.*
12. *In hac ſpecie vnionis, vtrumque Beneficium perſeuerat.*
13. *Sola Eccleſiæ ſubiectio vnionem non facit, ſed redituum confuſio.*
14. *Tertia & vera ſpecies vnionis explicatur.*
15. *Huius effectus, & variæ ſpecies.*
16. *Vnita Eccleſia, omnia iura, & priuilegia transfert, in Eccleſiam cui vnitur.*
17. *Plura in id iuris ciuilis exempla.*

1. ET prima quidem de modis quibus vniones fieri poſſunt, tribus duntaxat, quandoque enim duo, vel plura vni eidemque clerico committuntur, ità tamen vt ipſa non confundantur inuicem, ſed ſingula per ſe diſtincta, & ſeparata remaneant, quod & ipſum duobus modis fieri poteſt, vt innuit, *Petrus de Peruſio in tractatu vnionum cap.* 1. vndè & quinque modis vnionem fieri poſſe, docet in eodem capite.

2. Et quidem vno cum plura beneficia ab eodem impetrantur, collatore id non agente, vt perpetuus vnus idemque ſit rector vtriuſque, & ſic concurſus plurium beneficiorum, in vnam eamdemque perſonam, minus propriè dicitur vnio, tametſi hæc quoque prohibita ſit, & nihilominus in ſimplicibus beneficiis, diuturno vſu recepta, vt docui initio *cap.* 3. *ſuprà de pluralitate Beneficiorum.*

3. Sed & altero modo, cum id agitur à ſuperiore, vt vtriuſque beneficij cura ſit, ſemper apud vnum eumdemque Rectorem, quamuis beneficia ipſa ſint diſtincta, & ſeparata, & ità Cœleſtinus Glaſtonienſe monaſterium, quod eſt in Vallia oppido Angliæ, in Epiſcopatum erexit, & eumdem Bathonienſi Epiſcopatui vniuit, cum duo eſſent Epiſcopatus, vnus tamen eſſet vtriuſque Epiſcopus, *cap.* 1. *ne ſede vac. aliq. innou.*

4. Sed & Gregorius I. Pontifex maximus, eodem genere vnionis, Cumanam & Muſitanam Eccleſiam coniunxit, & eaſdem Beneuentano Epiſcopo regendas commiſit, *can. & temporis* 16. *quæſt.* 1. vbi notare licet cauſas huiuſmodi vnionum, nimirum qualitatem temporum, vicinitatem locorum, & populi penuriam, de quibus mox & ſuo ordine dicemus.

5. Verum cum hoc genere vnionis, neutrum beneficium extinguatur, & vtrumque æque principale ſit, non maius vel minus, liberum erit ei, cui vtrumque commiſſum eſt, in quo velit morari, & in altero Vicarium non perpetuum, ſed temporalem conſtituere, *d. can. & temporis, & Clem.* 1. *§. ad hæc, de ſtatu monach.*

6. Quin etiam Papa tunc diſpenſare ſolet, vt qui vtrique Eccleſiæ præfectus eſt, duas miſſas eodem die celebrare poſſit, ſingulas in ſingulis, vt docet *Hoſtienſis in cap. conſuluiſti de celebrat. miſſ. & Reb. tit. de vic. perpet. num.* 4. quod plerumque euenit in noſtra Campania, vt notat *Rochefius in deciſionibus,* vbi hanc diſpenſandi facultatem, & ordinario tribuit, ſed perſonæ tantùm, & ad tempus, nec beneficio, vel in perpetuum faciendam.

7. Poſtremo ſi ſingulæ Eccleſiæ, ſingulis ſubſunt Epiſcopis, aut Metropolitanis, & hoc genus vnionis, non tollit cuique iuriſdictionem ſuam, *cap. quod monaſterium de relig. dom.* cæterum ab hac vnione non differt ea, quæ ad menſam fieri dicitur, ſi quidem in hoc genere vnionis, vtrumque beneficium, penès vnum & eumdem remanet, tanquam & vnicum vtriuſque Rectorem, vt docui in *cap.* 4. vbi de parochialium Eccleſiarum annexione tractaui.

8. Eſt & alia ſpecies vnionis, in qua ſingula beneficia quæ vniuntur, ſalua permittuntur, nec in vnum coaleſcunt, ſed alterum alteri ſubiicitur, confuſo reditu vtriuſque, ſic vt vnum ſit principale, alterum acceſſorium, vnum maius, alterum minus, vt in *cap. extirpandæ §. qui verò de præb.* quod præclare ſignificant hæc præmiſſi exempli verba, *facta eſt itaque Abbatia de voto mater & caput.*

9. Et in hac ſpecie vnionis, non permittitur in quolibet morari, vt in ſpecie præcedenti, ſed oportet in maiore beneficio reſidere, in eo verò quod vnitum eſt, Vicarium perpetuum conſtituere, *d. §. qui verò*, qua de re plura diximus *in capite quarto de diuiſione beneficiorum §.* 22. *de vicariis perpetuis*, quæ & hic ſuppleri debent.

10. Sed quod notandum eſt, in hoc genere vnionis, oportet vnionem fieri redituum, vtriuſque beneficij, & ab inferiori ad ſuperius transferri, quod ſequentia exempli præmiſſi verba ſatis produnt, ſuperioribus addita, *facta eſt itaque Abbatia de voto mater & caput, habens & perenniter poſſidens, Abbatiam de Inſula, & omnia ſibi pertinentia.*

Digitized by Google

11. Quod ſi parochialis Eccleſiæ, cum altero diſpari beneficio, vnio habita fuerit, ſeruanda eſt vtique, Vicario perpetuo congrua portio, vnde ſe tueri, & iura Epiſcopalia ſoluere poſſit, *d.* §. *qui verò cap. de monachis, & cap. expoſuiſti de preb. cap.* 1. *eod in 6*. non fit tamen vnio miniſterij, niſi quis dixerit ità fieri, vt habitu quidem ſit penès principalem Rectorem, actu vero penès Vicarium perpetuum.

12. Et ex eo patet quàm verum ſit, quod dicitur, vtrumque per ſe vacare intelligi, ſic vt mortuo Rectore principali, Vicarius perpetuus perſeueret, nec à ſucceſſore, nedum ab ipſo, qui eum præſentauit deſtitui poſſit, *cap.* 3. *de offic. vic.* & è contrario, mortuo Vicario perpetuo, Eccleſia cui præerat, paſtore deſtituta eſſe videatur, vt pluribus oſtendi *in d. cap.* 4. dum agerem de parochialibus Eccleſiis, & earum Rectoribus, ac Vicariis perpetuis.

13. Non ſufficit ergò, alterum beneficium, alteri ſubditum eſſe, quo magis vnitum videatur, ſed oportet vniti beneficij reditum, maiori adſcribi, alioquin ſola ſubiectio, non inducit vnionem, vt oſtenditur in *cap. Paſtoralis de donat.* & in prædicto vnionis exemplo, vbi vtrumque iungitur in hæc verba, *facta eſt itaque Abbatia de voto, mater & caput, habens, & parenniter poſsidens, Abbatiam de inſula, & omnia ſibi pertinentia.*

14. Tertia vero & propria ſpecies vnionis eſt, cum ex duobus beneficiis vnum efficitur, & duo tituli in vnum conflantur, veluti *in can. poſtquam, & can. præcipimus* 16. *quæſt.* 1. ſummus Pontifex dicitur, duos Epiſcopatus, in vnum coniungere poſſe, *Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap.* 20. & hoc rurſus duobus modis contingit.

15. Verum enim vel vna Eccleſia, vnitur alteri, & velut ad alteram accedit, vel ſimul duæ vniuntur, priori modo cum fit vnio, beneficium vnitum omnino extinguitur, *d. can. præcipimus*, & in ſubſtantiam, naturam, & priuilegia beneficij, cui facta eſt vnio, planè transmittitur, argumento *cap. recitantes de ſtatu monach.* & hoc modo *Iuſtinianus nou.* 28. ex duabus prouinciis, Helenoponto, & Pontopolemoniaco, vnam effecit, & vnum moderatorem præfecit.

16. Si autem altero modo vnio procedat, & duæ inſimul Eccleſiæ vniantur, ità altera, tranſit in naturam alterius, vt ſi quæ ſunt conſuetudines, vel pinguiora & humaniora iura, & priuilegia, in altera, id altera mutuetur, vel potius vnum, quod ex duabus conflatur, meliorem vtriuſque naturam.

17. Nec abſimili modo, idem Iuſtinianus Imperator proceſſit, dum rei vxoriæ, & ex ſtipulata actionem, ſimul transfudit, vel Legata, & fidei commiſſa, in vnam eamdemque naturam transformauit, *l. vnica, cod. de rei vx. act. & l. vlt. cod. commun. de leg.* vt quod in altero optimum maximumque eſſet, id ex vtroque compoſitum retineret, vt habetur in dd. leg.

§. SECVNDVS.

1. *Vnio ſine cauſa fieri non debet.*
2. *Cauſæ cognitio & probatio, requiritur in vnionibus.*
3. *Plures cauſæ vniendorum beneficiorum.*
4. *Hoſtilitas, paupertas, penuria, locum faciunt vnioni.*
5. *Quomodo ſuccurrendum, vbi præbendæ minoris ſunt reditus.*
6. *In id ſacra Synodi Tridentinæ ſanctio.*
7. *In vnionibus, Eccleſiæ, non perſonæ, fauor attendendus.*
8. *Vnio debet fieri in perpetuum, non ad tempus.*
9. *Diſpenſatio ad plura beneficia, non eſt vnionis ſpecies.*

1. EXpoſitis tribus modis quibus vniones fieri poſſunt, nunc dicendum de cauſis faciendarum vnionum, quæ in his diffinitionis verbis habentur, *cum cauſæ cognitione*, namque vniones videntur aduerſari ſacris canonibus, quæ ſingula beneficia, ſingulis clericis adſcribi iubent, vt docui initio huius tituli, ſuntque nominatim prohibitæ, *Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* 42.

2. Et ex eo eſt quod non temerè fieri debent vniones, nec ad eas niſi cauſa cognita procedendum, *can poſteaquam* §. *ſancta Romana Eccleſia* 25 *quæſt.* 2. *Rebuff. in praxi tit. de vnion. num.* 44. vbi citat verba Concilij Conſtantienſis, *Oldradus in Concil.* 260. 261. 262. *cum decreto*, id eſt cauſæ cognitione, & eiuſdem probatione, vt habetur in libris iuris, *l.* 1. *dig. de off. ad ſeſſ. l.* 9. §. *vbi decretum, de off. proc. & leg.*

Digitized by Google

3. Cauſæ autem faciendarum vnionum, duæ generales notantur, *in cap. expoſuiſti de præb.* nimirum euidens neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, neceſſitas eſt, cum Eccleſiæ ità deſtructæ, & deſolatæ ſunt, vt impoſſibilis videatur earum reparatio, nam hoc caſu vicinis Eccleſiis adunari poſſunt, *cap. poſtquam 16. quæſt.* 1. *cap. 2. de relig. dom.* quod congruit Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.*

4. Hoſtilitatis quoque, vel paupertatis neceſſitate contingit, vt duo Epiſcopatus, in vnum redigantur, *can. ita nos* §. *hoſtilitatis 25. quæſt.* 2. item penuria populi, quolibet caſu contingens, vnioni faciendæ cauſam præſtat, *can. & temporis 16. quæſt.* 1. & ità fortè accipiendus, *can. vnio* §. *ſed & hoc* 10. *quæſt.* 3. vbi dicitur, *Eccleſiam, quæ minus habet quam decem mancipia, aliis eſſe coniungendam.*

5. Poſtremò modicitas redituum, alterutrius, vel vtriuſque beneficij, cauſa eſt, vt plura ſimul vniri poſſint, *d. cap. expoſuiſti, de præb. Clem.* 1. §. *ad hæc, de ſtatu monach. & cap. finali, de verb. ſignif.* vbi maior numerus, præbendarum, quæ non ſufficiunt decenti canonicorum gradui, minui iubentur, quod confirmatur *cap. cum Martinus, de conſtit.* & *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 15. de reformat.*

6. Sed enim eo loco, ſancta Synodus ſtatuit, vt in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus tenues ſunt præbendæ, alia beneficia ſimplicia, ipſis vniantur, aut præbendarum numerus minuatur, *Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap.* 19. vbi de ſuppreſſione beneficiorum agit, idem de Epiſcopatibus, & Parochialibus Eccleſiis, redituum inopia laborantibus, & aliorum beneficiorum vnione amplificandis, cautum eſt, *eadem ſeſſ. cap. 13. & Bleſ. edicti art. 22. & 23.*

7. In ſumma dum agitur de cauſis faciendæ vnionis, maximè cauendum eſt, ne perſonæ magis, quàm Eccleſiæ fauor attendatur, argumento *cap.* 1. *verſiculo maxime ne plus fauiſſe perſonæ, ne ſede vac. aliq. innou.* alioquin vnio reſcindi ſolet, vt docet *Rebuffus de vnion. num.* 46. item nouiſſimus commentarius ad tractatum lib. Eccl. Gall. Petri Pithæi & *art.* 49. & notæ *ad art. 32. cap.* 36. in altero volumine probationum ad eaſdem lib. Eccl. Gallic.

8. Et ex eo fluxit, quod vnio beneficiorum ad tempus, veluti ad vitam alicuius, fieri nequeat, vt innuere videntur verba definitionis *in perpetuum* & præmiſſi exempli vnionis Abbatiæ ſancti Eleſij *perenniter*, & iudicatum in Senatu refert *Papo tit. de vnion. benef. & gloſſa finalis de reſeruat. in pragm. ſanct.* in vnione Parochialis Eccleſiæ ſancti Ioannis in Grauia, licet contrarium ſentire videatur, *Rebuffus in praxi tit. de vnion. num. 8. & ſequent.* ſed tamen ſibi ipſi non conſtat, alias enim eaſdem probauit vniones, vt quaſcumque perſonales.

9. Nec tamen negare velim, citrà vnionem, plurium beneficiorum, vel obtinendorum, vel retinendorum gratiam, ex cauſa fieri poſſe, *cap. de multa, in fine, præb. cap. ſi gratioſe de reſcript. cap. relatio & ſequenti, 2. quæſt.* 1. nam vt docui initio huius capitis plurium beneficiorum concurſus, in vnam eamdemque perſonam, certis caſibus permiſſus, non propriè dicitur vnio.

---

§. TERTIVS.

Quæ Beneficia vniri poſſunt vel non.

1. *Conformia & difformia Beneficia vniri poſſunt.*
2. *Concilio Tridentino prohibetur vnio, cum diſpari Beneficio.*
3. *Reſpondetur contrario Curiæ Pariſienſis decreto.*
4. *In Canonibus, regula ſæcularia ſæcularibus, &c. ſeruanda.*
5. *Diuerſarum Diœceſeon Beneficia, vniri non debent.*
6. *Patronata Beneficia, non debent vniri cum liberis.*
7. *Beneficia patronata, abſque patronorum conſenſu, vniri non poſſunt.*
8. *Ius patronatus laicum in patrimonio cenſetur.*
9. *Differentiæ inter ius patronatus laicum, & Eccleſiaſticum.*
10. *Probatur variis Curiæ decretis, inuito patrono laico, non poſſe fieri vnionem.*

Digitized by Google

1. Videamus nunc quænam beneficia vniri poſſunt, vel non, & conſtat, non tantum eiuſdem generis beneficiorum, vnionem fieri, veluti duorum Epiſcopatuum, *can. decimas & ſequenti 16. quæſt.* 1. vel Abbatiarum eiuſdem ordinis, & regulæ, vt probat prædictum exemplum vnionis Abbatiæ ſancti Eleſij, cum Abbatia de voto; *cum vtraque eſſet canonicorum regularium D. Auguſtini*, ſed etiam diuerſi generis, vt notat *Germanus Forgetius in tractatu decimarum cap.* 12. ad præmiſſum exemplum, putà parochialis Eccleſia, cum præbenda vel dignitate, *cap. extirpandæ §. qui vero cap. expoſuiſti de præb. cap. ſuper eo, eod. in* 6.

2. Et tamen conſtat *Concil. Tridentini ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de reformat.* vetitum eſſe, parochiales Eccleſias vniri dignitatibus, vel monaſteriis, vel prebendis, aut quibuſlibet aliis ſimplicibus beneficiis, hoſpitalibus, collegiis, aut militiis, qua ratione cum Eccleſia parochialis Duacenſis Andegauenſis Diœceſeos, collegio eiuſdem Eccleſiæ, vnita eſſet, ſenatus Pariſienſis, hanc vnionem reſcidit, vt refert *Chop. lib.* 2. *de ſacra polit. tit.* 6. *num.* 13. vbi plura alia eiuſdem rei probatoria decreta congerit.

3. Nec verò à præmiſſis, certo & indubitato iure ſtatutis, dimouere debet, quod ſenatus Pariſienſis, ſolemni decreto, in publicis cauſarum actionibus, die Lunæ 11. Aprilis 1630. recitatis, vnionem parochialis Eccleſiæ ſancti Ciri Exoldunenſis, eiuſdem collegio, factam probauit, nec querelam audierit Durandi, prouocantis tanquam ab abuſu, prædictæ vnionis, nec enim aliàs Durandus repulſam tulit, quam vt perfidiæ pœnam pateretur, qui dum capituli, tanquam Vicarius, partes obiiſſet, conſcius & particeps factus eorum, quæ cum capitulo geſta fuerant, ad prouocationem exclamauerat, vt eamdem curam ſibi commiſſam impetraret.

4. Ex diuerſo tamen alia beneficia, parochialibus Eccleſiis vniri poſſunt, dummodò non ſint regularia, *ſeſſ.* 24. *cap.* 15. *Concil. Trid.* nam quod dici ſolet, regularia, regularibus, ſæcularia ſæcularibus eſſe concedenda, vt docui in fine capitis præcedentis, etiam in vnione facienda locum habet, qua de cauſa, nec parochialibus Eccleſiis, vniri poſſunt; *d. cap.* 13. nec præbendis *cap.* 15. *eadem ſeſſ. de reformat.*

5. Ad hæc eodem Concilio prohibitum eſt, beneficia diuerſarum Diœceſeon, ſimul vniri, *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. *de reformat.* quod & notat idem Forgetius, ad præmiſſum exemplum, in quo tamen Abbatiæ, non tantùm diuerſarum Diœceſeon, ſed & ditionum, & regnorum, eidem Domino parentium, vnitæ habentur; quod aliàs obſeruatum, tandem in vſu eſſe deſiit.

6. Sed & libera beneficia, cum beneficiis, iuri patronatus ſubiectis, vniri nequeunt, ſic, vt illa, horum naturam induant, & deinceps iuri patronatus ſubiiciantur, *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* §. *inſuper.* libertati enim Eccleſiaſticæ, potius ſubleuandæ ſtudendum, quàm onerandæ, vt patet in pleriſque iuris ciuilis & canonici articulis.

7. At vero beneficia patronata, non poſſunt vniri beneficiis liberis, nec patronatis, niſi de conſenſu patronorum, vt innuit præmiſſum vnionis exemplum, Abbatiarum ſancti Eleſij, & de voto, quæ ſimul vnitæ referuntur, *de conſilio & conſenſu Domini Regis*, cum vtriuſque patronus eſſet, tum ex generali protectione Abbatiarum, Regibus Angliæ vt & noſtris competente, tum ex eo quod, Regia munificentia extructæ dicuntur illæ Abbatiæ.

8. Namque ius patronatus laicum, cum in patrimonio quodammodo, ex moribus noſtris eſſe dicatur, auferri non poteſt ab ordinario vel minimùm lædi *can. decernimus & can. monaſterium* 16. *quæſt.* 7. nec etiam inuitio patrono ordinari, vel vniri, *cap. ſuggeſtum, de iure patron. & ibi Innocentius, Rebuffus in regula de vnionibus gloſſa* 11. *num.* 6. *gloſſa in cap. nobis in verbo, capella & cap. dilectis, in verbo præſentari, eod. tit.*

9. Verum in eo ſumma eſt differentia, inter patronum laicum, & clericum ſiue Eccleſiaſticum, vt illi inuito, Legatus à latere, vel ſummus Pontifex, ius ſuum tollere non poſſit, huic verbo, id eſt, clerico, poſſint vtrique, quæ differentia elicitur ex ipſo textu, *d. cap. cum dilectus*, & vulgò probatur ab interpretibus, *Panormit. & Innoc. ibidem*, Rebuffo *de vnion. num.* 28. & Greg. *Tholoſ. inſtit. benef. cap.* 20. *num.* 5. *& Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 15.

10. Et eo ſpectant rerum, iudicatarum exempla, à Chopino relata, *lib.* 2. *de ſacra polit. tit.* 6. *num.* 14. quibus vniones beneficiorum, inconſulto patrono laico factæ, reſciſſæ fuerunt, cumque in hoc regno; electiuorum beneficiorum, nominatio, & præſentatio, ad regem, velut patronum ſpectet, vniones ſinè conſenſu eius factæ, reuocari poſſunt, & ſolent. Ioannes Papo in collectione decretorum Curiæ, *tit. de vnionibus benef. art.* 2. quod & præmiſſum vnionis exemplum, in anteceſſum probare videbatur.

Digitized by Google

§. QVARTVS.

Quinam vniones facere poſſint.

1. *S. P. quælibet Beneficia vnire poteſt.*
2. *Vniones Epiſcopatuum, ſedi Apoſtolicæ reſeruantur.*
3. *Legatus Beneficia vniendo, non poteſt à iuriſdictione Epiſcopali eximere.*
4. *Epiſcopi quilibet in ſua Diœceſi, Beneficia vnire poſſunt.*
5. *An conſenſus capituli, in vnionibus ſit neceſſarius.*
6. *Tentatur in vnionibus, conſenſum capituli requiri.*
7. *Probatur conſenſum capituli requiri, argumento alienationis rei Eccleſiaſticæ.*
8. *Reluctante Epiſcopo, vel capitulo, iuſtæ vnioni conſenſum, vel auctoritatem præbere, ſuperior adeundus.*
9. *Vnionibus ad menſam Epiſcopi, vel capituli, Epiſcopus, aut capitulum, auctor eſſe non poteſt.*
10. *Poteſt tamen Epiſcopus, vnire ſimplicia Beneficia præbendis, ex conſenſu capituli.*
11. *Abbates nec Eccleſias, quas pleno, iure poſſident, vnire poſſunt.*
12. *Contrarium tentatur ex Panormitano.*
13. *Innocentij ſententia, opponitur Panormitano.*
14. *Contrariæ vtriuſque opiniones, in concordiam adducuntur.*
15. *An ſaltem Abbates, ius vniendi præſcribere poſſint.*
16. *Tentatur inferiores Prælatos, ius vniendi præſcribere poſſe.*
17. *An longo tempore vnio induci poſſit.*

1. EX ſupra dictis apparet, quæ beneficia vniri poſſunt, ſequitur vt videamus, à quibus vniones fieri debeant, quod notant verba definitionis *à ſuperiore & ordinario:* & in primis dico, ſummum Pontificem, propter plenitudinem poteſtatis, omnium beneficiorum vniones facere poſſe, *cap. 6. de præb. in 6. Clementina 1. ſub finem, vt lite pendente nihil innou. can. decimas in fine & ſequenti 16. quæſt. 1.*

2. At verò Legatus ſummi Pontificis, licet & ipſe vnire poſſit, vt innuit R*ebuffus de vnione num.* 24. videlicet ſi ſit Legatus à latere (nam alius vnire non poteſt, cum non poſſit conferre, *cap. 1. de off. leg. cap. cum dilectus de iure patron.*) Epiſcopatus tamen vnire, ſine ſpeciali licentia prohibetur, *cap. niſi & cap. quod translationem, de offic. leg.* vnio quippe Epiſcopatuum, ſoli Papę reſeruata eſt; *cap. ſicut. vnire, de exceſſ. præl. cap. 1. & cap. quamuis ne ſede vac. aliq. innou.*

3. Et quamuis Legatus, alia beneficia præter Epiſcopatus vnire poſſit, etiam ſinè conſenſu Epiſcopi, tamen vulgò creditur, ab Epiſcopali iuriſdictione, ea non poſſe eximere, argumento *cap. vlt. de confirmat. vt. vel in vt. deciſ. rotæ 459. in antiquis de off. Legati & 118. in nouis eodem* R*ebuffus de vnion. num. 26. & in regula de vnionibus gloſſa 11. numero 13.*

4. Nec non Epiſcopi quilibet in ſua Diœceſi, beneficia vnire poſſunt, *d. cap. ſicut vnire de exceſſ. præl. can. vnio 10. quæſt. 3. in fine, Clementina 2. de rebus Eccl. alien. vel non & in conſtitutionibus Aureliæ latis art. 16.* quia beneficia omnia eius poteſtati ſubiecta ſunt, *can. regenda can. nouerint, 10. quæſt. 1. can. omnes 16. quæſt. 7.* nec non vniendi facultas, ordinariæ poteſtatis eſſe dignoſcitur.

5. Sed an neceſſe habeat, capituli conſenſum adhibere, mouet me, quod Concilium Tridentinum permittit ipſis, ſimplicium beneficiorum vnionem, cum parochialibus Eccleſiis, nulla conſenſus capituli mentione facta, *ſeſſ. 24. cap. 19.* eamdem verò cum præbendis fieri non vult, ſinè conſenſu capituli, *eadem ſeſſ. cap. 15.*

6. Non deſunt tamen, qui in omni ſpecie vnionis, huiuſmodi conſenſum requirant, argumento *Clement. 2. de rebus Eccl. alien. vel non Panormitanus, & alij in d. cap. ſicut vnire*

Digitized by Google

Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap. 20. *num.* 6. quibus ſubiunge additiones ad eundem Panormitanum *num.* 13. *Rebuff. ad reg. de vnion. gloſſa* 11. *num.* 2. *gloſſa in Clem.* 1. §. *ad hæc in verbo, adſenſu de ſtatu monach. can. præcipimus* §. *ſicut duo* 16. *quæſt.* 1. vbi dicitur Epiſcopum, duas baptiſmales Eccleſias, ſiuè parochiales, vnire poſſe; *de conſenſu Clericorum ſuorum*, quæ verba, capituli conſenſum exprimunt, neceſſarium in huiuſmodi vnionibus.

7. Et certè cum vnio, ſpecies ſit quædam alienationis, in qua vnita Eccleſia, quodammodo donatur ei, cui vnitur, *d. Clem.* 2. conſtat omnem alienationem, ſinè conſenſu capituli irritam eſſe, *cap.* 1. *de his quæ fiunt à Prælatis ſinè conſ. cap.* cuius diſpoſitionem non mutat, *canon. terrulas*, 12. *quæſt.* 2. vbi alienatio fieri dicitur, ſinè conſilio fratrum, nam vt obſeruauit, *Duarenus lib.* 7. *de ſacr. Eccleſ. miniſt. cap.* 9. id intelligendum de Coepiſcopis, quorum conſilium temporibus Agathenſis Concilij requirebatur, non de capitulo.

8. Quod ſi capitulum, ſinè iuſta cauſa, vnioni conſentire nolit, rectè exiſtimant *Archidiaconus Hoſtienſis & alij in d. cap. ſicut vnire*, auctoritate ſuperioris eam fieri poſſe, quibus adde *Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap.* 10 *num.* 6, *Rebuff. in d. reg. de vnion. gloſſa* 11. *num.* 13. non alia ratione, quàm ſi Epiſcopus, ſine iuſta cauſa, vnioni decretum præbere noluerit, ad Archiepiſcopum, & Metropolitanum recurrendum eſſe, docet, Forgetius ex ſuperiori exemplo vnionis, Abbatiæ ſancti Eleſij, & de voto.

9. Nec verò vnionum numero, quarum facultas Epiſcopo conceditur, includendæ ſunt illæ, quæ fiunt ad menſam ipſius Epiſcopi, aut ſaltem capituli, has enim, Epiſcopus ipſe facere prohibetur, ne in rem ſuam auctor eſſe videatur, *d. Clement.* 2. §. *finali de rebus Eccleſ. non alien.* quod confirmari videtur, *Concilij Tridentini ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *in principio.*

10. Nec tamen eadem prohibitione includitur vnio, ſimplicium beneficiorum, cum præbendis Eccleſiarum, cathedralium, quæ eodem Concilio, permittitur Epiſcopis, adhibito conſenſu capituli exequenda, *eadem ſeſſ. cap.* 15. eo namque caſu, non cenſetur capitulum, in rem ſuam vnioni conſenſum accommodare, *vt docet gloſſa in d. Clem.* 2. §. *finali in verbo, capitulo de rebus Eccl. alien. vel non.*

11. Cæterùm alij quàm Epiſcopi, vt putà Abbates, vel Priores, vniendi poteſtatem non habent, *d cap. ſicut vnire, & Clem.* 2. §. *ad hæc de ſtatu monach.* cum vniendi facultas, iuriſdictionis ſit ordinariæ, vnde ſcio quæſitum, an hæc prohibitio pertineat, etiam ad eos, qui Eccleſias pleno iure ſibi ſubiectas habent.

12. At verò *Panormitanus in d. cap. ſicut vnire, & in cap. ſignificaſti de foro. comp.* exiſtimat, id poſſe, hac ratione innixus, quia iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi in eis habeant, vide *gloſſ. d. Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. in verbo proprij cap. Abbates, de priuileg. in* 6. *in fine cap. auditis, verſiculo verum tanto tempore, de præſcript.*

13. Verum & ipſi Panormitano, contrarius eſſe videtur *Innocentius, in d cap. ſicut vnire, & gloſſa in d. Clem.* 1. §. *ad hæc de ſtatu monach. in verbo, ordinarios*, quod & ipſius Clementinę textus, innuere videtur, dum generaliter ſtatuit, vnionem cum conſilio, & aſſenſu Abbatum, per locorum ordinarios fieri, non ergò per Abbates ipſos, etiam ſi Epiſcopalem quodammodo, in eis iuriſdictionem habeant.

14. Sed vt huic diſſidio, ſua concordia reddatur, ſciendum eſt, vniendi poteſtatem, non eſſe omnino ipſius iuriſdictionis partem, vt mihi videtur, ſed ei tantummodo deferri, cui ſpecialiter à lege permittitur, *d. cap. ſicut vnire*, adde quod cum ſummus Pontifex, exemptorum omnium ordinarius eſſe intelligatur, vt notat *gloſſa ad cap. auctoritate de priuileg. Clem.* 1. *de ſuppl. neglig. præl. Rebuffus de reuocatione vnionis num.* 22. *& in* §. *ſiquis vero, de collat. in concordatis*, huiuſmodi vnionibus auctoritatem præſtare debet.

15. Sed vt ita ſit Prę̨latos inferiores, licet pleno iure Eccleſias poſſideant, vnire non poſſe, ſaltem quęritur, an ius vniendi pręſcribere poſſint, ſic pleriſque viſum eſt, quia iura Epiſcopalia, ab inferioribus Pręlatis, pręſcribi poſſunt, *cap. auditis de præſcript.* dummodo titulus adſit, aut vice tituli tàm longum tempus, cuius non exſtet memoria, *cap.* 1. *de præſcript. in* 6. eadem ratione, non ius vniendi, ſed ipſam Eccleſiam veluti vnitam, præſcriptione adquirere poſſe exiſtimant, atque ità deciſum in *rota deciſ* 9. *&* 10. *de reb. Eccl. non alien. in antiquis rebuf. in tit. de vnion. benef. num.* 33. *& ſeq.*

16. Verum huic opinioni non facilè aſſentior, hac ratione, primum quoad ius vniendi, quod non competit in vim iuriſdictionis, ſed legis, vt ſupra dixi, ideoque tempore adquiri non poteſt, quantum verò, ad Eccleſias, vnionis iure poſſeſſas, deficiente titulo, ſeu tituli ſpecie, generaliter dicam, eas adquiri non poſſe, niſi per tempus, cuius non exſtet memoria, poſſeſſæ fuerint, nam hoc tempus eſt vice tituli, *d. cap.* 1. *de præſcript.* quod &

Digitized by Google

ſupra dictæ deciſiones confirmant, *Reb. loco ſupradicto*, *Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap.* 20. *num.* 13.

17. Nec verò ex eo ſequitur, vnionem Eccleſiarum, vlla temporis præſcriptione induci poſſe, quod ius non patitur, vt docet *Hoſtienſis in cap. quoniam de vit. & honeſt. cler. & in ſumma eiuſdem tituli*, ſed ex temporis diuturnitate, præſumitur vnio ſolemniter facta fuiſſe, *Rebuff. in reg. de vnion. gloſſa* 9. *in fine & Felinus in cap. cauſam, num.* 3. *de præſcript. Boerius deciſ.* 345. *num.* 5. *& Molinæus, conſ.* 44.

---

§. QVINTVS.

De forma, & condione vnionum.

1. *Ordo & progreſſus huius diſputationis.*
2. *In vnionibus, inquiſitio commodi vel incommodi, debet fieri in partibus.*
3. *Probatur exemplo alienationis rerum, ad minores pertinentium.*
4. *Probatur, & exemplo alienationis rerum, ad Eccleſiam pertinentium.*
5. *Quid ſit in vnionibus commiſſionem fieri ad partes.*
6. *Vniones gratioſæ tanquam abuſiuæ, in Gallia non admittuntur.*
7. *Apud nos non admittitur aliud vnionis genus, niſi quod contentioſæ iuriſdictionis fuerit.*
8. *Vniendorum Beneficiorum valor vti exprimendus.*
9. *In noſtra Gallia, non alia ſit mentio valoris, quam in cæteris impetrationibus.*
10. *In vnionibus faciendis, omnes quorum intereſt vocandi.*
11. *S. P. vniendo, collationem adimere poteſt, non cætera iura Epiſcopalia.*
12. *Epiſcopus non poteſt vnire prioratus, niſi de conſenſu Abbatum.*
13. *Vacante Eccleſia vnio differenda.*
14. *In vnionibus Beneficiarij conſenſus non eſt neceſſarius.*
15. *Imo nec plebis, licet vnioni adeſſe poſſit, & audiri debeat.*
16. *Conſenſus an præcedat, an ſequatur nihil intereſt.*

1. SVpereſt vt ſolemnia vnionum breuiter perſtringamus, non enim ſufficit vnionem, ex iuſta cauſa factam eſſe, & eorum beneficiorum, quæ ſimul vniri poſſunt, & ab eo, qui ius vniendi haber, ſed præter hæc etiam alia requiruntur, quæ nobis produnt illa definitionis vnionis præmiſſæ verba, *canonicè facta*.

2. Et in primis id requiritur, vt in partibus (ſic loquuntur practici) id eſt, in locis in quibus ſita ſunt beneficia, inquiratur, de cauſis vnionum, deque commodo & incommodo, ab vnione naſcituro, vel ab ipſo ordinario, ſi ab eo vnio procedat, vel ſi à ſummo Pontifice, delegatione in id facta, in partibus, iudicum qui de cauſis vnionis habendæ inquirant.

3. Verum enim, cum vnio ſit quædam alienationis ſpecies, vt ſuprà diximus, & probauimus argumento *Clem.* 2. *de Reb. Eccleſ. non alien.* vbi vnio donationis, quæ & ipſa vera eſt alienationis ſpecies, *cap.* 5. §. *alienationis autem, de rebus Eccleſ. alien. vel non* titulo prænotatur; inde ſequitur fieri non poſſe, niſi illa inquiſitione præuia, vt in venditionibus rerum, ad minores pertinentium ſeruatur, quorum & iure ipſa Eccleſia vtitur, *cap. auditis de in integr. reſtit. & ibi gloſſa*, quæ licet publica auctoritate fiant, non poteſt auctio fieri, ſiue addictio, niſi præuia diſcuſſione mobilium, vt paſſim iure noſtro ſeruatur.

4. Sed & illud primum, in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, requiritur, vt huiuſmodi inquiſitio interueniat, quæ fieri ſolet, circà commodum aut incommodum, *cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alien. in* 6. quæ legitimè probari debet, & per inſtrumentum publica auctoritate in id confectum, de qua infrà dicemus, ad verba definitionis, *cum ſuo reditu*, *cap.* 3. dum agemus de i[ure], quod clericis, in bonis Eccleſiæ comperit.

5. Et hoc eſt quod dicitur in regula Cancellariæ 21. ſemper in vnionibus commiſſio-

nem fieri, ad partes, id eſt, cauſæ cognitionem alicui demandari, qui in partibus, ſiue locis, vbi ſita ſunt beneficia, diligenter inquirat, per teſtes, & alia documenta, num expediat, vnionem fieri, nam cauſæ vnionum probari debent, *Rebuff. in praxi & reg. de vnion. gloſſa* 11. *num.* 5. *Concil. Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 6. *de reformat.* cuius tamen diſpoſitio, apud nos non vſquequaque ſeruatur, in eo, quod ſummo Pontifici, à præſcriptis in vnionibus iuris regulis, diſpenſandi facultatem tribuat.

6. Nam & ſi ſummus Pontifex, nonnumquam in forma gratioſa, vnionem facere pręſumat, ſinè prædicta ſolemnitate, quod genus vnionis, voluntariæ iuriſdictioni tribuitur, tamen hoc genus non recipitur in Gallia, vt docet *Chop. de ſacra polit. lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 7. & *Rebuff. in reg. de vnion. gloſſa* 10. & 11. *num.* 7. *Pithæus in tractatu libertatum Eccleſ.* Gall. *art.* 44. & *ibi notæ noſtris hiſce diebus additæ.*

7. Verum enim illud tantum, apud nos admittitur genus vnionis, quod eſt contentioſæ iuriſdictionis, & fit cum cauſæ cognitione, apud ipſas Eccleſias, quarum vnio poſtulatur, veritas quippe in ipſis, aut vicinis locis, magis quam in alienis, aut peregrinis deprehenditur, *cap. quanto de præſumpt.*

8. Præterea hoc exigitur, in prędicta regula, vt qui poſtulant vnionem fieri, vtriuſque beneficij, verum & iuſtum valorem, ſecundum communem æſtimationem exprimere teneantur, de quo poſteà inquiri oportebit, illudque non tantum, regula Cancellariæ Romanæ 21. de qua mox diximus cautum fuit, ſed & confirmatum Vrbani VI. ſummi Pontificis regula, de valore exprimendo, etiam ad vniones traducta.

9. Sed tamen illud apud nos ſtrictè & religioſe non ſeruatur, moribus enim noſtris inductum eſt, vt in ſupplicationibus vnionum, & reſcriptis ſufficeret, exprimere vniendorum beneficiorum fructus, 24. Ducatorum auri de Camera, ſummam, non excedere, vt in cæteris beneficiorum impetrationibus, quidquid in contrarium iactet, *Rebuffus ad regulam de vnion. gloſſa* 5. nec enim inæqualitas redituum, vnionibus obſtare, ſolet, vt patet ex præmiſſo vnionis exemplo, Abbatiæ ſancti Eleſij, cum Abbatia de voto, quarum altera dicitur *tripliciter ditior, tam in Normania quam in Anglia.*

10. Ad hæc vocandi ſunt omnes, quorum intereſt, *d. regula* 21. & *Concilij Tridentini ſeſſ.* 4. *cap.* 6. vt puta ſi fiat à ſummo Pontifice, aut alio vice eius, vocari debet Epiſcopus cuius intereſt, propter collationem beneficij, quam amittit, nec ſufficeret Metropolitanum vocari, qui in Diœceſi ſuffraganei ſui, in præiudicium eius nihil attentare poteſt, *capit. ſicut vnire, de exceſſ. præl.*

11. Et quamuis ſummus Pontifex, ſinè conſenſu Epiſcopi, vnionem facere poſſit, atque ità collationem adimere, tamen in aliis, Epiſcopalia iura, ſalua permanent, *cap.* 2. *de relig. dom. Rebuff. in reg. de vnio. gloſſa* 11. *num.* 13. & *in tit. de vnion. num.* 26. quibus iungenda ſunt, quæ mox diximus, in §. quarto huius capitis an Legatus vnire poſſit.

12. Et eadem ratione, ſi vnio facienda ſit ab Epiſcopo, Prioratuum forte, qui à Monaſterio dependent, Abbates vocandi ſunt, *Clem.* 1. §. *ad hæc, de ſtat. monach.* quibus inuitis fieri non poteſt, imo vnionem prouocare debent Abbates, vt patet *ex d. Clementina*, vbi dicitur fieri debere vnionem, de conſilio & aſſenſu Abbatum, quod notat gloſſa, vndè nihil ipſis diminui poteſt.

13. At vero vacante Eccleſia, vnio differri debet, donec Prælatus in ea fuerit ordinatus, argumento *cap.* 1. *ne ſede vac. aliq. innou.* nec ſufficit conſenſus Prælati, ſinè conſenſu capituli, vt probatum eſt, ſuprà in §. quarto imo & patroni, vt ſuprà diximus in §. tertio.

14. At quod notandum eſt, non requiritur conſenſus Rectoris eius beneficij, quod vniri petitur, *Clement.* 2. *de rebus Eccleſ. non alien.* & *ibi gloſſa*, ſi quidem hæc vnio, nullum ei præiudicium affert, cum non ſortiatur effectum, antè mortem, vel ceſſionem ab eo factam, argumento *cap. conſultationibus, de donat.*

15. Nec etiam requiritur conſenſus plebis, *Rebuff. in d. regula de vnion. gloſſa* 11. *num.* 11. *Boer. deciſ.* 345. *num.* 4. & quamuis eius intereſſe videatur, maximè ſi agatur de vnione parochialium Eccleſiarum, in qua pars populi, qui nouis Eccleſiis ſubiicitur, à iure Prioris Eccleſiæ abſoluitur, *can. præcipimus* 16. *quæſt.* 1. tamen conſenſus Epiſcopi, tanquam defenſoris plebis ad hoc ſufficere videtur, *Rebuff. in reg. de vnion. num.* 11. & 12. verum ſi vnioni intercedere velint, audiendi ſunt, argumento *cap. ſi quis presbiterorum, de rebus Eccleſ. alien. vel non.*

16. Cęterum vbicumque conſenſus exigitur, nihil intereſt vtrum pręcedat, an ſequatur, etiam ex interuallo, *capit. cura, de iure patron. Rebuff. in reg. de vnion. gloſſa* 11. *num.* 20. *Boerius deciſ.* 345. ratihabitio enim mandato comparatur, in pluribus iuris vtriuſque articulis

§. SEX-

Digitized by Google

§. SEXTVS.

De reuocatione vnionis.

1. *Vnio vel ipſo iure nulla eſt vel reſcindenda.*
2. *Quocumque tempore facta, ſi minus ſolemniter, reſcindi debet.*
3. *Vſus Galliæ circa reuocationem vnionis, & impetrationem beneficij vniti.*
4. *Vnio iuſta ex cauſa habita, ex alia iuſta cauſa quandoque reſoluitur.*

1. POſtrema quæſtio pertinet ad reuocationem vnionis, quæ vel ipſo iure nulla eſt, veluti ſi ſinè iuſta cauſa facta fuerit, quo caſu ſubreptitia, vel obreptitia eſſe cenſetur, vt innuit *Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 6. de reformat. & 25. cap. 9.* vel ſolemnia iuris in ea defuerunt, aut ſaltem reſcindi debet, ſi ob falſam cauſam celebrata ſit, ita deciſum in *Rota ſub tit. de reb. Eccl. non alien. deciſ. 2. & 8. in antiquis, Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap. 20. num. 15. Rebuff. in reg. de vnion. verſ. 2.* & ità explicandum eſt *Concil. Tridens. ſeſſ. 7. de reformat. cap. 6. & 13. ſeſſ. 24. & 9. ſeſſ. 1. cap. 25. §. quod vero.*

2. Verum in Gallia vniones omnes, ex cauſis prædictis, beneficio prouocationis tanquam ab abuſu, reſcindi ſolent, non obſtante cuiuſlibet temporis ſpatio, etiam ſi ſuperet annos centum, quoniam abuſus numquam dat locum præſcriptioni, vt pluribus rerum iudicatarum argumentis, & exemplis probat *Chopinus lib. 2. de ſacra polit. tit. 6. num. 7. & ſeq. Papo in collectione decretorum tit. de vnion. benef. art. 2. & 4. & tit. de appell. tanquam ab abuſu art. 8. Rebuff. in praxi tit. de vnion. num. 47.* diuturnitas enim temporis peccatum, ſiue abuſum non tollit, nec minuit, *cap. 17. de reg. & tranſ. ad monaſt.*

3. Verum ante prouocationem interpoſitam, in vſu poſitum eſt, beneficium vnitum impetrare, & poſteà interdicto experiri, actum demum oppoſita vnione, ab ea tanquam ab abuſu prouocare, & hunc eſſe ſtilum, ſiuè praxim huius regni, docet *Papo in collectione decretorum, tit. de vnion. benefic. art. 3. & Rebuff. tit. de reuoca. vnionis num. 3.*

4. Et ex eo naſcitur, vnionem ex iuxta cauſa, & ſolemniter factam, ex alia iuſta ac rationabili cauſa, reuocari, vt in ſpecie *cap. 1. ne ſede vac. aliq. innou. & d. cap. ſicut vnire. de exceſſ. præl.* quo caſu, eadem ſolemnia in diſſoluenda vnione requiruntur, quæ in facienda, vt latè docet, *Rebuff. tit. de vnionis reuocat. & Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap. 22. numero 3.* eſt enim regula, in vtroque iure ciuili & canonico approbata, vnum quodque eodem modo diſſolui, quo colligatum eſt, *lege nihil tam naturale, de reg. Iur. & cap. 1. de reg. iuris, apud* Greg.

CAPVT QVARTVM.

De extinctione Beneficiorum.

1. *Ordo & ſeries huius diſputationis.*
2. *Extinctio pluribus modis contingit, & primum ob proprij Paſtoris cædem.*
3. *Quid ciuitas Scyllacænorum in* cap. finali 25. quæſt. 2.
4. *Item præiudicium alteri Eccleſiæ illatum, in odium nunciationis, deſtruendi neceſſitatem inducit.*
5. *Item reliquiarum ſuppoſitio.*
6. *Religioſi ordines quandoque extinguntur, vt Templariorum.*
7. *Tentatur à quibuſdam malè demnatos fuiſſe, vt locum facerent Rodienſibus.*
8. *Noui ordines ad veteres reducendi, nec admittendi, niſi Pontificia ſimul, & regia auctoritate intercedente.*

L

9. *Inopia & redituum, mediocritas, ſuppreſſioni Beneficiorum locum præbet.*
10. *Sede Beneficij occupata, non deſinit eſſe Beneficium.*
11. *Exemplum in portatilibus Epiſcopis.*
12. *Erectio ſedis Epiſcopalis in Metropolitanam, extinctionem beneficij non inducit.*
13. *Exemplum in Tholoſana & Pariſienſi ſede.*
14. Item nec *Monaſterij in Cathedralem Eccleſiam.*
15. *Mutatio ſedis, & tranſlatio Beneficij, extinctionem non infert, & quibus modis fieri poteſt.*

1. CVm ſint tres ſpecies vnionum, vt dictum eſt initio capitis præcedentis: tertia quæ propriè dicitur vnio, non poteſt fieri, abſque extinctione Beneficij vniti, quæ res occaſionem præbet tractandi, hoc capite de reliquis modis, quibus beneficia extinguuntur.

2. Verum enim hoc accidit, pluribus modis, quandoque ob cædem Epiſcopi, communi ciuium culpa, ac dolo perpetratam, in cuius pœnam ſedes Epiſcopalis aufertur, & paſtoralis cura ad alios transfertur, vt in *cap. finali* 25. *quæſt.* 2. vbi tranſlatione ſedis Epiſcopalis Scyllacænorum, ob geminatam cædem Epiſcoporum eiuſdem vrbis, & à ciuibus perpetratam.

3. At verò quænam fuerit illa ſedes, & ciuitas Scyllacænorum, ſedulè & ex more inquirit, *Antonius Auguſtinus lib.* 1. *de emendat. Gratiani dialogo* 5. nec tamen vt mihi videtur ſatis explicat, cum enim dixerit vrbis nomen eſſe Scyllacæum, dimittit lectorem in dubio, quænam ſit illa ciuitas, cuius notionem petere debemus, *ex Auberto Miræo, in Geographia Eccleſ.* vbi monet Scyllacænum, fuiſſe antiquam vrbem Epiſcopalem, Magnæ Græciæ, ſub Archiepiſcopo Regienſi, quod tamen eiuſdem canonis ſpeciei, certo affigere nolim, cum & extet hodiè ciuitas illa Epiſcopali ſede honorata.

4. Sed etſi Eccleſia, in preiudicium alterius ædificari cæpit, & poſt noui operis nunciationem, ædificium extructum ſit, non tantum ædificium deſtrui, ſed etiam reditus, & miniſtri (ſi reditu ac miniſtris inſtructum fuerit) ad minorem ſtatum reduci debent, *cap.* 2. *de oper. noui nunciat* nec enim antè remiſſionem nunciationis, publica auctoritate receptæ, aut locus conſecrari potuit, aut fundatio ordinarij decreta firmari.

5. Verum & illud etiam quandoque euenit, vt altaria in memoriam Martyrum extructa, deſtruantur, ſin quoque corpus, neque Reliquiæ Martyrum, ibi condita reperiantur, *can. placuit*, *de conſecrat. diſtinct.* 1. qui deſumptus eſt ex Concilio Africano, temporibus Bonifacij & Cœleſtini habito, & repetitus inuenitur in Carthaginenſi Concilio, 5. *can.* 14. qua de re legenda, & diligenter excutienda, breuis ſed ſtudioſiſſimè & accuratè ſcripta epiſtola, Amulonis Archiepiſcopi Lugdunenſis, ad Theodbaldum Lingonenſem Epiſcopum, in qua agit de ſuppoſitione Reliquiarum, facta in Eccleſia de Benigni Diuionenſis.

6. Nonnumquam verò vniuerſus Ordo Religioſorum abolētur, vt Templariorum, de quorum exceſſu, & inſolentia, cum ſæpius querelæ habitæ fuiſſent & repetitæ in Concilio Lateranenſi temporibus Alexandri III. habito, vt patet *ex cap. cum & plantare, de priuileg.* tandem Concilio generali, Viennenſi, ob fœdiſſima crimina è republica Chriſtiana ſublati, anno Domini 1312. teſte *Roberto Guaguino in vita Philippi Pulchri, & Ioanne Baptiſta Platina in vita Clementis V. Seuerino Binio, in notis ad Concilium generale Viennenſe relatum tomo* 3. *Concil. parte* 2. vbi inquiſitionis & proceſſus aduerſus eos inſtructi probatoria quædam inſtrumenta refert idem Binius.

7. Non deſunt tamen qui ſcribant, falſis accuſationibus oppreſſos, ac damnatos fuiſſe, *Meirus lib.* 11. *hiſtoria Flandriæ, Hermannus contractus in chronico. Greg. Tholoſ. in ſintagm. iuris lib.* 15. *cap.* 33. quidquid ſit in eorum locum ſuffecti ſunt, milites primùm Rodienſes dicti, deinde Melitenſes, à ſedibus diuerſo tempore fixis, in vtraque inſula, in quarum poſtrema, hodie reſident, & Chriſtianæ reipublicæ tuendæ & propagandæ fœliciter inuigilant.

8. Quum etiam poſſunt, & debent nouorum Religioſorum ordines diſſolui, & antiquiores, & receptiores transduci, *ex cap. finali, de Relig. dom. cap. vnico eod. in* 6. *cap. ſancta Romana Eccleſia eod. tit. in extrauag. Ioann.* 22. nec enim poſſunt noui ordines inſtitui, abſque venia, aut ſummi Pontificis auctoritate, imo nec in regno admitti, quamuis auctoritate Apoſtolica inſtituti, niſi ſpeciali mandato principis interueniente, & ſupremi Senatus Pariſienſis auctoritate firmato, vt probant plura exempla relata in altera parte probationum ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 32.

Digitized by Google

9. Scio etiam nonnumquam ob inopiam, & redituum mediocritatem, præbendas ac dignitates ſupprimi, ſed de hoc genere extinctionis dictum eſt ſatis, in capite præcedenti, vbi de cauſis vnionum & in *capite 4. ad verba militia*, §. 26. vbi de præb. quod tamen fieri non poteſt, niſi cauſa diligenter cognita, & probata, & ſuperioris auctoritate confirmata, vt in vnionibus obſeruari diximus, & probatur in cap. cum acceſſiſſent in verbo confirmatum, & in cap. ex parte, in verbo confirmatione, de conſtit.

10. Et hoc quidem non me latet, variis caſibus ædes ſacras deponi, & ſolo adæquari vel pollui, nec ideo beneficium extingui, quod parietibus non continetur, ſed & ſi ab hoſtibus occupatum ſit, non deſinit eſſe beneficium, cui etiam interim paſtores præficiuntur, *cap. ſancta Romana Eccleſia, in extrauag. commun. tit. de elect. & el. pot.*

11. Et verò hi ſunt, quos Epiſcopos vulgò, portatiles appellamus, ſiuè titulares, quod huiuſmodi Eccleſiarum titulos, ſolos præ ſe ferant, quibuſlibet tamen aliis Eccleſiis Cathedralibus, interim incardinandi, vt aliàs obſeruabatur, *ex can. fraternitatem diſtinct. 71. can. paſtoralis 7. quæſt. 1. can. finali, 21. quæſt. 1.* de quibus plurà dixi *in cap. 4. ad verba, militia, §. 21. & ſequenti*, dum quærerem an ſine plebe cura animarum ſubſiſtere poſſit.

12. Poſtremo inter modos, quibus extinguuntur beneficia, non annumero ſtatus mutationem, veluti ſi ex Epiſcopali ſede, fiat Archiepiſcopalis, quod in Eccleſia Tholoſana accidit, quæ cum olim Narbonenſi Eccleſiæ ſubeſſet, in Metropolitanam eſt erecta, per Ioan. 22. vt patet, *ex cap. ſaluator. de præb. in extrauag. comm.* vtraque Archiepiſcopo noſtro Bituricenſi, tanquam Primati, & Patriarchæ ſubmiſſa, vt ſuprà oſtendimus, ad verba *militia, cap. 4. §. 4. de primatibus.*

13. Et ſimiliter noſtris hiſce temporibus, idem contigit, in Pariſienſi Eccleſia, quæ cum tanquam Epiſcopalis Senonenſi Archiepiſcopo ſubeſſet, inſtante Ludouico XIII. Francorum Rege, in Archiepiſcopalem tranſiit, beneficio Gregorij XV. ſummi Pontificis, eique tanquam Metropolitanæ, ſuffraganei ſubmiſſi, Carnotenſis, Aurelianenſis, & Meldenſis Epiſcopi, è Senonenſis Metropoli diſtracti.

14. Sic etiam monaſteria aliquando, in Epiſcopatus eriguntur, *cap. ne ſede vac. aliq. innoc.* & parochiæ in monaſteria, *can. ſi Epiſcopus 12. quæſt. 2.* licet è contrà, monaſteria in parochias tranſmutari non poſſint, *can. quæ ſemel 19. quæſt. 3. Chop. lib. 1. monaſt. num. 6. ſub finem*, cum parochialis cura merè ſæcularis ſit.

15. Sed & multò minus dicam, extingui beneficium, ſi non ſtatus, ſed locus tantum mutatus ſit, quod tribus caſibus contingit, *can. tribus, de conſecrat. diſt. 1.* primò, cum neceſſitas perſecutorum, loca ſanctorum grauauerit; ſecundò, cum difficultas locorum adeundorum fuerit; tertiò cum malorum ſocietate grauantur, & de his omnibus, & ſingulis mutationum ſpeciebus, videndus *Petrus de Peruſio, in tractatu de ſtatus mutatione Eccleſiarum & perſonarum.*

Digitized by Google

AD VERBVM COELESTIS.

CAPVT PRIMVM.

De vita, & honeſtate Clericorum.

1. *Varia nomina, & tituli, quibus Clericorum militia deſignatur.*
2. *Item ſacra dicitur Clericorum militia, & futuræ diſputationis ordo traditur.*
3. *Militia Clericorum in quo verſetur.*
4. *Clerici negotiis ſæcularibus ſe immiſcere non debent.*
5. *Hæc prohibitio ad ſolos in maioribus ordinibus conſtitutos, nec ad quælibet negocia extenditur.*

1. BENEFICIVM, vti initio huius tractatus definiuimus, eſt *militia quædam cœleſtis, &c.* & recte *cœleſtis*, ſic enim appellatur, *in cap. 2. de pœnis in 6. & cap. chriſtianis 11. quæſt. 1.* nam clerici quibus beneficia debentur, de hoc militant, vnde militia clericalis dicitur, *cap. 4. de præb. can. presbiteros 16. quæſt. 1.* & alibi clericorum miniſterium, vt in *can. Cyprianus 21. quæſt. 3.* vbi ſic legendum, *& in clerico miniſterio* non clericali, ex vetuſtiſſimo codice refert *Cuiacius, in cap. 1. de vita & hon. cler.*

2. Verum etiam clericorum militia ſacra appellatur, *can. quandocumque, diſtinct. 77.* & beneficia ipſa ſacræ adminiſtrationes, diuina munera, cœleſtes dignitates, *can. miramur in fine, 61. diſtinct.* quippe militia Chriſti eſt Chriſto ſeruire, & orationibus vacare, *can. reprehenſibile 23. quæſt. 8.* ex quo duo ſequuntur, primum, quod erit materia huius capitis, vitam clericorum aliam eſſe debere, quàm ſæcularium, alterum, quod in ſubſequens caput remittendum eſt, beneficia quæ clericis exercentur, ſpiritualia, ac proinde omni commercio exempta.

3. Nunc ergò, de primo videamus, hoc eſt, de vita & honeſtate clericorum, qui cum ἀπὸ τοῦ κλήρου, id eſt, ſorte ſeu hęreditate dicti ſint, quaſi in ſortem, ſeu hereditatem Domini allecti ſint, *can. cleros 21. diſtinct.* ſe ſe tales præſtare debent, quales eſſe dicuntur, nec quicquam curare præter Deum, *can. cleros & ſequenti 12. quæſt. 1.* & vt Cyprianus ait, non niſi altari, & ſacrificiis deſeruire, & precibus, atque orationibus vacare, *can. Cyprianus 21. quæſt. 3. d. can. reprehenſibilem 23. quæſt. 8.* quibus addi poteſt, quod olim ad clerum Eccleſiæ Romanæ reſcribebat, Athaloricus Rex Italiæ, apud Caſſiodorum, *lib. 5. cap 29. magnum crimem eſt admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularem, profeſſio veſtra cœleſtis eſt.*

4. Et ex eo eſt, quod à negotiis ſæcularibus, quantum fieri poteſt, animum abducere

Digitized by Google

iubentur, Apoſtolo ità dicente, *nemo militans Deo, implicet ſe ſæcularibus negotiis*, 2. *ad Thimotheum cap.* 20. quod variis Patrum, ac Pontificum decretis confirmatum eſt, vt habetur *diſtinct.* 88. *vſque ad finem, & toto tit. ne cler. vel monachi ſæc. neg. ſe immiſc. can. cum ad verum diſtinct.* 96. *can.* 21. *quæſt.* 3. *per totum nou. Iuſtin.* 86.

5. Hanc tamen prohibitionem, *Panormitanus in cap.* 1. *ſub finem ne cler. vel monach. ſæc. aliq. ſe immiſc.* maxime pertinere ait, ad clericos in ſacris conſtitutos, & beneficiatos, vt ſuprà diximus, de horarum canonicarum recitandarum obligatione, in cap. 1. huius tractatus, verum ne ſub obtentu illius prohibitionis, quæ generalis eſt, quiſquam in errorem incurrat, monendi eſtis, quid ſpecialiter ſæcularium negociorum nomine comprehendatur.

§. PRIMVS.

De Clerico mercatore.

1. *Clerici ne mercaturam exerceant, & quæ pœnæ inobedientium.*
2. *Clerici negotiantes, vectigalia præſtare condemnantur.*
3. *Quandonam Clericus, mercaturam exercere intelligatur.*
4. *Condemnantur Clerici negotiantes, & annonam flagellantes.*

1. ET quidem illud in primis continetur, ſub prohibitione generali clericis facta, ne lucri cauſa negotientur, vt ſolent mercatores, *cap. conſequens & cap. negotiationem cap. fornicari cap. eiiciens, & duobus ſequentibus, diſtinct* 88. *& cap. ſecundum ne cler. vel monachi.* alioquin ipſo facto, clericatus priuilegium amittunt, & ab ipſis clericalibus officiis, atque etiam ab ipſo clero remouentur, *can. clerici & can. canonum* 14. *quæſt.* 4. *can. conſequens* 88. *diſtinct. cap.* 1. *de cler. coniug. in* 6. *& in textu ibi clericali, & ibi Molin. in notis.*

2. Quin etiam interim, vt mercatores, mercium ſuarum vectigalia, ſecundum regionis conſuetudinem, perſoluere tenentur, *nou. valent de Epiſcop. iud. cap. vlt. de vita & hon. cler.* quod emiſſum eſt ad querelam Comitis Pontimi, non Pontini, vt vulgò legitur, Celeſtimo noſtro *Pontien* tametſi pro rebus ſuis, quas non cauſa negociandi clerici deferunt, nequaquam ſint obnoxij, vectigalum præſtationi, *cap. quamquam de cenſ. in* 6. vt fuſius probat, *Mathæus Aurellius in erudito tractatu vectigalium, parte* 5. *de immunitate vectigalium.*

3. Verum vt intelligatis, an & quando clericus ſit mercator, nec ne, *Archidiaconus in d. cap. quamquam, & Faber in lege vniuerſi cod. de vectig.* ità definiunt, tunc eum mercatorem eſſe, cum res comparat, vt integras, nec mutatas vendat, ad lucrum faciendum, & ita *d. Ioann. Chriſoſtomus* mercatores definiuit, *hom.* 38. *in cap. Mathæi* 21. *& Caſſiodorus ad pſalmum* 70. relatus *in cap. penult. diſtinct.* 88. his verbis, *quid eſt aliud negotiatio, niſi quæ poſſint vilius comparari, carius velle diſtrahere*, ſic enim legendum, non negotium, animaduertit *Boetius epo in tit. ne cler. vel monach. cap.* 6. *num.* 7.

4. Et ex eo eſt, vt ſi tempore vindemiæ, vel meſſis propter cupiditatem lucri, vinum, aut frumentum vilioris emerint, vt poſteà pluris vendant, turpiter faciant, *can. quicumque* 14. *q.* 4. cuius deciſionis probandæ cauſa, addi poſſit, quod dicitur apud *Petrum Bleſenſem, in epiſt.* 17. *in principio clericus qui leuiore comparat pretio, vt vendat carius, filius eſt auaritiæ, idololatra pecuniæ, ſeruus mammonæ, & venundatus ſub peccato.*

§. SECVNDVS.

De Clerico conductore.

1. *Clericis poſſeſſionum conductio interdicta, vt & militibus.*
2. *Clerici ex cauſa conductionis, fori priuilegio non vtuntur.*

3. *Quandoque Clericis locatio prædiorum, & decimarum permittitur.*
4. *Quibus caſibus Clerici negotiari poſſint.*
5. *Probatur ex Actis Apoſtolorum D. Paulum fuiſſe negociatum.*

1. EST etiam negotiationis ſpecies, poſſeſſionum conductio, ideóque clericis interdicta, *Calchedonenſi Synodo, cap. 3. can. vlt. 86. diſtinct. & can. 1. 88. diſtinct. can. 1. cum ſecundum ne cler. vel monachi & nou. Iuſt. 123. §. alium Leonis 86. & Carthag. Synodo cap. 16. Arelatenſi 12 cap. 17. can. peruenit. 21. quaſt. 3. per totum*, quod & militibus Caſtrenſis militiæ pariter interdictum, *in lege 31. & vlt. cod. de loc. & cond. lege milites, lege militares, de re milit. lib. 12.*

2. Et quidem illud adeò verum eſt, vt ex cauſa conductionis, vt cuiuſlibet alterius negociationis, conueniri ſoleant, coram laicis iudicibus, nec clericatus priuilegio vti poſſint, *d. nou. val. de Epiſcop. iud.* in quam rem citatur *à Ioanne Lucio*, curiæ decretum, *plac. lib. 2. tit. 2. & à Papone in collectione decretorum lib. 1. tit. 5. art. 9. & 10. Guenoſcio ad pract. Imberti. lib. 1. cap. 24.*

3. Vnum caſum excipio, videlicet ſi poſſeſſiones prædiis Eccleſiaſticis adiacentes, non cauſa lucri, ſed quia Eccleſiaſtica non ſufficiant, à Dominis conduxerint, *cap. dilecti filij de decimis, & d. nou. Iuſtin. 123. §. alium:* qua ratione in locandis decimarum fructibus, intrà paroeciæ fines percipiendis, curiones præferri debere, probat ex veteri edicto regio, *Chop. lib. 1. monaſt. tit. 3. num.* 24. quibus & conſenſere decreta curiæ, ab eodem relata.

4. Et in ſumma iniuſta negotiatio eis interdicta eſt, non iuſta, quæ fit propter varias neceſſitates, vt putà ſi honeſto artificio, victum ſibi quærant, inhoneſto enim non poſſunt, *can. non licet 86. diſtinct.* ſic enim Apoſtolos, aliquando negociatos fuiſſe teſtatur Concilium Moguntinum relatum *in d. cap. 1. ne cler. vel mon. & ibi Boet. epo. num. 34. & ſequentibus.*

5. Et ex eo eſt, quod diuus Paulus *cap. 20. Actuum* Apoſtolorum ità loquitur, *ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt mihi manus meæ*, quod *in cap. 1. 21. quaſt. 1.* relatum eſt, item in *can. 2. 3. 4. & 5. 9. diſtinct. can. numquam de conſecrat. diſtinct. 5. Auguſt. Pſalmo 99. & libro de opere monach. Greg. Tholeſ. partit. iuris can. lib. 4. cap. 8. quaſt. 10.*

§. TERTIVS.

De Clerico procuratore.

1. *Clerici rerum ſæcularium adminiſtrationem ſuſcipere non debent.*
2. *Clerici procurationem nec ad lites, nec ad qualibet negotia exercere poſſunt.*
3. *Clerici ex procuratione, aut adminiſtratione ſæcularium negotiorum, apud iudices ſæculares conueniuntur.*
4. *Quibus caſibus Clerici procurationem exercere poßint, aut debeant.*
5. *Clerici nec Procurationes Fiſcales ſubire debent.*

1. PRætereà clericis interdictum, ne ſæcularium rerum procurationem, ſeu adminiſtrationem ſuſcipiant, *cap. 1. cap. ſecundum ne cler. vel monachi* licet *Panormitanus in cap. per venerabilem. qui filij ſint legit. num. 2.* ſcribat in iudicio Eccleſiaſtico, laicorum procuratores eſſe poſſe, vt & iudices.

2. Sed miſſa hac diſtinctione, quod diximus ſæcularium negotiorum procurationem ſuſcipere non poſſe clericos, non tantùm de procurationibus litium accipiendum eſt, ſed etiam quorumlibet negotiorum, *Calchedonenſis Synodi, cap. 3. & Carthaginenſi can. 6. & can. peruenit. & ſequenti 21. quaſt. 3. cap. 1. verſiculo, conductores, & cap. 2. ne cler. vel mon. Leonis Imperatoris nou* 86.

3. Verum-tamen exſtant, in clericos negociorum procuratores, Senatus Pariſienſis decreta, quibus ex adminiſtratione, coram iudicibus ſæcularibus, conueniri iudicatum

eſt, Papo rapſodiæ, *lib.* 5. *tit.* 5. *art.* 9. ideóque etiam in cauſis forenſibus, & ſæcularibus, & apud iudices ſæculares, poſtulare vetantur, qua de re exſtat vetus conſtitutio regia anni 1284. & 1288. & ſcriniis curiæ Pariſienſis demandata, quæ refertur in primo volumine probationum ad lib. Eccleſ. Gall. *cap.* 7. *num.* 10. quod tamen à Luca Patriarcha Conſtantinopolitano, eis permiſſum fuiſſe refert, *Chop. de ſacr. polit. lib.* 2. *tit.* 7. *num.* 27. *&* 28. *& Greg. Tholoſ. in ſintagm. lib.* 49. *cap.* 6. *num* 24.

4. Sed etiam excipiuntur, in *cap.* 1. 2. *&* 3. *de poſtulat. cap.* 1. *verſ. in placitis, ne cler. vel mon. cap. perlatum* 88. *diſtinct. can. monachi* 16. *quæſt.* 1. *can. te quidem* 11. *quæſt.* 1. hi qui propriam, vel Eccleſiæ cauſam perſequuntur, aut ſi neceſſitas immineat, vt miſerabilium perſonarum, vel coniunctarum, orphanorum, vel viduarum, defenſionem ſuſcipiant, ſiuè ſponte, ſiuè ex officij neceſſitate, vt tutores, curatores, & ij quibus rerum Eccleſiaſticarum, ſollicitudo, atque adminiſtratio ab Epiſcopo commiſſa eſt, *cap.* 1. *diſtinct.* 88.

5. Sed tamen illud innuere videtur, *cap.* 1. *de poſtulat.* clericos in Subdiaconatu, & minoribus ordinibus conſtitutos, ſi Eccleſiæ ſtipendiis non ſuſtententur poſſe aduocati munere fungi, verum extra hos caſus, adeò forum, & lites aduerſari iubentur, vt ſæcularium principum, aut dominorum procuratores eſſe non poſſint *ils peuuent eſtre Procureurs Fiſcaux*, vt patet ex veteri conſtitutione Regia ſuprà laudata, quo Domino congruit conſtitutionibus Imperatoriis, in *lege repetita cod. de Epiſcop. & cler. & lege conſulta diualia cod. deteſtam. abſurdum imo & iam probroſum videri clericis, ſi peritos ſe velint oſtendere, diſceptationum eſſe Forenſium.*

---

§. QVARTVS.

De Clerico ſæcularem iuriſdictionem exercente.

1. *Sæcularis iuriſdictionis exercitium, Clericis interdictum.*
2. *Notatur in id, D. Pauli ad Corinthios Epiſtolæ primæ, caput 6.*
3. *Olim tamen permiſſum, ex Marcellini S. P. Epiſtola.*
4. *In id Theodoſij conſtitutio, in corpore iuris clauſa.*
5. *Clerici de cauſis laicorum notionem ſuſcipere poſſunt, mandante principe.*
6. *Clericus mandante principe, iuriſdictionem ſæcularem exercens, pœnam ſanguinis dicere non poteſt, alioquin fit irregularis.*
7. *Dolus Iuliani Apoſtatæ, Clericos iuriſdictionis ſæcularis exercitio, addicentis.*
8. *Laudatur Siluanus Epiſcopus Troianus, quod Clericos à iure dicundo abſtinuerit.*
9. *Clerici volentes plerumque ſuſcipiant, cognitionem cauſarum ciuilium.*
10. *Iuriſdictio duplex, ſpiritalis, & temporalis, & quænam ſint.*
11. *Quibus caſibus, ſummus Pontifex iuriſdictionem ſæcularem exercere poſſit, aut debeat.*
12. *Iure Gallico improbatur iudicium, de rebus temporalibus, à ſummo Pontifice ſuſceptum.*
13. *Iuriſdictionis temporalis Eccleſiæ competentis exercitium, laicis committendum.*
14. *Sed & Epiſcopalis contentioſæ minoribus Clericis demandandum.*

1. SEd nec iuriſdictionem quidem Principum, aut Dominorum ſæcularium, exercere poſſunt clerici, *ils ne peuuent eſtre Iuſticiers des Seigneurs, ou tenir aucun Office d'eux*, cui adſcribit prædicta vetus conſtitutio Regia, & probatur paſſim in iure canonico, *cap.* 4. *&* 5. *ne cler. vel mon. cap. clerici* 15. *de vit. & honeſt. cler.* nec ſæculares honores obtinere, *can. eos qui.* 20. *quæſt.* 3 & generaliter, neque iudices, neque cognitores, ſæcularium negotiorum eſſe poſſunt, *cap. te quidem* 11. *quæſt.* 1. & vt ait lex conſulta diualia *cod. de teſtamentis, & lex repetita cod. de epiſcop. & cler. opprobrium eſt clericis ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum eſſe forenſium.*

2. Et quidem huius prohibitionis, antiquiora quædam veſtigia patent, vel etiam in ipſis naſcentis Eccleſiæ exordiis, dum *D. Paulus in epiſtola* 1. *ad Corinthios cap.* 6. eoſdem monet his

Digitized by Google

verbis, *ſecularia igitur iudicia habueritis contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum*, per contemptibiles enim intelligit D. Apoſtolus laicos relatione habita ad clericos vt probat *Turolacus lib.* 8. *defenſ. conſtit. Apoſtol.* quamuis *Boetius Epo in tractatu de iuriſd. Eccl. quaſt.* 1. *num.* 9. his verbis prænotari voluerit, minores clericos, illud enim menti Apoſtoli non conuenit, qui dum à litibus, inter fideles ſubortis componendis, ſolos gentiles excludit, non eo quod erant laici, ſed quod infideles, vt ad fideles remittat, non videtur ordinem iudiciorum turbare voluiſſe, & à foro laicum, ad Eccleſiaſticum tranſmittere.

3. Verum tamen illud non ſemper, & vbique obtinuit, exſtat enim epiſtola Marcellini Papæ, quæ iubet contentiones omnes, quæ inter Chriſtianos oriuntur, ad Eccleſiam deferri, & ab Eccleſiaſticis viris terminari, cuius epiſtolæ fragmentum, vulgò malè adſcribitur Bonifacio, in *cap. quacumque* 11. *quæſt.* 1. cui tamen reſtitui debet ſubſequens epiſtola, relata in *canone ſequenti*, eiuſdem rei probandæ cauſa, quæ malè eidem Marcellino adſcribebatur, tanquam ſcripta ad Epiſcopos Galliæ, vt videre eſt in notatis ad eumdem canonem, *& in libro priore Antonij Auguſtini de emendatione Gratiani, dialogo* 14.

4. Sed & in id exſtat altera Theodoſij conſtitutio, qua cauetur, vt in quacumque parte litis, alter litigantium, iudicium Epiſcopi elegerit, confeſtim, etiam inuito aduerſariò, cauſa ad ſedem Epiſcopalem tranſmittatur, & vt ſententia ab Epiſcopo lata, nullatenùs retractetur, *l.* 1. *cod. Theod. de Epiſco. iudicio*, quæ quidem conſtitutio, à Carolo-Magno confirmata eſt, in capitularibus, *lib.* 6. *cap.* 281. & tàm ipſa quàm eius confirmatio, in decretum relata *in can. quicumque & duobus ſequentibus*, 11. *quæſt.* 1. & eiuſdem fit mentio in *cap. nouit, de iudiciis.*

5. Nunc ergò, cum quæritur, an clerici ſæcularium negotiorum, & cauſarum ciuilium, iudices eſſe poſſint, adhibita diſtinctione, reſpondendum putarem, non poſſe quidem illos, cuiuſuis Domini, aut principis, iuriſdictionem exercere, velut earum officiarios *d. cap.* 4. *&* 5. *ne cler. vel mon.* non prohiberi tamen, permittente principe, de cauſis laicorum cognoſcere, & iudicare *d. can. quacumque, & can. quicumque & ſequentibus* 11. *quæſt.* 1. his argumento eſt, quod etiam criminum cognititio, ipſis delegari poteſt, *cap. in Archiepiſcopatu de rapteribus.*

6. Verum quo caſu, criminum cognitionem ſuſcipiunt, pœnam ſanguinis, aut truncationis membrorum, inferre nequeunt, alioquin irregularitatis labem incurrunt, *can. ſæpe & ſequenti* 23. *quæſt.* 8. *cap. clericis, cap. ſententiam ne cler. vel mon. cap. vlt. eod. in* 6. *cap. ex litteris, de exceſſ. prel. cap. ad audientiam, de crim. falſi*, non prohibetur tamen, aliam pœnam, etiam corporalem imponere, *cap.* 1. *de calum. Guenoſ. ad Imbertum in Enchiridio lib.* 3. *cap.* 8. *litt. A.*

7. Et tamen rectius fecerint principes, ſi clericos abſtinuerint ab huiuſmodi cauſarum ciuilium, & criminalium cognitione, qua de cauſa *Nicephorus Caliſtus libro hiſtoria Eccl. cap.* 13 Iulianum Apoſtatam dolo malo feciſſe arguit, quod eos, qui in clerum adoptati erant, Senatorum munere, & officio fungi iuſſiſſet.

8. Ex diuerſo autem, idem auctor *lib.* 14. *cap.* 30. *& Socrates lib.* 7. *cap.* 37. Siluanum quemdam Epiſcopum Troianum laudat, quod neminem è clero iudicare permiſerit, ſed ſupplicantium libellos, vni ex fidelibus laicis, quem iuſti & æqui ſtudioſum ſciret, tradere cognoſcendique munus committere ſolitus fuerit, ſecundùm D. Pauli præceptum in *d. epiſt. ad Corinthios cap.* 6.

9. Verum nota verbum illud *committere*, & ex eo collige, licitum fuiſſe clericis, ſi vellent cognitionem ſuſcipere, & eodem exemplo *Panormitanus in cap.* 2. *de iudiciis*, ait clericos quidem, temporalem iuriſdictionem habentes, eam exercere poſſe, honeſtius tamen facturos, ſi laicis eam commiſerint, argumento *d. cap. vlt. ne Cler. vel mon. in* 6. *& can. perlatum* 88. *diſtinct.*

10. Sed vt rem omnem facilius intelligatis, animaduertendum eſt, duplicem eſſe iuriſdictionem, vnam ſpiritalem, ſeu Eccleſiaſticam, aliam temporalem, ſeu ſæcularem: illa verſatur circà perſonas Eccleſiaſticas, & circà res ſpiritales, hæc circà perſonas laicorum, & res temporales: illi præſunt ſacerdotes, & viri Eccleſiaſtici, huic Reges: & principes ſæculares, *Can. duo ſunt* 96. *diſtinct. nou.* 6. *in principio Can. nos ſi incompetenter* §. *ſed notandum eſt*, 2. *quæſt.* 17.

11. Verum aliquando contigit, vt ſummus Pontifex, certis ex cauſis, temporalem iuriſdictionem exerceat, veluti ſi principes ſæculares, ei ſe ſubiiciant, aut ſi fortè deſint, qui ius reddere poſſint, aut negligentes ſint, nam ob deſidiam iudicis ſæcularis, cauſa transfertur ad forum Eccleſiaſticum, *cap.* 6. *per venerabilem* §. *rationibus qui filij ſint leg. cap. licet, & ſe-*

Digitized by Google

& ſequenti, & cap. ex parte, de foro compet. cap. 4. eodem in 4. compilat. decretal.

12. Nec tamen illud apud nos, vſquequaque ſeruatur, vt notat *Vidus Conchil. in poſt. libert. Eccleſ. gall. collectione, pag. 22.* ſic enim diſcrepant inter ſe, iuriſdictio ſæcularis, & Eccleſiaſtica, vt nullo caſu altera, ex deuolutione, ad alteram accedat, nec etiam eo caſu quo cauſa difficilis, aut ambigua dicitur, quamuis ad ſummum Pontificem tunc recurrendum eſſe, auctoritate Deuteronomij probare nitatur, *Innocentius III. in d. §. rationibus,* id enim moribus noſtris improbatur.

13. Verum nec illud negauerim, cum bonorum temporalium poſſeſſio, ad Eccleſiam tranſmitti cœpit, (huius poſſeſſionis alioquin, minimè incapacem, vt infrà dicetur) ſed & feudorum, quibus iuriſdictio cohærere ſolet, ipſam iuriſdictionem in clericos, ſiue Eccleſiæ miniſtros transferri potuiſſe, vt probant quotidiana exempla: ſed tamen illud conſtat, huiuſce iuriſdictionis exercitium, laicis ipſis committendum fuiſſe, vt habetur *in cap. vlt. ne cler. vel monachi, in 6.* ne iuriſdictionis temporalis exercitio clerici addicti, à diuinis muneribus, & officiis auocarentur.

14. Et ex eo eſt, vt quamuis Epiſcopis, & locorum Ordinariis, iuriſdictio Eccleſiaſtica & ſpiritalis competat, iure ſui magiſtratus, vel dignitatis Eccleſiaſticæ, tamen exercitium, ſaltem contentioſæ iuriſdictionis, minoribus clericis, neceſſariò demandandum fuit, vicariis, & officialibus, vt apud nos ſeruatur; qua ratione, Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratio, primis Eccleſiæ temporibus, Apoſtolis, deinde Epiſcopis credita, per diaconos exercenda fuit, *Actorum cap. 6.* vt notat, *D. Auguſtinus ad prædictam D. Pauli epiſtolam 1. ad Corinthios cap. 6.* his verbis, *igitur ſapientes qui in locis conſiſtebant, fideles & ſancti, non qui hac atque illac, propter Euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores Paulus eſſe voluit.*

---

§. QVINTVS.

De iuriſdictione Eccleſiaſtica & ſæculari.

1. *Eccleſia iuriſdictionem contentioſam non exercet, in temporalibus.*
2. *Quæritur an voluntariam exercere poſſit, in temporalibus.*
3. *Probatur ſummum Pontificem non poſſe exercere iuriſdictionem voluntariam in temporalibus.*
4. *Clerici olim principum ſæcularium iuriſdictionem exercere non poterant, iure magiſtratus, ſed tanquam mandatam.*
5. *Quid Concilio Lateranenſi inductum ſit.*
6. *Quid vſus tamen Galliæ inuexerit.*
7. *Philippus Longus primus Epiſcopos iudices eſſe vetuit.*
8. *Quinam Prælati in curia aſsidere, & ius ſuffragij habere debeant.*
9. *Probatur Senatorem ad Epiſcopatum promotum, poſt præſtitum fidelitatis iuramentum, vocis ſuffragio excidere.*
10. *Probatur exemplo, Seiſſellij Maſſillienſis Epiſcopi, & Exconſulis.*
11. *Quandoque iudicandi munus Eccleſiaſticis delatum, & quibus legibus probetur.*
12. *Ordo, & progreſsus tractandæ materiæ.*
13. *Laici de cauſis ſpiritalibus ſuo iure, & magiſtratus, cognoſcere non poſſunt.*
14. *In id Friderici II. edictum præcedentium conſtitutionum correctorium.*
15. *An laici de cauſis clericorum ciuilibus, tanquam arbitri, aut ex mandato cognoſcere poſsint.*
16. *Argumenti à contrario ſenſu, vis ac poteſtas.*
17. *Diſputatur an Clerici, laicorum iuriſdictioni ſe ſe ſubmittere poſsint, & conſenſu prorogare.*
18. *Hodie nec conſenſus Epiſcopi, nec litigantium, poteſt prorogare, iuriſdictionem laicorum in Clericis.*
19. *Differentia inter iuriſdictionis prorogationem, & delegationem.*
20. *Cauſæ clericorum licet criminales, laicis committi poſſunt iudicandæ.*
21. *Cauſarum ſpiritualium cognitio, laicis demandari non poteſt, & quænam illæ ſint.*

Digitized by Google

22. *Iudices laici, de decimis infeudatis ius dicere ſolent.*
23. *Item de poſſeſſione beneficiorum, ſententiam ferre.*
24. *Quæ occaſio fuerit, Clericos iudices in ſæcularibus iuriſdictionibus intermiſcendi.*
25. *Iudex laicus de cauſa ſæculari cognoſcens, dimittere debet incidentem quæſtionem ſpiritalem.*
26. *Expungitur regula vt qui de quæſtione principali cognoſcit, & de incidenti cognoſcere poſſit.*
27. *Iure Gallico ſeruatur, vt iudex Eccleſiaſticus, de cauſa ſpiritali cognoſcens, de ciuili incidente cognoſcere non poſſit.*
28. *Nec iudex Eccleſiaſticus cognoſcens de cauſa matrimonij, de agnitione partus, & alimenti cognoſcere poteſt.*
29. *Iure Pontificio ſeruatur, vt in actionibus, ſiue in rem, ſiue in perſonam, Clericus, coram ſuo iudice reſpondeat.*
30. *Probatur etiam in actionibus in rem conceptis.*
31. *Item in criminalibus, & extraordinariis.*
32. *In mutuis petitionibus Clericus, coram iudice ſæculari laicum conueniens, coram eodem reſpondere debet.*
33. *Ratione feudi, Clericus coram iudice laico, & Dominico conueniendus.*
34. *Depoſitus Clericus, & incorrigibilis factus, à iudice laico coercendus.*
35. *Sola depoſitio non eximit Clericum iuriſdictione Eccleſiaſtica.*
36. *Degradatio eximit Clericum iuriſdictione Eccleſiaſtica, & quid ſit degradatio.*
37. *Degradatus ſolemniter, omni clericali priuilegio exuitur.*
38. *Nota ad* can. ſi quis ſacerdotum 11. quæſt. 1. & can. Clericus 3. quæſt. 4.
39. *Vbi Clericus heres laici, aut venditor, euictionis nomine conueniendus.*
40. *Inoleuit apud nos vſus* legis, heres, dig. de iudiciis.
41. *Iudex laicus, ex delegatione ſummi Pontificis, de re ſpiritali ſententiam dicere poteſt.*
42. *Iure Gallico, in merè perſonalibus actionibus, Clericus coram iudice Eccleſiaſtico conueniendus.*
43. *In actionibus in rem, vel mixtis, iudicis laici notio eſt, etiam inter Clericos.*
44. *Vbi actioni perſonali iuncta Hypothecaria, vtraque apud iudicem Eccleſiaſticum diſcutienda.*
45. *Vbi perſonalis actio perſequitur rem temporalem, apud iudicem laicum mouenda.*
46. *Idem ſeruandum in petitione penſionum redituum pecuniâ conſtitutorum aut cenſuum.*
47. *Agnitio Chirographi, & ad ſolutionem ex tempore faciendam coactio, ſæcularis eſt iuriſdictionis.*
48. *Item ex conductione, & negotiatione, Clericus coram iudice laico conueniendus.*
49. *Item propter refectionem ædificiorum, & ſolutionem onerum Eccleſiis impoſitorum.*
50. *Poſſeſsionis rerum Eccleſiaſticarum cognitio, iudici laico competit.*
51. *Fructuum Beneficij, in eamdem cauſam pignori addictio, ſolius eſt iudicis laici.*
52. *Iudex laicus, in quemlibet clericum criminis reum, manus iniicere poteſt, mox autem conditione cognita, ad iudicem Eccleſiaſticum remittere debet.*
53. *Quid in crimine priuilegiato ſtatuendum.*
54. *Iudices Eccleſiaſtici, an in inſtruendis, aut diiudicandis litibus, regiarum conſtitutionum obſeruatione alligentur.*
55. *Quænam ſint crimina priuilegiata, petendum ex locis & auctoribus ſuppoſitis.*
56. *Iudex laicus, Clericum reum condemnatum, antequam ſupplicio afficiat, debet remittere ad iudicem Eccleſiaſticum, degradandum.*
57. *Degradatio debet fieri intrà ſtatutum tempus, alioquin executioni mandata ſententia.*
58. *Quibus caſibus, Clerici ex crimine damnati ſupplicio affici poſſunt, abſque præuia degradatione.*

Digitized by Google

59. *Quibus caſibus, in Clericum, de crimnie iudex laicus ſolus ſententiam dicere poteſt, & executioni mandare.*

60. *Remiſſio ad fontes, vndè vtriuſque iuriſdictionis differentiæ patent.*

1. CÆterum regulariter Eccleſia, non habet iuriſdictionem contentioſam, in temporalibus, *cap. duobus §. vlt. de appellat. cap. nouit. verſiculo, non enim de iudiciis cap. lator. cap. cauſam quæ. 7. qui filij ſint legitimi*, quod ab Arcadio, & Honorio, iam olim fuerat conſtitutum *l. 1. cod. Theod. de religione*, cuius rei probandæ cauſa, qui plura deſiderauerit, adeat *Stephanum Auferium antecęſſorem Tholoſanum, in repetit. Clem. 1. de offic. ordinarij, & in tractatu, de poteſt. ſecularium in Eccleſiaſticos.*

2. Verum obſeruandum eſt, id potiſſimum dici de contentioſa, nam ſummus Pontifex, voluntariam iuriſdictionem ſibi vindicat, vt putà ius legitimandi, non tantum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, *capit. per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, quod tamen non admittit *Panormitanus ibidem*, quamuis à partibus ſummorum Pontificum, ipſiſque lateralis fuerit.

3. Namque ex ipſo capituli contextu, *verſiculo, inſuper* liquet, hanc partem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, à ſummo Pontifice vſurpandam non eſſe, præterquam in eos, qui nullum in temporalibus, ſuperiorem agnoſcunt, ne idem apud eumdem legitimetur, quod tamen in Actibus legitimis, & iuriſdictionis voluntariæ, licere conſtat, ex *lege 4. dig. de adopt. l. 5. & 2. dig. de Manumiſſ. vind.*

4. Sed vt ad temporalem iuriſdictionem redeamus, ea eſt penès principes ſæculares, non penès Eccleſiam, & propterea Eccleſiaſticæ perſonæ, ſuo iure eam exercere non poſſunt, ſed ex mandato principum ſæcularium tantùm, *d. can. quicumque 11. quæſt. 1. & cap. in Archiepiſcopatu de rapt. d. can. ſæpe 23. quæſt.* 8.

5. Illud tamen ità temperatum eſt, in Concilio Lateranenſi, vt iuriſdictionem ſæcularem, ſub aliquo principe, vel ſæculari domino, titulo magiſtratus exercere non poſſint, nec iuſtitiam eorum fieri, *ils ne peuuent exercer aucune iuriſdiction temporelle en tiltre d'office*, ſed non dubito, quin ex ſpeciali mandato, & ex certis cauſis exercere poſſint, *que nous diſons par commiſſion*, vt in *can. ſæpe & d. can. in Archiepiſcopatu.*

6. Quin etiam, *Panormitanus in d. cap. 4. ne cler. vel monach. Ioannes Andreas in cap. 5. eod. & Boetius Epo ibidem num.* 21. ſcribunt clericos, ſæcularium principum, conſiliarios eſſe poſſe, vt ſunt hodiè apud multos, & maximè in hoc regno, in quo pridem obtinuit, Eccleſiaſticas perſonas, etiam ſacerdotio inſignitas, officia iudicum, à rege collata exercere, & curiis omnibus tàm ſupremis, quàm inferioribus, conſiliariorum titulo, permixtim cum laicis adſcribi, vt pluribus probat, *Ioannes Bordenauius in tractatu tribunalium Eccleſiaſticorum, cap. 12.*

7. Verum ab his excipiuntur, Epiſcopi, & Prælati, quos olim à parlamento, ad paſtoralem curam, & diuinum obſequium, reuocauit Philippus Longus, anno Domini 1319. vt ſcribit *Paſchaſius lib. 2. obſeruat. gall. cap.* 3. quod tamen *Chopinus lib. 2. de ſacra polit. tit. 7. num. 28. & Budæus in annotat. in Pandectas ad leg. vlt. de ſenat. tribuit Ian.* 2.

8. Sed tamen, ab illa prohibitione, exceptionem habere meruit, Abbas ſancti Dionyſij, qui ab eo tempore, ius ſuffragij retinuit, in curia parlamenti, cum hæc patritiis Eccleſiaſticis, & Epiſcopo Pariſienſi, alij quippè huius regni Epiſcopi, ſi ex conſules fuerint honoris ſedem tantùm, non ius ſuffragij habent, vt refert *Paſchaſius lib. 2. obſeruat. cap.* 3.

9. Ex quo etiam inualuit, vt quoties aliquis vel Conſiliarius, vel Præſes, Epiſcopus factus eſt, officium deponere, atque alij cedere debeat, vt idem *Paſchaſius & Chopinus tribuunt loco ſupradicto*, quod adeò verum eſt, vt in quinta inquiſitionum decuria, ex conſilio ſeniorum, ſiuè maioris decuriæ ſenatorum, decretum *die 16. Auguſti.* 1608. referat *D. Lepreſtre*, in collectione decretorum eiuſdem quintæ decuriæ Claudium *Gelaſium*, ſenatorem Pariſienſem, promotum ad Epiſcopatum Agnienſem, poſt fidelitatis iuramentum Regi præſtitum, omni vocis ſuffragio excidiſſe, in diiudicanda lite, quamuis excutiendæ & viſitandæ adfuiſſet.

10. Et his quidem confirmandis, adhiberi poteſt exemplum, Claudij Stiſſellij, viri diu, multumque in foro verſati, qui cum primum, Maſſilienſium Epiſcopus inauguratus eſſet, à curia receſſit, & Franciſco I. ſuadere conatus eſt, Eccleſiaſticas perſonas, à iudicandi munere abſtinendas eſſe, vt ipſe teſtatur in libris *de Francica Monarchia cap.* 4. quod magis congruit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vt oſtenſum eſt ſuprà.

11. Nec tamen ex eo inferri velim, iudicandi munus, Eccleſiaſticis omnino interdi-

Digitized by Google

cendum eſſe, nam & in veteri teſtamento, ſacerdotes iudicabant, *primo regum cap.* 7. *Paralipom. cap.* 19. *Ezechielis* 44. *Ioſephus libro* 4. *antiquitatum Iudaicarum cap.* 14. ſcribit, iudicibus ordinariis, qui ſeptem numero fuerant, admotos fuiſſe duos, ex tribu Leuitarum.

12. Cum autem ſuprà dictum ſit, duplicem eſſe iuriſdictionem, vnam ſpiritalem, alteram temporalem, & probatum fuerit clericos, ex mandato, ſeu delegatione, principum ſæcularium, de temporalibus cauſis, cognoſcere poſſe, videamus, an ex diuerſo laici, cognoſcere poſſint, de negotiis Eccleſiaſticis, aut de cauſis Eccleſiaſticarum perſonarum.

13. Et quidem, ſuo iure cognoſcere non poſſunt, cum vt ſupra diximus, iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, præſunt, ij tantum, qui ſunt ex illo ordine, *cap.* 2. *de iudic. & tota cauſa* 11. *quæſt.* 1. laicis enim quantumuis religioſis, ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, nulla eſt attributa facultas, *cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtit.* idque verum eſt indiſtinctè, ſiuè cauſæ fuerint ciuiles, ſiuè criminales.

14. Verum enim, id ità conſtitutum agnoſcimus, à Friderico II. Imperatore, in quadam conſtitutione, ſub titulo, *de ſtatutis & conſuet. contra libertatem Eccleſiæ editis* relata in collectione epiſtolarum Petri de Vineis, eiuſdem Cancellarij, per quam emendatæ ſunt variæ anteriorum principum conſtitutiones, *lex omnes* 32. *& lex cum clericis* 25 *de Epiſcop. & cler. lex decernimus, de Epiſcop. audient. nou.* 83. *&* 123. *§. ſed neque & §. ſiquis verò.*

15. Sed cum quæritur an ex mandato, vel conſenſu eorum, quibus Eccleſiaſtica iuriſdictio competit, laici cognitionem ſuſcipere poſſint, cauſarum adhibenda diſtinctio, nam ſi quidem fuerit cauſa merè ciuilis communis interpretum ſententia eſt, laicis eam delegari poſſe, argumento *cap. contingit, de arbitris*, vbi dicitur, de rebus ſpiritualibus in laicos compromitti non poſſe.

16. Et ex eo, vel ſaltem à contrario ſenſu colligitur, de rebus & negotiis merè ciuilibus, compromiſſum valere, cuius argumentandi rationis, non leuiſſimam eſſe auctoritatem docet, *Nicolaus Euerardus Præſes Mechlinienſis in locis legalibus articulo de contrariis*, quod ſi ex conſenſu litigantium, & compromiſſo, arbitrium ſuſcipere poſſint, de cauſis ciuilibus, quid ni etiam, ex delegatione eorum, qui iuriſdictioni præſunt, de iiſdem iudicare poterunt.

17. Nec verò obſtat, *cap. ſi diligenti, & cap. ſignificaſti, de foro competenti*, quibus dicitur, clericum, ne quidem ex conſenſu Epiſcopi, fori ſui priuilegio renunciare, & laicorum iuriſdictioni, *ſe ſe ſubmittere poſſe*, quod iure ciuili eis permiſſum fuit, *lege, ſiquis in conſcribendo* 50. *cod. de Epiſcop. & cler. & lege* 29. *cod. de pactis* imo etiam antè Gregorium IX. auctorem d. cap. ſignificaſti, iure Pontificio licuiſſe videtur, clericis, ex conſenſu Epiſcopi, laicorum iuriſdictioni ſe ſe ſubmittere, *cap.* 1. *&* 2. *de foro compet. & can.* 2. 11. *quæſt.* 1.

18. Verum enim hodie, nec conſenſus Epiſcopi, poteſt prorogare iuriſdictionem laicorum in clericos, licet ipſi litigantes conſentiant, & tamen, poſſunt Epiſcopi, cauſas ciuiles, laicis delegare, vt dixi, cuius differentiæ rationem, notat *Ioannes Andreas, in d. cap. ſignificaſti, & Panormitanus in d. cap.* 2. *de iudicis.*

19. Sed enim cùm iuriſdictio laici, prorogatur, ipſe ſuo iure cognoſcit, quod in cauſis clericorum, facere non poteſt, cum verò delegatur, ipſius delegantis nomine, cognitionem ſuſcipit, & vices eius gerit, *cap. ſanè*, 11. *de offic. iud. deleg.* quod in cauſis ciuilibus, non prohibetur, vt dixi.

20. Nec aliud (vt credo) etiam in cauſis criminalibus, obſeruandum eſt, nam & has ex permiſſu Pontificis, apud laicos diſceptari poſſe, argumento eſt *capit. de foro competit.* aliàs enim iudex ſæcularis, in cauſa criminali, aduerſus clericum decernere non poſſet, *cap.* 48. *&* 16. *de iud.*

21. Si verò neque ciuilis, neque criminalis cauſa fuerit, ſed ſpiritalis, ſeu de re ſpiritali, non poteſt laicis delegari, *cap.* 2. *de iud. cap.* 3. *de conſuet.* huiuſmodi cauſæ ſunt, in quibus agitur de ſacramentis, de beneficiis, de decimis, de vſuris, *capit. diſpendioſa de iud. cap. meſſana & cap. ſacro-ſancta de elect.* de ſacrilegio, *cap. cum ſit generale, de foro compet.* & de his quæ ſpiritalibus connexa ſunt, veluti de iure patronatus, *capit. quanto, de iudiciis.*

22. Sed & quod diximus de decimis, diſtinctionem recipit in Gallia, nam ſi dicantur infeudatæ, iudicis Eccleſiaſtici notio interquieſcit, & in foro ſæculari, hæc quæſtio tractari debet, idem eſt, ſi de iure decimarum non ſit controuerſia, ſed de penſionibus, aliquot annorum tantùm, vel de poſſeſſione, *Papo lib.* 1. *rapſodia tit.* 4. *art.* 1. *& tit.* 5. *art.* 8.

Digitized by Google

& 16. tit. 11. art. 9. Chopinus de ſacra politia, lib. 3. cap. 4. num. 8.

23. Nec aliud dicendum, de poſſeſſione beneficiorum, aliàs de poſſeſſorio, vt loquuntur practici, cuius cognitio merè ciuilis eſt, & ad iudices ſæculares, imò & regios, pertinet, vt & ipſi ſummi Pontifices agnouerunt, pluribus ſuis diplomatibus, in id emiſſis, & è pluribus Martinus V. cuius diploma refertur, *à Guidone Papæo lib.* 1. *deciſ.* 1. & tranſcriptum eſt in altero volumine probationum ad libertates Eccleſ. Gallic. *cap.* 26. *num.*

24. Sed & illud, (vt obſeruat, *Ioannes Bordenauius in tractatu de ſtatu & forma protribunalium Eccleſiaſticorum cap.* 12. *num.* 26.) cauſam dedit in iuriſdictionibus laicis ſupremis, & inferioribus, clericos iudices intermiſcendi, vt Cleri Gallicani querelæ, & reclamationi quodammodo ſatisfieret, qui hoc indulto, & emiſſo diplomate, quamuis nihil noui iuris inferret, cauſarum ſpiritualium, quarum tamen poſſeſſionem, merè ciuilem agnoſſcimus, ſibi præreptam querebatur, namque vt ipſis Eccleſiaſticis, ſua iuriſdictio ſeruaretur, diiudicandis huiuſmodi litibus, clericos ſparſim cum laicis demandatos iudices aſſerit, ibidem Bordenauius, quod tamen non credo, omni veritate ſuſtineri, cum ab ipſa inſtitutione, clerici mixtim, cum laicis ſenatores præfecti habeantur, vt ipſe obſeruat *Paſchaſius lib.* 2 *obſeruat. Gallic. cap.* 3.

25. Adeò autem verum eſt, laicos de re ſpiritali, cognoſcere non poſſe, vt ſi fortè apud iudicem laicum, principalis cauſa de re temporali mota fuerit, veluti de hæreditate, & in eam ſpiritalis inciderit, alterutro litigantium contendente, aduerſarium hæredem eſſe non poſſe, eo quod ex legitimo matrimonio natus non ſit, cauſa matrimonij, vt ſpiritalis ad iudicem Eccleſiaſticum remittenda ſit, *cap.* 3. *de ordine cognit. cap.* 1. 3. 5. *&* 7. *qui filij ſint legitimi.*

26. Et in eo fallit regula iuris, vt quæ de principali negotio competens eſt, etiam de incidenti quæſtione, cuius alioquin competens non eſſet, cognoſcere poſſit, *l.* 3. *cod. de iud. & l.* 1. *cod. de ord. cognit.* quæ tamen, non fallit in perſona iudicis Eccleſiaſtici, qui de cauſa ſæculari incidenter, cognoſcere poteſt, in exemplo ſit *capit.* 3. *de donat. inter virum & vxorem.*

27. Quod tamen non obſeruatur in Gallia, nam iudicibus Eccleſiaſticis, non permittitur de ſæculari negotio, incidenter cognoſcere, & pronunciare, namque reiecta d. de conſtitutione, *Clementis* 3. *in d. cap.* 3. *de donat. inter vir. & ux.* probauimus decretalem epiſtola, Alexandri III. in *cap. cauſam quæ, qui filij ſint legit.* in qua poſſeſſionis bonorum iudicium, licet in quæſtionem ſpiritalem matrimonij incideret, ad iudices regios, ſummus Pontifex remiſit, vt ex eodem obſeruat, *Vidus Conchil. in poſthumo libert. Eccleſ. Gallic. tractatu pag.* 58. *& ſeq.* & in eam rem citantur à Chop. rerum iudicatarum exempla *lib.* 2. *de ſacra polit. cap.* 1. *num.* 15. *& à Roberto lib.* 3. *rerum iudicatarum cap.* 5. *& à Papone in rapſodia, lib.* 1. *tit.* 4. *art.* 4. *&* 11.

28. Verum excipit *Papo ibidem, & art.* 11 agnitionem partus, & decretum alimentorum, de quibus eodem iudicio, quo matrimonium confirmatur, aſſerit iudicem Eccleſiaſticum, ſtatuere poſſe, in conſequentiam, ſed fallitur vt notat *Ioannes Canutius in additionibus ad idem arreſtum, & in cent.* 2 *quæſt. ſingularum, quæſt.* 49. *&* 50.

29. Ex ſupra dictis igitur apparet, iuriſdictionem Eccleſiaſticam, verſari circà res ſpiritales, & circà perſonas Eccleſiaſticas, vel clericum, ſiuè ciuili, ſiuè criminali, iudicio pulſentur, quod nunc latius explicandum eſt, ducto initio à cauſis ciuilibus, quarum aliæ ſunt in perſonam, aliæ in Regem, in vtriuſque autem iure Pontificio, clericus coram iudice Eccleſiaſtico, conueniri debet, ſecundum regulam vtriuſque iuris, quæ dictat, actorem ſequi debere forum rei, *capit. cum ſit generale de foro compet.*

30. Sed & quod dico de actionibus in rem, vt in iis clerici fori priuilegio vti poſſint, clerici, ità deciſum in *Rota deciſ.* 552. *& apud Boerium deciſ.* 69. *Auſerium in repetit. Clem.* 1. *de offic. ordinarij & in tractatu de poteſtate ſæcularium in Eccleſiaſticos*, & facilè colligitur, à contrario ſenſu, *ex cap. ſi clericus eod. tit. de foro compet.*

31. In cauſis quoque criminalibus, multò magis id locum habet, vt non poſſit clericus, apud alium, quàm iudicem Eccleſiaſticum accuſari, *cap.* 2. *eod. can.* 1. 2. *&* 6. *et pleriſque aliis cauſa* 11. *quæſt.* 1. quibuſdam tamen caſibus receptum eſt, etiam iure Pontificio, clericos apud iudices ſæculares, conueniri, vt docet *gloſſa in d. can.* 1. 11. *quæſt.* 1.

32. Primus eſt in actione perſonali, nimirum ſi clericus, apud iudicem ſæcularem laicum, conuenerit, & is mutuam aduerſus eum petitionem, inſtituerit, nam hoc caſu, clericus coram ſæculari iudice reſpondere debet. cap. 10. 3. quæſt. 88. quod ſum-

Digitized by Google

ptum eſt ex iure ciuili, *lege cum Papinianus, cod. de ſent. & interlocat. omnium iudicum.*

33. Secundus eſt in cauſa feudi, de quo clericus, apud dominum ipſius feudi, litigare debet, *cap. ex tranſmiſſa & ſequenti de foro compet. iuncto cap. cæterum & ibi gloſſa de iudiciis,* quibus adde notas *Boſqueti ad epiſt. 126. ex lib. 2. reg 14. Boetium Eponem in tractatu de iuriſdict. Eccleſiaſt. quæſt. 1. num 19.* licet cauſam ciuilem de feudo, coram domino mouendam contendat, non criminalem dum agitur de factura, & periculo feudi, propter crimen à clerico admiſſum, quæ tamen diſtinctio, non eſt admittenda.

34. Tertius locum habet in cauſa criminali, ſumptus *ex cap. cum non ab homine de iudic.* vbi clericus, ex cauſa criminis depoſitus, excommunicari debet, deinde anathematiſari, quo facto, ſi vitam non emendauerit, à iudice ſæculari coercendus eſt, ſed de eo caſu commodius dicetur, in §. ſequenti, quibus caſibus clerici priuilegia clericatus amittunt.

35. Et ex eo velim, vos etiam illud obſeruare, clericos poſt depoſitionem, non eximi Eccleſiaſticæ iuriſdictioni, niſi incorrigibiles facti ſint, *cap. nec licuit. diſtinct. 17.* alios caſus addit *gloſſa ad d. capit. ad abolendam, de hæret. in verbo, relinquatur,* quos omitto breuitatis amplectendæ cauſa.

36. Verum aliud eſt in degradatione, quæ ſolemnis eſt, hæc enim, omnem dignitatem, ordinem, ac priuilegium tollit, illa verbalis appellatur, hæc actualis, ſiuè ſolemnis, quæ deſcribitur, *in cap. degradatio, de pœn. in 6. & cap. nouimus, de verb. ſignif. apud Greg.* quibus adde *Concil Trident. ſeſſ. 3. de reformat. cap. 4. Greg. in partit. iuris canonici, lib. 4 tit. 15. & in ſintagm. iuris vniuerſi, lib. 31. cap. 30. Chaſſaneum in conſuet. Burgundiæ pag. 196. num. 55. & 56. Fileſ. de ſacr. Epiſcop. auct. cap. 8. §. 1. ſub finem. Innoc. Ciron. in notis, ad decret. Honorij 3. tit. de ſent. excommu. ad cap. 4 Mornac. ad leg. 2. §. 2. de his qui not. infamia.*

37. Namque ex dictis locis, & præcipuè, ex dictis capitulis apparet, eum qui ſolemniter fuerit degradatus, tanquam exutum priuilegio, foro ſæculari per conſequentiam applicandum, idem dicit *Panormitanus in cap. at ſi clerici, num. 37. in fine,* vbi dicitur actualiter degradatum, ſtatim fieri de foro ſæculari, in quo & pleniſſimè tractatus, de degradatione, & apud *Chopinum lib. 2. de ſacr. polit. tit. 3. num. 17. & in notis Holhofredi ad nou. inſt. 123. cap. ſi quis verſiculo, ſi vero prius,* quo pertinet, *can. ſi quis ſacerdotum 11. quæſt. 1. & can. clericus cauſa 3. quæſt. 4.*

38. Et tamen, quod ibi habetur, in duobus canonibus poſterioribus, de clerico curiæ tradendo, plerique accipiendum putant, de quodam genere pœnæ, quo demnatus clericus, curiæ veluti piſtrino, ſeruire debet, & ita explicat *Cuiacius ad cap. 4. de iudic,* vbi illorum errorem arguit, qui dum dicitur, clericum curiæ tradendum, putabant ſæculari iudici ſubmittendum, cum potius id intelligi debeat, mancipiandum clericum, curialium oneribus ſuſtinendis, quæ ità grauia erant, vt demnati vel etiam ipſi Chriſtiani, in pœnam ſubeundis darentur, vt notat *Fornerius lib. 1. rerum quotid. cap. 28. Galbonius de cruciatibus Martyrum, cap. 9.*

39. Cæterum his tribus caſibus, quibus clerici fori priuilegio vti non poſſunt, addo & alios, vt putà, ſi clericus ex perſona deffuncti laici, cui ſucceſſit, conueniatur, maxime ſi deffunctus, ex cuius perſona conuenitur, condemnatus fuerit, vel ſaltem lis cum eo mota ſit, vt notat *Boerius quæſt. 69.* argumento *legis hæres §. proinde dig. de iud.* vel ſi euictionis nomine pulſetur, *lege venditor dig. eod.* quod tamen, *gloſſa* non admittit *in cap. clericum nullus 11. quæſt. 1.*

40. Quod & ipſe autem non omnino admitterem, niſi ex eo caſu, quo prænotaui, nec enim apud nos recepta eſt, deciſio *legis hæres §. proinde, leg. de iud.* vt notat *Ioannes Bacquetius in tractatu de inſtit. & iure cap. 8. numero 8. & Philbertus Buguonius lib. 3. legum abrogatarum cap. 14. in principio,* tametſi contrariam opinionem, fori noſtri tritura, receptum eſſe velit *Papo, lib. 1. notar. tit. de la diuiſion & ordre de plaider pag. 42.* iuxta doctrinam, *Fabri §. vlt. inſtit. de ſatiſd. & Boerij in d. quæſt. 69. per totum.*

41. Poſtremus caſus, ſi ſummus Pontifex, cauſæ cognitionem, aduerſus clericum, iudici laico delegauerit, quod poteſt vtique, etiamſi de re ſpiritali agatur, vt ſuprà diximus: ſic enim ſentit *gloſſa in cap. 2. de iud.* idque argumento, *cap. 2. de foro compet. & can. illud 10. quæſt. 3. can. mennam 2. quæſt. 5. can. Adrianus, & ſequenti diſtinct. 63.*

42 Nunc videamus quantum ius ciuile Gallicum, detraxerit iuri Pontificio, & quibus tandem finibus, iuriſdictionem Eccleſiaſticam coarctauerit, & vt incipiam à ciuilibus controuerſiis, principum noſtrorum conſtitutionibus, ità definitum eſt, in merè perſonalibus actionibus, clericos apud iudicem Eccleſiaſticum conueniendos eſſe.

Digitized by Google

43. Et quidem notandum eſt, quod dicitur merè perſonalibus, ad differentiam actionum in rem, aut earum quæ mixtæ ſunt, vel in rem ſcriptæ, in quibus clerici, non poſſunt vti fori priuilegio, nec per conſequens in hypothecaria actione, vt notat *Faber in* §. *item ſeruiana inſtit. de act. & Maſuerius tit. de iud. & eorum iuriſd.* quod confirmat *Chop. lib. 2. de ſacra politia tit. 1. num. 6. Boer. deciſ. 69. Papo rapſodiæ, lib. 1. tit. 5. art. 15. & lib. 2. notar. cap. 8. Aufrerius in deciſ. cap. Tholoſ. 126. Imb. lib. 1. praxis iuridicæ cap. 4. & ad eundem Guenoſius.*

44. Sed ſi hypothecaria perſonali coniuncta ſit, apud iudicem Eccleſiaſticum eſt tractanda, vt potè quæ ſit perſonalis acceſſoria, & quod perſonæ fauor, rei extinguit priuilegium; cum res omnes perſonarum gratiâ conditæ ſint, vt docet idem *Imbert. d. lib* 1. *tit.* 24. *cap.* 24. & confirmatur § *in pecudum decer. diuiſ. in inſtit. & lege* 68. *dig. de vſufr. & quemadmod.*

45. Nec idem eſt, ſi perſonalis actio rem immobilem perſequatur, vt putà, ſi quis ex vendito agat aduersùs Clericum, vt fundum tradat, nam hoc iure vtimur, vt coram iudice laico reſpondeat, vt videre eſt apud eundem *Paponem lib. 1. tit. 15. art. 15. &* 17. tunc enim rei perſequutio, ſiuè rei traditio videtur eſſe principalis, quamuis perſonali actione agatur.

46. Idem etiam dicendum, ſi agatur de reditibus pecuniâ conſtitutis, cenſibus, aut eorum penſionibus, *s'il eſt queſtion de cens & rente conſtituée, ou fonciere, & des arrerages d'icelles,* idem *lib. 1. tit. 6. num. 11. & tit. 5. num. 16. I. Galli, queſt. 52. Argentraus ad conſuet. Aremor.* §. 44. *col.* 176. *&* 177. *Aufrerius in repetit. Clem. 1. de off. ordinarij & in tract. de poteſt. ſacul. in Eccl ſ.*

47. His addo Chirographi agnitionem, *reconnoiſſance de cedulle*, quæ apud iudicem laicum fieri poteſt, cui etiam nouiſſimis conſtitutionibus permiſſum eſt, ius cogendi Clericum, ad obſignationem pecuniæ, *que nous appellons garniſon*, ſalua præſcriptione fori, ſuper actione perſonali, quæ ex Chirographo naſcitur, *Imbert. lib. inſtit. Forenſ. tit. 24. litt.* eoque iure vtimur.

48. Sed & ex cauſa negotiationis, quam Clericus exercuit, vel conductionis prædiorum, vel cuſtodiæ bonorum ſponte ſuſceptorum, *pour cauſe de trafic, maniment & adminiſtration d'affaires temporelles, de fermes & commiſſions volontairement acceptées, idem Papo lib. 1. tit. 5. art. 9. 10. & 12. et tit. 6. art. 3. in fine, Chop lib. 2. de ſacr. polit. tit. 1. num.* 18. de quibus mox quædam præmiſimus.

49. Item ſi agatur, de refectione, ſeu reſtitutione prædiorum Eccleſiaſticorum, & de præſtandis oneribus, quæ ob pias cauſas, ipſis impoſita ſunt, vt ſunt eleemoſynæ, *Imbert. d. lib. tit. 24. et Papo, eod. lib. 5. tit. 5. art. 19. et 21. Bertrandus Argentraus ibidem.*

50. Nec non de poſſeſſione quarumcumque rerum, etiam ſpiritualium, vt putà decimarum, beneficiorum, & ſimilium, hanc enim quæſtionem, non eſſe ſpiritualem ad forum Eccleſiaſticum pertinere docuimus ex G*uid. Papæ deciſ. 1. et 3.* vbi refert in hanc rem diploma Martini V. qua de re conſule *Boerium queſt. 69. num. 23.*

51. Ex quo etiam ſequitur, fructus bonorum temporalium Eccleſiæ, non niſi ſæcularium iudicum auctoritate, capi poſſe, quod regum noſtrorum conſtitutionibus cautum eſt, & hoc inſuper additum, ſolis regiis iudicibus hoc permitti, non aliis, P*apo lib. 1. tit. 5. art. 22. et* 50. & hi ſunt caſus, quibus Clerici in cauſis ciuilibus, fori priuilegio vti non poſſunt.

52. At in criminalibus, generaliter ſciendum eſt, omnes iudices ſæculares, ſine metu excommunicationis, manus iniectionem habere, in perſonas Clericorum, dummodo cognito eorum ſtatu, ad Eccleſiaſticum iudicem eos remittant, quod vtique facere debent, etiamſi fori præſcriptione vti nolint, cui renunciare non poſſunt, *cap. ſi diligenti, et cap. ſignificaſti, de foro compet.*

53. Sed hoc vtique locum habet, cum agitur de crimine communi, nam ſi de crimine quod vulgò priuilegiatum vocamus, accuſatio moueatur, nouiſſimis regum noſtrorum conſtitutionibus, cautum eſt, *teſte Guenoſio ad Imbertum fol.* 702. *et ſeq.* ab vtroque iudice, Eccleſiaſtico ſcilicet, & ſæculari, ſiue Regio, coniunctim accuſationem inſtitui, & mox inſtructa accuſatione, vnumquemque ſeparatim ſententiam dicere.

54. Et ex eo colligere licet, quod notauit, *Imbertus in Enchiridio litt. E. in verbo, executeur du decret ou citation*, Eccleſiaſticos iudices, in inſtruendis cauſis criminalibus, conſtitutionum Regiarum obſeruationi addici, etiamſi ſoli, in communi crimine cauſam inſtruant, licet in ferenda ſententia, in eadem cauſa criminali, liberi ſint, nullis ciuilibus regulis aſtricti, ſicut & inſtruenda cauſa ciuili, & terminanda.

Digitized by Google

55. At vero quæ ſint crimina priuilegiata, diſce ab eodem *Imberto lib. 3. inſtit. Forenſ. cap. 6. Chopino lib. 2. de domanio, tit. 6. et 7.* & aliis relatis, *à Guenoſio ad Imbertum loco ſupra dicto, et ad lib. 1. tit. 23. praxis iudiciariæ in principio, et in ſtilo parlamenti tit. quorum cognitio ſpectat ad Regem*, illudque pluribus tractat *Benigneus Miletot ſenator Diuionenſis in tractatu delicti communis et caſus priuilegiati.*

56. In condemnatione autem facienda, iudex laicus obſeruare debet, ne vnquam vltimo ſupplicio afficiat Clericum, niſi prius degradatus ſit, ità enim Regum noſtrorum conſtitutionibus cautum eſt. Itaque ſi tale ſit crimen, quod vltimum ſupplicium mereatur, iudex profanus ſententiam ferre debet, ſed priuſquam executioni mandetur, remittet eum ad iudicem Eccleſiaſticum degradandum, intrà certum tempus.

57. Verum enim ne iudici ſæculari illudatur, plerumque hanc addit clauſulam, vt tempore elapſo, ſi non fuerit degradatus, in carcerem reducatur condemnatus, & ſententia executioni mandetur, etiam abſque degradatione, quod videtur congruere *nou. 123. cap. ſi quis contra, §. ſi vero crimem 21. verſ. ſi vero prius, Imber. lib. 3. inſtit. Forenſ. capite nono.*

58. Aliquando tamen abſque degradatione, iudex ſæcularis in Clericos animaduertere poteſt, & damnare, nimirum vbi atrocitas criminis id poſtulare videbitur, eoque iure vtimur in hoc regno, vt patet ab exemplis rerum iudicatarum, citatis à *Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 3. num. 16. ſub finem, et* P*apone lib. 1. rapſodia tit. 5. art. 39. et ſeq. et lib. 22. art. 4. Imb. lib. 3. praxis iud. cap. 9.* qua de re dicetur infra, dum caſus enumerabo, in quibus Clerici priuilegium Clericatus amittunt.

59. Et ex his liquet, profanos iudices, numquam ſolos accuſationem inſtruere poſſe, aduerſùs Clericos, niſi fortè in cauſam ciuilem, quæſtio criminalis inciderit, veluti quæſtio falſi, hanc enim profanæ liti addictus, vna eademque ſententia terminare poterit *lege penult. cod. de ord. iud.* vt teſtatur P*apo lib. 1. rapſodia tit. 5. art. 43. et 3. et* G*uenoſius ad Enchiridion Imber. lib. 3. tit. 8. litt. L.*

60. Verum ſi quis omnes alias differentias, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ſæcularis ſcire voluerit, & quid vtrique tribuendum ſit, habebit quæ ſufficere poſſint, ex lectura diſputationis celebris temporibus Philippi Francorum Regis, inter Bertrandum Epiſcopum Eduenſem, & Petrum de Cugneriis Aduocatum Regium habitæ, quæ ſubiicitur regaliorum tractatibus, & dialogi inter militem & Eccleſiaſticum, de vtraque iuriſdictione, inſtituti temporibus Caroli V. eique conſecrati; cui vulgaris titulus ſomnium viridarij

§. SEXTVS.

Quibus caſibus Clerici priuilegia Clericatus amittunt.

PRIMVS CASVS.

1. *Ordo & progreſſus tractandæ materiæ.*
2. *Clericus aſſaſſinatu perpetrato, Clericatus priuilegia amittit.*
3. *Qui aſſaſſini proprie, & aſſaſſinatus vnde.*
4. *Aſſaſsinorum mores, & viuendi ratio.*
5. *Aſſaſsinatus dicitur, cædes præuiâ conuentione perpetrata.*
6. *Aſsaſsinatus pœna, trahitur ad quodlibet aliud atrox crimen.*
7. *Differentia inter priuilegium fori &* can. ſi quis ſuadente diabolo.
8. *Probatur neque per atrocitatem criminis, tolli priuilegium fori.*
9. *Differentia inter Clericum, habitum & tonſuram deponentem, vt pro laico ſe gerat, & alium quemlibet, delinquentem in habitu.*
10. *Clericus dimittens habitum, & tonſuram, vt pro laico ſe gerat, amittit Clericatus priuilegia.*
11. *Clericus dimittens tonſuram, & habitum, ſed pro laico ſe non gerens, trina monitione Compellendus.*

12. *De*

12. *De trina monitione, & edicto Leonino.*
13. *Iure noſtro ſeruatur, vt publicetur edictum, trinæ monitionis ſupplendæ gratiâ.*
14. *Coniugati, dimittentes tonſuram, & habitum, ſtatim Clericatus priuilegia amittunt.*

1. ET quoniam plerique ſunt caſus, quibus clerici ipſo facto, priuilegia clericatus amittunt, citrà depoſitionem, aut degradationem, atque ita, foro ſæculari ſubiiciuntur, non erit alienum à propoſito, ſigillatim eos recenſere, nam ex eo magis ac magis intelligitur, quanta vitæ integritas, in ipſis requiratur.

2. Ac primo fori priuilegium amittit clericus, ob grauitatem, ſeu atrocitatem criminis, ab ipſo perpetrati, vt putà, aſſaſſinatus *cap. 1. de homic. in 6.* & hæc eſt communis interpretum ſententia, tametſi *Coarruuias 2. var. reſol. cap. 20. & in 2. parte repetit. Clement. ſi furioſus, num. 9. de homicid.* hoc ità procedere dicat, cum per aſſaſſinos infidelis fidelem occiderit.

3. Nec enim quilibet, ab aliquo conductus, ad perpetrandum homicidium, propriè aſſaſſinus dici poteſt, neque is qui conduxit, aut perpetrari mandauit, ſed propriè aſſaſſini ſunt, populi infideles, qui principis ſui mandato, quoſlibet etiam incautos, opprimere, & necare ſolent, à pueritia, ad hoc ſcelus edocti, vt docet *Duarenus lib. 2. diſput. anniuerſ. cap. 11.*

4. Verum etiam, vt illud infideles populi facilius exequantur, peregrinas linguas addiſcunt, omnes ità animo affecti, vt cœleſtem immortalitatem, adepturos ſe, munere numinis ſui, confidant, ſi ſectæ ſuos hoſtes, occiderint, vt ſcribit *Paulus Æmilius lib. 5. de rebus Franc. & lib. 7.* relatus ab eodem Duareno, vbi narrat Arſacidam (ſic enim Regem ſuum vocant) quoſdam ex illis ad diuum Ludouicum miſiſſe, vt eum occiderent, ſed pœnitentia ductum, mandatum reuocaſſe.

5. Et quamquam hæc vera ſint, tamen aſſaſſinorum, & aſſaſſinatus vocabulum, tranſlatum eſt ad homicidium, quod per aliquem fieri mandatur, cuius criminis reus ſtatim, & ipſo facto, priuilegium clericatus amittit, & pro diffidato habetur, diffidatus autem dicitur is, cui fides detrahitur, cuique vt hoſti publico, bellum indicitur, vt ab omnibus impunè offendi poſſit, *Greg. Tholoſ. partit. iur. can. lib. 4. tit. 14. in fine. Petrus Godofredus ad Anth. Gazaros in verbo, diffidamus, cod. de heret.*

6. Sed & quod de aſſaſſinatu dictum eſt, trahi ſolet ad omne atrox, & immane crimen, ob quod clerici, fori priuilegium amittunt, vt multis rerum iudicatarum exemplis probat *Boerius deciſ. 69. num. 16. 17. 18. & 19. Papo lib. 1. tit. 5. art. 39. & duobus ſequent. Chop. de ſacr. polit. lib. 2. tit. 3. num. 16. in fine, Imbert. lib. 3. cap. 8. & ad eum* Guenoſius *Chaſſ. in conſuet. Burgund. tit. des iuſtices §. 5. num. 55.*

7. Sed vt plerique videtur, excepto aſſaſſinatu, ſola atrocitas criminis, non tollit priuilegium fori, ſed tollit priuilegium, *cap. ſiquis ſuadente diabolo 17. quæſt.* quod tale eſt, vt ſi laicus clericum percuſſerit, maiorem incurrat excommunicationem, nec veniat abſoluendus, niſi à ſummo Pontifice, extrà mortis articulum.

8. Et in ea ſententia eſt, *Chaſſaneus tit des Iuſtices, §. ſi aucun commet larcin num. 5. Panormit. in cap. perpendimus, de ſent. excomm. & Iul. Clarus lib. 5. ſent. iuris §. finali; & in practica criminali, quæſt. 36. num. 23, & 24.* & hæc ſententia, maximè confirmatur, auctoritate *cap. cum non ab homine 14. §. vlt. eod.*

9. Non ſufficit ergò, per ſe crimen admiſſum, vt quis fori priuilegium amittat, ſed oportet, commiſſum eſſe ab eo, qui tonſuram, & habitum clericalem reliquerit, de habitu tamen, hoc latius explicandum eſt, nam multum intereſt, vtrum clericus relicto ordine clericali, & habitu ſuo, pro laico ſe gerat, an vero, nec habitu, nec ordine dimiſſo, crimen aliquod admiſerit.

10. Sed enim priore caſu, in apoſtaſiam incidit, ſic vt à iudice ſæculari coerceri poſſit, nec ab Eccleſia liberetur, vel vindicetur, *cap. 1. de apoſtaſia, cap. ex parte tua 27. de priuileg. & exceſſ. priuileg.* & argumento à contrario ſenſu ducto, *ex cap. ſi iudex laicus §. idem eſſe cenſemus de ſentent. excommun. in 6.*

11. Quod ſi tonſuram quidem, & habitum reliquerit, ſed non omnino gerat ſe, pro laico hoc caſu trina monitio, præcedere debet, antequam priuilegium amittat, *cap. 45. de ſentent. excommun. Clem. 1. ibi nominatum & tertio verſiculo, & ſi incedant vt laici de vita & honeſt. cler.*

12. Verum hoc aliquatenus immutatum eſt, reſcripto Leonis X. ſummi Pontificis ad Regem Franciſcum, quo clerici, qui tempore perpetrati delicti, & per quatuor menſes,

Digitized by Google

ante in habitu, & tonſura clericali, non inceſſerint, per iudices ſæculares coerceri, etſi in ſacris non fuerint, diſtrictius puniri poſſunt.

13. Sed & illud addit, in eodem reſcripto ſummus Pontifex, dummodo pro trina monitione, iure Pontificio introducta, tribus primis quadrageſimæ Dominicis, reſcriptum illud, publicatum fuerit, cuius quidem reſcripti tenor, exſtat apud *Boerium deciſ. 69. in fine, & Chaſſan. in conſuet. Burg. tit. des Iuſtices & droicts d'icelles, in verbis, ſi aucun commet ſimple larcin.*

14. Trinæ autem monitiones, de quibus ſuprà diximus, locum non habent, in perſona eorum, qui ſunt coniugati, nam eo ipſo, quod illi non gerunt tonſuram, & habitus clericales, omne priuilegium clericatus amittunt, *cap. 1. de cler. coniug. in 6.* è contrario autem retinentes, retinent etiam priuilegium fori, non cætera priuilegia, *cap. Ioannes & ibi gloſſa, de cler. coniug.* ſed illud poſterius, apud nos non ſeruatur, vt infrà dicetur commodius.

SECVNDVS CASVS.

1. *Clericus in crimine communi deprehenſus, ſine habitu, & tonſura Clericali, fori priuilegio excidit.*
2. *Quales veſtes Clericorum eſſe debeant.*
3. *Mediocritas ſeruanda in veſtibus Clericorum.*
4. *Quid* Epitimij *pœna inquiritur.*
5. *Cur viridis, & rubeus calor, clericis prohibitus.*
6. *Veſtes clericorum frequentiores, ſtola & pallium.*
7. *Quando remittatur vſus illarum veſtium.*
8. *Præſumitur ſtatus in quo quis deprehenditur.*
9. *Quæſtio ſtatus deprehenſi, vbinam tractari debeat.*
10. *Modus veſtimentorum, notionis eſt ſæcularis.*

1. AT vero hodiè, hoc iure vtimur, vt in crimine communi deprehenſi, ſinè habitu, & tonſura, ob crimen in quo deprehenſi ſunt, non vtantur fori priuilegio, quod probari videtur aptè *in cap. ex parte 27. de priuileg. qua de re conſule* Guid. P*ap. quæſt.* 138. & P*aponem lib. 1. tit. 5. art. 42. aut monach. ad leg. 1. cod. ad ſenat. Maced. Ioan. Bordenauium in tract. de ſtat. et form. pro tribun Eccleſ. cap. 14. num. 27.*

2. Nunc vero, quales veſtes clericis interdictæ ſint, & à quibus ornamentis abſtinere debeant, habetur *in cap. clerici 15. de vit. et honeſt. cler. Clement. 2. eod. et apud diuum Bernardum lib. 3. de conſid. ad Eugenium cap. 11.* vbi multa citat ex conc. Ren. cui ipſe Eugenius interfuerat, quod tamen integrum hodiè non exſtat, mutilum in collectione Biniana, *tom. 3. part. 2. fol. 505. Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 2. num. 4.* latè *Greg. Tholoſ. partit. iud. can. lib. 4. tit. 8. cap. 2. litt. C*

3. Certè in omnibus, mediocritatem quandam, ſeruare iubentur, vt nec ſordidis, nec fulgentibus veſtimentis vtantur, magiſque ob neceſſitatem, quàm ob venuſtatem, *cap. 1. et cap. per ſimoniam 41. diſtinct. cap. omnis iactantia et ſeq. 21. quæſt. 4.* vbi Epitimij vocabulum, vſurpatur pro pœna, ſeu multa, *Greg. Tholoſ. part. iur. can. lib. 4. tit. 8. cap. 2. et in ſcholiis litt. C, vt et apud Demoſthenem de Corona et Aeſchinem contrà Cteſiphontem.*

4. Et hæc quidem pœna, definitur in 6. Synodo, ſuſpenſio per Hebdomadam, vt habetur in *d. can. nullus 21. quæſt. 1.* ſed multò grauior eis irrogatur, in *d. Clement. 2. de vit. et honeſt. cler.* aliàs enim arbitria, pro modo, & qualitate culpæ, vt habetur in notis Marginalibus, ad Synodi octauæ actionem primam *pag. 615. col. litt. B*, & in notis eidem Synodo ſubiectis, *pag. 819. col. 1. litt. A, Biniana editionis in tomo 7. Concil. part. 1. ſect. 2.* vbi formula Epitimij refertur.

5. At verò in *d. Clemen. 2. de vit. et honeſt. cler.* colores quidam in veſtimentis prohibiti, vt putà viridis, aut rubeus, vt & in *d. capit. clerici, de vit. et honeſt. cler.* vbi quidam interpretes, viridis coloris prohibiti, rationem aſſignant, quod primus parens, in viridi peccauerit, ſed id minus ioculare eſt, vt igitur ſeria agamus, prohibitionis hæc videtur

Digitized by Google

fuiſſe cauſa, quod illi colores, vel maximè pompæ & gloriæ hominum, adagendæ, inſeruiant, vt notat *Bartholus in tract. de inſig. & armis*, quæ tamen longè à Clericorum vita, & conuerſatione abeſſe debent, quorum modeſtia, ſplendidior ornatus eſſe debet.

6. Verum & è contrario, ſtolis vti iubentur, & tunica ſacerdotali, ſeu veſte talari, *can. nullus, & can. Epiſcopi 21. quæſt. 4. cap. penult. 23. diſtinct* quæ clauſa deſuper, eſſe debeat, nimia breuitate, vel longitudine non notanda, vt dicitur *in can. d. Clerici*, & dum ambulant, operimento, id eſt, pallio circumduci, & veſtiri.

7. Sed hoc tamen, in longiori itinere, eis remittitur, *d. can. Epiſcopi* & vbicumque, cauſa rationabilis ſubeſt, vt putà iuſtus metus, tunc enim, à tota veſtimentorum obſeruatione, excuſantur, *d. capit. clerici, & Clemen. 2. de vit. & honeſt. cler.* alioquin veſtitu decenti, tàm in Eccleſia, quàm extrà, aſſiduè vti debent, *Concil. Trident. ſeſſ. 24. capite 12.*

8. Ex iis ergò concludamus, non ſemper ex mutatione veſtium, Clericatum amitti, niſi antè mutationem, Clerici pro laicis ſe geſſerint, aut in laicali habitu crimine ſe polluerint, non nego tamen, ex habitu, præſumptionem Clericatus, aut laicatus induci, vt is ſtatus alicuius videatur, in quo ipſe deprehenditur, *d. capit. ſi iudex laicus de ſent. excommu. in 6. leg. item apud §. ſi quis vngues, dig. de min. Mornac. ad legi cod. de Senatuſc. Maced.*

9. Idque adeò verum eſt, vt ſi de ſtatu alicuius ſit quæſtio, an ſit Clericus, an non ſit apud iudicem Eccleſiaſticum, terminari debeat, vocato tamen iudice ſæculari, *d. cap. ſi index laicus*, & in hoc regno, procuratore Regio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, vindice acerrimo, vt docet *Imbertus lib. 3. inſtit Forenſ. tit. 8.*

10. Verum ſi agatur, de habitu, Clerico, vel laico conuenienti, iudicis profani debet eſſe cognitio, *Ioan. Galli, quæſt. 43. & Papo lib. 1. tit. 5. art. 4. Guido Pap. deciſ. 13. Chaſſan. in conſuet. Burg. tit. des Iuſtices §. ſi aucun commet larcin num. 58.* namque politiæ exterioris, vel etiam Eccleſiaſticæ cura, regibus noſtris iucumbit, & magiſtratibus, cum & ipſa Eccleſia, ſit in republica, nec reſpublica ſit in Eccleſia, vt ipſe innuit *Optatus Mileuitanus lib. 2. de ſchiſmate donat.*

TERTIVS CASVS.

1. *Clerici arma deſumentes, ſi ter moniti non deſiſtant, Clericatus priuilegia amittunt.*
2. *Gladius ſæcularis poteſtatis, & iuriſdictionis ſymbolum.*
3. *De mandato principum, Clerici quandoque, militiæ inſeruire poſſunt.*
4. *Clericorum militia cœleſtis.*
5. *Laici qui militiæ nomen dederunt, non facilè in Clerum admittuntur.*
6. *Pœnæ Clericorum arma deferentium.*
7. *Nulla differentia belli, cui Clerici interſunt, iuſtum ſit, nec-ne.*
8. *Clerici exemplo Chriſti, cuius partes ſunt, pacis amore trahi debent.*
9. *Quomodo clerici caſtris intereſſe poſſunt, & quibus operibus vacare.*
10. *Pro aris, & focis, dimicare debent clerici.*
11. *His etiam caſibus, à cæde abſtinere debent.*
12. *An clerici feudum obtinere poſſint, & eius ratione Domino ſeruire teneantur.*
13. *Clericatu feudum olim amittebatur.*
14. *Clericus poſſeſſionis feudi Eccleſiaſtici capax.*
15. *Quæ leges & conditiones feudi Eccleſiaſtici.*
16. *Hodie Clerici per ſe militare non debent.*
17. *Vſus Galliæ circa delationem armorum, & præſentiam Clerici bello factam.*
18. *Hodie neceſſitate publica impellente, clericus bello intereſſe poteſt.*
19. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis.*

Digitized by Google

1. TErtius Caſus, quo Clericus ordine ſubmouetur ipſo iure, & priuilegium Clericatus amittit, hic eſt, ſi arma militaria deferat, aut militiæ ſæculi ſe immiſceat, & ter monitus, non deſiſtat, *cap. in audientia, 25. de ſentent. excommun. can. nimirum & quinque ſequent. 23. quæſt. 8. & can. eos qui, 20. quæſt. 4. gloſſa in cap. vlt. de cler. non reſid. in verbo, redierint.*

2. Nam & Chriſtus Dominus principem Apoſtolorum increpauit, quod ſeruum Pontificis percuſſiſſet gladio, cumque in vaginam recondi iuſſit, *can. cum à Iudæis, ead. cauſ. & quæſt. & D. Paulus* 13. *ad Romanos*, innuere videtur Gladium, ciuilis poteſtatis eſſe ſymbolum cui accedit quod dicitur in *lege 3. dig. de iuriſd.* merum Imperium eſſe, habere ius gladij, ad animaduertendum, in facinoroſos homines, quod vtique neſcit Eccleſia, vt patet *ex cap. ſententiam, ne cler. vel mon. ſac. neg. ſe immiſceant.*

3. Verum & aliquando legimus Clericos, à principibus, ſæculari militiæ, & armatæ adſcriptos fuiſſe, vt apud *Aymonium legitur, pacatis ipſis temporibus Ludouici Imperatoris, tunc cæpiſſe deponi ab Epiſcopis, & clericis, Cingula, Baltheis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquiſitaſque veſtes, ſed & calcaria, talos onerantia, relinqui,* ſed & Clericorum, militiæ ſæculari inſeruientium, plura exſtant exempla, apud *Chopinum lib. 3. de ſacr. polit. tit. 2. num. 5. & lib. 2. tit. 1. num. 22.*

4. Quamuis enim, & Clerici milites dicantur, vt docui initio huius capitis, tamen hæc militia eſt cœleſtis, ac proindè diſcreta à militia ſæculari, *can. Clericum 50. diſtinct.* quare Romulus, ſacerdotes immunes eſſe voluit, ab officiis militaribus, vt notat *Dion. Halicarn. lib. 2. antiq. Rom.* quod rempublicam, religione tutius defendi exiſtimaret, quàm armis, aut gladiis.

5. Et quemadmodum Clerici, prohibentur, ità etiam ij, qui militiæ cingulum acceperunt, non facilè in clerum recipiuntur, *can. ſi quis poſt, 50. & 51. diſtinct can. monaſteriis, 19. quæſt. 3. & can. legem 53. diſtinct.* adeò vt eis neceſſaria ſit, ſummi Pontificis licentia, vt probatur *in d. can. legem;* quidquid in contrarium teſtet, *Franciſcus Florens in diſſertat. canon. ad cap. 2. de vit. & hon. cler.* nullius contrà dicentis canonis auctoritate ſuffultus.

6. Verum enim adeò, ſæcularem militiam odit Eccleſia, quæ corporalia neſcit arma, *can. porro 16. quæſt. 3.* vt & arma portantes Clericos excommunicet, *cap. 2. de vit. & honeſt. cler. can. eos 20. quæſt.* vel deponat, *cap. quod in dubiis, de pænis* nec pro illis, qui in bello moriuntur, aut oblatione, aut oratione poſtulet, *can. quæcumque, 23. quæſt. 8.*

7. Nec verò intereſt, quale ſit bellum, etiam aduersùs prædones, vel piratas, vel infideles, *cap. ex multa §. de Clericis de vot. & vot. redempt. can. ſi in morte & can. conuenire 23. quæſt. 8.* nam vt ibi dicitur, arma Clericorum ſunt orationes, & lachrimæ, quod Moyſis exemplo confirmatur, qui ad bellum non ibat, ſed interim orabat, extenſis in cœlum manibus, *can. vlt. 36. diſtinct.*

8. Namque (quod & aduertendum eſt) Chriſtus ipſe, cuius, Clerici à nomine ipſis indito, hereditas, & portio eſſe dicuntur, & ideò tanquam conſortes, actiones omnes inſequi debent, arma execratur, & præ cæteris pacis titulo gaudet honorari, quod teſtatus eſt, dum Dauidem Regem, quia vir erat ſanguinum, & multis præliis diſtrictus fuerat, ab exſtruendo ſibi templo prohibuit, huius eximij operis gloriam, pacifico Salomoni deferens.

9. Quod non tamen, ità diſtrictè accipiendum eſt, quin poſſint etiam Clerici caſtris intereſſe, vt notant *D. Bernard. in epiſt.* 42. & ex eodem *Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 1. num.* 22. non vt armis ſuppetias ferant, ſed vt precibus Deum propitient, Moſis exemplo, & ad propulſandos hoſtes fidei viriliter excitent, non tamen ad effuſionem ſanguinis, *can. Epiſcopis §. reprehenduntur, & can ſi vobis 23. quæſt. 8. can. quicumque & ſequenti eod.*

10. Quin etiam ſe, atque Dei Eccleſiam, Clerici armis tueri poſſunt, imo etiam excubias agere poſſunt, cum pro aris & focis dimicandum eſt, *Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 2. num. 2. cap. dilecta, de ſentent. excommun. in 6. cap. olim de reſtit. ſpol.* & argumento *cap. perpendimus verſiculo & non propulſando, de ſentent. excommun.*

11. Sed tamen & eo caſu, à cæde abſtinere debent, & ſanguinis effuſione, alioquin irregulares efficiuntur, niſi aliter effugere non poſſint, *cap. penult. de homic. cap. penult. & vlt. de cler. percuſſ.* quanto magis ergò, à duello abſtinere, *toto titulo de cler. pugn. in duello*, vt commodius infrà dicetur, in proprio & ſpeciali articulo & §.

12. Ex his autem quæ diximus, Clericos qui militant, vel qui arma militaria deferunt, poſt trinam monitionem, ab ordine Clericali ſubmoueri, neque intereſſe, contra quos, vel pro quibus, bellum ſuſcipiatur, quæſitum eſt, an Clerici, qui feudum poſſident, eius feudi occaſione, Domino ſuppetias ferre teneantur, nec-ne, quod & *Fracıſ. Florens*

Digitized by Google

in diſſert. can. ad d. cap. 2. cauſam eidem capitulo, dediſſe auguratur.

13 Verum igitur, cum feudi conditio talis ſit, vt domino ſeruire, ac pro ipſo militare teneatur vaſſallus, conſequens eſt, Clericatu feudum amitti, *tit. ſi de feudo defuncti contentio ſit inter dominum, & agnatos vaſſalli*, §. *quia clericus & tit. de feudo fœmina, in fine & in tit. de vaſſalo milite qui arma militaria depoſuit, & tit. an mutus vel alius imperfectus feudi poſſeſsionem retineat.*

14. Neque his obſtat, quod dicitur, in *titulo de capite Conradi* vbi ſupponitur Epiſcopum, aut Abbatem feudum obtinere poſſe, ſicuti etiam, *in cap. ex tranſmiſſa, & ſequenti de foro compet.* adeò vt in ſuperiori §. ratione feudi, coram domino feudi, litigare debere probauerimus, nam hoc ità accipiendum eſt, ſi feudum fuerit Eccleſiaſtici, hoc eſt Eccleſiæ contemplatione, conceſſum ab initio.

15. Sed enim eo caſu, dominus tacitè conſentire videtur, vt Clericus, per ſubſtitutum ſeruire poſſit, id eſt homines, vel pecuniam conferre, *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 2. *num.* 11. *in Margine, Baldus in lege vlt. cod. ſine cenſu vel reliquis feud. compar. non poſſe d. can. ſi in morte, in fine* 23. *quæſt.* 8. vbi D. Gregorius, quamuis potentiſſimus, & multorum feudorum dominus, antequam ad Pontificatum promoueretur, quorum ratione, Longobardorum inuaſioni obſtare debuiſſet, profitetur ſe, quia Eccleſiaſticæ militiæ addictus erat, ipſorum morti, miſceri noluiſſe, cuius etiam, Canonis auctoritati, & deciſioni; plura alia addit *Vidus Conchilius in memor. reformat. Eccleſ. pag.* 167.

16. Vtcumque ſit, Clerici per ſe militare non poſſunt, alioquin, poſt trinam denunciationem, Clericatus priuilegium amittunt, *d. cap. in audientia, de ſentent. excommun.* vndè *Seuerinus Sulpitius in vita D. Martini, cap.* 3. eum ſic loquentem ad Iulianum inducit, *hactenus inquit, ad Cæſarem, militaui tibi, patere, vt nunc militem Deo, donatiuum tuum militaturus accipiat, Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet.*

17. At hodiè in hoc regno, habita trina illa denunciatione, ipſo facto, Clerici eſſe deſinunt, ac par conſequens, fori priuilegium opponentes, audiri non ſolent, vt probauimus ſuprà, ex reſcripto *Leonis* 10. *ad Franciſcum Regem* quod ab exemplis probat *Papo rapſodia lib* 1. *tit.* 5. *art.* 6. 7. & 8. vbi anxiè diſputatum fuiſſe ſcribit, an habenda eſſet ratio, reſtitutionis in ordinem, à ſummo Pontifice conceſſæ.

18. Verum etſi, Clericus arma induens, irregularitatem incurrat, tamen, ſi ex neceſſitate publica, putà calatis regni Comitiis, militiæ nomen dederit, ſi pro aris, & focis dimicandum ſit, non ea vis eſt, contractæ irregularitatis, vt beneficia, aut alio munere Eccleſiaſtico, Clericorum exuat quamuis ad noua tendentem, procul arceat, donec Pontificio reſcripto, reſtitutus ſit, vt mox probauimus, *ex d. can. ſi quis poſt.* 50. & 51. *diſtinct.*

19. Sed & illud idem decreuit Senatus Pariſienſis, in publicis cauſarum actionibus, die 15. Aprilis, anni 1641. inter cauſas, ex catalogo Pariſienſi recitatas, Ludouico Nobletio cauſa dicente, pro Claudio *Comteſſe*, Clerico, & Capellano, Caſtri Virſionenſis, prouocante à præfecto Pariſienſi, me verò patrocinium præbente, Carolo *Agard*, cui intimata fuerat prouocatio, cum prædictam capellam, in curia Romana obtinuiſſet, tanquam vacantem, ex defectu, & irregularitate dicti *Comteſſe*, quod militiæ nomen dediſſet, ſub moto enim cliente, ſenatus dictum *Comteſſe*, in quieta poſſeſſione capellaniæ, ſeruari iuſſit, vt colligere eſt ex decreto, relato *à Ioan. Dufreſne, patrono Pariſienſi, in noua collectione decretorum, eiuſdem curiæ, ſecundum ordinem ſeſsionum lib.* 1. *cap.* 36.

QVARTVS CASVS.

1. *Clericus depoſitus, excommunicatus, ac demum anathematiſatus, foro ſeculari ſubiicitur.*
2. *Quid ſeruetur in Gallia, circa præcedentem articulum.*

1. QVartus Caſus, quo Clericus, abſque ſolemni degradatione, coercetur, vt laicus, eſt, cum ex cauſa delicti, ſemel depoſitus, deindè excommunicatus, ac tertiò velut incorrigibilis anathematiſatus eſt, tunc enim ſæculari poteſtati ſubiicitur, nulla tutus fori prærogatiua, *cap. cum non ab homine de iud. Panormit. in cap. ac ſi Clerici eod. tit.* vt in præcedenti §. probauimus.

2. Verum in hoc regno, triplex ille, pœnæ Eccleſiaſticæ indicendæ gradus, non vſquequaque obſeruatur, nam qui ſemel, atque iterùm, de crimine accuſatus, fori præſcriptionem oppoſuerit, non auditur tertiò, eamdem opponens, nam incorrigibilis eſſe præſumitur, niſi à ſuo iudice ſe abſolutum eſſe docuerit, vt notat *Papo rapſod. lib. 1. tit. 6. art. 5. & Chaſſ. in conſuet. Burgund. tit. des Iuſtices §. 5. num. 66.*

QVINTVS CASVS.

1. *Clericus officiorum regnum exercens, ex crimine in eo admiſſo petitus, fori priuilegio non vtitur.*

2. *Confirmatur pluribus curiæ Pariſienſis decretis.*

1. QVintus eſt, ſi Clerici, officia Regia exerceant, & aliquid in officio ſuo deliquerint, nam his Clericale priuilegium, non ſuffragatur, quo minus, vt laici coerceri poſſint, ex indulto ſummi Pontificis, Regi Franciæ conceſſo, & publicato, anno Domini 1525. cuius fit mentio *ab Imberto lib. 3. inſtit. for. cap. 7. & in collectione probationum ad libertates Eccleſ. Gall. cap. 27. & in nouiſſimo commentario ad libertates Eccleſ. Gall. à Petro Pithao collectas art. 38.*

2. Sed &, iuris noſtri probandi cauſa, refert *Ioannes Gallus parte 5. ſtili parlamenti quaſt. 235.* Curiæ Pariſienſis decretum, quo Ambianenſem iuridicum, malè, & perperàm adminiſtratæ iuriſdictionis, reum petitum, quamuis Clericali tonſura donatum, ab oppoſita fori præſcriptione ſubmouit, quod &, diuerſis aliis exemplis, & auctoritatibus probatur, *in d. cap. 27. probat. ad lib. Eccleſ. Gall. & commentarium ad prædictam collectionem art.* 37. itemque in notis Molin. ad cap. 1. de Cler. coniug. in 6. in textu ibi Clericali.

SEXTVS CASVS.

1. *Clericus ex crimine ante ordinationem admiſſo petitus, fori priuilegio non vtitur.*

2. *Quid ſcrutinium in ordinandis, & beneficiandis, obſeruari ſolitum.*

3. *Ordinandorum nomina, in Eccleſia publicè patebant.*

1. SExtus, ſi Clericus poſt admiſſum crimen, in Clericum fuerit ordinatus, nam hoc caſu, non habetur ratio, Clericatus ſuperuenientis, idque ſæpius iudicatum fuiſſe, refert *Genoſius, ad inſtit. for. Imbert. l. 3. cap. 8. in fine Charondas l. 7. reſp. cap. 4. Chaſſaneus in conſuet. Burgundiæ, tit. des Iuſtices & droicts d'icelles, verſiculo, ſi aucun commet larcin num. 67.*

2. Et propterea, ne quis poſt perpetratum crimen, facilè ad clericatum admitteretur, fieri ſolebat inquiſitio in mores eius, qui ordinabatur, quæ ſcrutinium appellatur, vndè rubrica iuris Pontificij, *de ſcrutin. in ord. fac.* quod etiam, obſeruari quotidiè agnoſcimus, in beneficiandis, ſaltem in curia Romana, vel enim quædam morum inquiſitio, in partibus habita, collationem, in forma gratioſa emiſſam præcedit, vel ſubſequitur commiſſio ordinario facta, vt in mores inſtituendi inquirat, quæ appellatur, in forma dignum.

3. Quinimò, cum ordinatio, ſit ſpecies quædam matrimonij, quod ſpiritale appellatur, *cap. inter corporalia. de transl. epiſc.* publicè, & in Eccleſia, ordinandorum nomina patebant, vt quibuſcumque, contradicendi ſimul, & accuſandi, locus daretur, quo faciliùs, defectus, & crimina, clericales honores ambientium, in lucem prodirent, quod & hodiè, in pluribus huiuſce vrbis parœciis, religioſiſſimè cuſtoditur, vbi veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vigor renouatur.

Digitized by Google

SEPTIMVS CASVS.

1. *Clerici hiſtrionicam, vel ſcenicam artem exercentes; ſi ter moniti non deſiſtant, Clericatus priuilegio exuuntur.*
2. *Quando ſpectaculis intereſſe poſſunt Clerici.*

1. SEptimus, locum habet, in clericis hiſtrionibus, vel mimis, qui per annum, artem illam exercuerint, vel qui breuiori tempore, ſi ter moniti non deſtiterint, *cap. 1. de vit. & hon. cler. in 6.* ex diuerſo autem, qui in ſcena fuiſſe noſcuntur, aut qui ſpectacula, ipſimet exhibuerunt, non ſunt ordinandi, *can. maritum 33. diſtinct. & can. aliquoties diſtinct. 51.*

2. Ne dixeris tamen, eamdem eſſe pœnam eorum, qui ex conſuetudine, ea ſpectacula exhibent, certis quibuſdam anni feſtiuitatibus, vel qui non exhibent ipſi, ſed aliis exhibentibus, ſpectatores ſe præbent, tametſi, hoc etiam eis prohibitum ſit, *cap. cum decorem & cap. penult. de vit. & hon. cler. lib. 3. decret. cap. non oportet de conſecrat. diſtinct. 3.* ſed de his infrà commodiùs, in §. ſpeciali de ſpectaculis vitandis.

OCTAVVS CASVS.

1. *Idem de lanionibus, quod de hiſtrionibus, vt & de carnificibus & tabernariis.*
2. *Differentia inter Clericos lanienam exercentes, coniungatos, vel non.*
3. *Vſus Galliæ circa præcedentes articulos.*
4. *Clericus interdictus ingreſſus, & exercitium cauponarum.*

1. OCtauus pertinet ad clericos, qui lanionum, carnificum, aut tabernariorum, officia publicè exercent, quod non eſt producendum, ad alia vilia munera, à quibus tamen clerici abſtinere debent, nam *Carthaginenſis Synodi can. 16.* cautum eſt, ne clerici, ex turpi & vili negotio, victum ſibi quærant, ex honeſto enim poſſunt, vt ſuprà documus, in §. 1. huius capitis *de cler. mercatore et ſequenti.*

2. Verum laniones, vt dixi, & carnifices, tabernarij, priuilegio clericatus eximuntur, ſi ter moniti, non abſtinuerint, adhibita tamen diſtinctione, inter coniugatos, & non coniugatos, quam adhibet, *Clementina 1. de vita & honeſt. cler.* nam coniugati, omnimodo, non coniugati verò, in rebus tantùm, non etiam in perſonis, priuilegium amittunt, niſi etiam, laicorum more, ſe geſſerint, quo caſu, omni priuilegio ſpoliantur, atque ità ſe habet iure Pontificio, vt patet ex *d. Clementina 1.*

3. Nam in hoc regno, citrà monitionem, aut denunciationem vllam, ipſo facto, indignos ſe præſtant, huiuſmodi priuilegiis clerici, vilibus iſtis negotiationibus addicti, vt notat *Papo lib. 1. rapſod tit. 6. art. 3.* vbi plura in id probatoria decreta congerit, quod optima ratione inductum, ne clericalis ordo de decoretur, ex viliorum partium, & membrorum adiectione.

4. Et ſanè clericis, iamolim interdictus fuit aditus, ſeu ingreſſus cauponarum, niſi ex cauſa neceſſitatis, multo magis exercitium ipſum, ac miniſterium, *can. non oportet & ſequenti, diſtinct. 44. cap. clerici cap. penult. de vit. & honeſt. cler. can. 9. ſexta Synodi & can. Apoſtolorum 53. & Laodicenæ Synodi can. 24. Photij nono canone 35. de quo & infrà dicturi ſumus.*

NONVS CASVS.

1. *Bigami Clericatus priuilegia amittunt.*
2. *Quis bigamus dici poſſit,*
3. *Repetitum de facto matrimonium, bigamiam inducit, quamuis non conſtiterit.*

Digitized by Google

4. *Iure veteris, & noui teſtamenti, bigami ab Ordinibus Eccleſiaſticis arceantur.*
5. *Nota ad* diuum Paulum 3. ad Thimotheum.
6. *An Clericus poſt ordinationem nubens, clero moueri debeat.*
7. *Bigami quandoque, Eccleſiæ vtilitate ſuadente, ad ordines promoueri merentur.*
8. *Tentatur cum bigamis, non eſſe licitam diſpenſationem.*
9. *Diuerſi iuris conciliandi ratio.*
10. *An liceat diſpenſare cum bigamis, vt ad maiores ordines promoueantur.*
11. *Cur bigami, ad ordines non promoueantur.*

1. NOnus caſus, quo clericatus priuilegium amittitur, per bigamiam contingit, *can. quiſquis* 84. *diſtinct. cap.* 1. *de big. non ordin. apud Greg. can. ſi quis viduam, can. ex pænitentibus* 50. *& can. curandum, cum ſequenti diſtinct.* 34. & aliis pleriſque.

2. Bigamus autem, inſpecta vocis ethimo, dicitur is, qui duas vxores duxit, quas ſcilicet vir cognouit, *can. presbyteri* §. *vlt.* 34. *diſtinct.* tametſi etiam bigamus dicitur, aut ſaltem in pœnam bigamiæ incidat is, qui virginem non duxit, *d. can. curandum & ſequentibus*, putà concubinam, vel meretricem, vel viduam, ſiuè antè, ſiuè poſt baptiſmum, *can. vnius can. cautius & duobus ſequentibus* 26. *diſtinct. can. maritum* 33. *diſtinct. can. ſi quis viduam* 34. *can. Apoſtolorum* 17. vel ab alio repudiatam *cap.* 1. *&* 3. *de big. non ordin.*

3. Nec verò intereſt, verum matrimonium fuerit, nec-ne, nam etſi, iure non conſtiterit matrimonium, tamen ſufficit de facto contractum fuiſſe, & conſummatum, vt bigamiæ pœnam incurrat, *cap. inſuper & compult. de big. non ordin.* item bigamus eſſe videtur, qui vxorem ſuam cognouit poſt adulterium, ab ea commiſſum, *can. ſi cuius & ſequenti diſtinct.* 34. ſed an ſciens, vel ignorans, vide apud *Panormit. in d. cap.* 2. *de big. non ordin.* ex diuerſo autem, qui plures concubinas habuit, non cenſetur eſſe bigamus, *cap. quodcirca eod.*

4. Hoc autem quod diximus, de bigamis non ordinandis, ſumptum videtur, ex ſacris litteris, nam *Leuitici cap.* 21. prohibet dominus, nè ſacerdos viduam, aut repudiatam, aut meretricem, ſed virginem tantùm, ducat vxorem, & *D. Paulus* 3. *ad Timotheum, oportet* inquit, *Epiſcopum, vnius vxoris eſſe virum*, id eſt non plures habuiſſe vxores.

5. Sic enim illud negatiuè explicandum docent, iuris canonici interpretes, vt non, ad præſens tempus referatur, ſed vt ad præteritum, aut ad futurum, *can. propoſuiſti verſiculo, ſed fortè.* 82. *diſtinct. Panormit. in cap. debitum, de big. non ordin.* quin etiam, *Iuſtin. nou.* 6. §. *hæc autem* ſupradicta omnia, vult obſeruari, in ordinatione clericorum.

6. Quod ſi poſt ordinationem, matrimonium contraxerint, idem Iuſtinianus vult, vt clero moueantur, niſi lector, aut cantor, qui etiam poſt ordinem, matrimonium contrahunt rectè, & ordinem ſuum retinent, ſed ad altiores ordines, promoueri non poſſunt, *nou.* 22. §. *& ſiquis inter &* 123 §. *ſi autem*, quod confirmat etiam *can. Apoſtolorum* 26. *& can.* 6. *Sextæ Synodi in Trullo.*

7. Sed hoc poſtremum, iure Pontificio, non ità diſtrictè obſeruatur, nam ex Martini Papæ conſtitutione, lectores, propter bigamiam, ordine ſuo non mouentur, quinimò, neceſſitate ſuadente, ad ſubdiaconatus ordinem euehuntur, *can. vidua & can. ſi ſubdiaconatus & can. ſequenti* 34. *diſtinct. autor. Auguſt. lib. priori emendat.* Gratiani *dialogo* 12. *ad eoſdem canones*, vbi notat, & alibi paſſim, quod dicitur de Martino Papa, intelligendum, de Martini Epiſcopi Bracarenſis collectione canonum, atqui ſubdiaconatus hodiè, inter maiores ordines, annumeratur, ergò etiam bigamus ad maiores ordines promoueri poteſt, ſaltem ex diſpenſatione ſummi Pontificis.

8. Quod tamen pugnare videtur, cum *cap.* 2. *& cap. à nobis de big. non ordin.* vbi Cuiacius & Innocentius aiunt, non eſſe licitam, cum bigamis diſpenſationem, contrà diui Pauli præceptum ſuprà laudatum, quod quidem præceptum, non tantum de presbitero, aut ſubdiacono, ſed etiam de quolibet clerico, accipiendum eſſe, Patres Concilij Nicæni decreuerunt, *can. cognoſcamus* 34. *diſtinct.* & quod notandum eſt, Innocentius in *d. cap. à nobis*, loquitur de ſubdiaconatu.

9. Sic ergo, reſpondendum eſſe cenſeo, ſubdiaconatum olim, non fuiſſe inter ſacros ordines, vt patet *ex cap. vlt. diſtinct.* 60. *cap. à multis, in principio &* §. *in quibus de æt. & qual. cap. miramur de ſeruis non ordin. Agathenſis Concilij can.* 66. vbi Synodi Patres, ſubdiaconos, inter miniſtros inſacratos numerant, qui tamen hodiè, ſacer ordo reputatur, *d. cap. à multis de æt. & qual.* vndè non mirum, in ſubdiaconatu olim velut in aliis minoribus ordinibus, diſpenſationem fuiſſe licitam, *can. lector. diſtinct.* 34. *& ibi gloſſa & can. qui cum quis* 50 *diſt.*

10. Quantum

10. Quantum autem, ad maiores ordines, preſbiteratus, diaconatus, & hodiè ſubdiaconatus, quamuis regulariter, non liceat diſpenſare, *d. cap. 2. & vlt. de big. non ordin.* tamen ex magna cauſa licet, vt ſentit *Panormit. ibidem & gloſſa in d. can. lector*, ait ipſum Lucium, prohibitæ diſpenſationis aſſertorem, vt eſt in *d. cap. 2. de big. non ordin.* à bigamia relaxaſſe, ipſum Archiepiſcopum Panormitanum, & ego vidi bigamum, ex diſpenſatione ſummi Pontificis, preſbiterum ordinatum, ſed rara ſunt huiuſmodi exempla, & à magna, & euidenti, Eccleſiæ vtilitate, cauſam habentia.

11. Quod autem bigami, non promoueantur ad ſacros ordines, hæc mihi, præcipua ratio eſſe videtur, quia non poteſt eſſe hortator caſtitatis, & viduitatis, qui coniugia frequentauerit, vt dicitur *in can. vna* 86. *diſtinct.* quæ ratio etiam facit, vt iam promoti, bigamia ſuperueniente, omni clericali priuilegio ſpolientur, vt foro ſæculari addicantur, *d. cap.* 1. *de bigam. non ordin. & cap. quiſquis* 84. *diſtinct.* niſi vt ſupra dictum eſt, à ſummo Pontifice diſpenſati fuerint.

POSTREMVS CASVS.

1. *Qui iure noſtro Clerici, priuilegiis Clericatus gaudeant.*
2. *Iure Pontificio Clerici coniugati, duplici priuilegio vtuntur.*
3. *Vſus Galliæ circa priuilegium Clericatus, coniugatis tribuendum.*
4. *Concluſio huius articuli & præcedentium.*

1. POſtremus caſus, quo priuilegium clericatus ceſſat, ſumitur ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 6. ex conſtit. Molinenſium art.* 40. *& declaratione ad eas facta*, vbi dicitur, eos tantum, priuilegiis clericalibus vti, qui ſaltem, in ſubdiaconatus ordinem euecti ſunt, quiuè Eccleſiaſticis beneficiis, aut miniſteriis, actu deſeruiunt, aut ſtudiis vacant.

2. Verum cum ſupra dicta omnia, in coniugatos cadere poſſint, quæritur, vtrum fori priuilegio, his caſibus vtuntur, & patet, ex *Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. in fine, & cap. 17. in fine*, in illis, ſeruandam conſtitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit *clerici, de cler. coniug. in 6.* & coniugatis clericis, non tantum, beneficium conſtitutionis Innocentij II. tribuit, quæ refertur in *can. ſi quis ſuadente diabolo 17. quæſt.* 4. & in eo conſiſtit, vt nullus clerico, violentas manus, inferre poſſit, quin excommunicationis nota afficiatur, ſed etiam fori priuilegium, in criminalibus iudiciis, ſi tonſuram clericalem non dimiſerint.

3. Nec tamen illud, apud nos vſquequaque ſeruatur, nam conſtitutio Regia Molinenſis, & declaratio ad eam habita, priuilegij clericalis, laxiorem vſum, d. conſtitutione clerici indultum, cohibuerunt, & ad eos ſolos extendi voluerunt, qui vel in ſacris Ordinibus, vel ſaltem in ſubdiaconatu conſtituti fuerint, vel qui certis Eccleſiis deputati, vel ſtudiis vacant, nulla diſtinctione habita, inter cœlibes, vel coniugatos, quam tamen locum habere in Hiſpania, docet *Couarruuias pract. quæſt. cap.* 31. *in fine*, propter frequentem, præſtimoniorum vſum, quæ clericis coniugatis, vel etiam laicis, diſpenſare conſueuerunt.

4. Cæteri ergò omnes, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus cauſis, pro laicis haberi debent, & coram iudice ſæculari, conueniri, & hi ſunt caſus omnes, quibus clerici priuilegium clericatus amittunt, quos in pluribus iuris canonici locis, & textibus relatos, in hunc locum reduci conuenit.

§. SEPTIMVS.

De Clerico venatore.

1. *Venatio Clericis interdicta.*
2. *Ars venatoria impugnatur.*
3. *Inquieta, & clamoſa venatio, prohibita, & quæ ſit.*

Digitized by Google

5. *Venationis vitium, vt pleraque alia, Gallis Clericis familiare.*
6. *Piſcatio Clericis permiſſa.*
7. *Concil. Trident. permiſſa clericis, quædam venationis ſpecies.*
8. *Si reditus Eccleſiæ, ſit in venatione, nec per ſe intereſſe poſſunt.*
9. *Quando venationi intereſſe poßunt Clerici.*

1. NVnc perſequamur ea, quæ clericis quidem interdicta ſunt, ſaluo tamen ordinis ſui priuilegio, ex quibus pleraque recenſui initio huius capitis: ecce ſequuntur alia, inter quæ venatio eſt, à ſanctitate vitæ quæ clericis ineſſe debet, multùm aliena, nullus enim, in ſacris litteris, notatur fuiſſe venator ſimul & ſanctus, *can. Eſau. 86. diſtinct. can. quorumdam 24. diſtinct.*

2. Quinimò ars venatoria nequiſſima appellatur, *can. quod venatoribus 86. diſtinct.* etenim belli, & pugnæ quædam ſpecies, cuius denominationem à bellua, plerique deducere, ſic enim *Geneſis cap. 9.* Nembrod dictus eſt venator robuſtus coram Domino, & adagio ſacro locum dedit, quia hominum, ſimul & ferarum, venationem exercebat, de qua plura vide, apud *Ioannem Saresberienſem, policratici ſiue decurial. nugis lib. 1. cap. 3. & 4. Petrum Blæſenſem in epiſt. 56.* ad Galterum Epiſcopum Roffenſem, & *Lange Chruccium de vit. & hon. cler. lib. 5. cap. 8.*

3. Quod vtique accipiendum de inquieta venatione, quam *Clemens 5.* clamoſam vocat, *cap. 1. §. ſi quis autem de ſtatu monach.* Celtiſmo noſtro, *à cor & acri*, qualis eſt, quæ canum, aut auium interuentu fieri ſolet, nam canes aut aues ad venandum habere, vel ſequi, non tantum maioris, ſed etiam infimi ordinis clericis interdictum eſt, *cap. 1. §. penult. ne cler. vel mon. cap. 1. & 2. de cler. venat. can. quorumdam & can. Epiſcoporum, & ſeq. 34. diſtinct. cap. cum Apoſtolus de cenſ.*

4 Et inde, vel etiam à contrario ſenſu, quietam venationem, non eſſe interdictam, vt potè eam, quæ fit retibus aut laqueis, ſiuè a canibus, aut auibus, *gloſſa in d. Clement. 1. §. ſi quis autem de ſtatu monach.* hæc enim ſæui nihil continet, & belli ſpeciem non habet, quod à clericis alienum eſſe debere, mox probauimus, & irregularitatis notam inferre.

5. Cæterùm hoc venationis vitium, plurimos de clericali catalogo Germanos, & Gallos genere, irreuerenter implicare teſtatur Nicolaus Papa, *cap. 1. diſtinct. 23.* vt pleraque alia, pluralitatis beneficiorum aleæ, & ſimilium quod clerici Gallicani ſummo dedecori vertitur cum *D. Hieronimus alias ad Vigilantium* de Eccleſia Gallicana prædicauerit, ſolam Galliam, monſtra non habuiſſe, ſed viris fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundaſſe.

6. Verum quietæ venationi, adiungo piſcationem, nam & in ſacris litteris facti piſcatores inueniuntur *can. Eſau. 86. diſtinct.* ſcitum eſt enim, D. Petrum piſcatorem, & poſt reſurrectionem, hanc artem exercuiſſe, ſi quidem ei piſcanti, cum aliis Diſcipulis Chriſtus Dominus tertio poſt Reſurrectionem ſuam apparuit, vt refert *D. Ioannes & cap. 2. & D. Hieronimus ad Ruſticum*, permittit monachis, lina texere, ad capiendos piſces, *can. numquam verſic. texantur. de conſecr. diſtinct. 5.*

7. Hanc autem diſtinctionem, clamoſæ videlicet, & quietæ venationis, notat obiter *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 12.* dum iubet canonicos, ab illicitis venationibus, & aucupiis abſtinere, tacitè innuens, quaſdam licitas eſſe venationes, vt putà quæ ſinè canibus & auibus, ſolent fieri, & indè quietæ dicuntur.

8. Quinimò ſi reditus prædiorum Eccleſiaſticorum, in venatione conſiſtat, veluti in ſaltibus, aut vinariis *des garennes & parcs*, non poſſunt clerici per ſe venationi intereſſe, aut intrà monaſteria, canes venaticos habere, *d. Clem. 1. §. porro de ſtatu monach.* quæ pauperum diuerſoria eſſe debent, non ſtabula canum, aut equorum.

9. Si quando tamen non voluptatis, ſed recreationis, aut alimentorum cauſa, id faciant, non ſunt propterea caſtigandi, argumento *cap. 1. in verbo voluptate & ibi gloſſa, de cler. venat. apud Greg.* vt obſeruat *Iacobus Ferrerius patronus Tholoſanus, ad Vidum Papæum, quæſt. 218.*

Digitized by Google

§. OCTAVVS.

De comæ relaxatione Clericis prohibita.

1. *Comæ relaxatio clericis prohibita.*
2. *Quem in modum clerici, comam attondere debeant.*
3. *Quid tonſura clericorum, & quibus nominibus appelletur.*
4. *Quare prima tonſura appelletur.*
5. *Quem in modum clerici, debent comam attondere.*
6. *Ab omni tempore, raſio capitis clericis prohibita.*
7. *Probatur imperatam clericis, frequentem capitis tonſionem.*

1. AD hæc clericis interdicta eſt comæ relaxatio, ſub pœna anathematis, *cap. 4. de vit. & honeſt. cler. ſiquis clericus, comam relaxauerit, anathema ſit*, non quidem ipſo iure, ſed ſententia illata, quam trina monitio præcedere debuit, vt hic notant interpretes *cap. 5. eod. & can. ſiquis 23. distinct.* viris enim ignominia à natura, ſi comam nutriant, quæ tamen fœminis eſt gloria, vt ſcribit, *D. Paulus 1. ad Corinthios, cap.* 11. quæ huius præcepti, fons & origo eſſe dignoſcitur.

2. Quod non eò dictum exſtimari debet, vt clerici caput radere teneantur, aut ſtrictim comam tondere, vt ſolebant acolithi, & hodie monachi, ſed ſummum capitis verticem, ſeu axem cerebri tantùm, quod eſt ſymbolum clericatus, vulgò corona appellatur, vt pote quæ datur, in ſignum regni quod in Chriſto expectatur, *can. duo ſunt 12. quæſt. 1. cap. penult. de vit. & honeſt. cler.*

3. Et eò ſpectat, quod *diuus Hieronimus ſcribit ad Auguſtinum epiſt. 82. precor coronam tuam, & Cuiacius ad cap. 5. de vit. & hon. cler.* eadem etiam tonſura ſimpliciter, & clericalis tonſura appellatur, clericatura ſimpliciter, in Synodo Bituricenſi, quandoque prima tonſura, *cap. Ioannes & cap. penult & vlt de cler. coniug.*

4. Et verò ex eo ſic dictam, & primam tonſuram appellatam habemus, quia aditum patefacit, ad ordinationes Eccleſiaſticas, cum ipſa non ſit ordo, vt ſentiunt theologi, canoniſtis in eo contrarij, *Greg. Tholoſ. in ſintagm. iur. lib. 16. cap. 1. num. 8. Abbertus Trotius in tractatu de perfecto clerico lib. 1. cap. 3.* de qua plura infrà dicemus, ad verba definitionis noſtræ, *clerico.*

5. Sed ad rem dico clericos, non habere caput radere, ſed in modum Coronæ, vel (vt ait Anicetus Papa) in modum ſphæræ, verticem attondere, *cap. presbiteros 23. distinct. Binius in notis ad epiſtolam eiuſdem Pontificis*, omnibus Galliæ Epiſcopis inſcriptam, relatam *tomo primo Concil. part. 1. pag.* 73. reliquam verò coronam, quæ eſt infrà verticem, non debent relaxare *d. cap. 4. de vit. & honeſt. cleric.* ſed fine aurium attondere, ſic vt pateant aures, *cap. penult. ead. diſtinct.* qua de re conſule *gloſſam in Clement. 2. in verbo, & tonſuram: de vit. & honeſt. cler. Proſperum Stelartum lib. 3. de coronis & tonſuris Chriſtianorum.*

6. Et hoc eſt, quod habetur *Ezechielis cap.* 44. vbi Dominus præcipit ſacerdotibus, ne caput ſuum radant, neque comam nutriant, ſed tondentes, attondeant capita ſua, & *Leuitici cap.* 21. ne radant caput, aut barbam, quibus locis apparet, ſacerdotibus olim, raſionem fuiſſe prohibitam, & imperatam tonſionem.

7. Sed & eo pertinet, illud *Pauli Iſraelitæ, in præcepta Iudæorum, præcepto* 301. ſcribentis ſolitos fuiſſe ſacerdotes, ſingulis octauis diebus, comam tondere, & iure Pontificio, cautum habemus, vt qui comam nutriunt, ab archidiacono tondeantur inuiti, *can. clerici 23. diſtinct. cap. 7. de vita & honeſtate clericorum, & in capit. Caroli Magni lib. 7. art.* 165.

Digitized by Google

§. NONVS.

De modo barbæ Clericalis.

1. *Clerici barbam radere prohibentur.*
2. *Nota* ad cap. 5. de vita & honeſt. Cler.
3. *Notatur etiam* cap. 7. eod. tit.
4. *Vndè clerici barbam radere cæperint, quam olim nutrire iuſſi erant.*
5. *Inueſtigatur ratio, propter quam clerici, olim barbam nutrire iuſſi erant.*

1. A Coma venio ad barbam, quam etiam clerici radere prohibentur, *d. Leuitici cap.* 21. vndè *in Concilio Carthaginenſi* 4. *cap.* 44. ſic habetur: clericus *neque comam nutriat, neque barbam radat*, quod verbum *radat*, deeſt in *cap.* 5. *de vit. & honeſt. cler.* licet ex eodem Concilio deſumptum fuerit, conſulto an verò errore, neſcio id factum à Remundo, vel aliis anterioribus collectoribus, Triboniano more, vt iura ſuis temporibus obſeruata, veteribus ſanctionibus adderent.

2. Et tamen *Ioannes Pierius Valerianus, in oratione*, quam Romæ habuit, pro ſacerdotum barbis, quæ exſtat ad calcem orationum Gentiani Horneti Aurelianenſis, quarum plures in hanc materiam, *& Ioannes Sauaro ad epiſt. Sidonij Apollinaris* 24. notant & plerique alij, illud verbum, *radant*, malè & perperàm, abſceſſiſſe, ab impreſſis codicibus, contrà fidem variorum manuſcriptorum, de quo & queritur *Molin. in notis ad d. cap.* 5. *de vit. & hon. cler.*

3. Nec non eadem mente, & conſilio id factum, quo in reſcriptum Alexandri III. ad Cantuarienſem Archiepiſcopum, quod exſtat, *in cap.* 7. *de vit. & honeſt. cler.* his verbis, *clerici qui comam, & barbam nutriunt, etiam inuiti, à ſuis Archidiaconis tondeantur:* illa verba *& barbam*, quæ in Synodo Agatenſi, vndè reſcriptum illud deſumptum eſt, non habentur ſicut in cæteris Patrum decretis, vt notat ibidem, & plenius Valerianus.

4. Quidquid ſit, qua mente, quoue conſilio id factum ſit, factum tamen, & ſimul affectum, vt eraſo vocabulo *radat*, clerici barbam radere cæperint, quam olim nutrire iuſſi erant, aut ſaltem non radere optima raſione, ſi quidem barba, virilitatis indicium eſt, vt ſcribit *D. Hieronimus in* 5. *Ezechielis & Clemens Alexandrinus lib.* 3. *Stromatum ad Verba illa Pſalmi, ſicut vnguentum quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.*

5. Namque ad dictum locum ait, duplicationem illam & verborum geminationem emphaticam eſſe, vt oſtendat ſacerdotes decoris, maſculis, ac venerabilibus moribus, non moribus effœminatis, ac iuuenilibus, eſſe debere, vt docet *Cuiacius ad cap.* 5. *de vit. & honeſt. cler.* quod non tantum in clericis, ſed in cæteris laicis, condemnat *Yuo Epiſcopus Carnotenſis in ſermone qui inſcribitur de adulterino habitu virorum & mulierum* qui habetur in fine epiſtolarum eiuſdem.

§. DECIMVS.

De Clerico Aleatore.

1. *Aleæ luſus clericis interdictus, à primis Eccleſiæ temporibus.*
2. *Non tantum ludere prohibentur clerici, ſed & ludentibus adeſſe.*
3. *Luſus aleæ clericis galliæ frequens.*
4. *Quæ pœnæ aleatorum clericorum.*

1. AD mores quoque clericorum pertinet, vt abſtineant ab aleæ, ſeu cuborum, ac teſſerarum, ſeu taxillorum vſu, illudque primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, damnatum fuiſſe conſtat, ex elegantiſſimo ſermone *diui Cypriani de aleatoribus*, itemque ex *can. Apoſtol.* 42. & 43. vndè ſumptus eſt *can. Epiſcopus* 25. *diſtinct.*

Digitized by Google

2. Verum ea prohibitio, non tantum pertinet, vt ipſi ludere prohibeantur, ſed etiam ludentibus adeſſe, vel ſocietatem, & participationem cum eis inire, vulgò dicimus *Parier*, qua de re vide *leg. vltimam* §. 1. *et* §. *Sanſimus de Epiſc. aud. cap. clerici* §. *ad alias de vit. et honeſt. cler. Photij nomocanonem tit. 9. cap. 27.* vbi etiam citat *d. legem vlt. de Epiſcop. aud.* & hodiè exſtat etiam prohibitio Iuſtiniani hac de re in *nou. 123. et Leonis* 87.

3. Cæterum huic vitio, clericos galliæ, maximè obnoxios, fuiſſe liquet, *cap. inter dilectos de exceſſ. prel.* cui morbo & vitio, vt medelam ferret, quidam Vviboldus Epiſcopus Cameracenſis, dicitur quemdam aleæ ſpiritualem Ludum commentus, in quo virtutum quinquaginta ſex numero, certamen & pugna committitur, vt clericos diœceſis ſuæ, à frequentiori aleæ prioris luſu, auocaret, de quo teſtis *Boetius Epo in commentariis ad titulum ne cler. vel monach. in cap. 1.*

4. Verum ex *d. capit. interdictos, de exceſſ. prel.* patet aleatori clerico, beneficium non eſſe conferendum, licet ex crimine, beneficia vacare non ſoleant, quibus adde, & alias aleatorum pœnas, tàm clericorum, quàm laicorum, ex *d. can. Apoſt* 42 *et* 43. *d. can. Epiſcopus* 35. *diſtinct.* itemque *ex can.* 50. *ſexta Synodi, Trullo,* ex quibus patet clericum deponendum, laicum verò ſegregandum, id eſt communione priuandum, ſed in damnationem huius luſus, *vide Saresberienſem Polioratici lib. 1. cap. 5. Former. rerum quotidian. lib. 2. cap. 28. Ferrer. ad deciſ. 6. Pap.* 581.

---

§. VNDECIMVS.

De ebrietate Clericis vitanda.

1. *Clerici à crapula, & ebrietate abſtinere debent.*
2. *Clerici tabernas frequentare non debent.*
3. *Damnantur coactæ compotationes.*
4. *Item à conuiuiis nuptialibus, choreis, & ſaltationibus, abſtinere debent clerici.*

1. ET quoniam in *d. can. Apoſtolorum* 42. *et* 43. *can. Epiſcopus* 35. *diſtinct.* non tantùm aleæ luſus, ſed etiam ebrietatis, clericis interdicta eſt, hoc quoque prætermittendum non fuit, à crapula, & ebrietate, clericos omnes abſtinere debere, atque etiam à propinationibus coactis, vel precariis, quas combibones facere ſolent, obteſtantes, ſe pro ſalute, aut incolumitate principis, aut amici, aut pro honore ſanctorum, aut pro anima defuncti bibere, *cap. à crapula* 14. *de vit. et hon. cler. can. nullus* 44. *diſtinct. et fere tota* 35. *diſtinct. item de conſecrat. diſtinct.* 5.

2. Quin etiam, vt huius frequentioris compotationis, occaſionem auerterent, pariter & illis interdictum, ne tabernas adirent, vel alia vini vendibilis emporia, niſi cauſa neceſſitatis impellente, veluti peregrinationis, qua de cauſa, *Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in ſinodali epiſtola ad Compresbiteros cap.* 13. præcipit, vt ab ebrietate abſtineant, neque per tabernas bibendo, aut comedendo pertranſeant, cui & illud accedit, quod Iulianus Apoſtata Chriſtianæ religionis ſimia, Arſaciæ Gallatiæ pſeudo-Pontifici *epiſt.* 49. reſcribit, vt curaret, ne paganorum ſacerdotes, tabernas frequentarent.

3. Cæterùm, de tota victus ratione, tàm in cibo, quàm in potu clericis obſeruanda, vide quæ habentur, *diſtinct.* 35. *et* 44. *per totum,* coactas autem huiuſmodi compotationes, iam olim prohibuerat Aſſuerus, in lautiſſimo illo conuiuio, cuius fit mentio, *in lib. Eſther cap. 1. Cuiacius ad cap.* 14. *de vit. et hon. cler.*

4. Et ex eo eſt, vt presbiteri, diaconi, ſubdiaconi & omnes, qui vxores ducere prohibentur, à conuiuiis, quæ in alienis nuptiis celebrari ſolent, abſtinere iubeantur, maximè, vbi ſpectacula exhibentur, & generaliter, ab omnibus cœtibus, vbi amatorij cantus, turpes, & obſcœni motus, vel choreæ, & ſaltationes, exerceri ſolent, *can. presbiteri penult.* 34. *diſtinct. can. non oportet, de conſecrat. diſtinct.* 5. item ſcurræ, & qui turpibus ſermonibus, ioculatores exiſtant, ab officio retrahi debeat, *can. Clericum diſtinctione* 46.

Digitized by Google

§. DVODECIMVS.

De Clerico Tutore.

1. *Clerici à tutelis quibuſcumque, immunitatem habent.*
2. *Epiſcopi & Monachi, non poſſunt eſſe tutores.*
3. *Vndè Clerici, dicuntur inexcuſabiles à tutelis.*
4. *Qui teſtamento clericum tutorem dederit, indignus efficitur oblatione, & oratione.*

1. CVm igitur ſupradictum ſit, clericos omnes, negotiis ſæcularibus abſtinere debere, ex eo dubitari poterat, num tutores, aut curatores eſſe poſſint, & quidem, ex *lege generaliter cod. de Epiſcop. & cler.* immunitatem habent, ab omni ſpecie tutelæ, item ex *nou Leonis* 68. ex qua tamen eis permittitur, eſſe executores teſtamentorum, quod notandum, ex qua id etiam relatum eſt, in *can. generaliter* 16. *quæſt.* 1.

2. Verum ex *nou.* 123. §. *adeo autem* diſtinguuntur Epiſcopi & Monachi, ab aliis, illi enim nullo modo tutores eſſe poſſunt, & ſi velint, ſuæ dignitati, & regulæ aſtricti, vt ſuprà de iuriſdictione probauimus, quam nec ipſi exercere poſſunt, ſicut nec tutelam, quemadmodum, de militibus armatæ, & profanæ militiæ, ait Imperator Philippus, *lege* 4. *cod. qui dare tutores*, vndè excuſatione non indigent.

3. At verò, cæteri omnes clerici, legitimam tutelam ſuſcipere poſſunt, non etiam inuiti, & ità explicandus eſt, *can. vlt.* 86. *diſtinct. & can.* 1. *cauſ.* 23. *quæſt.* 1. vbi dicuntur clerici ad minorum tutelas, ex legibus inexcuſabiles vocari, non quod de facto ſe excuſare non poſſint, ſed quod ipſo iure non excuſentur, cui congruit, *Calched. Synodi cap.* 3. *& ibi Balſamon*, quod & mirè explicat, *Antonius Hotmannus in collectione lib. Eccleſ. Gall. pag.* 373. *& ſeq.*

4. Sanè à teſtamentaria, vel datiua, ipſo iure ſunt immunes, ex *d. nou.* idque in tantum verum eſt, vt qui teſtamento ſuo clericum tutorem dare præſumpſerit, indignum ſe præſtet oblatione & oratione, quæ pro deffunctis fieri ſolet, *can. vlt.* 88. *diſtinct. & can. Cyprianus* 23. *quæſt.* 3. & ſic adhibita hac diſtinctione, inter legitimam tutelam & cæteras, explicandus eſt *can.* 1. *diſtinct.* 88.

§. DECIMVS-TERTIVS.

De Clerico Tabellione.

1. *Clerici in ſacris conſtituti, tabelliones eſſe non poſſunt.*
2. *Clerici quilibet, in foro ſæculari, tabelliones eſſe nequeunt, & quarè.*
3. *Iure ciuili decuriones, tabelliones eſſe nequeunt, & quarè.*
4. *Clerici etiam maiores, in cauſa inquirendæ hæreſeos, notarij eſſe poſſunt.*
5. *Non tamen, in quibuſlibet aliis negotiis, quamuis Eccleſiaſticis.*

1. AD hæc clerici in ſacris conſtituti, tabellionum, ſeu notariorum officia, exercere prohibentur, alioquin per beneficiorum ſubſtractionem coercentur, *cap. ſicut te ne cler. vel mon.* vndè à contrariò ſenſu colligitur clericos, qui nondum in ſacris conſtituti ſunt, impunè tabelliones eſſe, vt patet ex decretali pleniore quæ habetur, in quarta compilatione decretali, *eod. tit.*

2. Verum illud locum habet, in ſolis muneribus & officiis, tabellionatus fori Eccleſiaſtici, namque in ſolo ſæculari conſtat non poſſe tabellionatus officio fungi, vt in iuriſdictione ſæculari, mox probauimus, & iure noſtro, paſſim admittitur & confirmatur, veteri conſtitutione Caroli VIII. anni 1499. quæ extat in ſtilo curiæ, & refertur in primo volumine probationum, *ad lib. Eccleſ. Gall. num.* 45.

3. Sed & huic diſpoſitioni accedit, quod iure ciuili Romanorum, non licebat decu-

rionibus, tabellionum officia exercere, in *lege vniuerſos cod. Iuſtin. de decur. lib.* 10. quę plenius refertur, *in lege* 3. *cod. Theod. eod. tit.* ex qua patet tabelliones, ad decurionatum promoueri poſſe, licet promoti iiſdem muneribus defungi non poſſint, quod ità conciliat, *Didacus Couarruuias lib.* 19. *pract. quaſt. num.* 4. *&* 5. quod tabellionatus officia, ratione habita ad decurionatum, inter ſordidiora munera conſtitui poſſint, quod & clericali ordini applicari poſſit.

4. Sanè in cauſa hæreſeos, permiſſum eſt iis, qui de fide inquirunt quoſcumque velint, clericos ſæculares vel regulares, etiam in ſacris conſtitutos notarios eligere, *capit. vt officium* §. *ad ſcribendum de haret. in* 6. quia totum illud negotium, circà religionem verſatur, quæ inter ſolas perſonas Eccleſiaſticas tractari debeat, atque etiam maiorum ordinum.

5. Attamen, in aliis cauſis Eccleſiaſticis, clerici in ſacris conſtituti, tabelliones eſſe nequeunt, quod & pleriſque viſum eſt, vt patet ex *gloſſa*, *& Panormitano, in d. capit. ſicut te, ne cler. vel mon. ſac. neg. ſe immiſc.* propter abiectionem muneris, quod olim ſeruis deferebatur, per quam, clericalis ordo dedecoraretur, vt notat *Boet. Epo. ad capit. ſicut* 8. *ne cler. vel mon. ſac. neg. ſe immiſc.*

---

§. DECIMVS-QVARTVS.

De Clerico fideiuſſore.

1. *Clerici pro aliis fideiubere prohibentur, & quibus caſibus.*
2. *Fideiuſſores quandoque, principalium debitorum locum ſubeunt.*
3. *Quando Clerici fideiubere poſſunt, vel non.*
4. *Clerici ex qua cauſa fideiubere prohibentur, ſi fideiuſſerint obligantur.*

1. CLericis etiam interdictæ ſunt fideiuſſiones, *cap. te quidem* 11. *quaſt.* 1. *cap.* 1. *de fideiuſ. & can. Apoſt.* 20. *quod Balſamon & Zonaras ibidem* interpretantur de fideiuſſionibus, quæ fiunt à clericis lucri cauſâ, vel pro negotiatoribus, vel exactoribus tributorum publicanis, & alienarum poſſeſſionum conductoribus, nec enim clericus debet eſſe turpi-lucris, vt ait *D. Auguſt. in tract. de Op. monach. cap.* 13. αἰσχροκερδής, vt ait gloſſa, turpis lucri cupidus.

2. Nec enim tantum huiuſmodi negotiationes, clericis interdictæ ſunt, vt ſupra diximus §. 1. & ſequenti, huius capitis, ſed etiam fideiuſſiones eo caſu prohibitæ, *Nou. Iuſtin.* 123. §. *altum autem*, quia tunc & eo caſu, fideiuſſores ſæpius principalium debitorum locum ſubeunt, conductorum & negotiatorum, quorum ſub vili ſerui nomine perſonam exhibent, vt legibus ſimul, & ſacris canonibus illudatur, quod & hodiè ſeruari videmus in conductione vectigalium & tributorum.

3. Verum ſi quando pietate, vel miſericordia ſuadente, pro aliis fideiuſſerint, tantùm abeſt, vt culpari debeant, quin potius laudem merentur, *cap.* 2 *&* 3. *de fideiuſſ. & argumento can. non ſatis* 86. *diſtinct. Zonaras ad d. can.* 20. *Apoſtolorum*, quemadmodum cum miſerabilium perſonarum, viduarum, aut orphanorum, tuitionem, aut defenſionem ſuſcipiunt, vt ſuprà admonuimus in §. 3. huius capitis de clerico procuratore.

4. In aliis autem cauſis in quibus prohibentur, pro aliis fideiubere, ſi fideiuſſerint obligantur, quod valdè notandum eſt, vt & ipſe adnotat *Cuiacius in capit.* 1. *de fideiuſſ in fine*, vbi imperfectos canones eſſe ait, qui clericis fideiuſſionem prohibent, factam verò non reſcindunt, non alia ratione, quam in militibus obſeruatur, qui licet nec etiam volentes tutores dari poſſint, ſi tutelæ geſtioni liberè ſe immiſcuerint, negotiorum geſtorum actione tenentur, *d. lege* 4. *qui dare tut. poſſ. cod.*

---

§. DECIMVS-QVINTVS.

De ſpectaculis vitandis.

1. *Clerici ſpectaculorum exhibitionem vitare debent.*
2. *Qui ſpectaculorum exhibitioni vacant, vel ludicram artem exercent, non ordinantur, aut ordinati priuilegiis ordinis excidunt.*

Digitized by Google

3. *Plura expenduntur in condemnationem ſpectaculorum in Eccleſia exhibitorum.*
4. *Proponitur & decretum Curiæ Pariſienſis, ſpectaculorum exhibitionem in Eccleſia interdicens.*

1. LEgimus etiam interdictum eſſe Clericis, ne ſpectaculis interſint, aut mimis, hiſtrionibus, ioculatoribus, aut thymelicis intendant, & ſi fortè, vt ſolet in conuiuiis nuptiarum quibus clerici interſunt, huiuſmodi ſpectacula exhibeantur, ſurgere eos de conuiuio oportet, & abire, *can. non oportet. de conſecrat. diſtinct.* 5. *can. his igitur diſtinct.* 23. & *Nou. Iuſt.* 123. §. *vt autem verſ. interdicimus cap. cum decorem de vit. & honeſt. cler. cap. clerici* 15. *eod. tit.*

2. Quantum vero ad eos, qui ſpectacula exhibuerint, & hiſtrionicam, vel ſcenicam artem exercuerint, iam docui ſuprà, eos clericatus priuilegium amittere, ſi ter moniti non deſiſtant, & probaui ex *cap.* 1. *de vit. & hon. cler.* aut ſi laici hoc fecerint, non ordinari in clerum, *can. meritum* 77. *diſtinct. can. aliquotos diſtinct.* 51. ſicut de aleatoribus publicis mox confirmaui, ex *cap. inter dilectos, de exceſſ. prel.* cum perſonis indignis, portæ dignitatum patere non debeant, iuxtà legitimas ſanctiones, vt habetur in eodem capit.

3. Sed nè clerici ſpectaculis intereſſendi occaſionem haberent, quæ olim in ipſa Eccleſia, certis anni feſtiuitatibus exhibebantur, hanc prauæ terræ conſuetudinem præſcindere æquum viſum eſt, quam primum Imperatores Theod. & Valent. à præcipuis feſtiuitatibus Natiuitatis Dominicæ, Epiphaniorum, & Paſchatis, exulare voluerunt, deinde Innocentius III. exſtirpare tentauit, in *cap. cum decorem de vit. & hon. Cler.*

3. Sed cum profundiores radices agens, exſurgere cæpiſſet, tandem Baſileenſis Synodi Patres, miſſa ſecuri in radices, penitùs exſcinderunt, in *ſeſſ.* 21. cuius decretum Gallicana Eccleſia admiſit, & in pragmatica noſtra ſanctione inſcripſit, verum etiam in huiuſmodi ſpectaculorum condemnationem, videndus doctiſſimus commentarius, *Barnabæ Briſſonij Præſidis Pariſienſis, ad leg. dominico cod. theod de ſpectac. & tractatus eruditiſſimi Præſidis Aruernenſis Ioannis Sauaronis contrà Laruas*, itemque notam *Caroli Molin. ad gloſſam capit. cum decorem, in verbo feſtiuitatibus, ibi Innocentium de vit. & hon. cler.*

4. Sed & prætereà conſulendum, ſolemne decretum Curiæ Pariſienſis, in publicis cauſarum actionibus pronunciatum, die 27. Iunij anni 1613. à protopræſide Virdunio, perorantibus Mauguinio, in defenſionem duorum Canonicorum, Cathedralis Eccleſiæ Bituricenſis, prouocantium tanquam ab abuſu, à decreto Capituli eiuſdem Eccleſiæ, quo exhibitionem pompæ, & ſolemnitatis Magorum, in feſto Epiphaniorum Deum adorantium, & peregrinationis virginum, ad Sepulchrum Domini feſtinantium, in die Reſurrectionis, & aliorum ſimilium interdixerat. Vido Fauerello, dicto capitulo patrocinium præbente, Ludouico Seruino, Procuratoris Generalis partes obeunte: prouocantes enim, non admittendos declarauit ſenatus, prætereaque in multæ, & expenſarum exſolutionem condemnauit, vt obſeruat *Anton. Mornacius ad leg.* 2. *dig. de conſt. princip.* vbi notat, principem Condæum, noſtrorum Biturigum Pro-Regem, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindicem acerrimum, huic deliberationi aſſediſſe.

§. DECIMVS-SEXTVS.

De Torneamentis & Clericis pugnantibus in duello.

1. *Clericis duella omnino interdicta.*
2. *Olim permiſſa purgationis, & veritatis inquirendæ cauſa.*
3. *Duelli indicendi facultas ſupremæ iuriſdictionis apex.*
4. *Hodiè ex quacumque cauſa duella prohibita.*
5. *Torneamenta pariter Clericis interdicta.*
6. *Pœnæ eorum, qui torneamenta indixerint, vel in eis decertauerint.*
7. *Torneamenta vndè ſic dicta.*

1. SPectaculis adiungo duella, & torneamenta, vtraque tàm laicis, quàm clericis interdicta, *can. monomachiam*, 2. *quæſt.* 5 clericum enim, qui duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, qualiſcumque fuerit pugnæ exitus, deponi conſtat, ex *cap.* 1. *de Cler.*

Digitized by Google

cler. pugn. in duell. etſi homicidium, ex eo ſequutum fuerit, & irregularem fieri, ſiuè per ſe, ſiuè per alium, eius nomine pugnantem, aduerſarium occiderit, *cap. 2. eod.* quibus aliæ pœnæ adiiciuntur, in *Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19.*

2. Neque intereſt, ex qua cauſa, duellum ſuſcipiatur, vel offeratur, etiamſi purgationis, aut veritatis inquirendæ cauſa, quamuis aliàs, deficientibus legitimis probationibus, veritatis inquirendæ cauſa, duellum publicè, & auctoritate Regia indiceretur, quod & admittebatur, vt compertum habemus, ex antiquis annalium noſtrorum monumentis & rubricis de *purg. vulg. & can.*

3. Et ex eo eſt, quod ſupremæ iuriſdictionis apicem, conceſſionem duelli vocat *Renatus Chopinus lib. 1. de iure Andium, & lib. 3. de Doman. cap. 27.* cuius indictionis, tria exempla, & illuſtria inſtrumenta, nobis ſubminiſtrat, *Iacobus Sirmundus in notis ad epiſt. Goffridi Vindocinenſis Abbatis & ad epiſt. 38. l. 3.* ſed & aliud nobis pariter ſubdidit, *Robertus Guaguinus in vita Caroli VI.*

4. Verum hodiè, huiuſmodi probatio, omnimodo interdicta tàm clericis, quàm laicis pluribus Eccleſiæ decretis, *cap. penult. ne cler. vel mon. can. monomachiam 2. quaſt. 5. Concil. Valent. cap. 3.* & tandem à Tridentinis Patribus, *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 19.* prohibita, quam & Luitprandus, Longobardorum Rex, *in compilatione legum ſuarum, tit. 91.* euellere tentauerat, ſed propter inueteratam conſuetudinem, non potuit, vt ipſemet fatetur his verbis, *incerti ſumendo iudicio Dei, & multos audiuimus, per pugnam, ſine iuſta cauſa, ſuam cauſam perdere, ſed propter conſuetudinem, gentis noſtra, Longobardorum legem impiam, vetare non poſſumus.*

5. Torneamenta autem, quæ vulgò dicuntur *tournois, ou pauois*, licet ad oſtentationem virtutis, aut exercitationem, inuenta eſſe videantur, tamen, quia monomachiæ, ſeu duelli ſpeciem præ ſe ferunt & vitæ, atque animæ diſcrimen, plerumque habent, etiam omnibus, tàm laicis quàm clericis, prohibita ſunt, in tantum odioſa, vt qui in eis moriuntur, Chriſtiana careant ſepultura, *cap. 1 & 2. de torneam.*

6. Sed & Clementis V. conſtitutione, tàm ipſe, qui torneamenta præſcripſerit, quàm qui in eis decertauerit, pœnam excommunicationis incurrunt, à qua poſt modum liberati fuerunt, à *Ioanne 22. extraug. unica, eod. tit.* ſed & Pius V. conſtitutione ſua Bullata anni 1567. eadem prohibitione damnauit, gladiatorium cum feris congreſſum, vt videre eſt, *in ſumma Bullarij tit. de torneamentis.*

7. Torneamenta autem, à Ludis Troianis, originem duxiſſe, & indè etiam corrupta voce, torneamenta appellata fuiſſe, ſcribit *Vvolfius Lazius lib. 10. commentar. reipubl. Romana cap. 20. & Anaſtaſius Germonius in paratitlis, ad titulum de torneamentis, lib. 5. decret.* ſed potius dicta fuiſſe auguror. à corrupta voce Gallica, *tourner*, quod contendentes, ſe in diuerſas partes vertant, vt aduerſarium feriant, ſed & à tabula rotunda, cui inſidebant præliantes, Equites & milites tabulæ rotundæ dicuntur, vt notat *Innoc. cit. in part. decretal. ad tit. de torneam.*

§. DECIMVS-SEPTIMVS.

De Clerico percuſſore & ſagittario.

1. *Clerici ruptariis, aut baliſtariis, miſceri non debent.*
2. *Clerici chirurgię artem, exercere non debent.*
3. *Clericus neminem percutere debet.*

1. NOn debent etiam clerici ſagittariis, ruptariis, aut huiuſmodi viris ſanguinum miſceri, aut præponi, vt dicitur in *cap. ſententiam*, quod ex Concilio generali Lateranenſi petitum eſt, vbi legitur rottariis, pro ruptariis, à rumpendo ſic dictus, quod rumpendis & deiiciendis oppidorum muris adhiberentur, *Panormit. in d. capit. ſententiam num. 16.* vbi tractat, vtrum clericus Balliſtariis, aut Bombardariis præpoſitus, vulgò apud nos, *Commiſſaires d'Artilleries*, irregularitatem incurrat, cuius pœnæ, ne quidem vult ſubiici, niſi ex proprio facto, cæde, vel mutilatione illata.

2. Sed & clerici adeò ſanguinem effundere vetantur, vt chirurgiæ artem exercere nequeant, quæ vel aduſtionem, vel inciſionem inducat, *d. cap. ſententiam, ne cler. vel mon.* alioquin irregularitatis pœnam incurrunt, quæ licet *in d. capit. non exprimatur*, ſuplenda

Digitized by Google

eſt, ex *cap. clericis, eod.* vbi dicitur clericum qui per ſe, truncationem membrorum intulerit, priuandum eſſe omni honore, & loco, quod adeò verum eſt, vt decreto curiæ Pariſienſis ſtatutum referat, *Car. Molin. in quæſt. Ioan. Gall.* 336. clericum, chirurgicam artem exercentem & in ea peccantem, coram iudice ſæculari conueniendum, nulla fori exceptione obſtante.

3. Neminem etiam percutere debent clerici, quantumuis delinquentem, hoc enim ab ipſis alienum eſſe debet, etſi eo nomine correpti non emendauerint deponuntur, *cap.* 1. *&* 2. *de cler. percuſſ. can. Epiſcopum* 45. *diſtinct. can. non liceat* 86. *diſtinct. & diuus Paulus* 1. *ad Thimotheum cap.* 3. ait Epiſcopum, non debere eſſe percuſſorem, & *in can. Apoſtol.* 27. Epiſcopus, presbiter & diaconus, percuſſores, deponi iubentur.

---

§. DECIMVS-OCTAVVS.

De cohabitatione Clericorum & mulierum.

1. *Clericis, mulierum cohabitatio interdicta.*
2. *Quarum mulierum, cohabitatio prohibita.*
3. *Prohibitæ cohabitationis, plura teſtimonia.*
4. *Quando etiam, coniunctarum perſonarum, cohabitatio prohibita.*
5. *Nota* ad cap. 1. & penult de cohab. cler. & mul.
6. *Subintroductæ, vndè ſorores appellatæ, & aliis modis.*
7. *Nota* ad legem 19. cod. de Epiſc. & cler.
8. *Nimia familiaritas clericorum, & mulierum damnata.*
9. *Clerici cum mulieribus, lauacra communia habere non debent.*
10. *Duplicia monaſteria condemnata.*

1. EST etiam interdicta clericis cum mulieribus habitatio, ex *Concilio Nicæno*, præterquam iis, quæ naturali cognatione ſunt coniunctæ, & in quibus naturale fœdus, nihil permittit, ſæui criminis ſuſpicari, *can. nullus & can. interdixit* 32. *diſtinct.* cuius prohibitionis, antiquius teſtimonium ſubminiſtrat, *Greg. Turon. lib.* 8. *hiſt. cap.* 19.

2. Præter illas igitur, non licet clericis, ſubintroductas mulieres habere, vt aiunt *dd. can. & Photius in nono can. tit.* 8. *cap.* 14. introductitias vocat, & *Euſebius lib.* 7. *hiſt. Eccleſ. cap.* 30. Græci συνεισάκτους appellant, quam vocem explicant, *Balſamon in cap.* 3. *Nicænæ Synodi Greg. partit. iur. can. lib.* 2. *tit.* 9. *cap.* 8. *& in ſcholiis litt. V, Cuiacius ad titulum de cohabit. cler. & mul. & lib.* 2. *obſeruat. cap.* 29. *Anaſt.* Germ. *lib.* 2. *animaduerſ. capite* 15.

3. Huius etiam prohibitionis teſtimonia ſunt, pleraque alia, *in can. fœminas & aliis præcedentibus vſque ad can. oportet* 81. *diſtinct. & in cap. penult. de cohabit. cler. & mul. & in lege* 19. *cum qui cod. de Epiſcop. & cler. nou.* 123. *§. presbiter. apud Photium in nono canone, cap.* 14. *& Synodi Nicænæ, cap.* 3. *& ſextæ in Trullo cap* 5. *& in epiſt. Baſilij ad Gregorium presbiterum* quibus omnibus locis, extranearum, & ſubintroductarum mulierum, cohabitationes damnantur, exceptis quas cognationis ratio, omni ſuſpicione liberat.

4. Nunc ergò quærendum, cur in *cap.* 1. *de cohabit. cler. & mul.* (quod vulgò deſumptum dicitur, ex Concilio Moguntinenſi, ſed malè, cum potius Nannetenſi tribuendum ſit capit. 3.) etiam ab earum conſortio abſtinere præcipitur, an nec ius antiquum corrigat, minime, nam & *cap. penult. eiuſdem tit.* quod eſt poſterius, & Innocentium III. auctorem habet, idem permittit, ſed quod prohibetur, in *d. cap.* 1. tunc locum habet, cum ex immoderata familiaritate, coniunctarum perſonarum ſcandalum aliquod naſcitur, vt in exemplo *can. quorumdam* 34. *diſtinct.*

5. Vel etiam, vt optimè, & ad rem auguratur, *Anaſtaſ. Germ. d. lib.* 2. *animaduerſ. capit.* 18. caſus de nouo ſubortus, clerici tunc nimia familiaritate vtentis, cum conſanguinea, & coniuncta perſona cauſam dedit (vt plerumque euenire ſolet) Nannetenſis Synodi Patribus, & à clericorum domibus, quaſcumque perſonas, etiam coniunctas expellendi, quarum poſteà, Innocentius in *d. cap. penult.* nulla noui caſus ratione motus,

Digitized by Google

cohabitationem permiſit, cuius tamen ſcandalum vt vitaret, vel potius vt peccandi occaſionem fugeret, D. Auguſtinus cum ſorore habitare noluit, *can. legitur diſtinct.* 81.

6. Præterea notandum eſt olim clericos, ſubintroductas illas mulieres quas græci *συνεισάκτους* appellabant, blandè ſorores, vel etiam agapetas appellaſſe, vt probra ſua tegerent, vt colligere licet, ex *D. Hieronimo in lib. ad Ruſticum monachum* de viuendi *forma, & in tit. de vitando Contuberaio ſuſpecto, & Anciranæ Synodi cap.* 19. quod etiam, ex ſermone quodam D. Chryſoſtomi, beatus Rhenanus interpretatur, ad *lib.* 7. *Euſebij hiſt. Eccl. cap.* 30.

7. Et ex eo eſt, quod Imperatores, in *d. lege* 19. *cumque cod. de Epiſcop. & cler. aiunt non oportere clericum, ſcuriæ appellationis conſortio, decolorari,* & ità, diaconiſſis interdicitur, conſortio extraneorum virorum, quos ſibi fratrum, aut cognatorum, aut dilectorum loco adoptauerunt, *nou.* 6. *& Cuiacius ibidem,* & in *d. lib.* 2. *obſeruat. cap.* 29. *Greg. Tholoſ. partit. iur. can. lib.* 2. *tit.* 9. *cap.* 8. *& in ſcholiis litt.* L, *Emundus Merillius lib.* 6. *obſeruat. cap.* 1.

8. Cæterum, non habitatio tantùm clericorum, cum mulieribus, ſed etiam conſortium, & familiaritas damnantur, *can Hoſpitiolum* 32. *diſtinct. can. his igitur* §. *viduarum diſtinct.* 33. & maximè cum ſoli ad ſolas accedunt, *can. clericus, can. omnibus & can. clerici* 87. *diſtinct.* & ſi quis crimine fornicationis ſuſpectus, poſt trinam denunciationem, pergat cum ea confabulari, & conuerſari, excommunicari debet, *can. ſi quiſpiam* 81. *diſtinct. & capit.* 2. *de cohabit. cler. & mul.*

9. Ac ne lauacra quidem, cum mulieribus communia, habere debent, *can. oportet. diſtinct* 81. qui ſumptus eſt, ex *Concilio Laodiceno, cap.* 30. vbi in eo, primam gentilium fuiſſe reprehenſionem notant, Patres Laodiceni, cuius viſtigia quædam profert, *Chriſtoph. Iuſtellius in notis ibidem in cod. can. Eccleſ. vniuerſa,* ſed nec monaſteria ſanctimonialium frequentare, *cap. monaſteria de vit. & honeſt. cler. cap. peruenit. ad nos in fine* 18. *quæſt* 2.

10. Ex quo etiam euenit, vt duplicia monaſteria, virorum videlicet, & mulierum prohiberentur, *capit. definimus & duobus ſeq. cap. perniciosam, eod. l. ge* 4. *cod. de Epiſc. & cler. nou.* 133. *cap.* 3. de quibus monaſteriis plura vide, apud *Chopinum lib.* 1. *monaſt. tit.* 3. *num.* 18. *Franc. Florentem in diſſertat. canon. ad cap.* 8. *de vit. & hon. cler.* & è contrariò, non debent mulieres, ingredi monaſteria virorum, neque monachi, ſibi commatres facere, aut fœminas oſculari, *d. can. peruenit, in principio eod. & can. monach. diſtinct.* 4.

§. DECIMVS-NONVS.

De Clericis concubinariis.

1. *Clerici à concubinis abſtinere debent.*
2. *Chriſtianis concubinatus prohibitus.*
3. *Quæ ſit concubina, quæ minus ſolemnis vxor.*
4. *Nota ad* can. is qui & ſeq. 34. diſtinct. *& diſcordantium canonum concordia.*
5. *Pœnæ clericorum concubinariorum.*
6. *Publici concubinarij, quinam dicantur.*
7. *Publicorum concubinariorum, an miſſæ intereſſendum.*

1. CVm ergò ex ſuprà dictis appareat, clericos ab extranearum mulierum cohabitatione & conſortio, ac familiaritate, abſtinere debere, nunc addo etiam à concubinis, *cap. clericos* 3. *item* 4. 5 *&* 6. *de cohabit cler. & mul can. decernimus, diſt.* 28. & alibi paſſim.

2. Quamuis enim, iuſtam vxorem imitari videantur, vt ait, Iulianus Anteceſſor, *nou.* 18. & licitus fuerit concubinatus paganis, *lege* 3. *in fine, dig. de concub l.* 5. *cod. ad ſenat. Orfit.* ipſo etiam, Marciano Iure conſulto, in *d. lege* 3 teſtante concubinatum, per leges nomen aſſumpſiſſe, Chriſtianis tamen conſtat non licuiſſe.

3. Nec enim hunc communem, & certum Chriſtianorum vſum lædit, quod dicitur, in *capit. is qui, & cap. ſequenti,* 34 *diſtinct.* licere homini chriſtiano, vxorem, aut loco vxoris, vnam concubinam habere, namque illud, ex præcedenti capit. explicandum eſt, de ea quæ nondum confectis nuptialibus inſtrumentis coniugali affectu aſciſcitur, quæ nihil aliud exhibet, quam vera vxor.

3. Sed enim cum ducendæ dotalium tantum inſtrumentorum, deſit ſolemnitas & confectio, quæ merè ciuilis eſt, minus ſolemnis vxor appellatur, eamque concubinam lex nominat, vt habetur, in *cap. omnibus* §. *concubina diſtinct* 34 licet vera ſit vxor iure canonico in qua, non dotalium inſtrumentorum confectio, ſed conſenſus, coram ſacerdote & in Eccleſia præſtitutus, matrimonium perficit *can. ſufficiat.* 23. *quæſt.* 2.

4. Et hic in concordiam reducendi canones, qui tàm laicis quàm clericis, concubinatum prohibuerunt, cum *d. cap. is qui & ſequentibus*, vt obſeruauit ipſe *Antonius Auguſtinus*, *lib.* 1. *emendat. grat. dial.* 15. *& Anaſtaſ Germon. lib.* 1. *animadu. cap.* 11.

5. Sed vt redeam ad concubinas, ſeu focarias (tot enim nominibus, appellari ex *Concil. Lateranenſi*, *ſub Alex* 3. *cap.* 11. notat *Merillius d. lib.* 6. *obſeru. cap.* 1. more militum, *l.* 2. *cod. de donat. inter vir. & vx. l.* 3. *cod. de donat.*) illæ omnino, clericis interdictæ ſunt, ſiuè in ſacris conſtituti ſint, *d. cap.* 3. *&* 4. ſiue in minoribus, *cap.* 6 *de cohabit. cler. & mul.* & ſi poſt t inam denunciationem, eas retinuerint, ab officio Eccleſiaſtico remouentur, & excommunicantur, *in dd. cap.*

6. Eſt & alia pœna eorum, qui publicè concubinas habent, in *tit. de publ. concubin. in concordatis* qui cum ex Baſileenſi Synodo, in pragmaticam noſtram ſanctionem, tranſcriptus fuiſſet, placuit, & concordatis noſtris inſeri, vbi etiam publici dicuntur ij, qui per ſententiam, vel confeſſionem, in iure factam, aut per rei euidentiam, tales exiſtunt, & ij qui mulierem, de incontinentia ſuſpectam tenent, & à ſuperiore ſuo admoniti, non dimittunt.

7. Sed & ab iis publicis concubinariis, nullus miſſam audire debet, alioquin idololatriæ peccatum incurrit, *can. nullus & ſequenti*, 32. *diſtinct. capit. veſtra, de cohab. cler. & mul. can. ſi qui ſunt* 81. quod vt intelligi debeat vide, in *can. multi ſunt* 84 *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. *& ibi gloſſa in verbo, ſpernunt*, & de his plura, in *concord. & Rebuffo tit. de publ. concubin. & in eleganti tractatu Henrici Cuichij Ruramundenſis Epiſcopi, qui inſcribitur, ſpeculum concubinariorum.*

---

§. VIGESIMVS.

De Clericis coniugatis.

1. *Clericis interdicta matrimonia, quibus probetur auctoritatibus.*
2. *Coniugati non promouendi, niſi continentiam vouerint.*
3. *Quid in conuerſione coniugatorum ſeruandum.*
4. *Clerici in minoribus ordinibus, matrimonium contrahere poſſunt.*
5. *Non tamen clerici, in maioribus ordinibus conſtituti*
6. *Diſſidium inter Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam.*
7. *Nota* ad legem, eum qui cod. de Epiſc. & cler.
8. *Clericorum, in maioribus ordinibus, contracta matrimonia, an valeant.*
9. *Tentatur ea matrimonia valere.*
10. *Deciditur tamen, non valere, auctoritate* leg. 45. cod. de Epiſc. & cler.
11. *Confirmatur, & auctoritate*, nou. 22.
12. *Conciliatio diſſidij, inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam.*
13. *In quibus differt, Orientalis Eccleſia, ab Occidentali.*
14. *Quando ſtatutum in Eccleſia Occidentali, clericos in maioribus ordinibus, matrimonia contrahere non poſſe.*

1. SEd an clerici, legitimam vxorem habere poſſint tractant, *Greg. Tholoſ. partit. iur. can. lib.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4. *& in ſcholiis, litt. d. Cuiacius ad titulum, de cler. coniug. Tiraquellus in legibus Connubialibus lib.* 15. *Boet. Epo. in antiq. Eccleſiaſt. ad caput. de teſtam. num.* 97. *& ſeq.* verum adhibita diſtinctione, reſpondendum eſt, aut enim, antè clericatum, matrimonium contraxerunt, vel poſt ſuſceptos ordines.

2. Et priore quidem caſu certum eſt, eos non eſſe promouendos, niſi etiam ipſi continentiam

Digitized by Google

profiteantur, *can. præterea placuit*, 28. *diſtinct. & can quoniam diſtinct.* 31. *cap. de cler coniug.* & ab vxore, continentiam pariter profitente abſoluti fuerint, *cap. vlt. de temp. ordinat. in* 6. *cap. coniugatus & ſequenti de conuerſ. coniug. can. Epiſcopus diſt.* 77. *can. aſſumi* 28. *diſtinct.*

3. Nec enim poterunt prædictæ vxores, quæ continentiam profeſſæ fuerint, poſt ordinationem, carnaliter copulari, *can. miniſtri*, 81. *diſtinct. can. de Syracuſanæ, verſiculo, ſed quod de electione* 28. *diſtinct. & can. eos ad ſacrificia* 31 *diſtinct.* poſſunt tamen, cum ea caſtè viuente commorari, *can. volumus* 81. *diſtinct.* nec ſub obtentu religionis eam contemnere debent, ſed vitæ neceſſaria ei ſubminiſtrare, præter debitum carnale, *can. omnino* 31. *diſtinct. can. ſi quis docuerit* 28 *diſtinct.* qui ſumptus eſt ex *can. Apoſt.* 50.

4. Sin autem poſt cooptationem in clerum, vxorem ducere voluerint, ordinum diſtinctio facienda eſt, nam in minoribus ordinibus conſtituti non prohibentur matrimonium contrahere, & vxorem ducere, quin imò poſt contractum eas retinere, nec ideò clericatum amittunt, licet beneficio priuandi, ſtipendia clericalis militiæ amittant, vt teſtatur *Yuo Carnotenſis Epiſcopus epiſt.* 218. *& probatur cap.* 1. *de cler. coniug.*

5. Ex diuerſo autem qui ad maiores ordines ſunt promoti, non licitè contrahunt, & quas acceperunt in matrimonium dimittere coguntur, *cap.* 1. *&* 3. *de cler. coniug. cap.* 6. *de vit. & honeſt. cler. cap.* 1. *de cler. coniug. in* 6. *can. Apoſtolorum* 26. *cap.* 1. *&* 2. *qui cler. vel vou. can. de illo, can. ſi quis can. placuit, can. ſeriatim* 32 *diſtinct. can. vlt.* 27. *diſtinct. & can. presbiter* 28. *diſtinct.* Molin. in notis ad cap. 1. & 5. de cler. coniug.

6. Et hæc quidem ità ſe habent in Eccleſia Romana, ſeu Occidentali, nam Græca Eccleſia, non tantum in minoribus ordinibus, matrimonium contrahere, ſed etiam in maioribus contracto vti permittit, *cap.* 6. *de cler. coniug. cap.* 7. *de pœnit. & remiſſ. cap.* 13. *in fine, de vit. & honeſt. cler. can. Nicæna & can. quoniam in fine, & ſequenti* 31. *diſtinct.*

7. Et ità explicanda *lex eum qui* 19. *cod. de Epiſc. & cler.* quæ permittit, vxores retinere, duntaxat, vt eis vti poſſint, retinere inquam, nam poſt maiorum ordinum aſſequutionem, non licet amplius, vxorem accipere, *d. can. Apoſtolorum* 26. *& Sextæ Synodi in Trullo, can.* 6. non tantùm in Eccleſia Latina, ſiuè Occidentali, ſed etiam in Eccleſia Græca, ſiuè Orientali, vt obſeruauit ibidem *Boet. Epo.*

8. Sed maior dubitatio ſi quis, in maioribus ordinibus, conſtitutus aduersùs prohibitionem duxiſſet, valeret nec-ne matrimonium, nam *in d. can.* 6. hoc tantum cauetur, eum qui ducere auſus eſſet, deponi, cui congruit *Iuſt. nou.* 6. §. *neque autem &* 22. §. *ſed & ſi quis inter &* 123. §. *ſin autem*, quibus dicitur eum ſacerdotio ſpoliari, vndè videbatur matrimonium remanere, quod & videbatur *Molin. in gloſſa cap. in verbo dimittere, ibi priuandi ſunt, de cler. coniug.*

9. Sed & *Leo Philoſophus nou.* 79. mitius agens cum eis, voluit ordine quidem ſacro, quem antè matrimonium habuerint, vt putà presbiteratus, diaconatus, aut ſubdiaconatus carere, non tamen clericatum amittere, ſed in minoribus ordinibus, & miniſterio Eccleſiæ remanere, quibus argumentis tentari quidem poſſet, poſt adeptionem maiorum ordinum, matrimonium ratum eſſe.

10. Verum *Iuſtinianus*, alia conſtitutione quæ eſt, *lex ſacris canonibus* 45. *cod. de Epiſcop. & cler.* natos ex huiuſmodi matrimonio, dicit quaſi ex nefariis, & inceſtis nuptiis, procreatos haberi, quibus verbis, ſatis oſtendit matrimonium, poſt adeptos maiores ordines, contractum, ne quidem in Eccleſia Græca, ratum fuiſſe.

11. Sed & alio argumento probari poteſt, matrimonium in maioribus ordinibus contractum, non valere, ducto ex *d. nou. Iuſt.* 22. §. *vnde Sancimus*, vbi Imperator ait, Legatum ſub conditione relictum, ſi vxorem non duxerit, ſuperueniente ſacerdotio deberi, cum nulla deinceps, reliqua ſit ſpes, matrimonij contrahendi.

12. Ex his igitur quæ diximus concludere poſſumus, neque in Orientali, neque in Occidentali Eccleſia, licuiſſe poſt ſuſceptos maiores ordines, matrimonium contrahere, & licet aliquando prauo more, fuerit obſeruatum, vt poſt adeptum ſacerdotium, adhuc intrà biennium, vxorem ducere liceret, tamen hoc diu non perſeuerauit, ſed à Leone ſublatum, *nou* 2.

13. In hoc ergò tantum Eccleſia Orientalis, differt ab Occidentali, quod in Eccleſia Orientali, licebat vti vxore, quam antè ordinationem, quis duxiſſet, at verò in Romana, non licuit, vt probatum eſt ſuprà, nam aſpiranti ad ſuperiores ordines, votum perpetuæ caſtitatis faciendum fuit, *tota* 28. *diſtinct.* videndus & in *Greg. Tholoſ. partit. iuris can. lib.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4. *& in ſcholiis litt. D. & adeunda nota ad can. quoniam* 32. *diſtinct. in corpore textuali*, ex quibus patet, coniugatos, vxores dimittere coactos.

14. Quod tamen in Occidentali Eccleſia, non ſemper obtinuiſſe defendit, *Cuiacius*

Digitized by Google

ad tit. de cler. coniug. ſed hoc primùm introductum fuiſſe, à Gregorio VII. & Calixto II. & in id etiam probationes, à Cuiacio allatæ, in rubrica *d. tit.* examinandæ ſunt, placet tamen Eccleſiam Occidentalem, ſiuè Latinam, ſemper veteribus Eccleſiæ decretis inſtitiſſe, ſiuè canonicis & Apoſtolicis inſtitutionibus, latè patentibus, in *can. Apoſtolorum 26.* vel ſecundum alios, 27. vt teſtis, non contemnendæ auctoritatis, *Innocentius Cironius, in paratit. ad tit. de cler. coniug.*

---

§. VIGESIMVS-PRIMVS.

De Magiſtris.

1. *Quibus clericis interdicta legum, vel medicinæ ſtudia, vel permiſſa.*
2. *Rectoribus paroeciarum, permiſſa legum ſtudia.*
3. *Singulis clericis, præter monachos, & presbiteros, permiſſa legum ſtudia.*
4. *Exercitium vtriuſque ſcientiæ, clericis maioribus interdictum.*
5. *Minores clerici, alterutrius exercitio vacantes, ad ſuperiores ordines promoueri non poſſunt.*
6. *Nota ad* legem repetita 40. cod. de Epiſc. & cler.
7. *In Prælatis requiritur, ciuilium negotiorum peritia.*
8. *Epiſcopi, & quilibet clerici, iuſſu principis euocati, negotiis publicis expediendis, intereſſe poſſunt.*
9. *Plura exempla Prælatorum, conſiliis Regiis inſeruientium.*
10. *Vſus Galliæ, circà Prælatorum euocationem, à Rege factam, & priuilegia.*
11. *Concluſio huius capitis, & connexio cum ſequenti.*

1. EX clericis autem, quibuſdam interdicta eſſe video, legum, ac medicinæ ſtudia, ſub pœna excommunicationis, veluti monachis & presbiteris, aliiſque perſonatum habentibus, *cap. non magnoperè, & cap. ſuper ſpecula, ne cler. vel mon.* quod ea ratione introductum eſt, nè huiuſmodi ſtudio, ab officiis Eccleſiaſticis, & clauſtralibus deterreantur.

2. Excipiuntur tamen parochiales Eccleſiarum Rectores, quibus hoc ſpeciliater permiſſum eſt, conſtitutione Bonifacij VIII. in *cap. 1. eod. in 6.* niſi huiuſmodi parochiales Eccleſiæ ſint plebaniæ, ſub ſe capellas habentes, in quibus vicarij perpetui conſtituuntur, *d. cap. 1. ſub finem.* Cæterùm quæ ſint plebaniæ, expoſui ſuprà in *tit. de diuiſione beneficiorum*, dum agerem de beneficiis, & curam animarum habentibus.

3. Cæteri ergò clerici, qui neque ſunt monachi, neque presbiteri, neque perſonatum habentes, licitè poſſunt iuris ciuilis, & medicinæ ſtudio incumbere, & ob hanc cauſam, fructus beneficiorum ſuorum conſequi, *cap. 2. de priuileg. in 6.* & omnes qui alterutro, gradum aliquem meruerint, conſtat ad beneficia promoueri, ac nominationum capaces eſſe, *tit. de collat.* §. *inſuper in pragmat. ſanct. & in concord. eod. tit.* §. *præterea.*

4. Sed non poſſunt propterea, forenſibus negotiis, & ciuilibus controuerſiis, ſe immiſcere, vt docui initio huius capitis, vix etiam puto, eis permitti, medecinam exercere, vt innuere videtur, *Iulianus Peleus, in act. Forenſ. act. 63. Greg. Tholoſ. partit. iur. can. lib. 1. tit. 26. cap. 3.* ſaltem in ſacris ordinibus conſtitutis.

5. At ſi in minoribus conſtituti ordinibus, medicinam exerceant, ad ſuperiores ordines aſcendere non poſſunt, quod vix, ſinè ægrorum diſcrimine, medecina exerceri poteſt, & plerumque, vel imperitiâ, vel caſu homicidium perpetratur, *cap. ad aures de æt. & qual. præf.* quod pluribus diſputat rationibus, *Ioannes Fileſacus in ſelectis lib. 1. & in tractatu qui inſcribitur medecina defenſa.*

6. Aliud ergò iuris ac medecinæ notitiam habere, aliud medicinam exercere aut Forenſibus negociis ſe implicare, hoc enim clericis prohibitum, illud non item vt docui initio huius capitis, & ità explicandum illud Iuſtin. in lege repetita 40. *abſurdum eſſe clericis imò & probroſum ſi peritos ſe velint oſtendere diſputationum Forenſium.*

Digitized by Google

7. Namque in Prælatis, maximè requiritur, peritia rerum ſæcularium, vt earum cautulà, Eccleſiæ fiant indemnes, qua de cauſa, beatus Gregorius, quemdam in Epiſcopum electum reiicit, quod eſſet ſimplex, & rebus Eccleſiæ adminiſtrandis minus induſtrius, *can. 1. & 2. diſtinct. 39.* plerumque enim, vbi ſimplicitati ſtudetur diſciplina negligitur, *can. fratris 11. quaeſt. 1.*

8. Nec enim culpari poteſt, vel condemnari, Epiſcopos aliquando in aulam venire, à principe euocatos, cuius iuſſu reipublicæ negotia tractare poſſunt, vt docet *Balſamon Calchedonenſis Synodi cap.* 4. & propterea Iuſtinianus, *nou. 6. §. & illud & nou. 123. §. interdicimus*, iubet ne ſinè imperiali iuſſione, aut teſtimonialibus litteris, ſuperiorum ſuorum, in ſacrum comitatum venire audeant.

9. Nec deſunt exempla ſanctiſſimorum Epiſcoporum qui principum ſæcularium conſiliis adfuere, tàm apud ſacros, quàm profanos ſcriptores, & apud *Chopinum lib. 2. de ſacra polit. tit. 1. num. 20. 21. & 22.* vel maximè in hoc regno, in quo plures habemus, ſigillo Regio præfectos ſimul, & maioribus regni Eccleſiis, qui & in vtroque regimine, nominis ſui commendationem meruerunt, quod & præſtitit *Claudius Lanouius vir antiquitatis Eccleſiaſticæ perſcrutator ſtudioſiſſimus dum ſanctiſſimorum Franciæ Cancellariorum geſta nobis ex ſcripto exhibuit.*

10. Et verò, illud maximè in hoc regno ſeruatur, vt Epiſcopi, qui in Arcano Regis conſilio inſeruiunt, aut qui extrà Regnum, publicis negotiis occupantur à reſidentia excuſari ſoleant, vt videre eſt, in conſtit. *Caroli IX. anni* 1560. ſed oportet eòs quam primum potuerint, ad ouile ſuum redire, ſecuti diuum Ambroſium, cuius vox illa laude digna refertur, *in can. conuenior 23. quaeſt.* 8. *Ad palatium Imperatoris irem libenter ſi hoc congrueret ſacerdotis officio.*

11. Hæc de vita, moribus, & omni ratione viuendi, clericorum, dicta ſufficiant, vt oſtenderem, quam rectè beneficia Eccleſiaſtica, cœleſtes militias appellauerim, nunc ſecunda pars, propoſitæ diſputationis, examinanda iucumbit, in qua illud præmiſimus, beneficia, ideo cœleſtes militias appellari, quod ſpiritualia ſint, ac proindè commercio exempta.

CAPVT SECVNDVM.

Beneficia eſſe quid ſpirituale, & in eis ſimoniam committi.

1. *Progreſſus, & ſeries, tractandæ materiæ præmittitur.*
2. *Vndè beneficia, militia appellentur.*
3. *Clericatus, & militiæ, nomen conuertuntur.*
4. *Vndè beneficia, cœleſtes militiæ appellentur.*
5. *Cuilibet beneficio, ineſt obligatio recitandi officij.*
6. *Beneficia, abſque ſimonia, commercio ſubiici non poſſunt.*
7. *A quibus, ſimonia committitur, & quibus modis.*
8. *Tres ſimoniæ ſpecies, manu, lingua, & obſequio interueniente.*
9. *Omnis pactio, à beneficiorum impetratione abeſſe debet.*
10. *Tranſactionem, ſententiæ ex compromiſſo dictæ, & aliæ qualibet conuentiones, à ſummo Pontifice probari debent.*
11. *Solus Papa, reſignationes in fauorem, admittere poteſt.*
12. *Ordinarij, non poſſunt admittere reſignationes in fauorem.*
13. *Legatus à latere, abſque ſpeciali mandato, non poteſt admittere, reſignationes in fauorem.*
14. *Simoniaca alia, quia prohibita, alia prohibita, quia ſimoniaca.*
15. *Nota* ad gloſſam cap. 12. in verbo, dimittere de off. & poteſt. iud. deleg.
16. *Circà ſimoniaca de iure poſitiuo, diſpenſandi facultas, S. P. competit, & quomodo.*

Digitized by Google

17. *Circà ſimoniaca de iure diuino, ne quidem ſummus Pontifex, diſpenſare poteſt.*
18. *Soli ſummo Pontifici, poteſtas competit, diſpenſandi de ſimoniacis iure poſitiuo.*
19. *Quod datur ob redimendam vexationem, non inducit ſimoniam, & ex parte dantis, ſed ex parte accipientis.*
20. *Confirmatur, decreto curiæ Pariſienſis.*
21. *Probatur & altero recentiori.*
22. *An quod datur introitus nomine, ſimoniam inducat.*
23. *Quandonam, quod datur in gratiam introitus, vacat ſimonia.*
24. *An quod datur, mittenti in poſſeſſionem, ſimoniam ſapiat.*
25. *Vbi inducentis in poſſeſſionem, nullus verſatur labor, quod datur ſimoniam habet.*
26. *An omne, quod erogatur collatori, ſimoniam ſapiat.*
27. *An omne, quod datur, à ſuſcipientibus monachalem habitum, ſit ſimoniacum.*
28. *Modus datus largitionibus, ſuſcipientium monachalem habitum.*
29. *Pactiones mutuæ, inter canonicos habitæ, de conſeruandis ſibi inuicem, aut cognatis, beneficiis, quamuis iure iurando firmatæ, ſimoniacæ dicuntur.*
30. *Nundinatio beneficiorum, non minus ſimoniaca, quàm ſacramentorum.*
31. *Simoniacus ipſo iure, priuatur beneficio, per ſimoniam quæſito.*
32. *Realis aut conuentionalis ſimonia, beneficiarium priuat beneficio.*
33. *Mentalis ſimonia, ſola pœnitentia eluitur.*
34. *Beneficia per ſimoniam quæſita, etiam ante ſententiam declaratiuam, impetrari poſſunt.*
35. *Conciliatio conſtit. Aurelianenſis, & Blæſenſis.*
36. *Simonia, vitioſum in beneficiis, reddit ingreſſum.*
37. *Simoniaco, triennalis poſſeſſio, non prodeſt.*
38. *Sola realis ſimonia, triennalem poſſeſſionem excludit.*
39. *Vſus Galliæ, circà impetrationem beneficiorum, ex cauſa ſimoniæ vacantium.*
40. *An impetrantes beneficia, ex cauſa ſimoniæ vacantia, cautionem iudicatum ſolui, præſtare teneantur.*
41. *Tentatur impetrantem beneficia ex cauſa ſimoniæ, à præſtatione cautionis exui.*
42. *Admiſſa ſimonia, quæ beneficia vacent, an de nouo quæſita, an vetera.*
43. *Antè admiſſam ſimoniam, quæſita beneficia, non vacant.*
44. *Ex renunciatione ſimoniaca, non vacant beneficia ipſo iure.*
45. *An ſimoniæ reus, pendente accuſatione, vel condemnatus, pendente appellatione, beneficio renunciare poſſit.*
46. *Proponitur ſententia Caroli Molinæi.*
47. *Refellitur propoſita ſententia.*
48. *Beneficium, per alienam ſimoniam quæſitum, ſimoniacum dicitur, & à poſſeſſore deponi debet.*
49. *Probatur hæc ſententia Panormitano, & iudicio rotæ firmatur.*
50. *Qui beneficium, aliena ſimonia quæſitum depoſuit, non poteſt ad illud admitti.*
51. *Vitium ſimoniæ, ſicut & furti eſt reale.*
52. *Filius beneficium paternum conſequi non poteſt, niſi per interpoſitionem perſonæ.*
53. *Quando beneficiario, aliena ſimonia non nocet.*
54. *Contracta fiducia, ſimoniæ quædam ſpecies.*
55. *Duæ contractæ fiduciæ ſpecies, proponuntur.*
56. *Damnata fiducia, reſcriptis Pij IV. & Pij V. & Sixti V. ſummorum Pontificium.*
57. *Ad probandam fiduciam, & ſimoniam, quilibet teſtes admittuntur.*

58. *ſimonia*

Digitized by Google

58. *Simonia vel in adquirendis, vel in exercendis, & adminiſtrandis beneficiis admittitur.*
59. *Gallia ſimoniaca labe, diu vexata.*
60. *Primum argumentum, quo tentatur, beneficia eſſe quid temporale.*
61. *Reſponſio & ſolutio, ad illud argumentum.*
62. *Altera reſponſio eiuſdem argumenti proponitur.*
63. *Fructus beneficij vendi, & locari poſſunt.*
64. *Tentatur altero argumento, beneficium eſſe quid temporale.*
65. *Solutio præcedentis argumenti, proponitur.*
66. *Tertium argumentum, eiuſdem rei probandæ cauſa.*
67. *Proponitur & ſolutio, eiuſdem argumenti.*
68. *Coniugati, an beneficia obtinere poſſint.*
69. *Clerici coniugati, quæ priuilegia retineant.*
70. *Argumentum proponitur, ductum ab hoſpitalium adminiſtratione.*
71. *Solutio præcedentis argumenti, additur.*
72. *Vltimum argumentum, ductum ab inueſtituris*
73. *Inueſtiturarum defenſio, & exempla.*
74. *Solutio illius argumenti, ab inueſtituris ducti.*
75. *Ius competens laicis in beneficiis defenditur.*

1. IN ſuperiobus capitibus, id maximè effectum eſt, vt militum noſtrorum, ſiuè clericorum ſtatus, & conditio explicaretur: nunc à perſonis, tranſcundum ad res, à militibus, ad militias, & à beneficiariis, ad ipſa beneficia progrediendum, eum ordinem inſequendo, quem in hoc beneficiorum tractatu propoſui, & quem ipſa definitio beneficij præmonſtrat, cuius ſingula verba, minutatim expoſiturus, iterum dico, beneficium eſſe, *Militiam quamdam cæleſtem, cum ſuo reditu idoneo clerico, ad vitam concedendam, aut canonica inſtitutione conceſſam.*

2. Et in primis qua ratione clericos, ſiuè beneficiarios cœleſtes milites eſſe dixi, ſic beneficium cœleſtem appello militiam, cum *Bonifacio, in capit. degradatio de pœn. in 6. & Gregorio, in can. presbiteros 16. quæſt. 1.* tametſi illis locis, id ſolum euinci poſſit, militiam nihil aliud eſſe, quàm clericum, qui & ſacra militia appellatur, in *can. quicumque 77. diſtinctione.*

3. Sed enim cum ſoli clerici, beneficiorum ſint capaces, vt poſteà dicetur, ad verba definitionis *clerico* non immeritò beneficia, quæ non ſunt à clericatu ſeiuncta militias appellamus, vel eò maximè, quod militiæ vocabulum, officium ſeu miniſterium denotet; & beneficia, nihil aliud ſint, quàm officia, ſeu miniſteria, *cap. de cler. non reſid.* vndè & beneficium, dari dicitur propter officium, *capit. vlt. de reſcriptis in 6.*

4. Verum cum officium illud, maximè conſiſtat, in Euangelij doctrina, & prædicatione verbi Domini, Sacramentorum adminiſtratione, & Miſſarum celebratione, & aliis quæ ex inſtitutione, cuiuſque Eccleſiæ beneficiariis incumbunt, vt habetur *in cap. ſignificatum de præb.* non ſine cauſa, huiuſmodi militias, cœleſtes appellamus.

5. Et quamquam poſſint eſſe quædam beneficia, quæ ex ſui inſtitutione, prædictis muneribus, non ſint aſtricta, tamen commune omnium onus eſt, vt qui eis præditi ſunt, diurnum nocturnumque officium, quas horas canonicas vocant, recitare teneantur, *can. vlt. diſtinct. 92.* vbi hæc verba, *cuilibet Eccleſiæ deputatis*, omnes interpretantur, de iis qui beneficia poſſident, vt antè monuimus ad verba *militia*, cap. 1.

6. Cum ergò militia Chriſti, ſit Chriſto ſeruire, *can. reprehenſibile 23. quæſt. 8.* non ſine cauſa, beneficia ipſa, cœleſtes militias eſſe diximus; quo ſenſu etiam diuina munera, & cœleſtes dignitates nuncupantur, *can. miramur in fine, 61. diſtinct.* & vt in aliis rebus ſpiritualibus, aut etiam iis, quæ ſpiritualibus connexa ſunt, ità etiam in beneficiis, ſimoniæ crimen committi ſolet, *1. quæſt 3. per totum cap. quæſitum de rer. permut.*

7. Nec tantum ab iis ſimonia committitur, qui pecuniam, vel quid aliud beneficiorum nomine dant, vel accipiunt, (nam venditiones beneficiorum omnimodo prohibitæ ſunt, *can. alienationes in fine, 12. quæſt.*) ſed etiam ab iis, qui promittunt, quiuè per gratiam, vel ambitum, aut vanam laudis aucupationem, vel obſequium, illud conferunt, *cap. non ſatis*

Digitized by Google

conditiones reſignationibus adiectas, quia de iure tantùm poſitiuo ſimoniacæ dicebantur, eatenus tantum quia prohibitæ.

17. Verum in aliis quæ ſimoniaca erant de iure diuino, prohibita quia ſimoniaca, nequaquam diſpenſandi, ſummi Pontifices habent poteſtatem, vt commodius infrà dicetur, ad verba definitionis *idoneo* cap. 2. de diſpenſ. Eccleſ. iura enim diuina, ſicut & naturalia fixa permanent, nec ciuilis, aut Pontificia ratio, ea corrumpere poteſt, vt de naturalibus obligationibus dicitur in *lege eas obligationes, dig. de capite minutis*, Deus namque & natura apud Stoicos conuertuntur.

18. Sed tamen ex eo, quod in iure poſitiuo maximam, ſummo Pontifici, diſpenſandi facultatem competere vulgò iactatur, id concludere ſolent, cæteris omnibus Legatis ſummi Pontificis, etiam à latere collatoribus nec ordinariis, omninò ademptam eſſe, ea enim de iure ſuprà ius diſpenſandi facultas, de qua in *cap. propoſuit de conceſſ. præbendæ*, iure ſummo competit, & ſupremo, ſecundum plenitudinem poteſtatis, in quam aſſecutus eſt, ſummus Pontifex, nulli alteri communicanda, qui in partem ſollicitudinis tantum vocatus fuerit, quales ſunt, cæteri omnes, vt dicitur in *cap. 4. de auct. & vſu pallij*.

19. Quamuis autem dictum ſit, citrà vitium ſimoniæ nihil ob beneficia date licere, tamen ob redimendam vexationem licet, nec eſt ſimonia ex parte dantis, ſed ex parte accipientis tantum, *cap. dilectus 28. & ibi gloſſa in verbo à capit. de ſimonia*, quod vti intelligendum ſit, conſule *Rebuffum, in praxi tit. de ſimonia, in reſignat. num. 17. & ſeq. Turrecrematam in can. quæſitum 1. quæſt. 1. num. 3. Binsfeldium in commentariis ad d. capit. dilectus, de ſimonia*.

20. Et ad illud quodammodo accedit, quod iudicauit ſenatus, 27. Auguſti anni 1598. cautionem repromiſſæ pecuniæ, à quodam regulari titulo prioratus *de ſainct Pourſain*, decorato emiſſam in fauorem potentioris cuiuſdam, vexationis redimendæ cauſa, ſimoniæ labe, repromittentem, nequaquam onerare, nec locum ſubeſſe, impetrationi eiuſdem beneficij tanquam vacantis iure deuoluto, ex cauſa ſimoniæ, licet eamdem cautionem, tanquam ſimoniacam, ex parte accipientis, nullam eſſe pronunciauerit ſenatus, decreto quod refertur, *à Ioanne Tournetio patrono Pariſienſi in collectione decretorum in cauſis beneficiariis emiſſorum, & à Renato Chopino lib. 1. monaſt. tit. 3. num. 25.*

21. Nec etiam longius abſcedit, quod iterùm decreuit ſenatus, in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Pictauenſis recitatis, die 17. Iunij anni 1653. perorantibus Ludouico *Dubois*, Gabriele *Lemazier*, quorum è partibus Hieronimus Bignonius Aduocatus Regius adhæſit, repromiſſionem pecuniæ, vel alterius cuiuſcumque mercedis temporalis, à regularibus Benedictinis, congregationis diuo Mauro conſecratæ dictam, & illatam in gratiam fratrum Andrææ & Iuliani *Fouquere*, Cellarij & Eleemoſynarij, Abbatiæ Ebrouienſis, vt eorumdem conſenſum reformationi, in prædictam Abbatiam inducendæ, nec vna in præmiſſorum officiorum, menſæ conuentuali faciendæ captarent, nec etiam cautionem, eorumdem conſanguineis habitam repromittentes ſimoniacæ prauitatis labe notare, vel impetrationi locum dare, Ioanne Pinilla & Chriſtophoro Lebaſcle, Pontificiis & ereptitiis natoribus, quibus Franciſcus Montholonius aderat, procul abire iuſſis.

22 Sed vt illud in confeſſo eſt, ità iſtud in dubio, an poſt collationem beneficij, iuſtæ ſint erogationes quæ à beneficiariis, pro introitu exiguuntur, vt in pleriſque cathedralibus Eccleſiis, aut collegiatis primi anni fructus, lucro collegij cedunt, quod vulgò, & idiotiſmo noſtro dicimus, *les droicts d'entrée, l'année ſterile*.

23. Verum huius quæſtionis ſoluendæ cauſa, iudicium *Renati Chopini proferam lib. 1. de ſacra polit. tit. 8. num. 14.* exiſtimantis huiuſmodi erogationes, ità demum valere, ſi non vni, ſed toto collegio indicantur, & in cauſas pias impendantur, veluti in fabricam Eccleſiæ, argumento *cap. ſi propter de reſcript. in 6.* ſecùs ſi vni alicui, hoc onus iniungatur, aut in vtilitatem, ſeu neceſſitatem totius Eccleſiæ non impendatur, ſed hac de re copioſius aliàs, vbi de oneribus beneficiorum dicturi ſumus.

24. Iuſtum eſt etiam præmium, & à labe ſimoniæ exemptum, quod ex laudabili conſuetudine, quarumdam Eccleſiarum præſtatur, ab iis qui in poſſeſſionem alicuius beneficij mittuntur præſertim, ſi labor aliquis interueniat, & ſic ſuprema curia comprobauit, debitam Archidiacono Senonenſi, auri marcham, & duas argenti, canonicis eiuſdem Eccleſiæ, quos ille ſibi ſocios, ac comites adiunxerat, in Archiepiſcopo Senonenſi, & ſuffraganeis eius, in thronum Pontificalem inducendis, vt idem *Chopinus refert loco ſupra dicto num. 15. & 16.*

25. Aliàs ſi nullus labor interueniat, ſed ſola introductio in poſſeſſionem, quid-

quid eo nomine præſtatur, aut accipitur non vacat ſimonia, *cap. cum in Eccleſia, de ſimon.* tunc enim, merces illa temporalis repenſa dici non poteſt, niſi in exhibitionem, rei ſpiritualis, qualis eſt miſſio in poſſeſſionem, in quo ſummum conſiſtit ſimoniæ punctum, cum nihil temporale ſubſit, cui referri debuerit, vt notant interpretes ad illud capit.

26. Sed tamen quæ diximus, nolim ità diſtrictè accipi, vt quidquid beneficiarius in collatorem ſuum vel ordinatorem, aut conſecratorem erogauerit, ſimonię vitio ſubiaceat, nam vt dicitur, *in cap. & ſi quæſtiones, de ſimonia*, in accipiendis, dandiſue muneribus, perſonarum qualitas, dantis ſcilicet & accipientis, quantitas muneris, & tempus donationis, attendi debent, num accipientis animum allicere potuerint, aut peruertere, nec-ne cuius deciſionis illuſtrandæ, & confirmandæ cauſa, adeundus *Franc. Florentius tractatu ad tit. de auct. & vſu Pallij pag. 346.*

27. Namque vt pactiones, ac conuentiones, quæ promotiones, ad beneficia præcedunt improbantur, ità quæ grato animo fiunt, poſt adeptum beneficium largiationes admittuntur, ſicut & oblationes voluntariæ, quæ nullo pactionis præcedentis, cogente vinculo à ſuſcipientibus monachalem habitum fieri ſolent, de quibus *Geffridus Vindocinenſis lib. 4. epiſt. 49.* quæ & probatur argumento *cap. quam pro 1. quæſt. 2.* vbi illæ tantùm, condemnantur pactiones, quæ præcedunt, vt monachorum, vel monialium receptionem, vt & in *cap. venient, & cap. vlt. extrà de ſimonia.*

28. Et tamen hodiè ſimiles pactiones, religionis aditum præuenientes, magno conſcientiarum detrimento, frequentari ſolere agnoſcimus, & in tantum exceſſum erupiſſe, vt Pariſienſis ſenatus modum aliquem afferre debuerit ſolemni decreto, in publicis cauſarum actionibus prolato, die 11. Ianuarij anni 1635. quo inhibuit ſenatus, ne in poſterum moniales pecunias, ob ingreſſum monaſterij exigerent, iuſſitque eas ſola penſione annua, & ad vitam præſtanda contentas fore, ità vt ditiorum nomine conſtituta, quingentarum librarum ſummam non excederet, quod tamen diu ſeruatum non fuit, & varias exceptiones admiſit, poſterioribus decretis comprobatas, vt videre eſt, *in collectione decretorum ſecundum ſeſſionum ordinem, auctore Ioanne Dufreſne Aduocato Pariſienſi.*

29. His addo, quod ſcribit *Ioannes de Selua in tractatu de beneficiis 1. parte quæſt. 7. num.* 45. ſimoniam committi à canonicis, dum paciſcuntur inuicem, de promouendis, ad canonicatum cognatis, & proximis ſuis, aut mutuam ſibi in hoc genere officii, gratiam rependunt vel exigunt, quod tamen, in pleriſque cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis, malo more obſeruatur, vt in noſtra Bituricenſi Eccleſia, in qua fama eſt, prauum hunc morem, ſolemni iureiurando firmatum fuiſſe, quod tamen abuſum non tollit, imò potius auget, cum iuſiurandum, iniquitatis vinculum eſſe non debeat, cap quanto, de iureiur. can. inter cætera 22. quæſt. 4.

30. Et ex his, id maximè liquet, beneficia eſſe quid ſpiritale, cum in eis ſimonia committatur, quæ in ſola, rerum ſpiritualium nundinatione vel earum quæ ſpiritalibus adhærent, mancipatione admittitur, & ideò Concilium Calchedonenſe, ſimili pœna condemnat eos, qui Eccleſiaſticum beneficium, interuentu pecuniæ adquirent, & eos qui ſacram manus impoſitionem, nam & iſtos, à ſacro ordine & illos, à beneficio iubet expelli *can. ex multis 1. quæſt. 3.* idque ea ratione inductum fuerat, quod eodem Concilio ipſa ordinatio, & intitulatio in Eccleſia, vna eademque actione, peractæ eamdem naturam, æquè ſpiritalem acciperent, cum nemo, abſolutè ordinaretur, ſed relatiuè ad Eccleſiam *can. neminem can. ſanctorum diſtinct. 70.*

31. Verum ex eo, quod in d. Concilio Calchedonenſi, qui adepti ſunt beneficia, interuentu pecuniæ, expelli iubentur, magna oritur quæſtionis controuerſia, vtrum ſimoniacus, ipſo iure priuetur beneficio, an verò per ſententiam ſit priuandus, & quamquam olim videatur fuiſſe priuandus, vt *in d. can. ex multis 1. quæſt. 3. can. presbiter 1. quæſt. 1. cap. 2. de confeſſis, cap. inſinuatum, de ſimonia*, tamen hodiè verius eſt, ipſo iure priuatum fuiſſe, *cap. cum deteſtabile, in extrauag. commu. de ſimonia* quod & ipſum, Conſtantienſi Concilio, definitum fuit, *cap. ſicut §. quod ſi aliter de elect. in Pragm. ſanct.*

32. Neque intereſt realis fuerit ſimonia, quæ ex ipſa exactione conuentionis, ſiuè rei traditione nomen ſortitur, an verò conuentionalis tantùm, quæ intra nudæ conuentionis terminos ſtat, necdum exactioni mandata, vt docet *Rebuffus in praxi tit. de ſimonia, in reſignat. Greg. Tholoſ. in inſtit rei beneſic. cap. 26. Flaminius Pariſius in tractatu de confidentiis beneficialibus quæſt. 1. num. 143. & ſequenti, Guilellemus Redoanus in tractatu de ſimonia, & Ioannes Caraſa in ſimili tractatu num. 68.*

33. At verò aliud dicendum videretur, ſi mentalis tantùm fuerit ſimonia, nam etſi conſcientiam oneret, & pœnitentia elui debeat, tamen non facit indignum beneficio, vt

Digitized by Google

colligitur, *ex cap. tua nos, & cap. vlt. de ſimonia*, quia vt dicitur in iure ciuili, & *lege* 18. *dig. de pœnis* nemo nudæ cogitationis pœnam patitur, *Redoanus de ſimonia parte* 1. *cap.* 5 *per totum & cap.* 6. 7. & 8. *& multis ſequ. Flam. Pariſ. in d. tractatu de conſid. benef. quæſt.* 1. *num.* 167. *& ſeq. Ioann. Caraſa in tractatu de ſimonia num.* 82. *& ſeq.* Molin. in notis ad gloſſam *cap. tua nos* 34. *de ſimon. in verbo culpabilis ibi quod ſola intentio & in cap. mandato* 46. *in verba affecta ibi ſecus videtur.*

34. Ex eo autem quod ſimoniaci, ipſo iure ſpolientur beneficiis, conſequens eſt, ea impetrari poſſe, antequam ſententia iudicis tales fuerint declarati, neque obſtat *art.* 4. *conſtitutionis Aurelianenſis*, quo vetitum eſt, iure deuoluto beneficia concedi, priuſquam beneficiarij, incapaces fuerint pronunciati, eadem ratione qua Regiis pariter conſtitutionibus, petendę confiſcationis facultas adempta antequam reus condemnatus ſit, & ſententia iudicis bona fiſco addicta.

35. Namque hinc conſtitutionis Aurelianenſis *articulo* 4. erogatum eſt conſtitutionum Blæſenſium *art.* 46. quo permiſſum eſt, beneficia obtinere, etiam antè ſententiam declaratoriam, idque iure deuoluto, antequam ij qui incapaces eſſe dicuntur, tales pronunciati fuerint, dummodo ij qui ea obtinuerunt, in exordio litis domicilium elegerint, & iudicatum ſolui ſatis dederint, vt pariter colligitur ex *edicto Melodunenſi art.* 17. qui ex Blæſenſi conſtitutione tranſcriptus habetur.

36. Tum verò obſeruatur beneficia ſtatim impetrari poſſe, & antè ſententiam, quod crimen ſimoniæ, & falſitatis in eo differant à cæteris, quod nullum ipſo iure titulum reddant ob vitioſum ingreſſum, *can. ordinationes* 1. *quæſt.* 1. quod locum non habet, in cæteris criminibus, quæ perſonam quidem officiunt, & incapacem reddunt, ſaluo tamen atque incolumi titulo beneficij, cum ſimonia non tantum titulum ſed & poſſeſſionem inficiat, vt notat Molin. *ad reg. de publ. reſig. num.* 30.

37. Nec in eo tantùm differentiam agnoſcimus, ſed & in eo ſpectatur, quod ſimoniaco, non prodeſt triennalis poſſeſſio, licet pacifica, quæ tamen aliis, beneficia poſſidentibus, prodeſt, & omnem de illis controuerſiam expungit, *tit. de pacif. poſſeſſ in pragm. & concord.* & infrà copioſius dicetur, in ſpeciali capite, quia illud vitium, cum reale ſit, & ipſum titulum, & poſſeſſionem inficit, adeò vt ex titulo, adquiri non poſſit pacifica poſſeſſio, vt ibidem obſeruat Molinæus.

38. Verum illud de ſimonia reali, non conuentionali, accipiendum eſſe, docet *Gerardus Meinardus lib.* 1. *quæſt.* 58. & iudicatum in ſuprema curia, refert *Lud. Carondas lib.* 1. *pandect. & cap.* 10. *ſub finem, & lib.* 1. *reſponſ. cap.* 43. *vide Ioann. Papum in rapſod. tit. de Trienn. poſſeſſ. art.* 8. *ſub finem*, namque ſimoniaca pactio, contractui do, vt des, aſſimilitatur, adeò vt, ſi traditio, ſequuta non fuerit, & intrà nudæ conuentionis terminos, conſtiterit, pœnitentiæ locus detur, & tempore, ſimul & dolore, pœna elui poſſit.

39. At verò, vſus fori Gallici, circà deuoluta, ex cauſa ſimoniæ, hic eſt, vt poſt impetratam, prouiſionem beneficij, impetrentur litteræ ſaiſinæ, ſiuè nouitatis vt aiunt, ſuper poſſeſſorio, miſſa declaratione incapacitatis, vt notat *Rebuffus in conſtit. Regiis, tit. de cauſ. poſſeſſ. benef. & in praxi tit. de ſimonia in reſign. num.* 10. *&* 11. hodiè tamen, hæc litterarum ſaiſinæ, obtinendarum ſolemnitas, non ſeruatur, ſed ſimplici & priuato libello ea omnia peragi poſſunt, omnibus impetrationum ſolemnibus, tùm in iure ciuili, tùm in iure canonico, penitùs amputatis.

40. Vndè quæſitum eſt, an ij qui impetrauerunt Pontificias prouiſiones beneficiorum, tanquam ex cauſa ſimoniæ vacantium, edicto Henrici II. & Blæſenſi conſtitutioni ſatisfacere teneantur, hoc eſt, exordio litis, certum facere domicilium & cautionem iudicatum ſolui ſiuè ſatiſdationem præbere, de qua re varie diſputatum refert, *Ioann. Thournetius in collectione decret. ad cauſas beneficiarias litt. d. num.* 27.

41. Sed enim impetrantem beneficium, ex cauſa ſimoniæ à præſtanda cautione, liberandum eſſe aſſerit, ibidem Thournetius, quod ea ratione defendi poſſit, quod cum ſimoniaci, & fures appellari ſoleant, in *can. ordinationes* 1. *quæſt.* 1. multa in odium furum, contra communes iuris regulas, introducta ſunt paſſim in iure, ſed tamen cum Regiæ conſtitutiones generaliter edixerint, & contrà quoſcumque impetrantes, tutius fuerit affirmare eos, præſtandæ cautioni pariter obligari, donec ſenatus à tali onere immunes declarauerit.

42. Quod autem diximus ſimoniacum, ipſo iure beneficio priuari de eo beneficio, recipi oportet, ad quod ſimoniacum ingreſſum habuit, quodue poſteà, ei collatum fuerit, nam cum ob crimen illud ſit excommunicatus, *d. extrauag. cum deteſtabile in commun.*

Digitized by Google

de ſimonia d. cap. ſicut §. quod ſi aliter, de elect. in pragm. ſanct. conſequens eſt, collationem, nullius eſſe momenti, *cap. poſtulatis de cler excommun. vel depoſ.* adquirentibus enim beneficia Eccleſiaſtica, vel leuior irregularitas, aditum occludit, *cap. omnipotens de accuſ.*

43. Quantum autem ad beneficia, quæ ante contractam ſimoniam quis habuit, ea non amittit ipſo iure, quamuis propter crimen ſimoniæ excommunicationem incurrat, ſed ſententia atque declaratione opus eſt, vt docet *Rebuffus in praxi tit. de ſimonia in reſignatio.* idque confirmari videtur, in *cap. ſane quiſquis 15. quaſt. 3. & capit. inquiſitionis de accuſat. vide Pap. 3. notariorum lib. 2. pag. 90. &* Greg. *inſtit. benef. cap. 26. num. 2.*

44. Et ex eo ſequitur, vt qui per ſimoniam beneficium eiurauerit, ſeu reſignauerit, non ſit ipſo iure ſpoliatus beneficio, vi illius reſignationis, quæ nulla eſt, ſicuti, nec ob alias plures beneficiariorum culpas, ipſo iure beneficia, caduca efficiuntur, ſed tanquam indignis, auferri debent, ſententiâ iudicis, *Panormit. & Innoc. in cap. cum in noſtris extrauag. de conceſſ. prab. cap. ſuperbi, & de renunciat. & ibi gloſſa in verbo, pecunia.*

45. Et ideò liberum eſt beneficiario, antequam ſententiâ iudicis priuatus ſit, iterùm illud eiurare, *Rebuſſus in praxi de mod. amitt. benef. num. 35. Ioann. Gall. arreſto. 34. Roſiniacus lib. 3. de re ſacerdotali, cap.* 18. imò etiam pendente appellatione, vt pluribus tractant, *Gerardus Meinardus lib. deciſ. 61. & Anton. Mornacus ad leg. 6. qui not. infam.* vbi citat *Molinæum ad reg. de infirmis à num. 368. vſque ad num.* 139.

46. Et quidem non ea mente, vt eius ſententiæ adhæreat, ſed id maximè vt eam improbet, & certè cum communem opinionem impugnans, vt obſeruat *Meinardus in d. deciſ.* 1. reſignationem ab accuſato factam, pendere velit, ex euentu ſententiæ, vt ſi reus abſolutione donatus ſit reſignatio valeat, ſi condemnatus, nulla iudicetur, quæ verè alea iudiciorum eſt, non admittenda in foro, vbi omnia, firmo iudicio decidenda veniunt.

47. Verum enim miſſis huiuſmodi diſtinctionibus, communis opinio recepta eſt, in leuioribus criminibus, beneficia à ſolo tempore, condemnationis illatæ vacare, at verò in atrocioribus, ab admiſſione criminis vacationem attendi, ipſo iure contingentem, vt fuſius & commodius infrà dicetur, ad verba definitionis *conceſſa*, cap. 1. de variis modis quibus beneficia vacare ſoleant & amitti.

48. Illud ſanè notandum eſt, ſimoniam ab alio, quàm poſſeſſore beneficij commiſſam, ad eum etiam ignorantem pertingere, non vt incidat in pœnam ſimoniæ, ſed vt beneficium, alienâ ſimoniâ quæſitum deponat, *cap. ex inſinuatione cap. nobis, & cap. ſicut tuis, de ſimon. Greg. inſtit. rei benef. cap. 26. num. 1. ſub finem*, vt enim dicitur, *in can. ſi quis inſaniens 15. quaſt. 1. §. 5. quaſt. 1. ſunt quadam, qua etſi, non imputentur ad pœnam, tamen impediunt, ſacramenti ſignaculum, ambitio namque parentum, filio non imputatur ad pœnam, cui tamen obeſt, ad Eccleſia munus accipiendum.*

49. Quin etiam, *Panormit. in cap. penult. de elect.* ait eum, qui ex aliena ſimonia, beneficium conſequutus eſt, ipſo iure tali beneficio priuari, non ſecùs, atque ſi ipſemet, ſimoniam commiſiſſet, idemque repetit, *in cap nobis, de iure patron.* cuius ſententia, iudicio rotæ firmata eſt, referente G*omeſio ad reg. de trienn. poſſeſſ.* quamuis enim, ipſe non peccauerit, tamen turpe lucrum ab eo auferendum eſt, ſicut in iure ciuili, ab heredibus delinquentium, *leg. in princip. dig. de calumn.* nec tamen omittendum quod notat *Molin. in gloſſ. cap. nobis 27. in verbo interueniente ibi ſimonia commiſſa* aduertendum eſſe vtrum electores erant aliàs electuri.

50. Et quidem adeò verum eſt, alienam ſimoniam ei nocere, qui beneficium eius ope, conſequitur, vt poſt abdicationem beneficij, non poſſit, ad idem reſumendum, diſpenſationem ab Epiſcopo obtinere, niſi ſit ſimplex beneficium, *cap. ſi alicuius de elect. cap. ex inſinuatione, & ibi gloſſa, in verbo, elegerunt de ſimonia*, imo, nec rurſus idem beneficium aſſequi poterit, ad quod aliena ſimonia promotus fuerit, niſi aut in minori ætate conſtitutus, beneficium, ex paterna ſimonia, ignorans adeptus ſit, *can. 1. de cauſ. 1. quaſt. 5.* aut ad alium deuenerit, cuius interuentu, crimen ſimoniæ purgatum eſſe intelligitur, *Panormit. in d. cap. ſi alicuius. & doctores ibidem.*

51. Eſt enim illud vitium ſimonię reale ipſam rem, ſiuè beneficium inficiens, ſicut furtum ex quo ſimoniaci, fures appellantur, in *can. ordinationes, 1. quaſt. 1.* quod vitium, cum vſucapioni, vel pręſcriptioni ciuili obſtet, non prius purgatur vel tollitur, quàm res, in manus Domini deuenerit, vt probatur, *in §. aliquando inſtit. de vſu cap. & longi temp. praſcript.*

52. Sed vt ſpiritalibus, & magis conuenientibus exemplis inhęreamus, cum filius, preſbiteri, vel cuiuſlibet alterius clerici, beneficium paternum, obtinere non poſſit, *cap. 2. & 3. de fil. presb.* à patre dimiſſum, non aliàs obtinere poteſt, priuſquam, in al-

Digitized by Google

cerius manus deuenerit, quaſi per mediam extranei perſonam, paterno crimine & fœtore ſublato, quamuis per interpoſitionem perſonæ legibus, & canonicis ſanctionibus, quodammodo illuſum videatur, vt ait *D. Hieronimus in epiſtola ad Nepotianum.*

53. Sanè vno caſu aliena ſimonia, non afficit beneficium, nec impedit illud, ab ignorante retineri, ſi in fraudem ipſius, & vt beneficium non obtineret, dolo malo fuerit admiſſa, *cap. nobis, verſ. quod niſi, de ſimon.* fraus enim ſua, nemini patrocinari debet, vel dolus, *cap. officij 4. de teſtam. cap. cum dilectus de relig. dom. cap. penult. de coll. deteg.*

54. Eſt & alia ſimoniæ ſpecies, quæ contracta fiducia dicitur, idiotiſmo noſtro gallico, *confidence* quæ duas potiſſimùm ſpecies habet: prima contrahitur, cum quis, beneficij collationem, ſibi factam probat, ſub tacita conditione & fiducia, illud quocumque tempore, vel intrà certum dimittendi, vt alteri nondum capaci conferatur, vndè & iocandi animo, apud nos fiduciarij, *Cuſtodinos* appellari ſolent, non alia ratione, quàm in iure ciuili, fidei commiſſarij, cautione domeſtica, fidem dare ſolebant reſtitutionis, incapaci faciendæ.

55. Secunda verò ſpecies eſt, cum penès alterum, beneficij titulus reſidet, altero fructus eiuſdem beneficij percipiente, ex tacita conuentione collationis, aut reſignationis tempore habita, ità vt interim quaſi laruatus, & perſonatus tantùm appareat, qui beneficij titulum præfert, & de eo dici poſſit, quod de titulis pixidibus pharmacopolarum impoſitis, communi fertur adagio, *aliud in titulo aliud in pixide.*

56. Cum autem ea ſimoniæ ſpecies, ſummorum Pontificum, qui iuris canonici collectioni, nomen dederunt, præcautionem effugiſſet, nouiſſimorum hominum malitia legum remedia ſuperante, illæ cautiones fidei habitæ, primùm damnata ſunt, *conſtitutione Pij IV. ſummi Pontificis, anni* 1554. quæ confirmata eſt, *altera ſanctionum, à Pio V. edita* 1. *Iunij, anni* 1559. ac demùm *Bullato diplomate, Sexti V. prolato* 13. *Auguſti, anni* 1587.

57. Sed & illud reſcriptum, tandem curiæ ſcriniis mandatum eſt, & refertur integrum, ab Archiepiſcopo Viennenſi, *D. Villartio in opuſculis, & ad calcem tractatus qui inſcribitur de ſimonia contrà confidentiarios, & apud Flaminium Pariſium in tractatu de confidentiis beneficialibus*, vbi eduntur omnes huius criminis ſpecies, & modi inquirendi: latet enim, & in obſcuro eſt, vndè & prædicta conſtitutio ad pleniorem, & faciliorem inueſtigationem, teſtes quoſcumque admittit, ſicut in inquirendo ſimoniæ crimine, & etiam eos qui omni exceptione, maiores non habentur, vt patet *ex cap. per tuas, de ſimon. & Redoano in tract. de ſimon. parte* 4.

58. At verò ex ſuperioribus patet, ſimoniam licet latiſſimè diffundatur, tamen in duas ſe ſe partes diffindere, alteram quæ in adquirendis beneficiis verſatur, de qua ſatis ſuperque diximus, altera quæ in exercendis, eaque in tot ſpecies tranſit, quot ſunt functionis Eccleſiaſticæ partes.

58. Nec tamen ex eo concludendum, perſonis Eccleſiaſticis propter adminiſtrationem ſpiritualium, nihil ominò exhibendum eſſe, cum enim labor opera & induſtria, in qualibet adminiſtratione, interueniat, nihil vetat mercedem rependi, dignus enim eſt operarius, mercede ſua, ſed qua ratione, & quibus finibus, ea omnia concludi debeant, petendum, *ex Redoano in tractatu de ſimonia, parte prima capite* 6. *& pleriſque aliis locis.*

59. Cæterùm licet Gallia noſtra, iam diu ex eo laudata fuerit, à *D. Hieronimo ad Vigilantium* quod cum, multis conſtet, cæteras regiones abundaſſe portentis, ſola Gallia, non haberet, ex quo & illud aptè, & conuenienter repetit *Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus in epiſt.* 21. *ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Angliæ*, tamen conſtat, diutius ſimoniaca labe vexatam, cui nimium graſſanti, vt medelam ferret, Gregorius Pontifex maximus ſæpius reſcripſit, ad Theodoricum, Clotarium, & Theodebertum, Reges, & Brunichildem reginam, vt patet ex eiuſdem epiſtolis pluribus *lib.* 1. *& 9. relatis & can. fertur* 1. *quæſt.* 1. ſed cum penitùs eradicari non potuiſſet, tandem *D. Ludouicus, pragmaticâ ſanctionis art.* 3. à Regno Franciæ, penitùs eliminandam decreuit, quod & ſubſequentes Reges, ſuis edictis renouarunt, ſed tamen grauiori morbo, medela dari non potuit, de quo quæritur *Filſacus in commentario de ſacrilegio laico.*

60. Et nè cui, vel leuis occaſio ſubſit, ſimoniæ exercendæ, nunc reſpondendum eſt, argumentis quibus tentari poſſet beneficia, non eſſe ſpiritualia, & ſic, ſimoniam non admittere, quorum illud in ſpecie fortiſſimum videtur, omne beneficium, ex eo appellari, quod benefit ei, cui confertur, hoc autem benefactum in re temporali conſiſtit, nimirum, in iure percipiendorum fructuum, ſinè quibus nullum eſt beneficium, & pro-

Digitized by Google

pterea, in definitione beneficij, dixi *eſſe militiam cæleſtem cum ſuo reditu*, cum ergò reditus illi, & fructus ſint temporales, conſequens eſt, ipſum quoque beneficium eſſe temporale, non ſpirituale.

61. Sed reſpondendum eſt, in beneficiis duo conſiderari, miniſterium videlicet, quod in definitione *militiam* appellamus, & reditum, ſeu annonam huic militiæ deſtinatam: illud nimirum miniſterium eſt ſpirituale, & principalis locum obtinet annona, ſeu reditus eſt veluti acceſſio illius principalis, vndè beneficium dari dicitur propter officium, *capit. vlt. de reſcript. in 6.*

61. Cum ergò ratione principalis, id eſt miniſterij, beneficium ſit ſpiritale, conſequens eſt, etiam ratione acceſſionis ſpiritale cenſeri, quemadmodum in iure ciuili hæreditas, res incorporalis dicitur *in tit. inſtit. de reb. corpor. & incorp.* licet res corporeas fundos, ſeruos & alia eiuſmodi contineat, quia maximè in iure ſuccedendi conſiſtit, quod principale eſt, & primarium: res verò corporeæ acceſſionis vice, quæ principalis naturam aſſumunt.

62. Sed & reſpondendum cenſeo, reditus beneficiorum, qui temporales videntur, non tàm accedere beneficiis quàm ipſis cohærere, nec ab eis ſeparari poſſe, niſi cum ipſorum beneficiorum interitu, & ideò qui alterum vendit, ſine quo alterum non conſiſtit, vtrumque vendere intelligitur, ac proinde ſimoniam contrahere, *can. ſi quis obiecerit 1. quæſt. 3.* quam certum eſt, non tantùm circà ſpiritalia contrahi, ſed etiam circà ea, quæ ſpiritalibus cohærent, quale eſt ius patronatus *cap. 15. de iure patron. & can. 1. cauſ. 1. quæſtione 1. & ibi gloſſa in verbo quidem cap. quanto, & ibi gloſſa in verbo connexa de iudiciis.*

63. Quod autem diximus de reditibus beneficiorum, ipſum æque ac beneficia, ſpiritale cenſeri, ſaltem ad hoc, vt vendi nequeat, aut commercio ſubiici, de patrimonio velim intelligi, quod beneficiis annexum eſt, non de fructibus aut reditibus ipſius patrimonij, quos conſtat vendi & locari poſſe, *cap. veſtra, de locat. & conduct. capit. vlt. ne prel. vices ſuas, Clement. 1. de reb. Eccleſ. non alien.* quin etiam res ipſæ, ſiuè patrimonium, nonnumquam vendi poteſt, ſeparatim à beneficio adhibita iuris ſolemnitate, vt dicam ſuo loco.

64. Aliud verò argumentum quo probari poſſe videbatur beneficia non eſſe ſpiritalia, peti poteſt, ex *gloſſa in cap. cum Martinus Ferrarienſis, in verbo receperunt, de conſtit.* vbi dicitur, laico etiam prębendam habere poſſe, quod certiſſimum eſt, atqui prębenda eſt beneficium *toto tit. de præb.* ergò laicus beneficium habere poteſt, quo admiſſo ſequitur, non eſſe ſpiritalia cum laici ſpiritalia poſſidere nequeant, imo nec tractare, *cap. 2. de iudic. cap. finali, de reb. Eccleſ. non alien.*

65. Reſpondendum ergò, præbendam à miniſterio ſeparatam non eſſe beneficium, ſed eſſe ſtipendium & annonam tantùm, à prębendo ſic dictam, vndè panes prębendarij, qui in dies, canonicis pręberi ſolent, ſicut olim militibus, cuius ſtipendij, & annonæ etiam laici ſunt capaces, hi operam aliquam, ſeu obſequium Eccleſiæ exhibeant, & ità ex conſtitutionibus Regiis, pręceptoribus & magiſtris iuuentutis debetur prębenda, non tamen canonicatus.

66. Inſto rurſus & dico, laicos, non eſſe beneficiorum incapaces, quorum occupationem à laicis, ſiuè profanis factam, vide apud *Chopinum de ſacra polit. lib. 1. tit. 1. num. 20. in textu & Margine & Fileſacum in commentario de ſacrilegio laico ſiue querela veteris Eccl ſie Gallicanæ*, nam & Chriſtianiſſimus Francorum Rex, in pleriſque regni ſui Eccleſiis, canonicatum obtinet & præbendam, id eſt canonicatus emolumenta, veluti in Eccleſia Andegauenſi, Cœnomanenſi, Turonenſi, & Pictauenſi: idem *Chopinus lib. 1. de ſacra politia tit. 4. num. 24. & Ioann. de Selua in tractatu de benef. parte 2. quæſt. 23. numero 7. 8. & 9.*

67. Sed enim hoc ex priuilegio natum eſt, alioquin ius commune repugnat *cap. 2. de inſtit.* vndè nec ad conſequentias producendum, ſicut nec illud quod ex priuilegio aliquando laicis permittitur beneficia conferre, vel obtinenda præſentare ac nominare, *cap. cum dilecta, de conceſſ. præb.* vt ſuo loco dicetur, & interim adeundus accurratiſſimus commentarius, *Boet. Epo. ad d. capit. cum dilecta in prima parte heroicarum & Eccleſ. quæſtionum, de regalibus vel iure principum in beneficiis Eccleſ.*

68. Et eadem ratione coniugatis ſpeciali priuilegio permitti poteſt, à ſummo Pontifice beneficia obtinere, vt notat *Ioannes de Selua in tractatu de benef. part. 2. quæſt. 23. numero 24.* cum & olim Conniuente Epiſcopo, beneficia iam adepta retinere poſſent, quo ſenſu accipiendum eſt, *cap. Ioannes de cler. coniug vt notat gloſſa eiuſdem in verbo beneficium.*

69. Verum

Digitized by Google

68. Verum enim illud abſque priuilegio contingere non poteſt, nam etſi coniugati non deſinant eſſe clerici, ac proindè beneficiorum capaces eſſe videantur, tamen per matrimonium omne clericale priuilegium amittunt, exceptis duobus, quæ recenſentur, in *cap. 2. de cler. coniug. in 6. & can. ſi quis ſuadente diabolo 17. quæſt.* 4. & plenius ſuprà, in capite præcedenti, §. 6. quibus caſibus priuilegia clericatus amittuntur.

70. Obiicitur & illud, quod laici hoſpitalibus præeſſe poſſint, & indè reditum aliquem percipere, & ideò non videntur beneficiorum incapaces, ſed obſeruandum eſt hoſpitalia non eſſe beneficia, niſi quatenùs beneficiis annexa ſunt, & in titulum conferri ſolita, alioquin ſunt officia, ſeu adminiſtrationes tantùm, quæ non ad vitam conferuntur, vt beneficia, ſed ad nutum adimuntur, & ad alios transferuntur.

71. Sed enim qui hoſpitalibus præponuntur, ad tempus tantùm eis præſunt, & rationes reddere tenentur, idemque de matriculariis Eccleſiarum, & ſimilibus officiis dici poteſt, vt notant G*ermanus Forgetius libro qui inſcribitur rerum & perſonarum decimalium cap.* 21. *num.* 3. & 47. *Ioan. de Selua in tract. de benef. parte* 1. *quæſt.* 9. *Chop. de ſacra polit lib.* 1. *tit.* 5. *num.* 10. idem denique de Gimnaſiarchis, vt teſtatur idem *Chopinus de ſacra polit. lib.* 1. *tit.* 5. *num.* 12.

72. Poſtremò tentari poſſet, beneficia non eſſe ſpiritalia, cùm eorum inueſtitura, etiam à laicis fieri poſſit, nam etſi quibuſdam videatur inueſtituram illam non eſſe legitimam ſed ſimoniacam, & ad id Henricum IV. Imperatorem, hæreſeos inſimulent, quod inueſtituras ſibi aſſereret, vndè & ab eo Henriciana hæreſis appellata, vt ſcribit *Abbas Vſpergenſis.*

73. Attamen hoc ius multi Reges, ac principes, ſine ſimoniæ ſuſpicione, ſibi aſſerunt, vt refert *Chopinus lib.* 1. *de ſacr. polit. tit.* 7. *num.* 25. & 26. vbi citatur ſolemnis illius inueſtituræ per virgam *ab Helmodio* exemplum *in chronicis Sclauorum*, ad quam proximè accedit iuriſiurandi formula, quo ſe noui anteſtites Regi noſtro aſtringunt, priuſquam Epiſcopalia munera ſubeant, quam eſſe antiquiſſimam, idem *Chopinus* probat *loco ſupra dicto.*

74. Sed cum inueſtitura nihil aliud ſit, quàm miſſio in poſſeſſionem, poſſeſſio autem non cenſeatur inter ſpiritualia, non mirum à principibus ſæcularibus eam vindicari, ad quos tamen, ipſorum beneficiorum ius, & Prælatorum ordinatio nullo modo ſpectat, vt ex Concilio Pariſienſi, refert G*ratianus in capit. ſi per ordinationes, diſtinct.* 63.

75. Et tamen conſtat, multos olim principes, non nominaſſe tantùm, ſed etiam creare conſueuiſſe Epiſcopos, vndè & Patriarcha Conſtantinopolitanus, priſco more ab Imperatore creabatur, vt ſcribit Georgius Pachumenius referente *Chopino, lib.* 1. *de ſacra polit. tit.* 7. *num.* 24. ſed de his omnibus, infrà dicturi ſumus, & interim vnus è multis non omittendus, *Boet. Epo. parte* 1. *heroicarum & Eccleſiaſticarum quæſtionum.*

AD VERBA CVM SVO REDITV.

Cuique beneficio, ſuum deberi reditum.

1. *In beneficiis duo ſpectari, officium & beneficium.*
2. *Beneficium propter officium.*
3. *An qui horas canonicas recitare negligunt, fructus pro rata reſtituere cogantur.*
4. *Tentatur omittentem recitationem officij, fructus beneficij reſtituere debere.*
5. *Probatur ſententia, quæ omittentem officium, à reſtitutione fructuum eximit.*
6. *An non reſidentes fructus pro modo abſentiæ, reſtituere teneantur.*
7. *Propter abſentiam beneficiariorum, fructus pignori capi poſſunt.*
8. *Suſpenſio, excommunicatio & interdictio ſunt pœnæ non reſidentium.*
9. *Priuatio beneficij quandoque pœna non reſidentiæ.*
10. *Conciliatio* cap. vlt. de cler. non reſid. cum cap. extirpandæ de præb.
11. *Qui in canonicum, & in fratrem cooptatur, ſub exſpectatione præbendæ, beneficiarius non eſt.*
12. *Mandatarij & exſpectantes, quamuis ius ad beneficium habeant, non dicuntur beneficiarij.*
13. *Ius ad beneficium, exſpectanti quæſitum, nec permutari poteſt, nec incompatibilitatem admittere.*
14. *Præbenda præceptori aſſignata, non dicitur beneficium.*
15. *Præbenda præceptori aſſignata, non dicitur beneficium, ſed ea quæ Theologo.*
16. *Penſio Eccleſiaſtica, non dicitur beneficium & quare.*
17. *Reditus beneficij debetur cohærere beneficio.*
18. *Quid ſignificent, verba definitionis,* cum ſuo reditu.
19. *Reditus beneficiorum debent eſſe ſeparati, inter ſe, nec communes.*
20. *Monachatus, an ſit beneficium.*
21. *Beneficia manualia, non propriè dicuntur beneficia.*
22. *Non valet conuentio, vt monachus fructus beneficij, ſibi ſoli addicat.*
23. *Quando monachus, fructus beneficij, ſuos omnimodo facere cenſeatur.*
24. *An beneficiorum reditus ſcindi aut diminui poſſint.*
25. *An beneficiorum reditus, per vnionem diſtrahi poſſint.*
26. *An per ſectionem beneficiorum.*
27. *Iure communi, nec ſcindi, nec vniri poſſunt, reditus beneficiorum.*

Digitized by Google

28. *Vt ſeparati dicantur beneficiorum reditus, eſt neceſſe ſingularia prædia, cuilibet addici.*
29. *Explicantur verba definitionis* cum ſuo reditu.
30. *An primis Eccleſiæ temporibus nota fuerint beneficia.*
31. *Diſtributio ſubſequentium capitum, & ordo materiæ.*

1. IN beneficiis Eccleſiaſticis, duo ſpectari docui in capite præcedenti, officium, videlicet, ſeu miniſterium, quod planè eſt ſpiritale, & emolumentum quod pro officio, ac miniſterio præſtari ſolet, & hoc conſiſtit in reditu, ſeu prouentu ipſius beneficij, vndè & ipſum nomen quo ſignificatur, bonum alicui conceſſum, tametſi ſinè onere, & hoc ſenſu feuda, beneficia appellantur, quamuis ſub onere fidei, & ſeruitij vaſallis concedantur, *lib. 2. feud. tit. in quib. cauſ. feud. amitt.*

2. Nec diſſimili ratione & ſententia, beneficium dari dicitur propter officium, in *cap. vlt. de reſcript. in 6.* quid enim æquius eſt, quàm eum qui altari ſeruit, de altari viuere, *cap. cum ſecundum, & cap. extirpandæ, de præb. can. ex his 12. quæſt. 1.* quod confirmatur *Deuteron. cap. 25. Leuit. 19. Mathæi & Lucæ cap. 10. & epiſt. 1. ad Corinthios*, & ideò qui officium, in perpetuum deſerit, etiam beneficium deſerere debet, *can. ſi quis ſacerdotem 81. diſtinct. dur. de ritib. Eccleſ. lib. 3. cap. 22. num. 8.*

3. Et ex eo quæſitum ſcio, an propter omiſſum à beneficiariis officium, veluti, ob non recitatas horas canonicas, quod beneficiarij omnes facere tenentur, vt diximus, initio huius tractatus, etiam beneficium, id eſt prouentum beneficij, prorata temporis, quo negligentes fuerint, reſtituere teneantur, de qua quæſtione ſupra, ad verba *militia cap. 1.* & infrà dicturi ſumus.

4. Et quamquam, *Ioannes Calderinus in cap. 1. de celebrat. miſſarum*, teneri exiſtimet, idque congruum rationi videatur, ſi quidem ob cauſam datum, cauſa non ſequuta, condici poteſt, *toto tit. dig. & cod. de con. d. cauſ. non ſequut. lib. 1. cod. de donat. quæ ſub modo* neque æquum ſit lucrum captare aliquem, & onus recuſare, *lege vnica §. pro ſecundo cod. de cad. toll.*

5. Attamen contraria ſententia, vt pote mitior, vulgò recepta eſt, ſaltem in foro exteriori, nam prior illa tutior eſſe videtur in interiori, *Panormitan. in d. cap. 1. de celebr. miſſ.* vbi tamen poſterioris tuendæ cauſa prædictis argumentis reſpondet, non ſimpliciter, beneficium dari propter officium, ſed vt clericus, qui in ſortem domini aſſumptus eſt, inde ſe tueri, ac vitæ ſubſidia, comparare poſſit, *cap. 2. de præb.* item quia non fungentibus officio ſuo clericis, alia pœna imponi poſſit, argumento *cap. ſi qui in cler. 7. quæſt. 1.*

6. Huic proxima quæſtio, an beneficiarij, qui non reſident in Eccleſiis ſuis, etiam fructus beneficiorum, reſtituere teneantur, pro modo temporis, quo non fuerunt præſentes, ſi quidem, reſidentia, pars eſt officij, quod beneficiariis incumbit, *cap. penult. de cler. non reſid.* cum ergò beneficium, datur propter officium, *d. cap. vlt. de reſcript. in 6.* æquum videtur, non reſidentes, fructus reſtituere debere.

7. Verum huicce quæſtioni, reſpondendum puto, conſtitutionibus quidem Regiis, & præcipuè *Blaſenſi art. 4. & 15.* receptum eſſe, vt qui, ſiuè iuſta cauſa abſunt, ab Eccleſiis ſuis, capione fructuum mulctentur, quod officium, Procuratorum Regiorum, *cela s'appelle ſaiſir le temporel des benefices, faute de reſidence.*

8. Sed hoc iure non vtimur, vt perceptos fructus, necdum pignori captos, reſtituere teneantur, ſunt enim aliæ pœnæ, non reſidentium, vt putà ſuſpenſio, excommunicatio, & ſpiritualis interdictio, *d. can. ſi quis in cler. 7. quæſt. 1. cap. ex tuæ, in fine, de cler. non reſid. apud. Greg.* ad quas potius recurrendum eſt.

9. Sed & priuatio, ſeu amiſſio beneficiorum, ſi fortè abſentes admoniti, ad Eccleſias ſuas redire noluerint, *cap. vlt. eod.* quod cum admonitionem exigat, vt priuationem beneficij, non reſidentes incurrant, inire illud conciliat, *Anaſtaſ. Germon. lib. 1. animaduerſionum cap. 17. cum cap. extirpandæ §. qui verò de præb.* quod priuationem ipſo iure, ſiuè ipſo facto, nulla præcedente monitione, inducere videbatur.

10. Namque diſtinctionem adhibet inter abſentes, quos monitos eſſe ſtatuit, *d. cap. vlt.* & præſentes, qui reſidere, in Eccleſiis ſuis recuſant, & diuinis officiis intereſſe, quos Lateranenſis Concilij Patres, *d. cap. extirpandæ §. qui vero*, etiam nulla præcedente monitione, propter contumaciam ſpoliant, cui adde, alteram gloſſæ diſtinctionem, in *d. cap.*

Digitized by Google

vlt. in verbo, redierint, de cler. non reſid. inter eos, qui Eccleſiam habent pro derelicto, & qui non habent, quorum priores, ſtatim priuandos eſſe docet, *eadem gloſſa* poſteriores, poſt trinam monitionem.

11. Sed vt redeam ad propoſitum, dico nulla eſſe beneficia, abſque aliquo reditu temporali, *can. ſi quis obiecerit 1. quæſt. 3.* ex quo fit, vt in album, ſiuè numerum relati antè vacationem præbendæ, vt quandoque fieri ſolet, *cap. relatum & cap. dilectus, de præb.* non ſint beneficiarij, *Hoſtienſis in cap. ſi quis inordinata, de præb.* nec antè canonicatus ille, beneficium cenſeatur eſſe, quàm ei coniuncta fuerit præbenda, interim ergò canonicus erit, ſed honorarius, qui ſtallum habet in choro, & vocem in capitulo, & particeps ſit, honorum, & diuinorum omnium, & *d. cap. relatum, & cap. dilectus*, non eſt tamen præbendatus, nec beneficiarius.

12. Et eadem ratione qui in Eccleſiis recepti ſunt, in vim mandati Apoſtolici, ſeu litterarum gratiæ, ad præbendam poſteà vacaturam, licet ad eam ius habeant, vt putà actionem, tamen nondum ius habent in ea, & proindè non poſſunt dici, habere beneficium, etiamſi reditus interim, ab Eccleſia percipiant, vt in ſpecie *cap. dilectus, de præb. cap. in noſtra de reſcript. cap. tibi qui, eod. in 6. cap. quodam de præb. in 6. & cap. 2. de conceſſ. præb. eod. cap. 4. de conceſſ. præb. apud Greg. deciſ. rotæ 30. in antiquis Chop. lib. 1. tit. 8. num. 2. in fine.*

13. Et ex eo ſequitur, vt huiuſmodi beneficia, ad quæ ius habent, permutari non poſſint, quod nondum ſint beneficia, *doct. in cap. vnico de rer. perm. in 6. Chriſt. Roſin. lib. 3. de re ſacer. tit. 35.* & vt poſſit quis, vnum beneficium, cum cura animarum habere, & ius ad aliud, æque cum cura animarum, quamuis regulariter, duo beneficia, curam animarum habentia ſint incompatibilia, *cap. de multa, de præb. Greg. Tholoſ. in ſintagm. iur. lib. 17. cap. 1. num. 5.* multo minus ergò, ſacræ quædam functiones, ſine reditu præſenti, aut futuro, beneficia vocari poſſunt, qualis eſt Archipresbiterorum ruralium, idiotiſmo noſtro, *Doyens ruraux.*

14. Ex diuerſo autem, qui præbendam tantùm, ſeu annonam, ab Eccleſia recipiunt, non dicuntur habere beneficium, quia reditus, à ſacro miniſterio ſeparatus, non eſt beneficium, & laicis etiam perſonis, dari poteſt, vt merces quælibet, alia temporalis rependi, in gratiam officij, Eccleſiæ exhibiti, à quibuſcumque perſonis, vt mox probauimus ad verba definitionis, *militia, cap. 4. §. 26. de præb.* & infrà demonſtraturi plenius, ad verba *clerico.*

14. Et ex eo eſt, *quod Panormitanus ex Compoſtellano refert in cap. cum Martinus Ferrarienſis, de conſtit.* in Eccleſia ſancti Martini Turonenſis, aliquas præbendas, aſſignari ſolitas nobilibus, propter paupertatem ſubleuandam, vel ſeruitium aliquod temporale Eccleſiæ exhibitum, quod confirmatur in *cap. poſſeſsiones 16. quæſt. 1.*

15. Sed & illud accedit, quod ex conſtitutionibus Regiis, præceptoribus liberalium artium, præbendæ ſunt aſſignatæ, in collegiatis Eccleſiis, nec tamen quiſquam rectè dixerit, eos habere beneficium, cum plerumque ſint laici, beneficiorum incapaces, quod & olim, in Theologo ſeruabatur, in ſingulis metropolitanis Eccleſiis, ex decreto generalis Lateranenſis, inſtituendo *cap. nonnullis, de mag.* licet ex decret. pragmaticæ noſtræ ſanctionis, & concordatorum, canonicatus ſimul & præbenda, Theologo debeat aſſignari, vt notat *Coſm. Guimer. ad pragm. tit. de collect §. primo cum, in verbo canonicatum.*

16. Sic & eadem ratione, penſiones non ſunt beneficia, vt ſuprà euicimus, *ad verba definitionis militia cap. 4. §. 31. de his quæ accedunt beneficiis, nec ſunt beneficia,* quia nullum ſpiritale miniſterium annexum habent, nec annonam, quæ titulo beneficij inſideat, adeóque mandatum ſummi Pontificis, in gratiam alicuius amiſſum, vt ad certam ſummam ei prouideatur, non videtur impletum, ſi penſio ei fuerit aſſignata, *cap. quamuis 4. de præb. in 6. cap. ad audientiam 31. de reſcript. gloſſ pragm. ſanct. in tit. decollat. §. item quod vniuerſitates in verbo, beneficiorum.*

17. Duo ergò ſunt neceſſaria, vt beneficium dici poſſit, ſacrum officium, ſeu miniſterium, & reditus, ſeu prouentus, qui pro officio, ſeu miniſterio, præſtari ſolent, quibus inſuper addo, prouentum illum, ſeu reditum, huic officio, ità deſtinatum eſſe oportere, vt ab eo, ſeparationem non admittat, & illud ſignificatur hoc definitionis noſtræ vocabulo, *ſuo.*

18. Nec enim ſimpliciter dictum eſt, in definitione noſtra beneficium eſſe, *militiam cæleſtem cum reditu*, ſed illud, *cum ſuo reditu* ſeu prouentu, vt oſtenderem non omnem præbendam, ſeu annonam, quę propter aliquod ſpiritale miniſterium, præſtari ſolet,

Digitized by Google

eſſe beneficium, ſed ità demum, ſi miniſterio ità cohæreat, vt ab eo ſeparari non poſſit, & vtraque, vna eademque collatione, inferatur vni clerico, in perpetuum, & ad vitam poſſidenda.

19. Sed & quemadmodum Eccleſiæ ipſæ, ſeu miniſteria clericorum, qui in Eccleſiis deſeruiunt ſunt diſtincta, ità & diſtincti reditus, ſic, vt ſingula, ſingulos habeant reditus, nullatenùs cum aliis communes, & quemadmodum diximus, verba illa definitionis noſtræ, *quadam*, prænotare diſtinctionem & ſeparationem beneficiorum, circà titulum, ità verba *ſuo*, circà reditum beneficiorum, idem operantur eorumque ſeparationem ab aliis inducunt.

20. Indè eſt, quod monachatus, non cenſetur beneficium, in iis præſertim monaſteriis in quibus monachi, nihil proprium habent, ſed omnia in commune conferunt, ſimplici vſu, rerum communium, ex arbitrio ſuperioris, vnicuique permiſſo, eadem ratione, qua olim & apud Romanos, in ſeruis obſeruabatur, vt puſilla poſſeſſio, conniuentibus tantum oculis dominorum adminiſtranda crederetur.

21. Quinimò ſi Abbas, aut ſuperior, patiatur monachum prioratum, aut aliud beneficium, monaſterio ſubiectum in titulum habere, & fructus illius percipere, dicam hunc, non eſſe propriè beneficiarium, quia prouentus, illius beneficij; ex nutu & voluntate ſuperioris pendet, & ei auferri poteſt, vndè manualia beneficia, promiſcuè appellantur, *à Rebuffo in praxi, tit. de diſp. cum reg. facta num. 41. & ſeq. & in tract. de pacif. poſ. num. 273.* quod de manu, in manum facilè tranſeant, & obedientiæ, *in capit. cum ad monaſterium, §. tale de ſtatu monach.*

22. Nec enim valet, licentia à ſuperiore conceſſa, vt monachus, reditus illius beneficij, ſuos faciat, ſed ea tenùs tantùm, vt indè ſe alat, & reliquos fructus, in rem atque vtilitatem monaſterij, conuertat, alioquin, voti violati reus eſſet, *capit. inſinuatum, qui cler. vel von. capit. cum ad monaſterium, verſiculo nec alicui, & alibi Panormitanus, & in capit. monachi, de ſtatu mon. d. capit. cum ad monaſterium §. tales*, vbi illud etiam dicitur, *nemini obedientiam, committi poſſe perpetuò poſsidendam, quaſi in ſua, ſibi vita locetur.*

23. Sed hæc accipi velim de monachis, qui non ſunt in clerum electi, & ad aliquam Eccleſiam promoti, vt Epiſcopalem, nam hi deſinunt eſſe, ſuperiori ſuo ſubiecti, & beneficia, ſuo iure poſſident, ac reditus beneficiorum ſuos faciunt, *can. ne pro cuiuſlibet, 16. quæſt. 1.* licet etiam in quibuslibet monachis, licentiam à ſuperiore conceſſam, vt monachus reditus beneficij ſuos faciat, valere aſſerat, *Papo in collectione ſenatuſconſultorum tit. de religioſis art. 1.*

24. Quod verò diximus, ſuum cuique beneficio, reditum eſſe aſſignatum, nec ab eo, ſeparari poſſe, adeò verum eſt, vt non liceat collatori, in conferendo beneficio, partem reditus, ſuis vſibus retinere, *cap. prohibemus de cenſ. toto titulo vt benef. Eccleſ. ſine diminuit. conf.* tametſi ſummus Pontifex abſolutè, & Epiſcopus non prohibeatur, de reditibus beneficij, alicui penſionem conſtituere, vt dicam, in proprio capite, de penſionibus Eccleſiaſticis.

25. Poteſt etiam ex cauſa paupertatis, vt putà, quia tenuis eſt reditus beneficij, nec ſufficit, ſuſtentando clerico, aut ex alia iuſta cauſa, reditus vnius beneficij, alteri beneficio aſſignari, confuſo vtriuſque reditu, quæ vnio beneficiorum appellatur, & huius exemplum eſt, *in capit. extirpanda §. qui verò cap. expoſuiſti de præb. can. poſtquam 16. quæſt. 1. Clement. 1. §. ad hæc de ſtatu monach. cap. finali, de verb. ſignif.* & de ea egimus ſuprà, in proprio capite, de prohib. benef. vn. ad verba definitionis, *quadam capite tertio.*

26. Ex diuerſo quoque contingit, aliquando vnius beneficij reditum, in partes ſecari: veluti, ſi tàm opimum ſit beneficium, vt pluribus ſufficere poſſit, quo caſu, ex vno, plura fieri permittitur, auctoritate Epiſcopi, *cap. vacante, & ibi Panormitanus de præb.* & de eo, diſpenſandi genere, plura quoque diximus, ſuprà ad eadem definitionis verba, *quadam, cap. 2. de proh. benef. ſect.*

27. Sed tamen aliàs regulariter verum eſt, ſuum cuique beneficio, reditum deberi, nec ab eo ſeparari poſſe, atque adeò, nec plura beneficia, ſimul vniri licitum eſſe, *can. vnio, §. ſed hoc 10 quæſt. 3. & 2. quæſt. 1. per totum*, nec vnum in plura diuidi, *capit. maioribus, capit. tua, capit. dilecto. §. præterea & d. capit. vacante, de præb.*

28. Sed quod exigo, ſuum cuique beneficio reditum, eſſe aſſignatum, non eo dictum velim, vt neceſſarium eſſe credam, ſingulis beneficiis, ſingula prædia, aſſignari, vndè ſinguli, ſeparatim reditus percipiant, nam nihil prohibet, omnia vnius eiuſdem-

que Eccleſiæ, communia eſſe, & eorum reditus in commune conferri, ſicuti in Eccleſiis collegiatis, in quibus plures ſunt canonici, fieri conſueuit.

29. Namque ſatis eſt omnimodo, vt ſinguli ex communibus reditibus, portionem ſuam ferant, quo caſu præbendæ de facto, videntur eſſe diſtinctæ, ac ſi certæ poſſeſſiones, atque reditus, vnicuique aſſignatæ eſſent, vt docet *Panormitanus in capit. dilectus*, 19. *num.* 8. *de preb.* & in ſumma hoc vocabulum *ſuo:* quod in definitione beneficij poſitum eſt, excludit reditus in commune collatos, in quibus præter vſum, ſinguli nihil habent, vt monachi, de quibus dictum eſt, hos enim reditus, nego beneficium conſtituere, quia non ſunt proprij, ſed communes.

30. Verum fateor communionem illam, bonorum omnium & redituum, initio naſcentis Eccleſiæ, fuiſſe receptam, atque ità priſcis illis temporibus, nulla fuiſſe talia, qualia nos deſeruimus beneficia, niſi dixeris beneficia ſic dici, à benefactorum, & fundatorum liberalitate, quæ etiam in prima rerum omnium communione, ſtare potuit, non verò eorum, quibus benefit, vt obſeruat *Boet. Epo. in tract. de iure prouentum Eccleſiaſt. numero* 44.

31. Sed vt illud plenius intelligatur, hic locus poſtulat, vt de bonis Eccleſiaſticis, diſputationem inſtituamus, ac primùm, de origine eorum, & diſpenſatione, pro varietate temporum introducta, deindè de Eccleſiarum fundatione, & dote, in quibus bonis conſiſtere poſſit, & de earumdem ſubiectione, tertiò de iure, quod in bonis Eccleſiaſticis & eorum fructibus Eccleſiæ, vel perſonis Eccleſiaſticis competat, quartò de oneribus Eccleſiarum, & immunitatibus earum, ac bonorum Eccleſiaſticorum.

CAPVT PRIMVM.

De origine bonorum Eccleſiaſticorum, & eorum diſpenſatione.

1. *Origo cuiuſque rei, primùm inquirenda venit.*
2. *Id maximè in rebus Eccleſiaſticis, vndè ordo & ſeries tractandæ materiæ.*

1. PRimum in vnaquaque diſputatione, inquirendum venit, origo rei, de qua agitur, ex qua, & doctrina purior, & veritas certior erui poteſt, quàm ex incerto & ignoto fonte; & cum primùm perſcrutantibus, cuiuſque rei prima forma patuerit, id maximè agendum & ſatagendum, vt per legitimam diſpenſationem, modus aliquis adhibeatur, ne quem ab origine, rectum ordinem mutuatæ ſunt, ſucceſſu temporis, per incuriam eorum qui regimini præſunt, omninò diſperdant.

2. Et id præcipuè obſeruandum fuit, in bonis Eccleſiaſticis, de quibus agimus, cum enim, in modum excreuerint, vt ſingulorum inuidiæ ſubiaceant, & multorum odia excitauerint, neceſſarium fuit edocere, non ex fortuito caſu, aut vſurpatione quadam, initium habuiſſe, ſed ex legitima cauſa, fidelium nempè deuotione & charitate, quibus legitima, iuxtà & accurata, miniſtrorum diſpenſatio ampliorem quantitatem ſupperaddidit, de vtroque igitur, hîc diſputandum, de origine bonorum Eccleſiaſticorum, & eorum diſpenſatione.

PARS PRIMA.

De origine bonorum Eccleſiaſticorum.

1. *Chriſtus Dominus, communem cum Apoſtolis vitam agens pecuniam habuit.*
2. *Probatur auctoritate diui Auguſtini.*
3. *Damnata hæreſis Arnoldi Brixienſis, Fraticellorum, & aliæ.*
4. *Initio naſcentis Eccleſiæ, omnia erant communia.*
5. *Probatur auctoritate Act. Apoſtolorum.*

Digitized by Google

6. *Primis temporibus collationes fiebant in pauperes.*
7. *Quid collectæ, apud primos Chriſtianos.*
8. *Quid in Miſſæ ſacrificio, orationes collectæ appellatæ.*
9. *Agaparum origo, apud Chriſtianos.*
10. *Quid cariſtia apud Romanos, quid lectiſternia.*
11. *Probatur communio rerum, primis temporibus, auctoritate D. Hieronimi.*
12. *Probatur iiſdem temporibus Eccleſiam, mobilia tantùm poſſediſſe.*
13. *Quando primum Eccleſia immobilia poſſederit.*
14. *Donatio Conſtantini impugnata & defenſa.*
15. *Principum Chriſtianorum, & maximè Regum Franciæ, munifica collatio immobilium, in Eccleſiam.*
16. *Eccleſiaſticarum opum incrementum.*
17. *Profeſſione vitæ monaſticę, bona profitentium monaſterio adquiſita, ſalua liberorum legitima.*
18. *Monachis olim, delatæ parentum hereditates, monaſterij bonis aggregabantur.*
19. *An interdicta fuerit ab initio, in Eccleſia immobilium poſſeſſio.*
20. *Solutio prioris argumenti, à Leuitarum portione deſumpti.*
21. *Quare primis temporibus Eccleſia ſola mobilia poſſideret.*
22. *Altera ratio, petita ab incapacitate cuiuſlibet collegij.*
23. *Quando primum immobilia ab Eccleſia poſſideri cæpta.*
24. *Damnata opinio eorum qui primos fideles, omnia communia, nec quicquam proprium habuiſſe voluerunt.*
25. *Nota* ad cap. 5. Act. Apoſtolorum.
26. *Bona Eccleſiaſtica communia quoad vſum, quoad dominium nulli propria.*
27. *Quomodo intelligendum bona Eccleſiaſtica neceſſitatibus Eccleſię impendenda.*
28. *Exponuntur conſtitutiones principum Chriſtianorum, prohibentium, quid in Eccleſias erogari.*
29. *Alludunt ad eas conſtitutiones, DD. Ambroſius & Hieronimus.*
30. *Nicephori Phocæ conſtitutio hereditatis capiendæ, incapacem declarans Eccleſiam.*
31. *Item Anglię conſtitutiones Eccleſiarum adquiſitionem condemnantes.*
32. *Excutiuntur leges Galliæ quibus Eccleſiæ adquirendi facultas interdicitur.*
33. *Vndè Eccleſia & Eccleſiaſtici, dicuntur* gens de main-morte.
34. *Quibus ſuſtinentur rationibus, prædictę acquirendi prohibitiones.*
35. *Immunitas data poſſeſſionibus Eccleſiarum, cauſam dedit adquirendi prohibitioni.*
36. *Ordo & progreſſus, tractandę materię.*
37. *Prohibitio adquirendi Eccleſię facta, generalis ad quaſlibet gentes extenditur.*
38. *Quę pręſtanda indemnitas, dominis ab Eccleſia adquirente.*
39. *Vſus fori Gallici exponitur.*
40. *Conſtitutiones decretalium, Eccleſiarum adquiſitionem, nimiam probantes, non ſeruantur in Gallia.*
41. *Quid ſit ius morticinij, & quid Eccleſię conferat.*
42. *Expenduntur litterę morticinij, & vndè ſic dictę.*
43. *Bona Eccleſiaſtica, vel ſunt ſpiritalia, vel corporalia.*
44. *Decimæ ſunt iuris diuini & ſpiritalis.*
45. *Primitię & oblationes, ſunt eiuſdem iuris.*
46. *Inter bona Eccleſię ſpiritalia, numerantur vaſa ſacra, & ornamenta.*
47. *Quęnam, ſint bona Eccleſię temporalia, & vndè ſic dicta.*
48. *Diſtributiones quotidianę, temporalibus Eccleſię bonis annumerantur.*

49. *Vnde diſtributionum quotidianarum inſtitutio.*
50. *Licet reditus beneficij, ſint temporales, tamen ipſum ius beneficij eſt ſpiritale.*

1. IN primis certum & indubitatum eſt, Chriſtum Dominum communem cum Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis, vitam egiſſe, & nummos habuiſſe, ſub cuſtodia perfidi Iudæ, ex quibus ſibi ac ſuis, neceſſaria vitæ compararet, & egenis, ac pauperibus eleemoſinam daret, quod teſtatur *D. Ioannes cap.* 13. vbi ait, neminem Apoſtolorum intellexiſſe, verba Domini, Iudam alloquentis in Cœna, & iubentis, vt feſtinaret, quod facturus erat, quidam verò, ex Apoſtolis putabant, eò quòd loculos haberet Iudas, quod iuſſiſſet eum emere, quæ opus erant ipſis, ad diem feſtum, aut egenis aliquid dare.

2. Et ad id appoſitè, *D. Auguſtinus in can. exemplum* 12. *quæſt.* 1. *exemplum*, inquit, *Domini accipe conuerſantis in terra, quare habuit loculos, cui Angeli miniſtrauerunt, niſi quia Eccleſia ipſius, loculos ſuos habitura erat.* Et idem in *cap. habebat, eod. Habebat*, inquit, *Dominus loculos, & fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſsitatibus, & aliis indigentibus tribuebat, tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta, vbi intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ, ſeruetur à Sanctis; ſed ne Deo pro iſtis ſeruiatur, & propter inopiæ timorem, iuſtitia deſeratur.*

3. Ex quo apparet, non ſinè ratione damnatam fuiſſe hæreſim, Arnoldi Brixienſis dicentis, clericos nihil proprium habere poſſe, vt refert *Otho Friſingenſis de rebus geſtis Friderici Imperatoris lib.* 2. *& Cardinalis Baronius, ad annum* 1139. & Fratricellorum de opinione, qui dicebant, Chriſtum, & Apoſtolos in iis quæ habuerunt, ſimplicem vſum facti, non ius aliquod habuiſſe, de qua *Paulus Æmilius in hiſtoria*, & dicitur *à Chopino lib.* 3. *de ſacra polit. tit.* 2. *num.* 20. quam opinionem aptè reprehendit, *Ioan.* 22. *in cap.* 4. *&* 5. *de verb. ſignif.* ex quibus, plures aliæ damnatæ opiniones, tùm Concilio generali Conſtantienſi, tùm ſubſequentibus, pullularunt.

4. Ex his igitur quæ ſupra dicta ſunt, patet Chriſtum, quamdiu in terris, conuerſatus eſt, bona habuiſſe, non quidem immobilia, ſed mobilia tantùm, maximè verò pecunias, quas in communes ſuorum vſus, & pauperum eleemoſinas, impendere ſolebat, cuius exemplo noui Chriſtiani, initio naſcentis Eccleſiæ bona ſua vendere, & reductam ex iis pecuniam, antè pedes Apoſtolorum afferre conſueuerunt, vt ex ea ſingulis, quantumcumque opus eſſet diſtribueretur.

5. Sic enim, in *Actis Apoſtolorum*, *cap.* 4. ſcriptum habetur *multitudinis credentium, erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*: & paulò infrà, *nec quiſquam egenus erat inter illos, quotquot enim poſſeſſores erant agrorum, aut bonorum, vendentes offerebant pretia eorum, antè pedes Apoſtolorum, diuidebatur, autem ſingulis, prout cuique opus erat.*

6. Sed & illud etiam multis aliis in locis, teſtatum reperitur, *Act. cap.* 11. *ſub finem*, vbi Chriſtiani, qui Antiochiæ erant, miſerunt iis, qui in Iudæa commorabantur, ſubſidia aduersùs famem, & *epiſt. Pauli ad Romanos cap.* 5. *probauerunt*, inquit, *Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere, in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem*, & *ad Corinth. cap.* 16. *de collectis*, inquit, *quæ fiunt in ſanctos ſicut ordinaui in Eccleſia Galatiæ, ità & vos facite.*

7. Et eò pertinet quod ſcribit *Tertullianus initio libri ad Martyres* ex huiuſmodi bonis, in commune collatis, martyres initiari ſolitos, meminit etiam huiuſmodi collationum, *Orig. Homilia* 31. *in Mathæum, & Cyprianus lib.* 1. *epiſt. epiſt* 7. vbi oſtendit, ſtipes, oblationes, cœnas, atque epulas, ex communi pecunia, miniſtris Eccleſiæ, præberi ſolitas.

8. Et ex eo fluxit, quod in ſacro Miſſæ ſacrificio, ex inſtitutione Apoſtolica, orationes quædam habeantur, quæ ex veteri appellatione, collectæ vocantur, quod fidelium omnium vota, in commune referrent, & Deo exhiberent, vt notat *Valafridus Strabo de reb. Eccleſ. cap.* 22. *Petr. Bleſenſ. ſermone* 43. *Durant. de rit. Eccleſ. lib.* 2. *capit.* 16. *num.* 1. *& ſequent.*

9. Quin etiam ipſi laici communem cibum ſumebant, eiuſdem menſæ conſortio, mutuam inter ſe charitatem colentes, vndè *Tertullianus in Apologetico, cœna*, inquit, *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos eſt, quantiſcumque ſumptibus conſtat, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum, ſi quidem inopes refrigerio iſto iuuamus*, poſt quæ ſequitur eorum, quæ in hac cœna fiebant, accurata deſcriptio, & *idem auctor. lib. ad Martyres* eamdem cœnam ἀγάπην fratrum appellat.

10. Verum & ad eaſdem epulas quodammodo accedunt, quæ apud Romanos exhiberi ſolebant

ſolebant communia quæ cariſtia appellabantur, ad id comparata, vt amicorum querelæ, inter menſas componerentur, propiuſque publica conuiuia, quæ in ſacrificiis lectis ſtratis fiebant, de quibus *Liuius lib. 5. hiſtoriæ, lectiſternio tunc primum in vrbe Romana facto, tota vrbe patentibus ianuis, promiſcuo vſu rerum omnium, in propatulo poſito notos ignotoſque paſſim in hoſpitium ductos ferunt*, & ad eum morem, quo naſcens Eccleſia vtebatur, alludere videtur, *Plinius* dum de Chriſtianis, ad Traianum ſcribens, *lib. 10. epiſt. epiſt.* 100. ait, *rurſuſque coeundi ad capiendum cibum promiſcuum, & innoxium.*

11. Nec hic omittam *D. Hieronimi* locum *ex libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus* ad communionem illam, priſcorum chriſtianorum pertinentem, ſi quidem ille ſcribit, talem primum chriſtianorum conuentum fuiſſe, qualem monachi eſſe imitentur & cupiant, vt nihil cuiuſque proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidant, orationibus vacent, & pſalmis; de chriſtianis etiam *Lucianus in peregrino*, κατα [illegible] ἁπάντων ἐξίσης καὶ κοινὰ ἡγοῦνται.

12. Primis ergò temporibus conſtat Eccleſiam, res mobiles tantum, non immobiles poſſediſſe, maximè verò pecuniam, ex prædiorum venditione redactam, & in commune collatam, & alia id genus, quæ quantitate conſtant, vndè victui neceſſaria ſubminiſtrari poſſint facilius, ſed poſteà efferueſcente cultu prædia Eccleſiæ dari cœpta

13. Sed enim huius largitionis primum auctorem Conſtantinum magnum fuiſſe creditur, cuius donationis tabulæ exſtant, in geſtis beati Silueſtri, vndè ſumptus eſt, *canon Conſtantinus 96. diſtinct.* vbi inter cætera Pius Imperator refert, ſe Eccleſiis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & poſſeſſionum prædia contuliſſe, & diuerſis rebus ditaſſe, atque etiam palatium ſuum, Romanam vrbem, & omnes Italiæ, ſeu Occidentalium regionum prouincias, loca & ciuitates, Silueſtro Pontifici, & eius ſucceſſoribus poſſidendas tradidiſſe in perpetuum.

14. Et hæc illa eſt donatio, cuius fidem multi, in dubium reuocare tentauerunt, & inter eos, qui eneruare voluerunt, eſt Laurentius Valla, aduersùs quem Auguſtinus Steuchius, ſummi Pontificis bibliothecarius ſcripſit, & veritatem illius aſſeruit, quæ aliàs confirmatur, tùm notis marginalibus, ad eum canonem additis, cuius etiam donationis, ex veteribus meminit, *Yuo Carnotenſis lib. 4. de dign. & priuil. Eccleſ. Rom. & hiſtoria Tripartita lib. 1. cap. 9.* & inter recentiores, huic donationi oppugnatæ, patrocinium præbuit, *Renatus Chopinus patronus Pariſienſis lib. 3. de ſacra polit. tit. 1. num. 2. Boetius Epo in commentariis ad d. can. Conſtantinus in quæſt. heroicis & Eccleſiaſticis quæſt. 1. & ſecunda de iuriſd. Eccleſ. temporali.*

15. Certatim dehinc principes Eccleſiis prædia donauerunt, teſte *Sozomeno Eccleſ. hiſt. lib. 8. cap. 1.* & *lib. 9. cap. 1.* Eudoxia Theodoſij coniunx, ſacris ædibus vrbis Conſtantinopolitanæ, millia nummorum anni reditùs attribuit, *Nicephoro teſte lib. 4. cap.* 50. ſed inter varias principum donationes, in Eccleſiam collatas, munificentiam omnem ſuperant, quę à regibus noſtris habitæ ſunt, ipſique ſedi Romanæ exhibitæ, quæ eo deuenerant, vt Chriſtianiſſimorum regum titulum meruerint, cuius meminit *Antonius Mornacius in additionibus ad legem 20 dig. de off. præb.* vbi ſubducta donatione Conſtantini, tanquam falſa & erronea, locum facit munificentiis Caroli Magni, in ſedem Apoſtolicam collatis.

16. Sed eximiam principum omnium, in Eccleſias liberalitatem recenſet, *Socrates lib. 7. cap. 21.* quibus etiam teſtamento, quidquid vellent Eccleſiæ legare, licitum fuit eiuſdem Conſtantini ſanctione, quæ exſtat in *lege 1. cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quamquam etiam titulo emptionis agros, ædificia, villas, in dominium Eccleſiæ perueniſſe, D. Chriſoſtomus auctor eſt, homil. 86. in Mathæum.

17. Auctæ quoque Eccleſiæ facultates, bonis eorum, qui monaſticam vitam profitebantur, ſiquidem ea monaſteriis adquirebantur, cum profitentes, ſe ſuaque dedicarent, (eadem ratione, qua adrogandi, cum capite ſuo, omnem ſubſtantiam transferebant) ſalua tamen liberorum legitima, *nou. Iuſtin. 5. cap. 5* ex qua deſumpta eſt, *Autent. hiſ ingreſſi, cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ confirmatur auctoritate *cap. quia ingredientibus cauſ. 19 quæſt. 3.* vbi illud apertè iuris definitione decretum dicitur, quod & gloſſa refert, ad d. Authenticam ingreſſi, nec enim dedignantur ſacri canones, *leges imitari cap. 1. de oper. noui nunciat*

18. Sed & monachis etiam delatæ, parentum hereditates, monaſterij bonis aggregabantur, quas ex ſola monaſterij perſona, adire poterant, ſicuti ſerui ex perſona Domini, cui totum ex hereditaris aditione quæſitum adquirebant, nec eis monaſticam vitam relinquentibus, reſtituebantur, *lege Deo nobis §. hoc etiam, & §. huius autem cod. de Epiſc. & cler.* quod enim Deo ſemel conſecratum eſt, amplius profanis vſibus mancipari non

deber, poſtquam *Religio locum occupauerit*, vt ait, *Plinius lib.* 10. *epiſt. epiſt.* 75.

19. Et hæc ſunt initia, hi progreſſus, atque incrementa bonorum Eccleſiaſticorum, quę licet initio mobilia fuerint, tamen exiſtimandum non eſt, culpandam eſſe in Eccleſia prędiorum poſſeſſionem, atque immobilium adquiſitionem, quod tamen nonnulli faciunt, hoc prętextu. quod in diuiſione terrę ſanctę, ſiuè à Deo promiſſę, nulla pars Leuitis & Sacerdotibus, fuerit aſſignata, ſed eius loco, primitię, oblationes, ac decimę tantùm quibus Dominus iuſſit, eos eſſe contentos *num. cap.* 18. quodque in cunabilis Eccleſię, Chriſtiani omnia venderent, & in commune conferrent, vt ſupra dictum eſt, quibus ratiunculis, octo alia argumenta addit, *Boet. Epo in quæſt. heroic. & Eccleſ. quæſt.* 2. *de iuriſd. Eccleſ. tempor. num.* 8.

20. Namque ibidem reſpondet Boet. licet in illa generali diuiſione, terrę promiſſę, nullam ſacerdotes, partem tulerint, tamen vnicuique licitum fuiſſe, agros ſuos, vel domos offerre Deo, & conſecrare, quo facto, in ius ſacerdotum transferebatur, vt habetur, *Leuit. cap.* 17. & eo reſpiciens *Bonifacius in can. nulli licet* 12. *quæſt.* 2. *omne*, inquit, *quod Deo conſecratur, ſiuè fuerit homo, ſiuè animal, ſiuè ager, ſanctum ſanctorum Domini erit, & ad ius pertinebit ſacerdotum*, imò & in diuiſione terrę ſanctę, partem Leuitis ceſſiſſe, nempè vrbes & ſuburbia, quibus ampliandis, plura priuilegia conceſſa ſunt.

21. Quod autem ab initio Chriſtiani prędia venderent, & pretium eorum, in commune conferrent, non ideò fiebat, quod interdictam exiſtimarent, rerum immobilium poſſeſſionem, ſed quia ſtatus illorum temporum, exigebat cenſum Eccleſiæ in nummis potius, quàm in prædiis eſſe collocatum, vt præſentibus Chriſtianorum neceſſitatibus ſubuenirent; deindè quia præuidebant, Eccleſiam in gentes tranſlatam iri, ideóque prædia, in Iudæa retinere, minimè opportunum eſſe credebant, *can. futuram* 12. *quæſt.* 1.

22. Forſitan & altera ratio fuerit, quia ſi vellent Apoſtoli, & primi è fidelibus prædia poſſidere, aduerſarij Chriſtianæ religionis, non eranr paſſuri, vt ipſis, tanquam illicitis collegiis acquirerentur, quæ ratio fecit, vt quorumdam principum conſtitutionibus vetitum fuerit, quidquam ipſis donare, vt poſteà dicetur, ſicur & Iudæorum vniuerſitati, *lege* 1. *cod de iud. & cæl.* licet in pluribus aliis, probata fuerit, *lege* 4. *cod. eod.* proptereà quod ad Chriſtianam, quodammodo accederet.

23. Verum vbi Chriſtiana religio, latè diffundi, ac magis in tuto eſſe cæpit, videntes Chriſtiani, plus vtilitatis redigi poſſe, ex fructibus prædiorum, quàm ex pretiis eorum, cæperunt ea iure dominij Eccleſiis tradere, *can. videntes* 12. *quæſt.* 1. qui deſumptus eſt, ex epiſtola Vrbani I. ſummi Pontificis, quæ refertur integra, in 1. *tomo Concil. Binij*, cui vide & ſubiectas notas ab eodem, *Greg. Thol. ſ. inſtit. beneſ. cap.* 4. *num.* 9. *Ioan. Steph. Dur. in quæſt. iur. quæſt.* 23.

24. Quemadmodum autem, ex eo quod primis Eccleſiæ temporibus, res mobiles tantùm poſſederit, inferendum non eſt, prohibitam eſſe prædiorum poſſeſſionem, ità etiam ex eo quod, dominia in commune conferrent, argumentandum non eſt, Chriſtianos nihil proprium habere poſſe, hanc enim dominorum diſtinctionem, à iure gentium introductam, tacitè probauit D. Petrus, illo ipſo tempore quo Chriſtiani, hanc vitæ communionem vſurpabant, *dum Ananiam* ſeuerè corripuit, *Act.* 5. non ob retentam, ex agri ſui venditione pretij partem, ſed ob mendacium, in ſpiritum ſanctum.

25. Namque ſic ait diuus Petrus, Ananiam alloquens, *Anania, cur impleuit Satanas cor tuum, vt mentiaris ſpiritui ſancto, & fraudares de pretio agri, nonne prorſus tibi manebat, & venundatus, erat in tua poteſtate*, quibus poſterioribus verbis oſtendit, potuiſſe illum, ſinè culpa totum agri pretium retinere, vt ſuum, neque id laicis tantùm permiſſum eſt, vt proprium habere poſſint, ſed etiam clericis, *can. certè ego.* 12. *quæſt.* 1. *Boet. Epo. in ſintagm. antiq. eccleſ. in tract. de iure prou. eccleſ. num.* 7. & 8.

26. Non eadem eſt ratio, bonorum Eccleſiaſticorum, hæc enim non ſunt proptia eorum, qui Eccleſiæ deſeruiunt, ſed communia ſaltem vſu, *can. expedit. & can. res eccleſiæ cauſ.* 12. *quæſt.* 2. quorum prior deſumptus eſt, *ex lib.* 2. *Proſperi de vita contemplatiua cap.* 92. vbi diuorum Paulini, & Hilarij Arelatenſis exemplo, propria bona abdicantium, & Eccleſiaſticorum, adminiſtrationem vltro ſuſcipientium, probat differentiam vtrorumque, & ſtatuit, vt quiſque rei propriæ, ſummus moderaror eſt, & arbiter, ità Eccleſiaſticæ diſpenſationem tantùm creditam, in communes Eccleſiæ neceſſitates impendendam.

27. At verò illud obſeruandum eſt, quod dicitur bona Eccleſiaſtica, in neceſſitates Eccleſiæ impendenda, illud namque luxum excludit, liberiorem, vtendi modum, quem nimia redituum copia afferre ſolet, vt *Ioan.* 22. palàm teſtatur in *cap. ſaluator de præb. in extrauag.* vndè *diuus Bernardus*, ait, deuotio peperit diuitias, ſed filia ſuffocat

matrem, & citatur hic locus, in *gloſſa pragm. ſanct. in proëmio §. quibus ad plenum in verbo, poſſeſſionibus.*

28. Qua de cauſa plerique olim principes etiam Chriſtiani, largitiones Eccleſiis factas improbauerunt, vt *D. Hieronimus teſtatur epiſt. ad Nepotianum. Pudet dicere*, inquit, *ſacerdotes idolorum, minui, auriga, & ſcorta hæreditates capiunt, ſolis clericis, & monachis, hoc lege prohibetur, non à perſecutoribus, ſed à principibus Chriſtianis, non de lege conqueror, ſed doleo, quod meruimus hanc legem, prouida ſeueraque legis ſanctio, & tamen nec ſic refranatur auaritia, per fidei commiſſa legibus illudimus.*

29. Sed & in eamdem ſententiam *D. Ambroſius epiſtola ad Valentinianum* eleganter & appoſitè dixit, *ſcribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ, ſoli ex omnibus clero, ius commune clauditur, quod ego non vt queror*, inquit, *ſed vt omnes ſciant, quid non conquerar comprehendi*, vterque alludens, ad conſtitutionem Imperatorum *Valentin. Valent. & Gratiani* quæ refertur in *legè 20. cod. Theod. de Epiſc. & cler.* quibus adde *Chop. lib. 3. de ſacra polit. tit. 1. num. 5. Cuiacium ad Nou. 5. in fine.*

30. Exſtat etiam Nicephori Phocæ nouella, qua donationes prædiorum monaſteriis, aut Eccleſiis in futurum fieri prohibet, iis quæ iam factæ ſunt, in ſuo ſtatu permanentibus, quæ exſtat integra, apud *Leunclauium lib. 2. iuris Græco Romani pag. 113.* ſed hoc poſteà reuocatum eſt, à Baſilio Porphirogeneta, vt teſtatur *Balſamon Carthaginenſis Synodi primæ & ſecundæ cap. 1.* cuius conſtitutio præcedentis reuocatoria legitur, *eod. lib. 2. iur. Græco Romani pag. 117.*

31. Nec dubito quin eadem ratione Guilelmus ex Angliæ cognomento nothus prohibuerit, prædia Eccleſiis donare, aut quouis titulo ſibi adquirere, cuius conſtitutionem in Anglia ſeruari teſtis eſt, *Polid. Virgil. annal lib. 17.* ſed tamen ea ſanctione neglecta, diu ſacrum Eccleſiæ patrimonium, illibatum in Anglia permanſit, donec Eduardo I. prædam inferre parato, vt ſeſe Anglicana Eccleſia, ab imminente clade eximeret, collatis donis & pecuniis ius manus mortuæ à Rege impetrauit.

32. Nec alia ratione, leges in hoc regno ab antiquo latæ, non ſinunt Eccleſias, aut quælibet alia religioſa loca, vel profana collegia corpora, vniuerſitates, prædia vel alias quaſcumque res immobiles, iure dominij poſſidere abſque principis permiſſu, cuius maximè intereſt eas non cadere in manus earum perſonarum quæ vulgò dicuntur *gens de main-morte*, de quibus legibus *Ioan. Bacquetius in tractatu amortiſationum & nouorum conquæſtuum Ioan. Steph. Durant. quæſt. 23. Vidus Conchilius in Poſthumo libertatum Eccleſiaſticarum tractatu pag. 54. & ſequenti, & alij plures.*

33. Et certè huius appellatio nominis ex eo ducta dicitur, quod huiuſmodi perſonæ, res ſibi adquiſitas perpetuò iure retineant, nec de manu ſua, in alteram manum transferant, nulli mutationi obnoxias, rametſi propius inſpicientibus, viderentur appellandi, *gens de main-viue*, quia non vt priuati moriuntur, ſed ſemper viuunt, & res ſuas quodammodo viuificare dicuntur, *à Carolo Graſſalio lib. 2. Regal. Franciæ capite 20.*

34. Verum quia maximè intereſt principis, & aliorum dominorum quibus frequentes prædiorum mutationes commodum afferre ſolent, ab huiuſmodi perſonis ea non poſſideri, apud quas perpetuo iure ſunt remanſura, idcircò prohibentur, ſinè iuſſu principis, ea adquirere, qui ſolus gratiam adquirendi facere poteſt, vt notat *Bacquetius in tractatu iuris Morticinij cap. 21. Chop. lib. 1. de domanio tit. 13. num. 5. & 8.*

35. Sed id maximè obſeruatur in Eccleſiis, monaſteriis, ac religioſis locis, quibus hoc priuilegij loco conceſſum eſt, vt prædia quæ poſſident libera ſint, ab omni publicarum functionum & collationum onere, ex quo fit vt ob acquiſitas ab Eccleſia poſſeſſiones publicas illas functiones, minui neceſſe ſit, aut propter immunitatem eorum poſſeſſiones priuatorum onerari.

36. Mitto & alias rationes, quæ ſubminiſtrantur à *Ioanne Bacquetio* & auctoribus ab eo citatis in *tit. des nouueaux acqueſts cap. 25.* propter quas optimo iure interdictum eſt Eccleſiis, prædia ſinè permiſſu principis acquirere, & alia plura quæ ſpectant, ad illud ius morticinij illuſtrandum, quorum notio peti poteſt, ab eodem *Bacquetio in tract. iuris morticinij & nouorum conquæſtuum, Chop. in tractatu de domanio.*

37. Sed & illæ rationes cum non ſint propriæ regum noſtrorum, ſed communes aliorum principum, ac rerum publicarum mirum non eſt, idem ius apud alias gentes Chriſtianas receptum fuiſſe veluti apud Hiſpanos Siculos, Venetos, forſitam etiam olim apud Romanos ſi quidem *Tullius in oratione pro domo ſua*, auctor eſt, Quintum Papirium tribunum plebis legem tuliſſe vetantem iniuſſu plebis, ædes, terram, vel aras conſecrari, quod ad

S ij

Digitized by Google

ius morticinij quodammodo accedit, quidquid in contrarium teneat, *Franciſ. Raquellus in indice iurium regiorum in verbo main-morte.*

38. Cum ergò non tantum principis, ſed etiam dominorum maximè interſit, ne prædia Eccleſiis adquirantur, idcircò licitum eſt, poſt acquiſitionem eorum Eccleſias cogere intrà annum & diem, à ſe alienare, & in perſonas acquirendi capaces tranſmittere, alioquin inferiores Domini, poſtulare poſſunt ſe indemnes ſeruari, quod fit aſſignatione priuatæ perſonæ, quæ fingitur eſſe domina prædij Eccleſiaſtici, vt morte ipſius interueniente, Dominus iura ſua conſequatur, vel collatione pecuniæ quæ contingentis lucri, ex frequenti mutatione caſum, quodammodo reſarciat.

39. Quantum autem ad Regem attinet hoc iure vtimur, vt in prædia aut alias res immobiles, ſic acquiſitas manus iniectio fiat, quem ſequitur incorporatio in dominiis principis, *la forme de proceder, eſt de faire appeller tels gens de main-morte, pour vuider leurs mains, des heritages par eux acquis, és mains de gens capables de les tenir, & ce dans l'an & iour, ſinon le temps paſſé, l'on peut proceder par ſaiſie, & les reünir au domaine du Roy: Et quant aux Seigneurs particuliers, ils peuuent demander, homme viuant & mourant, ou payement d'indemnité.*

40. Nec tamen ignoro Alexandri IV. conſtitutione prohibitum fuiſſe, ne quis Eccleſias cogat prædiorum poſſeſſionem abiicere *cap. 1. de imminuit. Eccl. 6.* ſed hoc non obſeruatur in Gallia, maximè quod ea conſtitutio à Clemente V. reuocata ſit, ſicut & Bonifacij VIII. conſtitutio, in *capit. clericis eod. in 6. cap. quoniam de immunit. Eccleſ. in Clement.* vt obſeruat, *Vidus Conchil. in memorial. reformat. Eccleſ. pag. 113. & in tract. lib. Eccleſ. pag. 49. & 55.*

41. Ab hac tamen neceſſitate abalienandi, res à ſe adquiſitas liberantur Eccleſiæ quæ veniam poſſidendorum prædiorum à principe impetrauerunt, id eſt litteras admortiſationis, quæ eis conceduntur ſoluendo ius morticinij, quod ad tertiam partem reditus annui taxatum eſt, vel aliam ſummam quæ à præfectis cameræ computorum æſtimari ſolet, vt teſtis eſt *Bacquetius in tractatu iuris morticinij cap. 4. num. 3.*

42. Præterea illud obſeruandum eſt, quod notatur à *Carolo de Graſſalio lib. 2. Reg. Franciæ cap. 2.* eaſdem litteras, quæ vulgò admortiſationis dicuntur, aptius & ſignificantius appellari debere, litteras viuificationis, ex eo quod res adquiſitas, quodammodo viuificent, nulli amplius mutationi ſubmiſſas, eadem ratione, qua & mox diximus, perſonas Eccleſiaſticas, potiùs nominandas, *Gens de main-viue, que de main-morte.*

43. Et quoniam ex præmiſſis patet, beneficia conſtare miniſterio & reditu, quorum alterum, merè eſt ſpiritale, alterum merè temporale, & veluti corpore & anima, ità bona Eccleſiaſtica, vel ſunt ſpiritalia, vel ſunt temporalia, ſiuè corporalia, ſicut bona, quæ homines ditare ſolent, vel ſunt animi, vel corporis dotes, adeò vt, quæ ſolum miniſterium ſpectant Eccleſiaſticum, & ad illud terminantur, veluti ſpiritali officio exhibito, mercedes congruæ, ſpiritalia eſſe cenſeantur, quæ verò in ſolo reditu temporali numerantur, quibuſlibet profanis propria & communia, temporalia eſſe dicuntur.

44. In primis habentur decimæ, quas cum in ſignum, & recognitionem vniuerſalis Dominij Deus ſibi reddi præceperit, *cap. tua nobis §. verum cap. cum non ſit de decimis* conſtat non tantùm iuris eſſe diuini, ex ſententia iuris canonici interpretum, & ſummorum Pontificum, in *d. capit. tua nobis: capit. in aliquibus, & ſequenti, de decimis* à Theologis in eo diſſcrepantium, ſed etiam iuris eſſe ſpiritalis, & Eccleſiaſtici, vt probat *Franciſ. Grimaldus lib. 1. tractat. de decimis capit. 6.* vbi notat eamdem eſſe etiam in hac parte controuerſiam, inter ſacræ Theologiæ Doctores, & iuris canonici interpretes, de qua è noſtris videndus *Brodæus ad Louet. litt. D. num. 60. Claudius Expillius in oratione Forenſi 36.*

45. Sed & eiuſdem naturæ, conditionis, & qualitatis ſunt primitiæ & oblationes, quarum exhibendarum obligatio, cum ex iure naturali primæuo, ſiuè diuino originem ſumpſerit, indè eſt quod vbique, & quocumque tempore ſeruanda fuerit, cum ea iura, originis ſuæ immutationem ſortita, nullis caſibus ſubiaceant, & illud etiam indè ſequitur, oblationes & primitias, iuris eſſe merè ſpiritalis & Eccleſiaſtici, adeò vt ſolis Eccleſiæ miniſtris debeantur, nec laicis communicari poſſint, aut concedi, ſicut nec decimæ, *capit. prohibemus extrà de decimis can. quia ſacerdotes, can. ſanctorum & ſequenti 10. quæſtione 1.*

46. Tertium inter ſpiritalia Eccleſiæ bona locum occupat, ſacra ſupellex miniſteriis, & officiis Eccleſiaſticis exhibendis, inſeruiens, veluti vaſa ſacra, atque ornamenta cæteraque cultui diuino conſecrata, quæ licet vt quid corporeum ſenſibus pateant, quod tangi poſſit, tamen poſt conſecrationem, & diuinis vſibus mancipationem, ità ſpiritalia redduntur, vt omne commercium effugiant, & quamlibet oppignerationem, niſi ob redem-

Digitized by Google

ptionem captiuorum, vel alimenta in pauperes arctiori tempore eroganda, *l. 21. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. can. Apoſtolicos. can. ſacrorum 12. quæſt. 2.*

47. At verò temporalibus Eccleſiæ facultatibus adſcribo fundos, poſſeſſiones, pecuniam, & res alias mobiles, vel immobiles ex quibus plerumque reditus, cuilibet beneficio adſignati, percipiuntur, cum enim ea omnia principum, & aliorum magnatum liberalitate & munificentia, dominio Eccleſiæ ceſſerint, tanquam profana & omni religione pura, temporalium nomen meruerunt, quod ipſo temporis fluxu, plerumque labantur, & intereant, cum alioquin ſpiritalia, perpetua ſint, & numquam interitura reddantur, ex quo Duarenus hanc bonorum Eccleſiaſticorum diuiſionem rectiùs & ſignificantiùs exprimi putat, vt alia diuina & ſacra dicantur, alia profana & humana, quam & liberrimè amplector.

48. Sed & illud velim adnotari diſtributiones quotidianas quæ clericis, ſingulis diuini officij partibus, & horis intereſſentibus diſtribui ſolent, vndè & quotidianæ & diariæ, & manuales, & victuales dicuntur, *in cap. cum olim, de verb. ſignif. cap. ad audientiam de cler. non reſid. cap. finali, de reſcript. in 6.* temporalibus Eccleſiæ facultatibus adſcribi, quamuis enim fructibus, & reditibus beneficiorum plerumque non contineantur, vt probat *Petrus Moneta in tract. diſtrib. quotid. parte 1. quæſt. 6. & 7.* tamen illud conſtat, humani planè eſſe inſtituti, vt probat *nou. in tract. de hor. can. cap. 18. num.* 10. vbi dicit nouum eſſe inuentum, quod Duarenæ diuiſioni maximè congruit, quæ temporalia Eccleſiæ bona teſtatur profana, & humana dici oportere.

49. Et ad illud accedit, quod dicitur ab *Yuone Epiſcopo Carnotenſi epiſt.* 219. diſtributionum quotidianarum inſtitutioni illuſtrandæ, *cum in quàm pluribus canonicorum Carnotenſis, deſueuiſſet diſciplina regularis obſeruantia, vt de negligentibus facerem diligentes, de ſomnolentis vigiles, de tardis aſſiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberaui apud me, vt darem eis dimidiam præpoſituram, vt indè fieret quotidianus panis, quem acciperent aſſidui, amitterent tardi, vt ad quos panis interni dulcedo, non mouebat, panis corporei refectio prouocaret, quamuis eorum annua prabenda, ad hoc ſufficiens eſſe deberet.*

50. Et quamuis fundos, poſſeſſiones, pecuniam, res Eccleſiæ mobiles, vel immobiles, & diſtributiones etiam quotidianas temporalibus Eccleſiæ bonis annumerandas eſſe dixerimus, tamen illud certum eſt, ius quod clericis competit, ea omnia percipiendi, & in ſuos vſus conuertendi, quod propriè beneficium dicitur planè eſſe ſpiritale, & Eccleſiaſticum, vt mox probauimus, ad verba definitionis *cum ſuo reditu*, & confirmatur exemplo iuris ciuilis, vbi hereditas, & alia iuris nomina quamuis rebus corporeis conſtent, tamen liquet ipſum ius ſuccedendi eſſe incorporeum, vt docet *Imperator. inſtit. lib. 2. tit. de rebus corp. & incorp.*

PARS SECVNDA.

De diſpenſatione bonorum Eccleſiaſticorum.

1. *Ordo & ſeries tractandæ materiæ.*
2. *Ab initio Apoſtoli diſpenſationi bonorum Eccleſiaſticorum præpoſiti, miniſterio diaconorum vſi ſunt.*
3. *De quibus diaconis ſexta Sinodus in Trullo interpretetur.*
4. *Nota* ad can. 16. ſextæ Synodi in Trullo.
5. *Apoſtolis in adminiſtratione ſucceſſere Epiſcopi.*
6. *Epiſcopi in diſpenſatione vſi ſunt miniſterio diaconorum & diaconiſſarum.*
7. *Archidiaconis maxima diſpenſationis cura incumbit.*
8. *Probatur auctoritas Archidiaconi in diſpenſatione bonorum Eccleſiaſticorum.*
9. *Ordo dictus adminiſtrationi, cuius diſtributio prima clericis facta.*
10. *Secunda diſtributio facienda pauperibus.*
11. *Altera pars diſtributionis, retinenda ab Epiſcopis.*
12. *Epiſcopi partem quam retinent, ſuis vſibus inſumere debent, & quomodo.*

Digitized by Google

13. *Exemplum Chriſanti Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Pontificis & aliorum.*
14. *Succeſſit diſtributio redituum Eccleſiaſticorum, in quatuor partes facienda & quibus.*
15. *Epiſcopi adminiſtrationis rationem reddere non tenentur.*
16. *In Hiſpania trimembris tantùm erat diſtributio redituum Eccleſiaſticorum.*
17. *Variatio iuris circà tertiam Epiſcopo debitam.*
18. *Oeconomorum huic diſtributioni præpoſitorum origo.*
19. *Oeconomi ex clero aſſumendi, & qua forma.*
20. *Patriarchæ Conſtantinopolitano, licebat propria auctoritate œconomos conſtituere.*
21. *Oeconomorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ teſtimonia quædam.*
22. *Inſtitutio œconomorum & archiœconomorum in Eccleſia Occidentali.*
23. *Quinam eligi potuerint œconomi & quorum ſuffragio.*
24. *Vice domini qui & quodnam eorum munus & officium.*
25. *Vice dominorum, œconomorum, defenſorum & aduocatorum promiſcua nomina.*
26. *Vndè vicedominorum appellatio, & quæ auctoritas.*
27. *Quid hodiè apud nos vicedomini celtiſmo noſtro* Vidames
28. *Vicedominorum apud nos exempla & teſtimonia.*
29. *Differentia quædam inter vicedominos & œconomos.*
30. *Oeconomi vacantium Eccleſiarum qui & quæ inſtitutio.*
31. *Ab initio Eccleſiarum totius diœceſis reditus Epiſcoporum adminiſtrationi commiſſus.*
32. *Diuiſis parochiis cuique rectori reditus Eccleſiæ ſuæ adminiſtrandus deputatur.*
33. *Decimæ & oblationes à parochialibus Eccleſiis, ad alias transferri non poſſunt.*
34. *Inquiritur cuinam diuiſio paroeciarum tribuenda ſit.*
35. *Titulorum origo & vndè eccleſiæ, hoc nomine appellatæ.*
36. *Tituli fiſcalis impoſitionis exempla, titulis eccleſiis noſtris apponendus cauſam dederit.*
37. *Diuiſis paroeciis reditus integri penès rectorem remanſerunt.*
38. *Abbates res monaſteriorum regere ſoliti, qua de re habuere ſuos eoconomos.*
39. *Tentatur dotes monaſteriorum Epiſcopum iuriſdictioni ſubiectas.*
40. *Tentatur & aliis auctoritatibus, & argumentis.*
41. *Explicatur modus quo Epiſcopi rebus monaſteriorum prouideant.*
42. *Epiſcopi nihil ex reditibus monaſterij attingere debent.*
43. *Quis ordo in matricum Eccleſiarum redituum adminiſtratione ſeruandus.*
44. *Canonici ab initio communem vitam ducebant, ſed ſeparatim ab Epiſcopo.*
45. *Canonici à canone ſiue regula dicti.*
46. *Canonici à codice & matricula, in qua inſcribebantur.*
47. *Epiſcopi olim communem cum clericis vitam ducebant, & Abbates dicebantur ſimul & Epiſcopi.*
48. *Canonici alij in ciuitatibus, alij in monaſteriis.*
49. *Probatur hæc diuiſio variis auctoritatibus.*
50. *Explicatur* canon Apoſtolorum 17.
51. *Monachus qui beneficio donatus eſt, excluditur à portione monachali.*
52. *Confirmatur decreto curiæ Pariſienſis in monacho graduato.*
53. *Canonicorum alij ſeparata habent beneficia, alij non, & quinam ſint.*
54. *Sæculares canonici non omnis regulæ expertes.*
55. *Probatur communis vita inter canonicos.*
56. *Canonici aly in Epiſcopiis, alij in monaſteriis.*
57. *Quænam fuerit eorum regula, & diſciplina.*
58. *Quandonam canonici, ſeparatim viuere incæperint.*
59. *Quid ſeparatio Beneficiorum efficere conſueuerit.*

Digitized by Google

60. *Aſſignatio proprij reditus, cuique clerico facta, non deſtruit veterem diuiſionem, in quatuor partes.*

61. *Præmiſſus ordo & ſeries ſubſequentis materiæ.*

1. HActenùs de bonis Eccleſiaſticis, & eorum qualitate & diuiſione dictum eſt, nunc de eorum adminiſtratione, ſeu diſpenſatione & vſu, aliquid dicendum eſt, quod nos eſſe facturos, capitis inſcriptio demonſtrat, atque vt hunc ſermonem à capite ordiamur, & ab ipſis Eccleſiæ naſcentis primordiis, & veluti incunabilis.

2. Sciendum eſt, Apoſtolos olim ærario Eccleſiæ præfuiſſe, & oblata à fidelibus, non tantùm accepiſſe, ſed etiam diſtribuiſſe, prout vnicuique opus erat, *Act. cap.* 4. tametſi poſteà, hac in diſtributione facienda, vſi fuerint miniſterio ſeptem diaconorum, ad hoc electorum, vt menſis præeſſent & aſſidentibus miniſtrarent, ne Apoſtoli huic officio occupati à prædicatione auocarentur, *Act. cap. 6.*

3. Verum eum locum *Actorum ſexta Synodus in Trullo in can. 16.* docet non eſse accipiendum de diaconis qui ſacris miniſteriis occupantur, ſed de his quibus commiſsa erat, diſpenſatio eorum quæ collecta fuerant, de quibus *Origenes tractatu in Mathæum cap. 6.* quique αἰτιλογῆσαι. curam habebant, id eſt menſarum, quæ apponi ſolebant egenis, viduis, & orphanis, non in templo, ſed priuatis ædibus, vt notat *Cuiac. in non.* 3.

4. Nec tamen illa ſextæ Synodi nota, omnibus placuit, imò *Seuerinus Binius tomo 1. Concil. in principio de quadruplici Synodo Apoſtolorum, & in notis ad ſecundam*, in qua ſeptem diaconorum ordinatio celebrata pethibetur, obſeruat, hunc ſextæ Synodi canonem, velut illigitimæ matris illegitimum, & ſpurium filium cenſendum eſſe, ex eoque concludit, diaconos ſeptem, ità ordinatos, vt vtrique menſæ prǫeſsent, & prędicationi verbi Dei, etiam num inſtarent, quod & probat è noſtris *Nicol. Iannarius Archid. Carnot. in lib. de off. archid. cap. 2. Laurent. Villanicent. in tract. de œconom. ſacr. Circ. Paup. lib. 1. cap. 2* vbi & illud notat Apoſtolos, nec etiam ordinatis diaconis, curam diſpenſationis omnino abieciſſe, ſed eos veluti Coadiutores ſibi ſuffeciſse, ex quorum conſilio, diſpenſationi vacate poſſent, illud idem confirmat *lib. 3. eiuſdem tract. cap.* 4.

5. Summa autem rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratio quæ initio naſcentis Eccleſiæ penès Apoſtolos erat, poſteà ad Epiſcopos tranſlata eſt, vt narrat *Socrates lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 25. & Iuſtin. Apolog. 2. pro Chriſtianis, Chop. de ſacr polit. lib. 2. tit 2. num. 7. & lib. 3. tit. 3. num. 2. idem Villanicentius lib. 2. tract. de œconom. ſacr. cap.* 1. & rectè cum Apoſtolorum locum ſubiiſſent, ab ipſis etiamnum ſuffecti & ſubrogati, vt probatur exemplo D. Petri, Linum, Cletum & Clementem ordinantis, vt ſibi diuino officio exhibendo opem ferrent.

6. Quin etiam Apoſtolorum exemplo per preſbiteros & diaconos, res Eccleſiæ diſpenſare ſolebant, vt habetur *can. Apoſtol* 40. & 41. *& Antiochenæ Synodi can.* 24 & 25. vndè ſumptus eſt *can. Epiſcopus & can præcipimus* 12. *quæſt.* 1. idque etiam teſtatur *Sozomenus lib.* 8. *cap.* 12 ſic etiam diaconiſsarum miniſterio vſi ſunt, quæ quotidiano miniſterio præerant, & variis officiis, circà mulieres obeundis, vt habetur *Act cap. 6. prima ad Thimoth. cap. 5. & apud Baron. ad annum 34. item in gloſſario Anton. Auguſtini ad nouell. Iul. antec. in verbo diaconiſſæ.*

7. Sed vt Epiſcoporum in adminiſtrandis Eccleſiæ reditibus, ſumma fuit auctoritas, ità inter preſbiteros & diaconos, qui eorum diſpenſationi præerant, propria cura fuit, primi preſbiteri & archidiaconi, vt colligitur *ex nou. Iuſtin.* 123. ad quam *Cuiacius* & propterea Laurentius qui primus è ſeptem viris vocatur à Prudentio, & Stephanus, qui *Act. cap.* 6. non abs re, & oſcitanter, primus ordine ſcripturæ appellatur, vtérque vota & opes diſpenſaſse dicitur, id eſt oblationes, à fidelibus factas, vndè D. Laurentius ſciſcitanti tyranno Decio, vbi theſauros Eccleſiæ recondidiſset, pauperes exhibens reſpondiſse fertur.

8. Sed & Gelaſius *in can. vobis* 12. *quæſt.* 1. Iuſtinum Archidiaconum alloquens, iubet eum prædiorum Eccleſiaſticorum reditus, ad antiſtitem deferre, cui congruit *Concil. Nicæni 1. ex Arabico ſermone tranſlati can.* 54. qui citatur à *Ioanne Fileſaco de ſacr. auct. Epiſcop. 16. §. 1. in fine*, vbi legitur ex Eccleſiis ruſticanis; annuos fructus & reditus, Epiſcopo afferri, vt de iis diſponeret, quod fieri ſolebat, curâ & ſtudio, maioris Eccleſiæ Archidiaconi.

9. Nec fructus prędiorum tantùm, ſed & oblationes à fidelibus factas & penſiones omnes, *d. can. vobis can. Vlaterana can. quatuor.* 12. *quæſt.* 2. *& Gangrenſis Synodi cap.* 7. & 8.

quæ omnia ſacris canonibus erogare iubentur, in alendos clericos, & Eccleſiæ miniſtros, præſertim eos, qui nihil proprium habent, *can. illi & can. vlt. 12. quæſt. 1. Clemens lib. 2. conſtit. Apoſtol. cap. 29. Greg. Tholoſ. in cap. conquerente de offic. ordin.* nec tantùm eos, qui communem & cœlibem vitam agunt, ſed etiam eos qui ſeorſim, aut cum vxoribus viuunt, *can. quia tua, can. ſcimus, can. nolo, 12. quæſt. 1.*

10. Ac præterea in pauperes, quorum ſtudium, priſcis chriſtianis præcipuum fuiſſe, multis locis, *Euſebius* teſtatur, & *diuus Hieronimus ad Nepotianum* gloriam Epiſcopi eſſe dicit, pauperum inopiæ prouidere, *can. gloria 12 quæſt. 2.* quare diuus *Ambroſius ad Valentinianum Cæſarem* poſſeſſionem Eccleſiæ, vocat ſumptum pauperum, & egenorum, & res Eccleſiæ, patrimonia pauperum appellantur, *in can. quia iuxta, 16. quæſt. 1.* quin & decimæ ipſę, pauperum alimentis deſtinatæ, eſſe dicuntur, *can. decimæ eod.* quod & pleniùs confirmat, *Laurent. Villanicentius in libello de œconom. ſac. çircà paup.*

11. Pars quoque diſpenſationis illa eſt, vt Epiſcopus ex facultatibus Eccleſiæ, ſumat quantum ſibi neceſſe eſt, nec quicquam in ſuum, aut ſuorum, aut propinquorum dominium conuertat, alioquin ſinodali iudicio plectitur, *can. epiſcopus & can. nulli 12. quæſt. 1.* vbi teſtimonio *D. Pauli ad Timotheum cap. 6.* probatur, verè Chriſtianos alimentis & veſtiariis contentos eſſe oportere.

12. Verum enim illud idem, Chriſantus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pontifex obſeruaſſe videtur, hunc enim *Hiſtoria Tripartita lib. 11. cap. 10. & Socrates lib. 7. cap. 12.* narrat ex reditibus Eccleſiæ, duos tantùm panes, ſingulis diebus dominicis accepiſſe. 13. Sed & alia plura exempla, ſanctiſſimorum Epiſcoporum & clericorum ſubeſſe, in hoſtoria Eccleſiaſtica docet, *Duarenus lib. 2. de ſacr. eccleſ. miniſt. cap. 4.* quota tamen pars redituum Eccleſiaſticorum, Epiſcopis debita fuerit, commodius infrà diſputabitur.

14. Tandem verò diſpenſationi bonorum Eccleſiaſticorum, certa regula Epiſcopis eſt præfinita, duntaxat vt in quatuor partes, reditus omnes diſtribuerent, ex quibus vnam ſibi præſumerent, ſecundam verò clericis, tertiam pauperibus darent, quartam in refectionem templorum, & ædium ſacrarum impenderent, *can. vobis, can. Volaterana, can. conceſſo, can. quatuor, & can. de reditibus, 12. quæſt. 2, can. præſulum, 16. quæſt. 3.*

15. Quidquid verò ſupereſſet, reconditum in tuto deponebant, vt indè vrgentibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſubuenirent, aut in prædiorum emptionem collocarent, *d. can. vobis, in fine* huius autem diſpenſationis, ſeu adminiſtrationis rationem, Epiſcopi reddere non cogebantur, vt diuus *Cyrillus Alexandrinus ſcripſit in epiſtola ad domum*, referente, *Fileſaco de ſacr. epiſc. auct. cap. 16. ſub finem*, erant ἀγαμοῖ vt dicitur in *lege 5. §. Iulianus de adminiſtrat. & per. tut. & curat.*

16. Verum circà hanc, redituum Eccleſiaſticorum diuiſionem quadrimembrem, obſeruandum eſt, non vbique locum habuiſſe, nam in Hiſpania, fieri ſolebat in tres partes, quarum tertia dabatur Epiſcopo, vt conſtat *ex Concil. Tolet. 4. cap. 32. & Tolet. 9 cap. 6.* vndè ſumptus eſt, *can. vltimus, 12. quæſt. 3. & ex Terraconenſi Concil. cap. 8.* ex quo deſumptus *can. decreuimus 10. quæſt. 1. & ex notis eidem Terraconenſi Concil. ſubiectis à Gartio relatis in 2. tomo Concil. parte prima editionis Biniana*, plura apud *Fileſacum de ſac. epiſcop. auct. capite 16. §. 2.*

17. Sed & illud adnotandum, tertiam illam, ſiuè alteram partem, Epiſcopis ità demum conceſſam fuiſſe, vt fabricæ, & reparationum Eccleſiæ onera ſuſtinerent, vt patet ex *d. can. decreuimus 10. quæſt. 1.* quam propterea eidem reparationi dimittere iuſſi ſunt, *Concil. Emeritenſi cap.* vt probatur, *cap. 1. & 2. 10 quæſt. 3.* vndè & tertia fabricalis appellari cæpit, teſte *Iacobo Pugunſſonio patron. Tholoſ. in Act. Forenſ. Act. 20.* vbi veteris manuſcripti fidem appellat, cuius tertiæ portionis optio, poſteà data eſt Epiſcopis, *Concil. Tolet. 16. cap. 4.* ex quo hauſimus *cap. vnico 10. quæſt. 3.*

18. Cum autem vt ſuprà dictum eſt, rerum Eccleſiaſticarum diſpenſandarum cura Epiſcopos auerteret à ſtudio legendi, & concionandi, ità vt *diuus Chriſoſtomus homil. 86. in Math.* conqueratur Epiſcopos, hoc modo in ordinem diſpenſatorum, cauponarum, procuratorum, publicanorum, quæſtorumque, coactos videri, referente *Chop. de ſacr. polit. lib. 2. tit. 2. num. 8.* placuit œconomos, huic adminiſtrationi præficere, *Carraginenſis Synodi can. 4.* qui Epiſcopi iuſſu, atque auctoritate, bona Eccleſiaſtica diſpenſarent, & adminiſtrationis ſuæ rationem, quotannis redderent, *Fileſac. de ſacra epiſcop. auct. cap. 4. §. 4.*

19. Verùm œconomos, cum anteà laici eſſent, ex clero aſſumendos eſſe præcepit, *canon. 26. Synodi Calchedonenſis*, vndè ſumptus eſt, *can. quia in quibuſdam 89. diſtinct. can. quoniam 16. quæſt. 7.* idemque confirmat, *can. indicatum 89. diſtinct. can. nulli, can. quoniam*

16. quæſt.

16. quæſt. 7. Concil. Toletani 4. can. 47. & Hiſpalenſis 2. can. 9. ex clero, inquam, aſſumendos, non ſolius Epiſcopi ſuffragio, ſed totius cleri, vt patet ex *commentario Anomini, de Mirac. d. Bened. in bibliot. Flor.*

20. Et tamen certum eſt, Patriarchæ Conſtantinopolitano, ceſſantibus Metropolitanis permiſſum eſſe, propria auctoritate œconomos conſtituere, eademque poteſtas & facultas, metropolitanis in ſuos ſuffraganeos, hac in re negligentes conceſſa, *can. 11. Septima Synodi*, vndè ſumptus eſt *can. cum ſimul 9. quæſt. 3.* ex quo velim & illud obſeruari, in monaſteriis, tales œconomos conſtitui oportere.

21. Cæterùm de illis œconomis Eccleſiæ Orientalis, deque eorum officio, fit mentio in *Photij nomocanone tit. 10. & in lege iubemus cod. de ſacroſ. Eccleſ. & in lege omnes §. hoc nihilominus, cod. de epiſc. & cler.* vbi diſpenſatores pauperum appellantur, & *nou. Iuſtin. 3. & 123.* quos ad excidium vſque, Chriſtiani in Oriente Imperij, permanſiſſe conſtat, *ex Curopalata lib. de officiis Palatij Conſtantinopolitani & magnæ Eccleſiæ.*

22. Nec non etiam eos, in Occidentali, & Romana Eccleſia, inſtitutos fuiſſe conſtat, ex *capit. Car. Mag. lib. 2. cap. 29.* vbi & archiœconomi fit mentio, quem credibile eſt, aliis œconomis præfuiſſe, aut ſaltem maioris Eccleſiæ œconomiam habuiſſe, quo exemplo œconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, magnus œconomus appellatur, à *Curopalata libro ſupra dicto.*

23. Oeconomis adiungo Vicedominos, quorum vnum atque idem officium fuiſſe, ſub diuerſis tamen nominibus, viri docti exiſtimant, *Cuiac. 1. feud. tit. 2. §. item ſi Epiſcopus Fileſ. de ſac epiſc. auct. cap. 4. §. 5.* & ideò hæc nomina coniunguntur, in *can. Saluator. 1. quæſt. 3.* & quod dico, idem fuiſſe officium Vicedomini, & œconomi, probari videtur, in *can. volumus, & can. diaconum 89. diſtinct. & apud Sigebertum in cronicis ad annum 537.* vbi dicitur Theophilum, in vna Vrbium Ciliciæ Vicedominum, ſecundas partes Eccleſiaſticæ diſpenſationis, ſub Epiſcopo egiſſe.

24. Et eodem pertinet, *cap. 26. lib. 3. capit. Carol. Mag. mandet*, inquit, *comes, vel epiſcopo, vel abbati, vel vicedomino, vel illi quicumque, vel epiſcopi, vel abbatis locum tenuerit*, & *lib. 5. cap. 120. ſi iudex publicus, ſeruum Eccleſiæ, ſuper furto non præſumentem, ſine audientia vicedomini, aut archidiaconi detinere, aut iniuriare præſumpſerit*, ſic etiam apud *Caſſiodorum*, hoc vocabulum accipiendum eſt, *lib. 5. variarum, & in Concil. Mogunt. ſub Carolo cap. 50 omnibus epiſcopis, abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus, vicedominos, præpoſitos, aduocatos, ſiue defenſores bonos habere.*

25. Ex quibus apparet, non minimam fuiſſe, vicedominorum auctoritatem, ac prope ſecundam ab epiſcopis, qui cum domini per eminentiam appellarentur, vt patet ex ea proclamatione in Eccleſiis haberi ſolita, *iube Domne* qui vices eorum gerebant, vicedomini dicti ſunt, quorum fit mentio, in *biblioth. Floriac. in ad Reual. de Mirac. d. Bened. cap. 6. & in fragm. ſermonis Fulberti Epiſcopi Carnot. de Natiu. d. Mariæ*, vbi de ſupra laudato Theophilo loquitur, ſed & vicedominorum alij in ſpiritalibus, & vicarij dicebantur, alij in temporalibus.

26. Verum poſtremi, cum olim tanquam Epiſcoporum officiarij, & iuri dicundo, maximè in temporalibus præpoſiti, hanc dignitatem exercerent, ſicut olim vice-comites, tanquam comitum officiarij, vtrique poſteà, ſuam dignitatem, tanquam à dominis, id eſt comitibus, & epiſcopis, in feudum datam poſſidere cæperunt, qua ratione factum, vt officio ipſo, & munere ſublato, vice-domini nomen, tanquam altioris alicuius dignitatis titulus, penès aliquos remanſerit.

27. Et id maximè obſeruatur, in iis locis, in quibus amplum fuit Eccleſiæ patrimonium, nam in hoc regno, tres aut quatuor adhuc ſuperant, quibus hæc dignitas tribuitur, vulgò appellamus *Vidames* & hi ſunt *le Vidame de Chartres, d'Amiens, de Pequigni, de Gerfroy*, ſed poſtremi huius titulus, annexus eſt Epiſcopatui Bellouacenſi: plura de his & illorum dignitate, vide apud *Carolum Oſellium in tract. dominiorum, ſiue des ſeigneuries, cap. 7. num. 26. & in indice Raquelli iuris Regij, in verbo, Vidame.*

28. Sed redeundum ad œconomos, qui officio non videntur fuiſſe diſtincti, à Vicedominis, vt ſuprà oſtendimus, niſi ſecundùm opinionem Gloſſatoris, in *d. can. ſaluator*, quam ſequitur, *Greg. Tholoſ. lib. 15. ſintagm. iur. vniu. cap. 4.* & cuius ſententiæ pariter adhærentes, dicamus vice-dominos appellari in Epiſcopiis tantùm, œconomos verò in quibuſlibet aliis eccleſiis.

29. Sunt & alij œconomi, qui vacantium eccleſiarum reditus curant, & cuſtodiunt, quorum fit mentio, in *cap. 4. de off. iud. ordin. & Carthaginenſis Synodi, cap. 25.* & in *cap.*

Digitized by Google

auaritiæ, de elect. in 6. qui apud nos, auctoritate Regia, dum Epiſcopatus vacant, bonis temporalibus adminiſtrandis demandari ſolent, & hæc officia publici muneris titulo creata, in hoc regno anno 1578. ſubſequenti anno reuocata ſunt, *art. 12. conſtit. Melodunenſis & art. 6. Bleſenſis edicti*, vt refert *Chopinus lib. 3. de ſac. polit. tit. 3. num. 2. & 3.* ex quibus patet, publicanorum & vectigalium eo proceſſiſſe audaciam, vt ne quidem ſacrum Chriſti patrimonium, intactum dimittere voluerint.

30. At verò cum ſuprà probatum ſit, rerum eccleſiaſticarum diſpenſationem, olim penès epiſcopos fuiſſe, licet ipſi diaconorum, ac preſbiterorum miniſterio, in hac parte vterentur, poſteà verò etiam œconomorum, qui & vice-domini, quibuſdam in locis appellabantur, nunc obſeruandum eſt, hanc adminiſtrationem, ab initio generalem fuiſſe, & ad omnes eccleſias, quæ ſub eiuſdem epiſcopi diœceſi, conſtitutæ erant, pertinuiſſe, quarum reditus, ad epiſcopum afferri ſolitos, anteà retulimus, *ex cap. 54. Nicæni Concilij primi, ex Arabico ſermone tranſlat.* qui citatur à *Ioanne Fileſaco de ſac. epiſcop. auct. cap. 16. §. 1.*

31. Verum hæc adminiſtratio (ni fallor) coerceri cæpit, cum primùm parochiis diuiſis, certis limitibus, & terminis (de quibus ſi appareat, præſcriptio ceſſat, *cap. penult. de paroch.*) ſuus cuique reditus fuit aſſignatus, quod contigit temporibus Dionyſij Pontificis Romani, circà annum 270. vt conſtat ex *can. Eccleſias 13. quæſt. 1. cap. paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælat.* ſinè *conſ. capit. & ex Damaſo ſeu potius Anaſtaſio & Platina in eius vita.*

32. Et ex eo tempore decimæ, & oblationes, intrà cuiuſque parochiæ terminos collectæ, ad ipſam eccleſiam parochialem, & eius miniſtros pertinere cæperunt, *cap. cum contingat & ſequenti de decimis can. de decimis 16. quæſt. 1. cap. ad audientiam de ædif. vel repar. Eccl.* nec auctoritate epiſcopi, ad alias eccleſias, monaſteria, vel oratoria transferri potuerunt, *can. Eccleſiæ & ſequenti eadem cauſa & quæſt.* in quorum priori, notandum, generale Oratorij vocabulum, quo monaſteria, & quælibet aliæ eccleſiæ ſignificantur, præter parochiales, vt adnotauit *Vidus Conchilius in Poſthumo libertat. Eccleſiaſticæ tract. pag 75.*

33. Quod autem ad Dionyſij tempora, hanc parochiarum diuiſionem retulerim, in eo receptam, vulgi opinionem ſum inſequutus, neque enim ignoro, Cardinalem Baronium annalium Eccleſiaſticorum curioſiſſimum indagatorem ſcribere, hanc diuiſionem, ab aliis retrò Pontificibus factam, ſanè & Cariſtus, qui multò antè Dionyſium, nimirùm anno Chriſti 112. Eccleſiam rexit, titulos in Vrbe Romana, preſbiteris diuiſit, vt ſcribit *Damaſus & Ioan. Platina in eius vita*, titulos inquam, id eſt eccleſias.

34 Et quidem huius vocabuli, notionem perſcrutantibus & præter ea, quæ ſupra habuimus, ad verba definitionis *quædam, cap. 1. de titulis beneficiorum*, alia inſuper inquirentibus, huius nominis originem referre licet, ad titulos, qui prædiis fiſcalibus affigi ſolebant, vt omnes intelligerent, ea prædia principis eſſe, cum ea titulorum inſcriptio, nota fuerit, & index dominii, & proprietatis, teſte *diu. Auguſtino in Pſalmum 21.* quod prodit his verbis, *vbi potens inuenerit titulos ſuos, nonne iure rem ſibi vindicat*, de quibus eſt titulus codicis, *vt nemo priuatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat.*

35. Namque eodem exemplo, Chriſtiani templis ſuis titulos affigebant, vt oſtenderent Deo eſſe dedicata, nimirum ſignum crucis, quo pertinet Theodoſij conſtitutio, quæ habetur in *lege vlt. cod. Theod. de pag.* vbi Paganorum templa, expiari iubet, collocatione, & impoſitione ſigni Chriſtianæ religionis, ità vt ex ea tituli impoſitione, Eccleſiæ ipſæ tituli fuerunt appellati, vt notat *Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 112. numero 4.*

36. Sic itaque diuiſis parochiis vt ſuprà diximus, vnuſquiſque Eccleſiæ parochialis rector, reditus ad eam pertinentes adminiſtrare cæpit, nec vlla deinceps eius adminiſtrationis pars, penès epiſcopos remanſit, tametſi in vicem illius, partem decimarum, atque oblationum ſibi retinuerit, pro qua tandem ius cathedratici ſucceſſit, vt dicam infrà de diuiſione bonorum Eccleſiaſticorum.

37. Quantùm verò ad monaſteria, capellas, oratoria, & alia religioſa loca, non dubito, quin abbates, & alij, qui eis præfecti ſunt res eorum, & dotes, adminiſtrare ſoliti fuerint, qua de cauſa & monaſteria, œconomos ſuos habuiſſe, ſuprà oſtendimus, & probatur auctoritate *can. cum ſimus 9 quæſt. 3.* qui ex ſuorum abbatum auctoritate, monaſteriorum bona adminiſtrare conſueuerunt.

Digitized by Google

39. Nec me mouet, quod multis canonibus prohibeantur Eccleſię fundatores, & patroni, res ab ipſis Eccleſiæ datas, ſeu dotes adminiſtrare, quæ ſub poteſtate, & ordinatione Epiſcopi eſſe dicuntur, *Concilij Toletani 3. cap. 19.* quod refertur in *can. ſic quidam, 10. quæſt. 1. multi*, inquit, *contra canonum conſtituta, Eccleſias quas ædificauerint, poſtulant conſecrari, vt dotem quam eidem Eccleſiæ contulerint, cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere, quod factum, & in poſterum diſplicet, & in futurum prohibetur, ſed omnia ſecundum conſtitutionem antiquam, ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.*

40. Et hæc ipſa verba repetita habentur, in *capit. Car. Mag. lib. 7. cap. 213. & addit. lib. 4. cap. 37. Concilij Vormatienſis, cap. 6. & 55. Moguntienſis ſub Arnulpho cap. 4.* ſic etiam *Concilij Toletani 4. cap. 31.* ſcriptum habetur, *nouarum conditores Baſilicarum in rebus quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe partem habere, ſed iuxtà canonum inſtituta, ſicut Eccleſiam, ità & dotem eius, ad ordinationem epiſcopi pertinere.*

41. Nam ſi canones, & ſi qui ſunt ſimiles, hoc tantum volunt, has Eccleſias, & monaſteria, epiſcopis eſſe ſubiecta, propter confirmationis decretum, ab epiſcopo emiſſum, non ità tamen, vt de rebus eorum diſponere poſſint, *Balſamon ad can. 1. Synodi primæ & ſecundæ*, ſed vt prouideant, ne à Prælatis male adminiſtrentur, aut peſſundentur, vel vt deficientium Abbatum, & minus induſtriorum, negligentiam ſuppleant.

42. Et ex eo eſt, vt non poſſint epiſcopi, vllam partem redituum, illarum eccleſiarum, ſibi retinere, *can. nulli, 12. quæſt. 1. cap. prohibemus de cenſ.* nec quicquam de rebus earum vſurpare, *Concilij Tolet. 4. cap. 32. & 50. Fileſ. de ſacr. epiſc. auct. cap. 7. §. 2. cap. 4 §. 3.* vbi ait hoc ità fuiſſe cautum, ſaluo epiſcopis ſuo iure, ratione decimarum, oblationum, tributorum, & fructuum, ſed & cum epiſcopi, vt res monaſteriorum, pro arbitrio ſuo diſponerent, propinquos ſuos, & conſanguineos, Abbates inſtituerent, id tandem vetitum eſt, *Concilij Toletani, 10. cap. 3.*

43. Reliquum eſt, vt oſtendam etiam matrices eccleſias, in plura beneficia diuiſas fuiſſe, cum enim ex ſupra dictis conſtet, prædia ipſa, loco pecuniæ, ſeu pretij matricibus eccleſiis data fuiſſe, *can. videntes 12. quæſt. 1. euenit*, vt reditus eorum, oblationes & decimæ, in quatuor partes diuiderentur, ex quibus vnam ſibi epiſcopus retinebat, altera clericis largiebatur: tertiam in pauperum alimenta: quartam in fabricam eccleſiæ collocare iubentur, quod tamen locum non habuit in Hiſpania, vt ſuprà admonuimus, vbi diuiſio illa, in tres tantùm portiones fieri conſueuit.

44. Et quidem ex præmiſſis apparet, epiſcopos partem ſeparatam, ab ipſis clericis habuiſſe, & ſeorſim viuere cæpiſſe, vt notat *Boet. epo in ſintagm. antiquit. eccleſ. ſintagm. 1. de iure prouent. eccleſ. num.* 48. non tamen clericos inuicem, nam ſi ab initio communem vitam degebant, & eamdem vitę regulam profitebantur, in eodem refectorio comedentes, & dormitorio dormientes, vt habetur in *capitularibus Caroli Calui in Synodo in Villa Sparnaco habita.*

45. Et ex eo eſt, quod à regula quæ Græcis canon dicitur, canonici appellati ſunt, *capit. Carol. Mag. lib. 1. cap. 73. ſimiliter*, inquit, *qui ad clericatum accedunt, quem nos nominamus canonicam vitam, volumus vt illi canonicè, ſecundum ſuam regulam omnimodo viuant, & eorum epiſcopus regat vitam, ſicut abbas monachorum*, & *addit lib. 3. cap. 77.* canonicos clericos vocat, qui in monaſteriis, vel ciuitatibus degunt.

46. Nec tamen deſunt, qui canonicos dictos velint, ex eo quod in eodem canone, id eſt matricula eccleſię conſcribebantur, vt de reditibus ipſius ſuſtentarentur, ſic enim ſcribit *Fileſac. de ſac. epiſc. auct. cap. 13. §. 5. & 7.* quos ex ordine matriculæ percipiebant, ità vt presbiteris amplius reditibus, quam cęteris inferioris notæ clericis indulgeantur, vt patet ex *D. Cypriano in epiſt. 34. ad clerum & plebem*, de Celerico lectore ordinando, & illi ſportularum nomine appellantur, vt & clerici qui de communi menſa fructus percipiunt, fratres Sportulantes, *in epiſt. 66. ad clerum & plebem furnitanorum.*

47. Ex diuiſione autem illa redituum factum eſt, vt epiſcopi ſeorſim, ab ipſis clericis, & canonicis viuere incæperint, nam antè communem vitam ducebant, cum ipſis clericis, qui & canonici dicebantur, ſicut & abbates cum ſuis monachis, vndè idem dicebatur, abbas & epiſcopus eiuſdem eccleſiæ, vt notat ipſe *Cuiacius ad cap. 14. de iudiciis*, de epiſcopo eccleſię Dulmenſis, quæ eſt in Anglia, qui pariter epiſcopus, & abbas, eiuſdem eccleſiæ dicebatur.

48. Sed ſiuè à canone, quatenùs matriculam ſignificat, ſiuè ab eodem quatenùs regulam notat, canonici appellati ſint, certè conſtat, ex ſuprà dicto loco capit. alios in ciuitatibus, alios in monaſteriis fuiſſe, eidem regulę aſtrictos, vt ſcribit *idem Fileſac. de ſac. epiſc. auct. cap. 13. §. 1. & 7.*

Digitized by Google

49. Et quidem huius diuiſionis firmandæ causâ, coniecturam ſumit Fileſacus, ex eo quod, *Balſamon in epiſt. Baſilij ad Amphilochium, can. 6.* canonicos interpretatur clericos omnes, qui in canone enumerantur, ſiuè clericos, ſiuè monachos, & in *can. 15. Concil. Loadiceni*, idem auctor canonicos cantores interpretatur, quoſlibet clericos, ad differentiam laicorum, qui cantui eccleſiaſtico ſe immiſcebant.

50. Verum & hoc quidem certum eſt, ſacri cuiuſdam catalogi mentionem fieri, in *can. Apoſt. 17. & 51.* vbi Gentianus Heruetus, Gręca illa verba τοῦ καταλόγου ἱερατικοῦ ſic vertit, è numero ſacerdotali, quod & addi poſſit, ad confirmandum quod ſupra dictum eſt, canonicos appellari à matricula, ſiuè codice, licet & illa auctoritas, quibuſlibet clericis accommodari poſſit, quorum vita temporibus Apoſtolorum, communis remanſit inter canonicos.

51. Sed quia clericatus canonica vita appellatur, in *capitul. Caroli Magni, lib. 1. cap. 73.* vndè eſt, quod ſiuè canonici in ciuitatibus degentes, ſiuè in monaſteriis beneficia habeant, vndè victum & veſtitum ſibi comparare poſſint, eos velit *d. can. 77. addit. 3. cappit. Car. & Mag.* à ſtipendiis aliorum, qui in prędictis eccleſiis famulantur abſtinere, quod confirmatur à *Renato Chopino lib. 1. monaſt. num. 9.* decreto curiæ, in Margine relato, in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Carnotenſi recitatis, pronunciato; die Martis 11. Iulij, anni 1601. Vido Fauerello patrocinium ſuum præbente, abbati & conuentui Virſionenſi, Tronconio religioſi eiuſdem conuentus & paſtoris curati cauſam dicente, namque idem regularis, ab impetratione monaſticæ portionis ſubmotus eſt.

52. Sed & illud idem, ſenatus Pariſienſis comprobauit, decreto in maiori auditorio prolato, die Martis 25. Iunij, anni 1647. in ſpecie longè fortiori, & caſu acceptiori, contentionis motæ, inter graduatum monachum, qui in vim gradus beneficium conſequutus, ſibi portionis monachalis retributionem, perpetuò addici poſtulabat, namque ſenatus regulari beneficio donatum, à petitione monachalis alimoniæ excluſit, perorantibus *Angelo de Maſſac & Claudio Virgineo, Audemaro Talao*, qui ſtabat à partibus Regiis, religioſorum & conuentus defenſioni annuente, cuius decretum refert, *Ioannes à Fraxino in collectione decretorum ſecundum ſeſſionum ordinem, lib. 5. cap. 21.*

53. Et ex eo illud velim adnotari, ex iis canonicis, quoſdam habuiſſe ſeparata beneficia, & præbendas, ſic enim ibidem appellantur, alios verò non item, & illud alios in ciuitatibus fuiſſe, alios in monaſteriis, ex quibus poſteriores iſti, ſucceſſu temporis canonici regulares appellati ſunt, præſertim ij, qui ſe regulæ d. Auguſtini ſubiecerunt, quem conſtat clericos, ad vitæ communionem reuocaſſe, non tamen inuitos, *can. certè ego. 12. quæſt. 1.*

54. Et quamquam eorum, qui in monaſteriis degebant, ſtrictior fuerit regula, tamen exiſtimandum non eſt, eos qui ciuitatibus, & præſertim in epiſcopiis habitabant, omnis regulę expertes fuiſſe, idque apparet ex eo quod, ſecundum ſuam regulam viuere iubentur, epiſcopo vitam eorum regente, vt habetur in *d. lib. 1. cappit. Carol. Mag. capite 73.*

55. Verum etiam ex eo quod, in eodem conclaui dormire, & in eodem refectorio cibum ſumere, victum denique & veſtitum, iuxtà epiſcopi facultatem, accipere iubentur, *Concilij Turonenſis ſub Carolo Mag. cap. 23.* idemque colligitur, ex *Tolet. 4. cap. 22. & 23.* vt meritò religionem quamdam clericalem, non verò monachalem agere non viderentur, vt loquitur *Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario, lib. 1. cap. 37.*

56. Et ex eo factum eſt, vt canonici, ſimpliciter appellari cæperint ij, qui circà epiſcopum verſabantur, alij verò, qui in monaſteriis, regulares, eiuſdem Concilij Pariſienſis decretis, & *lib. 3. capit. Car. Magn. capit. 18. & lib. 5. cap. 181.* vndè & illud eſt, quod alij canonìcè, alij verò regulariter viuere iubentur, *eod. lib. 5. cap. 79.* alij ſub canonica, alij verò ſub regulari diſciplina, *capite præcedenti & 137. eiuſdem lib.*

57. Qualis autem fuerit, canonica illa diſciplina, diſcere poſſumus ex *eodem lib. capit. 115. in omnibus*, inquit, *quantum humana permittit fragilitas, decreuimus, vt canonici clerici, canonicè viuant, obſeruantes diuinæ ſcripturæ doctrinam, & documenta ſanctorum Patrum, & nihil ſinè licentia ſui epiſcopi, vel magiſtri eorum*, nota eos habere magiſtros, *compoſitè agere præſumant, in vnoquoque epiſcopatu, vt ſimul manducent, & dormiant, vbi his facultas, id faciendi ſuppetit, vel qui de rebus eccleſiaſticis, ſtipendia accipiunt, in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus, mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur, ad menſam ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum canones, magiſtris ſuis exhibeant.*

58. Sed cum hæc diſciplina, in curiâ epiſcoporum, non adeò ſtrictè obſeruaretur, euenit vt ſuo, quiſque arbitrio, atque etiam ſeorſim viuere incæperit, quod vt commodè

Digitized by Google

facere poſſent, conſentientibus Epiſcopis, Eccleſiæ reditus inter ſe diuiſerunt, & ſua quiſque ſtipendia, ſeu præbendas, ex omnibus Eccleſiæ bonis, percipere cæperunt, vndè præbendarum origo, tametſi iam antè, quidam ex canonicis beneficia, ſeu præbendas haberent, vt adnotatum eſt ſuprà ex *libro 3. addit. capit. Carol. Mag. cap. 77.*

59. Hoc tamen obſeruandum eſt, diuiſionem illam, non tàm fuiſſe prædiorum, & rerum in quibus dos Eccleſiæ conſiſtit, quàm redituum ipſorum, nam & Gelaſius prohibuerat, ne cuiquam clerico, proportione ſua ſolum Eccleſiæ, ſeu fundus deputaretur, *can. vobis 12. quæſt. 2.* & ſufficit ad beneficium diſtinctè conſtituendum, ex communi reditu partem vnicuique aſſignari, vt docuì in fine capitis præcedentis.

60. Cæterùm illa diuiſio non impedit, quominus eodem modo, ſui quiſque beneficij reditus, diſtribuere debeat, quemadmodum olim, ab Epiſcopo diſtribuebantur, nimirum vt & his, qui ſibi aſſignati ſunt, primi ſibi neceſſaria percipiat, quidquid verò ſupereſt, in communes Eccleſiæ neceſſitates impendat, vt rectè Gratianus ſentit, in *can. nulli, ſub finem, 12. quæſt. 1.*

61. Hactenùs de origine bonorum Eccleſiaſticorum, qualitate & diuiſione, & eorum diſpenſatione, & qua forma fieri debeat, ſequitur alterum caput, de fundatione Eccleſiarum, & dote earumdem, in quibus rebus conſiſtere poſſit, ac debeat, & quibus ſufficere, quod erit materia ſubſequentis diſputationis.

CAPVT SECVNDVM.

De Eccleſiarum fundatione & dote, & de ſubiectione earumdem.

1. *Ordo & diſtributio, huius capitis.*
2. *Ordinis præmiſſi, ratio redditur.*
3. *Altera ratio, præmiſſi ordinis ſubijcitur.*

1. VT igitur aliquis huic capiti ordo illuceſcat, & ſequentis diſputationis ſeries primum pateat, in tres partes diſtribuemus, quarum prima erit de fundatione Eccleſiarum, ſiuè earumdem ædificatione, conſtructione & conſecratione, ſecunda de dote, & in quibus conſiſtere poſſit, ac debeat, tertia & poſtrema in quibus Eccleſiæ ipſæ, Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiiciantur.

2. Cum enim nullum ſit beneficium, abſque aliquo reditu temporali, vt dictum eſt ſuprà, ad verba definitionis *cum ſuo reditu*, reditus autem, ex bonis Eccleſiaſticis percipiatur, de quorum origine, & diſpenſatione dictum eſt, in capite præcedenti, conueniens eſt, hoc loco tractare, de beneficiorum fundatione, ac dote, vt intelligamus quomodo beneficia, ab initio conſtitui potuerint, quæque in eorum conſtitutione requirantur.

3. Sed & cum reditus illi, pro officio præſtentur, & beneficium, propter officium dari dicatur, *cap. vlt. de reſcript. in 6.* officium autem, vt plurimum, in aliqua Eccleſia ſit celebrandum, quæ eſt veluti titulus, & ſedes ipſius beneficij, non poteſt, de fundatione Eccleſiæ diſputatio inſtitui; quin de eiuſdem conſtructione, atque ædificatione, nec-non etiam de conſecratione, permixtim agatur.

PRIMA PARS.

De ædificandis Eccleſiis.

1. *Generalis præmiſſio, ad hanc diſputationem.*
2. *Quid capellæ, & oratorij nomine ſignificetur.*

1. SCiendum eſt ergo, multum intereſſe, vtrum aliquis Eccleſiam ædificare intendat, quæ populi Chriſtiani vſibus ſit ſeruitura, & in quam omnes, ad orandum conuenire volentes, recipiantur, quales ſunt eæ, de quibus, in *can. futuram in fine* 12.

quæſt. 1. can. ſi quis etiam de conſecrat. diſtinct. 1. vt putà parochiales eccleſiæ, monaſteria an ſui tantùm, vel familiæ cauſa, quæ proprio nomine oratorium vocari ſolet, & nonnumquam capella.

2. Verum enim, quamuis hæc vocabula, plerumque generaliter accipiantur, pro quibuſcumque eccleſiis, vel Baſilicis, ſiue parochialibus, ſiue aliis, vt in rubrica decretalium, de capellis monachorum, tamen conſtat ſæpius admitti, vt priuatas ædes ſignificent, in quas communis non ſit aditus, ſed quæ priuatorum commodo, & cuiuſque arbitrio extructæ ſunt, vt priuatim orationi vacare liceat, ità vt publicis ædibus opponantur, in *can. Eccleſia & can. quicumque 16. quæſt. 1. & in can. concedimus de conſecrat. diſtinctione 1.*

---

§. PRIMVS.

De Oratoriis priuatis.

1. *Licet vnicuique oratorium habere in propria domo.*
2. *Non licet in Oratoriis priuatis Miſſam celebrare, niſi ex conſenſu & auctoritate Epiſcopi.*
3. *Tentatur in Oratoriis priuatis licere Miſſam celebrare, ſuper altari viatico inſcio Epiſcopo.*
4. *Probatur conſenſum Epiſcopi, celebranti ſuper altari viatico neceſſarium.*
5. *Probatur altero argumento à priuilegio minorum & prædicatorum deducto.*
6. *In Oratoriis priuatis non licet celebrare Miſſam, in maioribus anni feſtiuitatibus.*
7. *Nota* ad ſuccurſales Eccleſias, & cap. omnis vtriuſque de pœnitent. & remiſſ.
8. *Probatur in Eccleſiæ ſuccurſalis erectione in ſuburbio Pariſienſi ſancti Iacobi.*
9. *Campana ſignum loci publici, non Oratorij priuati.*
10. *Campanarum pulſus obſeruatus in miſſione in poſſeſſionem rectoris paroeciæ.*
11. *Oratoria priuata quamuis aſſignatis reditibus inſtituta, non ſunt beneficia, antequam ab Epiſcopo fuerint approbata.*
12. *Quando hoſpitale locus religioſus dicatur.*
13. *Cum in Hoſpitali publice campana pulſatur locus ſacer præſumitur.*
14. *In Oratoriis priuatis, clerici propria auctoritate inſtitui poſſunt, à fundatoribus.*
15. *Solum epiſcopi decretum, beneficium conſtituit.*
16. *Oratorij priuati fundatio, ante acceptationem, & epiſcopi confirmationem, reuocationi ſubiacet.*
17. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis in purpuris pronunciato.*
18. *Tentatur hæredes fundatoris donationem nondum acceptatam reuocare non poſſe.*
19. *Decretum curiæ Pariſienſis in id adducitur.*
20. *In Oratoriis priuatis non debentur procurationes.*

1. NVnc igitur vt ab Oratoriis incipiam, conſtat vnicuique fidelium licere, in propria domo, vel fundo oratorium habere, ſine conſenſu atque auctoritate Epiſcopi, dummodo ibi Miſſa non celebretur, *can. vnicuique de conſecrat. diſtinct.* 1. aut ſi celebretur, oportet auctoritatem & conſenſum Epiſcopi interuenire, qui ex cauſa illud permittere ſolet, veluti ſi parœchia longè diſtet, & propter diſtantiam loci familia fatigetur; *can. clericos, & can. ſi quis etiam eadem diſtinct.*

2. Et hoc eſt quod dicitur, in *can. 1. & 2. & can. Miſſarum de conſecrat. diſtinct.* 1. miſſarum ſolemnia, non niſi in locis Deo ſacratis, celebrari poſſe, niſi ſumma neceſſi-

Digitized by Google

tate exigente, idque ex conſenſu epiſcopi, & hoc ſenſu explicatum eſt *cap. Eccleſia de immunit. Eccleſ* vbi dicitur, in eccleſiis nondum conſecratis, diuina miniſteria celebrari poſſe, conſentiente videlicet Epiſcopo.

3. Sed numquid ſufficit in capellis, ſeu oratoriis, & aliis locis non conſecratis, cum tabula conſecrata, quæ viaticum altare appellatur, *in cap. vlt. de priuileg. in 6. cap. in his eodem apud Greg.* Miſſam celebrare, vt in *can. concedimus de conſecrat. diſtinct.* 1. adeo vt Epiſcopi conſenſus, hoc caſu non videatur eſſe neceſſarius, & requiſitus, hic exiſtimat Innoc. in *cap. 1. de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* hac ratione, quia altare illud viaticum, ab epiſcopo conſecratum, ſuplet vicem ſacri loci.

4. Sunt tamen qui exiſtiment, vtrumque exigi, conſenſum videlicet Epiſcopi, & tabulam illam ſacratam, inter quos eſt *Panormitanus in rubrica de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* quorum præcipua ratio hæc eſt, quod priuilegij loco indultum eſt epiſcopis, vt cum ad eccleſias commode accedere non poſſunt, celebrare poſſint, aut coràm ſe celebrari faciant, ſuper alrari viatico, ex quo ſequitur, non eſſe de iure communi, vt in locis non conſecratis, veluti in oratoriis priuatis, miſſa celebrari poſſit ſuper altari viatico, ac propterea conſenſum epiſcopi concurrere debere.

5. Sed & illud probatur *cap. in his de priuileg. apud Greg.* vbi ſimile priuilegium datur fratribus Prædicatoribus & Minoribus, vt vbicumque fuerint, cum altari viatico celebrare poſſint, & illud additur, citra illud priuilegium id eis non licere, ſine Prælatorum conſenſu, ex quo euidenter apparet, in oratoriis priuatis, quæ conſecrata non fuerunt, Miſſam celebrari non poſſe, niſi hæc duo concurrant, altare viaticum, & Epiſcopi conſenſus.

6. Sed hoc inſuper notandum eſt, ex *d. can. ſi quis etiam de conſecrat. diſtinct.* 1. data celebrandi poteſtate, in priuatis oratoriis, fas non eſſe, in maximis anni feſtiuitatibus, ea vti, ſine ſpeciali eiuſdem Pontificis, ſiue Epiſcopi licentia & auctoritate, qua ratione, gratiam reſidendi ob ſtudia, vel aliâ iuſtâ de cauſâ rectori paroeciæ factam, iiſdem temporibus ceſſare probauimus, ſupra ad verba *militia* cap. 2. de reſid. benefic. debita ex *edicto Blæſenſi* art. 15.

7. Verum & illud ſimiliter obſeruatur in his Eccleſiis, quæ in ſubſidium matricum Eccleſiarum extruuntur, vulgò vocantur *les Egliſes ſuccurſales*, ità enim in his diuina celebrari permittitur, vt ij qui earum ſubſidio vtuntur, celebrioribus anni feſtiuitatibus, matricem Eccleſiam adire teneantur, diuina ſacramenta percepturi, ſed maxime in feſto Paſcatis, vt generalis Concilij Lateranenſis ſanctione, in *cap. omnis vtriuſque ſexus extra de pœnit. & remiſſ.* præcepto ſatisfaciant, quo cauetur vt proprio ſacerdoti ſe ſe ſiſtant parochiani.

8. Illud namque in erectione ſuccurſalis Eccleſiæ, in ſuburbio ſancti Iacobi, Epiſcopi Pariſienſis auctoritate facta, anno 1566. ſtatutum à ſenatu Pariſienſi refert *Choppinus lib. de ſacr. polit. tit 3. num.* 19. & ille honor matrici Eccleſiæ debitus, adiici debet iis, quos Alexander III. matrici Eccleſiæ, à ſubſidiaria vult exhiberi, in *cap. ad audientiam 3. de ædif. vel repar. Eccleſ.* & Honorius III. in *cap. his quæ de mai. & obed.*

9 Hoc quoque obſeruandum eſt, in ſupra dictis oratoriis, etiamſi ad religioſos pertineant, non permitti campanam habere, eamque publicè pulſare, hæc enim ſigna loci publici, & ſacri, *cap. patentibus de priuileg* tametſi non prohibeantur habere campanellam priuatam, & priuatim eam pulſare, vt notat *Panormitanus ibidem, & diuus Hieronimus* in regula ſanctimonialium iubet campanellæ ſonitu in vnum conuocari referente *Hieronimo Magio in lib de tintinnabulis cap.* 2. quod & confirmatum habemus Mediolanenſi Concilio cap. de *campanis relato in tomo 4. Concil. parte 1.* quo ſpectat *cap. vnicum de offic. cuſt. in extrauag. commun.*

10. Verum enim campanæ, & earum pulſus, adeo ſunt ſigna loci publici, imò & conuocationis, in Eccleſia parochiali habendæ, vt ſolis rectoribus parochialium Eccleſiarum, in poſſeſſionem miſſis, campanæ pulſentur, ipſo indicente, & ſignum dante rectore, vt aliàs obſeruatum agnoui, quod in cæteris beneficiis in poſſeſſionem inducendis, non vſquequaque ſeruatur, vbi per ſolum Eccleſiæ introitum & exitum, altaris deoſculationem, ſeſſionem in choro, aquæ benedictæ aſperſionem, & alia ſimilia beneficiorum poſſeſſio adquiritur, vt aliàs dicemus.

11. In tantum autem verum eſt, hæc oratoria priuata, beneficiis non eſſe adſcribenda, vt quamuis domini, qui illa ædificauerunt, certos reditus eis aſſignauerint, & clericos in eis inſtituerint, ad diuina officia in eis peragenda, nihilo magis ſint beneficia, niſi Epiſcopi conſenſus, & auctoritas interueniat, qui fundationem illam ratam, atque acce-

Digitized by Google

ptam habuerit, vt fit in fundatione aliarum Eccleſiarum, *cap. ſignificatum de preb.* & nos infra dicturi ſumus.

12. Et ea ratione ſtatutum, vt quilibet priuatus, propria auctoritate, hoſpitale conſtituere poſſit, nec tamen ita, vt ex eo religioſus locus dicatur, niſi ab Epiſcopo ſit conſtitutus, argumento à contrario ducto, ex *cap. ad hæc de relig. dom. & ibi gloſſa Panormit. & alij §. ſacra inſtit. de re cum diuiſ.* vbi ſacræ res tantum illæ dicuntur, quæ rite per Pontifices à Deo conſecratæ ſunt, cuius conſecrationis ritus & ſolemnia, refert *Greg. Tholoſ. in inſtit. beneſ. cap. 16. num. 2. & ſequenti.*

13. At vero cum dubitatur, hoſpitale ſit publicum, aut priuatum, cum non appareat, an Epiſcopi auctoritate ſit conſtitutum, inquirendum eſt, vtrum publice ibi campana pulſetur, & populus ad diuina publice admittatur, tunc enim verum eſt dicere, publicum eſſe, & Epiſcopi auctoritati, & iuriſdictioni ſubmiſſum, vt docet *Panormit. ad d. capit. patentibus de priuileg. num.* 1. illud namque ſignum eſt loci ſacri & publici, vt ibidem docet *Panormitanus.*

14. Ex his autem quæ diximus, priuata illa oratoria, beneficiis non eſſe adſcribenda multa ſequuntur, primum laicos, qui eiuſmodi oratoria fundauerunt, propria auctoritate clericos, in eis inſtituere poſſe, inconſulto Epiſcopo, ac ſine vlla præſentationis neceſſitate, quamuis regulariter, collatio beneficiorum ad Epiſcopos pertineat, *cap. ex frequentibus de inſtit. apud Greg.*

15. Nec enim beneficia dici poſſunt, antequam ab Epiſcopo fuerint confirmata, & fundatio decreto approbata, quod celtiſmo noſtro dicimus *decreter les fondations*, & ita ſentiunt doctores, & inter cæteros *Guido Papaus quæſt.* 187. *Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſſ. num* 286. *& ſeq. & in tract. nominat. quæſt.* 15. *num.* 17. *Faber. in d. §. nullius de rer. diuiſ. decius conſil.* 121. *& ibi Molinæus in verbo ſtatim*, quod confirmant auctoritate *legis* 3. *cod. de furtis*, vbi rei templo diuino nondum dedicatæ, furtum committi dicitur, non ſacrilegium, ſolo namque dedicationis & conſecrationis actu, fundationes ſpiritalem naturam, & Eccleſiaſticam ſortiuntur, vt dehinc tanquam formata beneficia, ſolis clericis, & in perpetuum ordinarij auctoritate addicantur.

16. Secundum vt priuati, qui hæc oratoria fundauerunt, & dotem eis conſtituerunt, poſſint quandocumque, fundationes illas reuocare, & in dominium ſuum transferre, quæ nec ab eo receſſiſſe intelliguntur, idemque dicendum, ſi ea mente dotem conſtituerunt, vt vellent eam Eccleſiæ adquiri, ſola enim deſtinatio patrisfamilias, ſacram rem non facit, aut Eccleſiaſticam, ſed ſuccedens dedicatio & conſecratio, imo & acceptatio.

17. Verum enim cum donatio, ſine acceptatione nullius ſit momenti, & ad formam, & ſubſtantiam beneficij exigatur epiſcopi conſenſus, vt infrà dicetur, inde ſequitur, ante acceptationem, ac conſecrationem, pœnitentiæ locum eſſe, atque ita fundationem reuocari poſſe, ſicque iudicatum in purpuris, refert *D. Louet. in litt. D. cap.* 3. quamuis in ea quæſtione obſeruauerit, *Ant. Mornacius ad legem* 19. *cod. de ſacroſ. Eccleſ.* duplicem fuiſſe ſenatum, propter auctoritatem alterius, & contrarij decreti, anni 1592. ſed tandem illud præualuit.

18. Quod tamen *Panormitanus in cap. ad hæc de relig. dom.* locum habere dicit, viuo adhuc ac ſpirante donatore & fundatore, nam eo defuncto, non permittitur hæredibus, hanc donationem, ſeu fundationem reuocare, argumento *Nou.* 131. *§. ſi quis ædificationem* quamuis hæredes, iure communi, donationem, nullo acceptationis munimine vallatam, reuocare poſſint, etiam aduerſus minorem, cuius priuilegio gaudere ſolet Eccleſia, vt notat *ibidem Louetius.*

19. Et hic vnus eſt articulus, ſolemni decreto, in purpuris pronunciato, die 20. Ianuarij anni 1607. deciſus, vt notat vigilantiſſimus ſenator *Ioannes Bouquierus in collectione decretorum litt. D, num.* 5. nam & cum de re litteraria bene meritus, Iacobus Amiotus Epiſcopus Altiſſiodorenſis, inſtruendæ iuuentutis cura & ſtudio adductus, domum in formam, & ſpeciem collegij publici, in Vrbe Altiſſiodorenſi ædificandam decreuiſſet, & cum decretis manum admouiſſet, ſola bellorum ciuilium diſcordia ingruente, ab inceptis peragendis abductus fuiſſet, quæ nec viuo implere datum eſſet, nec ſolemni decreto firmare, tamen ædificium velut ciuitati Altiſſiodorenſi dicatum, & conſecratum à fundatore, reclamantibus etiamnum, ſed temere, hæredibus ſenatus addixit.

20. Poſtremum eſt, vt ob hæc priuata oratoria, procurationes ſeu cenſus, qui Epiſcopis eccleſias viſitantibus præſtari ſolent, non exigantur, vt docet *Anaſtaſius Germonius in tit. de conſecrat. Eccleſ. vel alt. argum. cap. vlt. de cenſ.* cum enim, vt infrà plenius docebitur

Digitized by Google

cebitur, in id potiſſimum dos dicatur Eccleſiæ, & Epiſcorum auctoritate firmetur, vt inde procurationibus, viſitationis cauſa exhibendis, ſatisfieri poſſit, conſequens eſt, in his oratoriis, vbi nulla dos conſtituta eſt, vel ſaltem auctoritate Epiſcopi confirmata, procurationes non deberi.

§. SECVNDVS.

De Eccleſiis publicis.

1. *Eccleſiam vſibus publicis inſeruiendam, quiſque poteſt in ſuo fundo conſtruere, modo ſuperioris accedat auctoritas.*
2. *Baſilicæ priuata auctoritate conſtructæ deſtrui debent.*
3. *Vbi Epiſcopus recuſat, quis adeundus.*
4. *Exempti cuius conſenſum exſpectare debeant.*
5. *Olim Eccleſiæ conſtrui non poterant, inconſulto ſummo Pontifice.*
6. *Quæ ſolemnitates ædificationem præcedere debeant.*
7. *Quæ obſeruanda in templis paganis, diuinorum vſibus conuertendis.*
8. *Vbi crux figenda, ibi & altare in conſtituenda Eccleſia.*
9. *Ante ædificationem Eccleſiæ, dos ſufficiens conſtitui debet.*
10. *Conſtitui poteſt & poſt ædificationem.*
11. *Primarius lapis à quo deponendus.*
12. *Huius ſolemnitatis ſeruatæ in Eccleſia exempla.*
13. *Quis locus conſtruendæ Eccleſiæ eligi debeat.*
14. *Fidelium corpora, non communicanda paganorum corporibus.*
15. *Quid agendum vbi corpora paganorum, in loco exſtruendæ Eccleſię deſtinato, reperta ſunt.*
16. *Eccleſia in alieno fundo exſtrui non debet, & quid ſi in alieno exſtructa ſit agendum.*
17. *Eccleſiæ vel in ciuitatibus, vel in agris extrui poſſunt, &* nota ad can. neminem diſtinct. 70.
18. *Monaſteria monialium, extra vrbes exſtrui non debent, & exſtructa, intra cæpta vrbium reuocanda.*
19. *Improbata à ſenatu Pariſienſi tranſmigratio abbatiſſæ de Argenſoliis.*
20. *Heredes fundatoris incæptum Eccleſiæ, aut alterius loci religioſi ædificium, perficere coguntur.*

1. VEnio nunc ad alias Eccleſias, quæ non ad priuatos, ſed publicos vſus ædificari ſolent, vt in cœtus Chriſtianorum conueniat, quod vnicuique in ſuo fundo facere licet, requiſito prius Epiſcopi conſenſu, ac voluntate, *can. nemo de conſecrat. diſtinct.* 1. *can.* 1. *Synodi* 1. *&* 2. *& can.* 4. *Synodi Calchedonenſis, can. quicumque* 16. *quæſt.* 1. *nou. Iuſtin.* 67. *&* 131. *& cap. Car. M. lib.* 5. *cap.* 182.

2. Verum Epiſcopo conſenſum, atque auctoritatem recuſante, ſuperior adeundus *cap. nullus de iure patron. Goffridus in ſumma eiuſdem tituli num. Pan. in cap.* 2. *eodem in fine*, etſi Eccleſia Cathedralis fuerit, neceſſaria eſt auctoritas Papæ *cap.* 1. *ne ſede vac. aliq. innou. can. quidam* 18. *quæſt.* 2. horum enim erectio, maiorum cauſarum numero adſcribuntur, quarum tamen pleraſque, non agnoſcit Gallicana Eccleſia, in *pragm. & concord. tit. de cauſis* & pariter reſpuit, *Vidus Conchilius in memorialibus reformat. Eccleſ. pag.* 134.

3. Si quæ autem, inconſulto Epiſcopo fuerint conſtitutæ, ab eodem dicari debent, maxime ſi nullum corpus, aut reliquiæ martyrum, ibi conditæ fuerint, *can.* 7. *Synodi* 7. *& ibi Balſamon*, aut nulla habitationis, aut poſſeſſionis, vel paſſionis origo, certa probatione manifeſtetur, *cap. placuit de conſecrat. diſtinct.* 1. vt nos fuſius & plenius ſupra docuimus, ad verba definitionis *quædam*, cap. 4. de extinct. benef.

V

4. Et quidem illud adeo verum eſt, ſine conſenſu Prælati, Eccleſiam ædificari non poſſe, vt ſi fuerint perſonæ exemptæ, quę ædificare voluerint, in locis non exemptis exſpectare debeant diœceſani conſenſum, in exemptis vero ipſius ſedis Apoſtolicæ, *cap. auctoritate de priuileg. in 6.* namque ſummus Pontifex, exemptorum Epiſcopus dicitur, & caput, qua ratione Goffridus Vindocinenſis, reſpondet Goffrido Carnotenſi Epiſcopo, qui iuriſdictione ordinaria exemptum, Acephalum appellabat in *epiſt.* 28.

5. Fuit & aliquando tempus, quo in Eccleſia Romana, nullæ Baſilicæ, ſine Romani Epiſcopi auctoritate, conſecrandę eſſent, vt refert *Socrates lib. 2. cap. 8. & 17.* notatus à Romanis emendatoribus *in can. præcepta in verbo antiquis canonibus can. de locorum & can. præcepta & ſequ. de conſecrat. diſtinct.* 1. ſed hodie ſufficit Epiſcopi conſenſus, vt ſupra dictum eſt propter ſedis Apoſtolicæ, ex ſingulis orbis Chriſtiani partibus adeundæ difficultatem, cuius primis temporibus facilis occurſus patebat, vt notat *Ioan. Cardin. Turrecrementa, d. can. de locorum.*

6. Priuſquam vero ædificetur Eccleſia, oportet Epiſcopum ipſum, cum publico proceſſu ad locum accedere, in quo Eccleſia ædificanda erit, & ibi crucem figere, preceſque Deo fundere, *nou. 5. in principio d. nou. 67. & 131. §. ſi quis autem d. can. nemo de conſecrat. diſtinct. & de can. 1. & Balſomon Synodi 1. & 2. Durant. de ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 2. num. 7. nota Boſqueti ad Innoc. 3. epiſt. 7. lib. 3. regiſt.* 15.

7. Et ſi quando templum aliquod idolis dedicatum, ad vſum Eccleſiæ transferendum eſſet, aut plane deſtruendum eſſet, aut collocatione venerendæ crucis expiandum fuit, *l. 25. cod Theod. de pag. ſacrif. & templis*, & ſic diuum Bartholomæum, in conſecratione Eccleſiæ, quæ prius dicata fuerat idolo *Aſtaroth*, crucem per latera infixiſſe, & benedixiſſe, refert *Abdias Babilonius in hiſt. Eccleſiaſt.*

8. Hæc autem crucis fixio, quæ ædificationem præcedit, eo loco fieri debet, in quo altare fabricandum eſt, vt habetur in ordine Romano, & in *notis ad d. can. nemo de conſecrat. diſt.* 1. idque verſus Orientem, ad cuius aſpectum exſtrui debent, vt infra dicetur, vt etiam *deſperabundis, vndique ſpes ſalutis occurrat*, vt ex ſancto Nilo in epiſt. ad Olimpiodorum proconſulem notat *Durant. lib. 1. de rit. Eccleſ. cap. 6. num.* 1.

9. Sed & priuſquam nouæ Eccleſiæ, vel monaſterij fundamenta iaciantur, oportet dotem ſufficientem à fundatore conſtitui, *d. can. nemo de conſecrat. diſt. 1. can. prementis 16. quæſt. 7 can. cum ſicut 8. de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* quę ſit autem dos ſufficiens, in quibus rebus conſiſtere poſſit, ac debeat, & quibus oneribus ſubiaceat, mox dicetur ex ordine propoſito.

10. Quod ſi ante ædificationem, omiſſa fuerit dotis conſtitutio, hic error ante conſecrationem reparari poteſt, imo etiam poſt, quemadmodum in iure ciuili, dos in fauorem matrimonij conſtituta, non tantum nuptias pręcedere poteſt, ſed & ſubſequi, & ideo, poſtquam de ædificatione, aut conſecratione Eccleſiarum dictum fuerit, de dote earum dicturi ſumus.

11 Nec hoc quoque prætermittendum, pridem vſitatum fuiſſe vt in ædificanda Eccleſia, primarius lapis, ab aliquo non contemnendæ auctoritatis viro locaretur, quod & Iuſtinianus feciſſe dicitur, qui collapſum Sophiæ templum aliqua ſui parte inſtauraturus propriis manibus calcem cum tegula accepit, & fundamenta poſuit, vt teſtatur *Georgius Codinus de origine Conſtantinopolis.*

12. Sic & *Nicephorus Calixtus narrat lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap.* 34. Conſtantinum magnum, in Lateranenſi Palatio, quod Siluestro donauerat, ædem ſacram deſignare volentem, & extruere, ligone accepto, primum terram fodiſſe, vt formam Eccleſię deſcriberet, ſicut in ciuitatum conſtructione obſeruari ſolebat, quarum & muri, qui ſancti dicuntur, aratri curuatura definiebantur, vt dicitur in *lege 29. §. vrbs dig. de verb. ſignif.*

13. Quantum autem attinet ad locum, in quo Eccleſia ædificanda erit, primum hoc curæ eſſe debet, vt ſit congruus & vtilis, *can. eccleſias 16. quæſt. & de conſecrat. diſtinct.* 1. qui nec priuatorum nimium coarctetur, vt palatium Principis in *lege quicumque cod. de op. publ.* ſaltem ſordidioribus, vt ſtabulis, & aliis vilioribus officinis, vt habetur in *Concilio Mediolanenſi 3. cap. de his quæ ad ornatum & cultum eccleſia pertinent relato tomo 4. Concil. pag.* 2. nulla enim ędificia, in atrio Eccleſiæ conſtruenda, niſi clericorum *can. nulla 12. quæſt.* 1. nec laicis patere debet habitatio, vt aliàs decreuit ſenatus Pariſienſis, in reformandis habitationibus clauſtralibus, ſancti Martini Turonenſis, die 19. Ianuarij anni 1624.

14. Sed & pręterea cauendum eſt, ne paganorum cadauera, in eo ſepulta ſint quibus enim viuentibus, communicare vetitum eſt, iiſdem nec mortuis permittitur, *can. eccleſiam 1. & 2. de conſecrat. diſt 1. & can. 2. cauſa 24. quæſt.* 2. idemque de excommunicatis dicendum eſt, *cap. ſacris de ſepult.* de quo plura vide apud Henricum Spondanum Epiſcopum Apamenſem *l. 3. de cœmit. ſacris parte 2. cap.* 2. maxime poſtquam in eccleſias, Martirum corpora aſportari cęperunt, vnde & eccleſiis, Martyrij nomen inditum, in *can. nemiuem diſtinct.* 70.

Digitized by Google

15. Si tamen locus aptus videatur ad conſecrandum, priuſquam id fiat, corpora paganorum ibidem ſepulta, exhumari debent, & parietes vel tigna eradi, vt poſtea reædificentur, *can. Eccleſiam de conſecrat. diſtinct.* 1. eaque ratione Paſcalis in honorem Beatiſſimæ Virginis, templum quod hodie vocatur *de populo* ædificaturus, Neronis Imperatoris cor ibi repertum, in Flumen Tiberis eiici mandauit, quod pariter ſtatuit Iulius II. in cadauere Iuliæ filiæ Octauiani Auguſti, quod integrum, & in loco ſacro poſitum in flumen abigi iuſſit.

16. Hoc quoque cauendum, ne in alieno fundo, præter domini voluntatem, ædificetur Eccleſia, ſicut in iure ciuili obſeruatur, vt inuito domino, in fundum alienum, mortuus inferri non debet, nec locus religioſus fieri, paſſim in *tit. dig. & cod. de relig. & ſumpt. funerum*, quod ſi incaute id factum ſit, non erit conſecranda inconſulte, ac temere conſecrata, reſecranda non eſt, ſed pretium domino reſtituendum, *can. comperimus* 14. *quæſt. 6. Silueſter in ſumma verbo Eccleſia* 2. *numero quinto.*

17. Cæterum hoc nihil intereſt, vtrum in ciuitatibus, aut in agris ædificentur Eccleſiæ, vnde in *canone neminem diſtinct.* 70. vbi dicitur, neminem abſolure ordinandum, ſed in Eccleſia ciuitatis, vel poſſeſſionis in martirio, vel monaſterio, Græci legunt ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης quod verbum poſterius, male à Latinis acceptum, poſſeſſionis ſortem & nomen accepit, cum potius hanc interpretationem admittere debuerit, in Eccleſia ciuitatis, vel pagi, ſiue vici, diſputationi noſtræ conuenientem, vt inde appareat, Eccleſias vel in ciuitatibus, vel in agris ædificari.

18. Hinc autem excipienda ſunt, monaſteria mulierum, quæ ex Concilio Tridentino, intra mœnia ciuitatum ſunt ædificanda, quæque extra poſita ſunt, ad ſcepta Vrbium reuocanda, *ſeſſ.* 25. *can.* 5. cui ſtatuto vltro obedientes his temporibus vidimus moniales, quæ hoc prætextu, agreſtes domos dimittentes in vrbes irruperunt: ita moniales beatæ Mariæ *de Buxeria*, ſiue *de Buſſiere*, in noſtra vrbe Bituricenſi, ſedes fixiſſe vidimus, ita aliàs paſſim, in hujus vrbis Pariſienſis intima, & ſuburbia tranſiiſſent moniales Vallis Gratiarum, vulgò dictæ, *Val de Grace*, nec-non Portus Regij *le Port Royal.*

19. Sed & cum eamdem vagandi occaſionem amplexa, abbatiſſa de Argenſoliis, *d'Argenſolles* Ordinis Ciſtertienſis, antiquas abbatiæ ſedes immutaſſet, vt quaſi in ipſam principis aulam inuolaret, nouamque ſtationem, in oppido ſancti Germani Laienſis figeret, *ſainct Germain en Laye*, vbi Ludouicus XIII. Rex frequentiorem ſedem habebat, & transmigrationis ſuæ probandæ cauſa, litteras abripuiſſet, reclamantibus etiammum pluribus eiuſdem abbatiæ monialibus, quæ veteri clauſuræ ſe reſtitui poſtulabant, tandem ſenatus Pariſienſis, conquerentium voces exaudiens, tranſmigrationem improbauit, ipſamque abbatiſſam, cum transfugis monialibus, à nouis ſedibus amandari iuſſit, vt in veteres tranſirent, perpetuæ clauſuræ, & ſtabilitatis ibidem obſeruationi vacantes, decreto ex litis recitatione à vigilantiſſimo ſenatore *D. Sainctot.* facta pronunciato die vigeſima-prima Iulij anni 1651.

20. Si quis autem Eccleſiam, vel monaſterium ædificare cæperit, ex conſenſu & licentia Epiſcopi, cæptum opus perficere cogitur, eoque nomine, tam ipſe, quam hæredes eius conueniuntur, *nou. Iuſtin.* 131. § *ſi quis autem*, quod & hiſce diebus contigiſſe vidimus, cum enim eminentiſſimus Cardinalis Dux Richelæus, Sorbonæ collegium, tanquam Prouiſor, de nouo extruere cæpiſſet, incæptiſque mors eius moram attuliſſet, hæredes perficiendi operis cauſa conuenti, iudicium diſtulerunt, arbitriſque ex compromiſſo datis, certæ pecuniæ condemnationem ſubire maluerunt, perficiendo operi inſumendæ.

---

§. TERTIVS.

De Conſecratione Eccleſiæ.

1. *Dedicationis, Conſecrationis & Benedictionis Eccleſiarum promiſcua verba.*
2. *Apud Gentiles Conſecratio, & Dedicatio plurimum diſtant.*
3. *Dedicatio & Conſecratio quandoque etiam apud Paganos idem ſignificant.*
4. *Dedicationis & Conſecrationis origo è ſacris litteris.*
5. *Conſecratio Eccleſiæ debet fieri ab Epiſcopo, aut ab ipſius delegato.*

Digitized by Google

6. *Quæ ſunt iuriſdictionis mandari poſſunt, non quæ ſunt ordinis.*
7. *Gratis fieri debet conſecratio Eccleſiarum.*
8. *Quolibet die fieri poteſt conſecratio Eccleſiarum.*
9. *Encæniorum feſtiuitas ſingulis annis celebranda.*
10. *Conſecratio iterari non debet, ſicut nec baptiſmus.*
11. *Niſi quo caſu dubia ſit conſecrationis fides.*
12. *Quo caſu dubia ſit conſecrationis fides.*
13. *Vbi ædes ſacræ incendio fuerint exuſtæ, iteranda conſecratio.*
14. *Quandonam ædes ſacræ dicantur exuſtæ.*
15. *Quo caſu vetuſtate collapſæ de nouo fuerint extructæ, iteranda conſecratio.*
16. *Quandonam per reparationem inducatur mutatio.*
17. *An ab hæreticis facta conſecratio interanda ſit.*
18. *Nota ad* can. Eccleſiis & ſequentes de conſecrat. diſtinct. 1.

1. ÆDificationem ſequitur conſecratio, quæ & benedictio dicitur in *can. Frigentius 16. quæſt. 7.* & Dedicatio, in *can. Pia mentis eod. & in cap. 2. de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* vt inde pateat, promiſcua eſſe plerumque, dedicationis & conſecrationis vocabula, & ſolo ſono differre, ſi res ſpectemus & Eccleſias, licet in perſonis maxime differant, cum conſecratio ſit maiorum Prælatorum, veluti Epiſcoporum, vt dicitur in *cap. 2. §. in conſecrationis. de feriis*, benedictio vero inferiorum, vt abbatum *cap. cum inter 1. de elect.*

2. Et tamen conſtat, apud Gentiles differentiam longe maximam fuiſſe, inter dedicationem & conſecrationem rerum diis oblatarum, nam dedicari dicebatur res, quæ dicando dabatur, conſecrabatur vero à Pontificibus, quæ iam dicata erat. *Iſidorus lib. 6. ethimologiarum Cicero pro domo ſua* licet *Topiſcus in Aureliano*, nullam differentiam admittere videatur, cum dixerit *ſcribam ad ſenatum petens, vt mittat Pontificem qui dedicet templum.*

3. Sed vt huic diſſidio, ſua concordia reddatur, obſeruandum eſt, duplicem fuiſſe dedicationem, altera quę fiebat priuatim, interueniente ſola dedicantis voluntate, qui rem quam dedicat, ab vſibus profanis, ad diuinos tranſmittit, dequa agitur in *lege penult. dig. de pact. lege 12 dig. decurat. fur. lege vlt. dig. delitig.* altera vero publice habebatur, interpoſita Pontificis auctoritate, *lege 9. dig. de rer. diuiſ.* & de ea *Vopiſcus in Aureliano & Imperator. in §. ſacræ inſtit. de rer. diuiſ. & Marcianus in lege 6. §. ſacræ dig. eod* quæ non differt à conſecratione, cum vtraque Pontificiam deſideret auctoritatem, vt ex d. locis, & ex *Greg. Tholoſ. inſtit. benef. cap. 16. num. 2. Gutherio lib. 3. de vet. iure pontif. cap. 11.* vbi conſecrationis, & dedicationis publicæ, ritus, & ſolemnia pluribus explicanr.

4. Verum dedicationis & conſecrationis origo, ex ſacris litteris eruitur, & multis locis probatur, ſed præcipue his, qui notantur in *cap. 1. & 2. de conſecrat. diſtinct. 1.* quæ & ipſa vt adnotauerunt Romani correctores, in epigraphe eiuſdem *cap. 2.* in pleriſque codicibus pro vno eodemque capite habentur, ſunt autem dicti loci Geneſeos, *cap. 28. 33. & 35. Exod. cap. 30. & ſequenti num. cap. 7. Leuitici cap. 8. lib. 3. Reg. cap. 8. lib. 1. Machab. cap.*

5. Nec verò cuilibet Sacerdoti, Eccleſiam conſecrare licet, ſed Epiſcopo tantum, proprio videlicet, qui plebi, Baptiſmatis ſacramentum contulerit, *cap. 1. de relig. dom.* vbi dubitatur, in qua diœceſi ſit Eccleſia, vel alteri ab eodem deputato, neque enim conſecratio Eccleſiæ, quæ nondum conſecrata eſt, aut reconciliatio eius, quæ polluta eſt, ſimplici ſacerdoti delegari poteſt, *cap. aqua de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* cum ſit ordinis Epiſcopalis, *gloſſam in cap. tranſmiſſam in verbo de talibus de elect.* vbi refert, & per varias ſpecies, & exempla diſtinguit, ea quæ ſunt ordinis, & iuriſdictionis Epiſcopalis.

6. Namque ea quæ ſunt iuriſdictionis, Epiſcopi quidem mandare poſſunt, non vero ea, quæ ſunt ordinis, *d. cap. aqua de conſecrat. Eccleſ. vel alt. & ibi gloſſa in verbo iuriſdictiones* vbi differentiæ, rationem ſubminiſtrat, *Couarruu. lib. 3. var. reſol. cap. 20. num. 3.* verum hoc locum non habet, in ſummo Pontifice, qui, ea quæ ſunt iuris Epiſcopalis, ex diſpoſitione humana, ſimplici ſacerdoti committere poteſt, argumento *legis à iudice cod. de iud.*

7. Gratis autem conſecratio fieri debet, nec quicquam eo nomine, à fundatore exigi, alioquin ſimoniæ labem redoleret, & nauicularia eſſet, ſecundum Goffridum Vindoci-

Digitized by Google

nenſem in *tractatu qui inſcribitur de promiſsionibus pro conſecratione & in lib. 2. epiſt. 11. & in notis à Iacobo Sirmundo additis*, vbi & illud vocabulum *nauicularia* explicat, alludens ad nautarum morem, qui naulum, ſiue mercedem pro tranſuectione accipiunt, tametſi ſponte oblatum accipere liceat *can. placuit, quæſt. 2.* eaſque voluntarias oblationes, pariter approbat idem Vindocinenſis abbas *lib. 4. epiſt. 49.*

8. Verum aduertendum eſt, in poteſtate Epiſcopi manere, qualibet die ſiue Dominica, ſiue priuata, ad conſecrationem procedere, *cap. 2. de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* quamuis Epiſcopi, non niſi diebus Dominicis, conſecrari poſſint, vt ſcribit *Panormit. in cap. cum his de conſecrat. Eccleſ. vel alt. can. qui in aliquo diſtinct. 51. can. quod die diſtinct. 51.* qualis autem ſit conſecrationis ritus, diſce à *Durando lib. 1. rationalis diuin. offic. cap. 6. & à Ioanne de Selua in tractatu de benefic. parte 1. quæſt. 5. num. 147. Durant. de rit. Eccleſ. lib. 1. cap. 24. num. 3. 8. & ſequ.*

9. Huius autem conſecrationis, ſeu dedicationis memoria, quotannis eſt celebranda, exemplo Domini, qui ad Encænia, ſic enim appellatur hæc feſtiuitas. Hieroſolimam veniſſe dicitur, *Ioanne cap. 10. can. ſolemnitates 1. & 2. de conſecrat. diſtinct. 1.* ex quibus patet, non tantum Eccleſiarum gratia, celebrata fuiſſe, ſed & Epiſcoporum, imo & ſacerdotum, vt notant Romani emendatores, in verbis *Epiſcoporum, & ſacerdotum* quod tamen exoleuit, vt notat *Hubertus Morus lib. 2. de ſacris Vnctionibus cap. 3. pag. 104.* horum autem encæniorum fit mentio, à *Balſamone in can. 7. Synodi 7.* de his plura vide, apud *Durant. de ritibus Eccleſ. lib. 1. cap. 24. num. 2. & ſeq. Lacerdam in aduerſ. ſacris cap. 36. num. 1.*

10. Conſecratio autem ad exemplum baptiſmi, iteranda non eſt, *can. Eccleſiis diſtinct. 1. de conſecrat.* & ideo, ne interpoſitæ memoria pereat, ſtatutum in præcedenti articulo, habetur, vt quotannis, encæniorum, ſiue renouationis feſtiuitas celebretur, ne dubij ad ſecunda vota, & ſolemnia feſtinent, quæ alias iterari non debent, exceptis tribus caſibus, qui notantur à gloſſa & per abbatem in *cap. propoſuiſti de conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

11. Primus eſt, ſi ambiguum ſit, vtrum conſecratio facta ſit, necne, *can. ſolemnitates & can. Eccleſiis de conſecrat. diſtinct. 1.* & ſimiliter cum dubitatur, vtrum aliquis ſit baptiſatus, necne, ſine culpa baptiſari debet, nec propterea credendum eſt, baptiſmum iterari, cum & ſi, reuera ante baptiſatus ſit, per ſecundum baptiſmum, nihil conſequatur, *can. presbiteri in fine diſtinct. 68. can. paruulos de conſecrat. diſtinct. 4.*

12. Tunc autem conſecrationis dubia fides eſſe dicitur, cum nullum conſecrationis veſtigium apparet, quale in Eccleſiis vulgo cernitur, nimirum ſignum crucis, in pariete depictum, nec-non ab iiſdem Eccleſiæ parietibus, ante ipſas cruces proſilientia luminiaria quæ in die encæniorum accendi ſolent, ſingulis annis decurrentibus, de quibus *Durandus loco ſupra dicto.*

13. Secundus caſus, ſi Eccleſiæ incendio fuerint exuſtæ, *d. can. Eccleſiis de conſecrat. diſtinct. 1.* licet enim in *lege æde. 57. dig. de contrah. empt.* æde ſacra terræ motu, aut incendio diruta, locus ſacer manere dicatur, ideo intelligitur, vt profanis vſibus, & hominum commercio eximantur, non vt in ea diuina, ante conſecrationem, rite per Pontificem peractam, etiam iure ciuili, celebrari poſſint, remanet enim priuata dedicatio, de qua ſupra, ſed publica extinguitur.

14. Verum ædem ſacram, incendio exuſtam, *gloſſa & doctores in d. can. Eccleſiis de conſecrat. diſtinct. 1.* accipiunt, de incendio maioris partis, argumento *legis domum 57. de contrah. empt.* præcipue vero parietum, idque aperte colligitur, *ex cap. ligneis de conſecrat. eccleſ. vel alt.* vbi dicetur corruente tecto Eccleſiæ, parietibus illæſis, Eccleſiam conſecrandam non eſſe.

15. Tertius caſus eſt, à priori non valde diſſimilis, ſi Eccleſia (quo nomine parietes intelligo, vt ſupra dictum eſt) corruerit, & poſtea de nouo fuerit reſtituta, quo caſu, ſi reſtitutio ſimul, & vno eodemque tempore facta ſit, nulla dubitatio eſt, quin iterum ſit conſecranda, ſed ſi per partes, ac temporis interualla, quod vocant ſucceſſiue, multi ſentiunt, non eſſe opus noua conſecratione, cum ſit eadem Eccleſia.

16. Et vero ad illam opinionem adducuntur, vulgari argumento nauis, quæ ſi adeo ſæpe refecta fuerit, vt nulla tabula permanſerit, quæ noua non ſit, nihilominus eadem eſſe cenſetur, ſicut nos idem ipſi, quamuis quotidie mutemur, *lege proponebatur verſ. itemque nauem dig. de iudic.* & hanc opinionem tuetur *gloſſa*, in *can. ſi motum*, & can. de fabrica de conſecrat. diſtinct. 1. *Hoſtienſis* & alij, à quibus tamen diſſentit *Panormitanus, in cap. propoſuiſti de conſecrat. eccleſ. vel alt.* hac ratione, quia in ſpiritualibus inſpicitur veritas, non fictio.

17. Non addo quartum caſum, qui tamen addendus videretur, ſi Eccleſia ab hæreti-

Digitized by Google

cis, ante fuerit conſecrata, argumento *can. eccleſias & ſequenti de conſecrat. diſtinct.* 1. nam hoc caſu diſtinguendum, vtrum fidem ſanctæ Trinitatis habuerint, priuſquam conſecrauerint, aut non: priore caſu, valet conſecratio, nec iterum repeti debet, *can. eccleſiis in fide ead. diſtinct.* poſteriore non valet, & proinde quæ poſtea fit conſecratio non tam repetita quam nunc primum facta eſſe intelligitur.

18. Et ita explicandus *canon eccleſiis & qui ſequitur ead. diſtinct.* vbi de Eccleſiis, ab Arrianis conſecratis agitur, qui fidem Trinitatis non tenuerunt, *can. ſi qui §. ſed notandum 1. quæſt.* 1. idem quoque, de baptiſmo puerorum, cui conſecrationem Eccleſiarum comparauimus, vt patet toto *titulo de ſacram. non iterandis*, imò & ordinationem clericorum, quæ & eodem caſu iterari debet, vt patet ex *can.* 19. *Nicana Synodi.*

---

§. QVARTVS.

De pollutione, & reconciliatione Eccleſiarum.

1. *Ordo & progreſſus, & connexio, præcedentis diſputationis.*
2. *Quid ſit reconciliatio Eccleſiæ, & quomodo à conſecratione differat.*
3. *Quæ loca pollutionem patiantur, & reconciliationem.*
4. *An in nondum conſecrata Eccleſia, Miſſarum ſolemnia peragi poſſint.*
5. *Dum polluta Eccleſia, ſuſpenſio ſit à diuinis.*
6. *Quibus caſibus polluitur Eccleſia, & reconciliatione indiget.*
7. *Ob cædem hominis, etiam incautam, polluitur Eccleſia.*
8. *Quibus caſibus ob cædem hominis, polluatur Eccleſia.*
9. *Polluitur Eccleſia, miſſione ſeminis humani.*
10. *Item polluitur pagani, vel excommunicati inhumatione.*
11. *Reconcilianda Eccleſia, etiamſi ſucceſſiue renouata fuerit.*
12. *Reconciliatione Eccleſiarum, ſpectanda conſuetudo.*
13. *An vere pollui dici poſſit Eccleſia.*
14. *Probatur Eccleſiam non pollui, ſed reconciliatione egere.*
15. *Ante reconciliationem, diuina celebrari non poſſunt.*
16. *Reconciliatio ab Epiſcopo proprio fieri debet.*
17. *Probatur ea quæ ſunt ordinis, à ſolo ſummo Pontifice mandari poſſe.*
18. *Ea quæ ſunt Imperij, vel lege ſpeciali deferuntur, mandari non poſſunt.*
19. *Quæ reconciliationis ſolemnia.*
20. *Cœmiterium pollui, & reconciliari poteſt.*
21. *Nota* ad can. ſi quis contumax 17. quæſt. 4.
22. *Polluta Eccleſia, an pollutum dicatur cœmiterium, & è contra.*

1. CONſecrationi Eccleſiarum ſuccedit reconciliatio, de qua quia ſpecialis hic habenda diſputatio, effectum eſt, vt in ſuperiori §. præmiſſis caſibus iterandæ conſecrationis, & expoſitis, non reddiderim ſanguinis, aut ſeminis effuſionem, de quibus tamen, in *d. can. eccleſiis de conſecrat. diſtinct.* 1. quamuis enim propter hæc, polluatur Eccleſia, non tamen conſecratur, ſed reconciliatur potius.

2. Quippe aliud eſt reconciliatio, & aliud reconſecratio, vt notant doctores, in *cap. propoſuiſti de conſecrat. eccleſ. vel alt.* tametſi conſecrationis vocabulum, impropriè nonnumquam accipiatur, pro ſimplici reconciliatione, vt in *can. ſi motum & ſeq. de conſecrat. diſtinct.* 1. & pro vtraque, *in d. can. eccleſiis*, vt conſecrationis, dedicationis & benedictionis vocabula, vt mox probauimus.

3. Verum enim reconciliari dicitur Eccleſia, quæ ante polluta fuerat, ſiue conſecrata ſit, ſiue non, nam & ea, quæ nondum conſecrata eſt, pollui poteſt, *cap. vlt. eod* ſatis eſt enim eam, cultui diuino dicatam eſſe à fundatore, vt pollutionem recipiat, ſi quidem in

ea, etiam ante conſecrationem, diuina miſteria celebrari poſſunt, & immunitatis priuilegio gaudet, *cap. penult. de immun. Eccleſ.*

4. Nec tamen miſſarum ſolemnia celebrari poſſunt, niſi cum altari viatico, & conſenſu Epiſcopi, vt dictum eſt ſupra, initio huius capitis, & ſic intelligendi *can. Miſſarum, & can. nullus de conſecrat. diſtinct.* 1. quamuis enim altare viaticum, ſuplere ſoleat vicem loci ſacri, id priuilegij loco datur Epiſcopis, & fratribus Priuilegiatis, Minoribus, Prædicatoribus, quod iuris communis obſtat diſpoſitioni, cui vt locus fiat, & conſenſus Epiſcopi, & cuiuſlibet alterius ordinarij, addendus eſt.

5. Pollutionis autem hic effectus eſt, vt ſiue Eccleſia conſecrata ſit, ſiue non, ſuſpenſio fiat à diuinis, & ne dum miſſa, ſed nec aliud quodlibet diuinum officium in ea celebretur, antequam reconciliata fuerit, *d. cap. vlt. in fine de conſecrat. Eccleſ vel alt.* his verbis, *ne diuinæ laudis organa ſuſpendantur*, & *cap. tuarum de priuileg.* celebrantes tamen, etiam ſcienter, irregularitatem non contrahunt, *cap.* 15. *qui de ſent. excommun. in* 6. tametſi ab officio ſuſpendi poſſint, *d. cap. tuorum verſ. vero.*

6. Tribus autem modis polluitur Eccleſia, primo per ſanguinis effuſionem, *d. can. Eccleſiis de conſecrat. diſtinct.* 1. *& cap. vlt. de conſecrat. Eccleſ. vel alt. & cap.* 1. *eod. in* 6. *d. cap. tuarum de priuileg. apud Greg.* ſanguinis autem effuſionem, violẽtam intelligo, ſiue illato vulnere contingat, ſiue ſine vulnere, veluti ſi per vim ex ore, vel naſo, ſanguis fuerit emiſſus, *Durand. in ratione diuin. offic. cap.* 6. *num.* 40. *& Ioan. de Selua prima parte tract. de benefic. quæſt.* 5. *num.* 155.

7. At vero multo magis, id obſeruari debet, ſi citra vulnus, aut ſanguinis emiſſionem, homicidium iniuriâ, non caſu commiſſum fuerit, *can. ſi motum ead. diſtinct. cap. propoſuiſti de conſecrat. Eccleſ. vel alt. & gloſſam d. cap.* 1. *eod. in.* 6. vbi dicitur, etiam pollui Eccleſiam, cum quis in Eccleſia, vulneratus, extra Eccleſiam ſanguinem ſpargit.

8. Sed è contrario non polluitur, cum quis extra eccleſiam vulneratus, ad eam confugiat, & ibi moriatur, aut ſanguinem effundat, multoque minus, ſi ſupra tectum eccleſiæ ſagitta, vel quouis alio telo percuſſus vulneretur, aut interficiatur *gloſſa ſequens in d. cap.* 1. *in verbo ſanguinis de conſecrat. eccleſ. vel alt. in* 6.

9. Secundo polluitur eccleſia, miſſione ſeminis humani videlicet, veluti per fornicationem, aut adulterium, aut quemlibet illegitimum coitum, aut pollutionem voluntariam, *d. can. ſi motum & can. eccleſiis de conſecrat. diſtinct.* 1. *d. cap.* 1. *de conſecrat. eccleſ. vel alt. in* 6. *cap. ſignificaſti de adult. apud Greg.* illegitimum dixi, quia plerique exiſtimant, per copulam viri atque vxoris non pollui, *gloſſa in d. can. eccleſiis*, quod tamen multi improbant, *Durandus loco ſupra dicto gloſſam d. cap.* 1.

10. Tertio polluitur eccleſia, vel cœmiterium, ſi excommunicatus, in ea fuerit humatus, *capite conſuluiſti de conſecrat. eccleſ. vel alt.* quo caſu, ante reconciliationem exhumari debet, argumento *can. eccleſiam & ſeq. de conſecrat. diſtinct.* 1. *& cap. ſacris de ſepult.* quod pluribus probat Henricus Spondanus Apamœnſis Epiſcopus in tractatu de *Cœmet. ſacris lib.* 3. *parte* 2. *cap.* 2.

11. His igitur caſibus, polluitur eccleſia, & per conſequens reconciliatur: non deſunt tamen qui exiſtiment, etiam alio caſu, reconciliandam eſſe, vt puta ſi ſucceſſione temporis, parietes refecti fuerint, quamuis enim eo caſu dixerimus denuo non eſſe conſecrandam, cum eadem ſemper maneat, indiget tamen reconciliatione, licet eo caſu nemo dixerit, eam pollui, & ita ſentit gloſſa in *d. cap. propoſuiſti de conſecrat. eccleſ. vel alt.* Hoſtienſis, & Innocentius, citati in gloſſa Marginali eiuſdem capituli, idque probari videtur in *d cap. ſi motum de conſecrat. diſtinct.* 1. *can. de fabrica eadem diſtinct. & ibi gloſſa.*

12. Extra hos autem caſus, non polluitur eccleſia, ne quidem ſi altare motum fuerit, vt infra dicetur, nec propter quodlibet aliud crimen, & propterea reconciliatione opus non eſt, niſi forſitam, loci conſuetudo id poſtulet, quæ maxime attendi debet, cum de polluta eccleſia agitur, *Durand. lib. ration. diuin. offic. cap.* 6. *num.* 21. *Ioannes de Selua prima parte tract. de benef. cap.* 5. *num.* 155. *Panormit. in d. cap. propoſuiſti num.* 4.

13. Nec tamen dicendum eſt, eccleſiam reuera pollui poſſe, nec quodcumque ſacrum aliud, vt dicitur, in *cap. veſtra de cohabit. cler. & mul. can. vlt.* 15. *quæſt.* 8. ſed propter exemplum, & terrorem pollui dicitur, quo maior reuerentia, locis ſacris exhibeatur, & vt videntes eccleſiam, quæ in nullo peccauit, propter alterius peccatum lauari intelligant, quantum propter expiationem propriorum, laborare debeant, ex ſententia Theologorum.

14. Sed enim hæc ſententia refertur, & pluribus probatur, in gloſſa *d. cap.* 1. *de conſecrat. eccleſ. vel alt. in* 6. *Durand. loco ſupra dicto. Panormitanus in cap. propoſuiſti de conſecrat. Eccleſ. vel alt. num.* 5. *& in cap. ſi eccleſia eod. num.* 5. ex quo ſequitur, non eſſe opus

Digitized by Google

reconciliatione, quando crimen, propter quod reconciliari ſolet, publicum non eſt, argumento *capit. ſignificaſti de adult. gloſſa in d. cap.* 1. quia eccleſia de occultis non iudicat.

15. Pollutæ igitur eccleſiæ, iis quas ſupra diximus modis, reconciliari debent, nec ante reconciliationem, diuina officia, ſiue miſteria, in eis celebrari debent, vt ſupra dictum eſt, & probatum, *cap. vlt. de conſecrat. eccleſ. vel alt.* vbi polluta eccleſia, quam primum purganda dicitur, *ne diuinæ laudis organa ſuſpendantur.*

16. Verum reconciliatio, vt conſecratio, ab Epiſcopo tantum facienda eſt, neque enim ſimplex ſacerdos, ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, exequi poteſt, etiam mandante Epiſcopo, vt ſupra diximus, quamuis ea, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis, ex mandato exercere poſſit, & tamen poteſt etiam, ea quæ ſunt ordinis, mandante ſummo Pontifice, peragere, argumento *legis à iudice cod. de iud.*

17. Sed & illud poſterius ita intelligendum, ſi modo mandatum ſummi Pontificis, ad ea tantum extendatur, quæ ſunt iuris Epiſcopalis, ex conſtitutione humana, non diuina, vt docet *Panormitanus in cap. aqua num.* 8. *de conſecrt. eccleſ. vel alt. Innocentius in cap. de conſuet. & Greg. Tholoſ. in ſintagm. iur. vniuerſi. lib.* 15. *cap.* 12. *num.* 33. *& ſequenti, Couarruuias lib.* 3. *var. reſol. cap* 20. *num.* 3.

18. Sic etiam in iure ciuili habemus, magiſtratum, ea quæ ſunt iuriſdictionis, mandare poſſe, non ea quæ ſunt Imperij, vel à lege ſpecialiter dantur, *lege* 1. 2. *&* 3. *dig. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd.* quamuis ea omnia, à principe, qui totius iuriſdictionis, & Imperij fons eſt, & origo, mandari poſſunt, priuato cuilibet, *lege à iudice cod. de iud.*

19. Sed etſi, reconciliatio ab eodem fieri debeat à quo & conſecratio, tamen non eſt idem, vtriuſque ritus, fit enim reconciliatio, cum Miſſæ celebratione, & aquæ, cum vino, ſale, & cinere, ſolemniter benedictæ aſperſione, *cap. propoſuiſti, cap. conſuluiſti, cap. aqua, & cap. finali de conſecrat. eccleſ. vel alt. can. ſi motum, & can. de fabrica de conſecrat. diſtinct.* 1. *Durand. lib.* 1. *ration. diuin. off. cap.* 6. *num.* 38.

20. Verum animaduertendum eſt, quod diximus ſupra de reconciliatione eccleſiæ, & eadem etiam, de reconciliatione cœmiterij dicta exiſtimari debere, argumento *cap. conſuluiſti de conſecrat. eccleſ. vel alt.* vbi gloſſa, ex quod reconcilientur cœmiteria, concludit rectè & ea conſecrari ſolere, cum ſint eiuſdem generis, & iiſdem priuilegiis, & immunitatibus gaudeant, in *rubrica & cap. cum eccleſia de immunit. eccleſ. can. ſi quis contumax* 17. *quæſt.* 4.

21. Namque atrij appellatione, in d. canone, videtur ſignificari cœmiterium, præſertim cum ibidem porticus, ab atrio ſeparentur, ita in *can. nemo de conſecrat. diſt.* 1. atrium videtur ſignificare cœmiterium, vnde etiam, in libro Pontificali exſtat rubrica de reconciliatione eccleſiæ, vel cœmiterij, de qua tamen conſecratione, vel reconciliatione, nihil aliud ſpecialius inuenio.

22. Hoc tamen obſeruandum eſt, regulariter verum eſſe, polluta eccleſia, pollui cœmiterium, quod ei contiguum fuerit, non ſi fuerit, medij alicuius loci interiectu diſtinctum, ac ſeparatum, è contrario tamen, polluto cœmiterio, non videri pollutam eccleſiam, quantumuis cœmiterio ſit contigua, ne acceſſorium videatur, ad ſe trahere principale, *cap.* 1. *de conſecrat. eccleſ. vel alt. & ibi gloſſa.*

---

§. QVINTVS.

De Conſecratione Altaris.

1. *Altaria conſecrari debent, ſicut Eccleſiæ.*
2. *Altaria ab Epiſcopo conſecrari debent.*
3. *Plura in vna Eccleſia, & die, conſecrari poſſunt.*
4. *An altare conſecratum, iterùm conſecrari debeat, & quibus caſibus.*
5. *Quid ſigillum, vel ſepulcrum altaris.*
6. *Sigilli, & ſepulcri forma, & quę in eo apponantur.*
7. *Quid recondendum in ſepulcro altaris.*

8. *An*

Digitized by Google

8. *An conſecratio altaris, totius Eccleſiæ reconciliationem inducat, vel contra.*
9. *Polluta Eccleſia, & altaria polluta intelliguntur.*
10. *An altaria viatica, reconſecrari debeant, ſi moueantur.*

1. AB Eccleſiarum conſecratione, transco ad altaria, quæ & ipſa conſecrari debent, modo ſint lapidea, vt dicitur in *can. altaria* 1. & 2. *de conſecrat. diſtinct.* 1. ex quo concludi poteſt, de neceſſitate lapidea eſſe debere, quia Iacob in figuram, lapidem erexerat in titulum, vt obſeruat gloſſa *d. can. altaria*, & ſi quando lignea tabula fuerit, cui altare imponatur, quod dicitur altare viaticum, ſiue portatile, ligno ita compactum eſſe debet, vt videatur immotum, quod & obſeruat Yuo Epiſcopus Carnotenſis, in *epiſt.* 7. & 8.

2. Sed & illud quod dicitur, altare ab Epiſcopo conſecrandum, adnotandum eſt, vt inde pateat, ab Epiſcopo ſolo conſecrandum altare, ſine cuius licentia, ædificari nequeunt, nec conſecrari, vt de Eccleſiis ſupra dictum eſt, *can. nemo de conſecrat. diſtinct.* 1. & *can. miniſtrare* 26. *quæſt.* 6. hæc enim poteſtas, pars eſt Epiſcopalis ordinis, & functionis, quæ nulli alteri, niſi æquali dignitate prædito, mandari poteſt, vt ſupra oſtendimus.

3. Nec quicquam prohibet, plura in vna, eademque Eccleſia, conſecrari, *can. cum his de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* imo, vna & eadem die, ſicut & Epiſcopi, quod notat gloſſa eiuſdem capituli, & probant verba *ſimul poteris conſecrare*, quamuis dubitauerit gloſſa, cum in ipſo Miſſæ ſacrificio celebranda ſit, quod tamen iterari non debet, ab eodem conſecrante, aliud tamen obtinuit, ritus autem conſecrationis petendus ex *Durando lib.* 1. *ration. diuin. offic. cap.* 7. *num.* 4.

4. Cæterum vt Eccleſia, ſemel conſecrata, iterum conſecrari non debet, ſic nec altare, exceptis tribus caſibus; primus, ſi ſit dubia fides conſecrationis, *can. Eccleſia de conſecrat. diſtinct.* 1. ſecundus, ſi ipſum altare motum fuerit, *can. ſi motum de conſecrat. diſtinct.* 1. quod tunc contingit, cum tabula, quæ ſuperponitur altari, mota fuerit, vel enormiter fracta, *cap. quod in dubiis cap. ligneis de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* tertius, ſi lapis ſuperpoſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut etiam diminutus fuerit, *d. cap. de conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

5. Vt autem intelligatur, quid ſigillum, ſciendum eſt, cum conſecratur altare, puſillum foramen, in aliquo lapide fieri ſolere, vt puta in ipſa menſa altaris, vel in latere dextro, aut in parte anteriori, vel poſteriori, quod foramen, ſepulchrum appellatur, in quo clanduntur reliquiæ, ſi quæ forſitam, in conſecratione altaris, conditæ fuerint, vt ſolet, *can. de fabrica de conſecratione, diſtinctione* 1. vbi huiuſmodi reliquiæ, ſanctuaria appellantur.

6. Sed & illorum loco, quidam exiſtimauerunt, condendum eſſe corpus Chriſti, tametſi neque hoc fieri debeat, neque illud ſit neceſſarium, vt docet *Panormitanus in d. cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſ. vel alt. num.* 2. cui videtur aduerſari *Durandus lib.* 1. *ration. diuin. offic. cap.* 7. *num.* 23. & *Ioan. de Selua prima parte tract. de benef. quæſt.* 5. *num.* 107. imo neceſſarias eſſe reliquias, oſtendit *can.* 7. *ſinodi* 7. vbi tamen Balſamon ait, etiam ſine reliquiis, conſecrationem haberi ſolitam.

7. Verum, & in eodem foramine, ſolet apponi nomen Epiſcopi, qui conſecrauit, & ſancti in cuius honorem conſecratum eſt, *Panormit. ibidem* hoc autem foramen, ſeu ſepulchrum, poſtea claudi ſolet, alio lapide qui ſigillum appellatur, & hic eſt, de quo intelligendum, quod ſupra diximus, lapide illo qui ſigillum continet, confracto, aut diminuto, rurſus altare conſecrandum eſſe, *d. cap. idem de conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

8. Cæterum, quibus caſibus, altare denuo conſecrandum eſt, non oportet, Eccleſiam ipſam conſecrare, *quamuis id quidam canones dixiſſe videantur*, vt habetur in *d. cap.* 1. quibus verbis ſignificatur *d. can. ſi motum de conſecrat. diſtinct.* 1. cuius auctoritate Yuo Epiſcopus Carnotenſis, in *epiſt.* 72. & 80. concludit, moto altari, & Eccleſiam conſecrandam, aliud tamen obtinuit, & ratio eſt, quia alia eſt conſecratio eccleſiæ, alia altaris.

9. At vero ex diuerſo, ſi de pollutione agatur, non poteſt pollui eccleſia, vt puta, per ſanguinis effuſionem, vel ſeminis miſſionem, quin ſimul, altaria polluantur, & ratio eſt, quia pollutio, ſpectat totum corpus Eccleſię, qua polluta, etiam altaria polluuntur, & contra, & ideo, vna tantum reconciliatione, opus eſt, quæ ad totum corpus Eccleſiæ extenditur.

10. Et hæc dicta ſufficiant, de conſecratione Eccleſiarum, & altarium, quo nomine,

Digitized by Google

ſignificantur ea, quæ ſtabilia ſunt, non de altaribus viaticis, ſiue mobilibus, de quibus dictum eſt initio huius capitis, nec quicquam addendum hoc loco, niſi quod, huiuſmodi altaria, ſemel conſecrata, vno tantum caſu, reconſecrari ſolent, nimirum ſi lapis, ſigillum continens, fuerit motus, vt ſcribit *Panormitanus in cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſ. vel alt. in fine*, ſed & illud, quod idem Yuo in *d. epiſt.* 72. & 80. altaria viatica, ſiue portatilia, ligneis tabulis, & ſubſtratoriis, ita compacta eſſe debere, vt non moueantur, ex quo, ſi auulſa fuerint, denuo conſecranda ſunt.

SECVNDA PARS.

De Dote Eccleſiis conſtituenda.

1. *Ordo, & ſeries, huius diſputationis.*
2. *Neceſſitas conſtituendæ dotis probatur.*
3. *Dos Eccleſiæ ædificationem præcedere debet, ſed & omiſſa, ante conſecrationem fieri, vel dilata, etiam poſt conſecrationem, conſtitui debet.*
4. *Probatur auctoritate, & exemplo dotis, in matrimonio corporali conſtitutæ.*
5. *Fundator, & hæredes eius, dotare Eccleſiam compelluntur.*
6. *Subſidiaria actio datur, in Epiſcopum, qui conſecrauit.*
7. *Probatur argumento Epiſcopi, Clericum, ſine titulo ordinantis.*
8. *Quandoque de facultatibus matricis Eccleſiæ, noua Eccleſia ædificari debet.*
9. *Quo caſu, ſine dote ædificari poteſt Eccleſia.*
10. *Eius qui dotatam antea, reſtaurauit Eccleſiam, quæ priuilegia.*

1. NVnc venio, ad ſecundam partem huius capitis, quæ eſt, de dotatione Eccleſiarum, quam tamen præcedere oportuit, cum nullus, ædificationem Eccleſiæ, inchoare debeat, niſi prius, dotem ſufficientem ei conſtituerit, *can. nemo de conſecrat. diſtinct.* 1. *nou. Iuſtin.* 67. *cap.* 2. cum tamen ordinem ſequuti ſumus, quem iuris interpretes tenuerunt, in libris iuris ciuilis, dum titulo de iure dotium, titulum de ritu nuptiarum præmiſerunt.

2. At vero, cum inſtitutio Eccleſiarum, ſpiritalis matrimonij inſtar, ſe habeat, quod & corporali matrimonio propius accedit, *cap. inter corporalia de tranſlat. epiſcop.* quâ ratione, nullum in iure ciuili, legitimum habetur, ſine dote coniugium, §. *ſi aduerſus ea inſtit. de nuptiis*, ita in iure canonico, nulla indotata Eccleſia conſtitui debet, quod mirè expreſſit *D. Chriſoſtomus in homil.* 18. *in Act. Apoſt.* iis verbis *quaſi ducta vxore, vel ſponſa, vel data virgine, his erga Eccleſiam dotem inſcribe, illi, ita tibi, benedictionis prædium, multiplicabitur*, quibus iunge Seuerini Binij notas ad *cap.* 5. *Concilij Bracarenſis in verbo niſi antea dotem Baſilicæ tomo* 2. *Concil. parte* 2.

3. Sed ſi ante ædificationem, dotis conſtitutio fuerit omiſſa, oportebit eam, ante conſecrationem fieri, *can. Pia mentis* 16. *quæſt.* 7. *can. placuit* 1. *quæſt.* 2. quod ſi nulla dote conſtituta, conſecrata ſit, adhuc poſt conſecrationem, conſtituenda erit, *cap. cum ſicut de conſecrat. Eccleſ. vel alt.* quod plenius refertur in 5. *compilat. decretal. Honorij III.* Innocentij Cironij ſtudio edita, cuius & ſubiectæ notæ ad idem cap. perlegendæ ſunt.

4. Sed & illud, deſumptum videtur, à iure ciuili, in quo dos, quæ nuptias, vt ſæpius præcedere debuit, poteſt tamen, & illas ſubſequi, & poſt contractas conſtitui, qua ratione, donatio propter nuptias, quæ pari paſſu, cum dote ambulat, vt patet ex *tit. de æqual. dot & donat propt. nup.* & quæ ex eo, iure veteri, ante nuptias dicebatur, quod vt altera, & contraria dos, præcedere deberet, ſed iure nouo, nomen donationis propter nuptias, ſortita eſt, quod dotis exemplo, & conſtante matrimonio, de nouo adſcribi, & augeri potuit, *lege vlt. cod. de donat. ante vel poſt nup.*

5. Verum doti Eccleſiæ conſtituendæ, is erit obnoxius, qui eam fecerit conſecrari, vt ibidem dicitur in *d. cap ſicut de conſecrat. eccleſ. vel alt.* & *in d. can. pia mentis* 16. *quæſt.* 7. & recte quidem, nam vt pater, filiam dotare tenetur, & ad hoc cogi poteſt, *lege capite* 19. *dig. de ritu nup.* & *lege vlt. cod. de dotis promiſſ.* ita & Eccleſiæ fundator, qui eſt veluti quidam

Digitized by Google

Eccleſiæ pater, eoque nomine, etiam hæredes eius, conueniri poſſunt, *d. nou. 31. cap ſi quis autem & Leonis* 14. vt ſupra monuimus.

6. Quod ſi is, qui conſecrare fecit, aut hæredes eius, conſtituendæ doti, ſufficere non potuit, ſubſidiaria actio datur, aduerſus Epiſcopum, qui eam conſecrauit, vt de patrimonio eam dotet, aut ſi commode fieri poſſit, de patrimonio, matricis Eccleſiæ, dummodo, quinquageſimam partem non excedat, argumento *cap. Apoſtolicæ ſupra de donat.* & ita ſentit Panormitanus recte in *d. cap. ſicut.*

7. Nec vero illud, abſque ratione inductum eſt, nam vt alias, qui ſine titulo, aliquem ordinauit, tenetur ei prouidere, *cap. Epiſcopus, & cap. cum ſecundum de præb. gloſſa in cap. cum ſicut de conſecrat. Eccleſ. vel alt. in verbo conſecranda.* Nicolaus Delphinas in Foribus iuris patronatus *lib. 1. num. 98. & ſeq.* ita, & qui conſecrauit Eccleſiam, namque conſecratio Eccleſiarum, & ordinatio clericorum, iiſdem regulis, plerumque gubernatur, vt ſupra admonuimus, ex *can. ſolemnitates Eccleſiarum* 1. & 2. *de conſecrat. diſtinct.* 1.

8. Quandoque tamen, etiam ſine dote, eccleſia ædificari, & conſecrari poteſt, veluti, cum parochiani alicuius eccleſiæ, certis temporibus non poſſunt, abſque magna difficultate, ad eam conuenire, quo caſu, alia Eccleſia ædificari poteſt, ſeruato tamen Eccleſiæ matrici debito honore, & ſic honor explicatur præciſe, in *can* 21. *Concil. Agathenſis*, vt in maioribus anni feſtiuitatibus, parochiani, matrices Eccleſias, adire teneantur.

9. Sed & de facultatibus, matricis Eccleſiæ, quandoque, ſi ſufficiant, nouæ Eccleſiæ, aliqua portio aſſignari debet, *cap. ad audientiam de Eccl ſ. ædific.* ſi vero non ſufficiant, ſine dote, Eccleſia ædificari poterit, vt ſentit Hoſtienſis, quem ſequitur Panormitanus in *d. cap. ad audientiam, Ioannes de Selua prima parte tract. de benef. quæſt* 5. *num.* 168. & de indotatis illis oratoriis, intelligendus, *d. can.* 21. *Agathenſis Concilij, vt & can.* 29. *Epaonenſis Synodi*, vbi Villaria oratoria appellantur, in quibus, nullæ ſanctorum Reliquiæ deponi debent, nec proprij clerici ordinari, priuſquam eis, competens victus, & veſtitus, ſubſtantia deputetur.

10. Eſt & aliud caſus, quo ſine dote, Eccleſia ædificari, & conſecrari poteſt, veluti, ſi iam dotem conſtitutam habeat, & tamen propter vetuſtatem, aut caſum aliquem ſuperuenientem neceſſe ſit, eam reſtitui, tunc enim, permittente Epiſcopo, vnicuique licet eam reſtituere, & reſtauratoris nomen, ac titulum vſurpare, *Nou.* 67. *cap.* 2. inſcripto etiam operi, nomine ſuo, argumento *legis vlt. dig. de oper. publ.* quæ, publica opera exornantibus, illud permittit, manentibus tamen eorum titulis, qui ea fecerint.

---

§. PRIMVS.

Quibus dos Eccleſiæ ſufficere debeat.

1. *Dos Eccleſiæ, ſufficere debet, miniſtris Eccleſiæ alendis, & luminaribus comparandis.*
2. *Sufficientia dotis, præciſe definiri non poteſt, in quibuſlibet Eccleſiis.*
3. *Quot Clerici, in Eccleſia parochiali regenda, inſtitui debeant.*
4. *Rector parochialis, cogi poteſt, ad adſciſcendum ſibi Clericum.*
5. *Non alias cogi poteſt, quam ſi reditus ſufficiant.*
6. *Quid, ineunda ratione congruæ portionis, imputari debeat.*
7. *Vbi ſufficiens non eſt Eccleſiæ reditus, nec oneribus Epiſcopalibus minui poteſt.*
8. *Quot, in Eccleſia Cathedrali inſtituenda, requirantur.*
9. *Quot, in Collegiata conſtituenda Clerici.*
10. *Quot, in conuentuali monachi requirantur.*
11. *Mendicantium monaſteria, ſine dote conſtitui poſſunt.*
12. *Dos Eccleſię, ſufficere debet oneribus Epiſcopalibus perſoluendis.*
13. *Procurationis iura preſcriptioni non ſubiacent.*
14. *Quæ in his perſoluendis, ratio haberi debeat.*

Digitized by Google

15. *Liberum manet Epiſcopo, in conſtituenda dote, rationem onerum Epiſcopalium habere, vel non.*
16. *Dos ſufficere debet, reparandis ædificiis.*
17. *In obligatione reparandarum Eccleſiarum, maxime conſuetudo ſpectari debet.*
18. *An dote deperdita, vel diminuta, à fundatore, aut Epiſcopo, reparanda ſit.*
19. *Quæ ſanctio Caroli Magni, fundatori præcipiens, dotem deperditam renouare.*
20. *Quæ remedia, labentibus Eccleſiis, & doti deperditæ conferenda.*
21. *Cuique Eccleſiæ, ſaltem vnus manſus, tribui debet in dotem.*
22. *Probatur* Amonij Monachi *auctoritate, &* Concilij Colonienſis.
23. *Probatur immunitas manſi, ab omni ſeruitio.*
24. *Quid ſit manſus, in dotem conſtitutus.*
25. *Quandoque dicitur manſus, fundus, vnde percipitur frumentum & vinum pro Euchariſtia.*
26. *Quid manſus apud* Cuiacium, *& quæ quantitas eſſe debeat.*
27. *Impugnatur Cuiaciana manſi definitio.*
28 *Quæ manſi dotalis, debeat eſſe menſura, & modus.*
29. *Reſtituitur* decretalis Honorij III. inſtit. de iure patron. in 5. compil. *quæ à Gregoriana abſceſſerit.*
30. Nota ad illam decretalem Honorij III. de iure patron.
31. *Vnde manſi vocabulum deductum ſit.*
32. *Manſi appellatione, vniuerſitas agrorum ſignificatur, cum manentibus.*
33. *Probatur auctoritate* capit. Carol. Mag.
34. *Manſa vt ſunt apud Cuiacium, in emphiteuſim dari ſolebant, non locari.*
35. *Probatur ex diplomate Henrici Imperatoris, manſum eſſe vniuerſitatem agrorum.*
36. *Manſus ſignificat & coloniam.*

1. DOtem igitur, non tantum conſtitui oportet, ſed & ſufficientem *can. nemo in verbo ſufficiant de conſecrat. diſtinct. 1. d. nou. 67. cap. 2.* quæ quidem ſufficientia, in iis potiſſimum conſiſtit, vt ex ea clerici, ſacro officio, & cuſtodię ipſius Eccleſiæ deputati, commode ſuſtentari poſſint, & luminaria, cultui diuino neceſſaria, comparari, *d. can. nemo de conſecrat. diſtinct. 1. d. nou. 67. cap. 2.*

2. Verum illud certe, & præciſe definiri non poteſt, quandoquidem, hoc pendet ex numero eorum, quos fundator voluerit Eccleſiæ inſeruire, quos tamen, pauciores quam duas eſſe non poſſe, vulgaris ſententia doctorum eſt, argumento *can. illud 7. quæſt. 1. can. in omnibus 81. diſtinct. cap. vlt. de præſumpt. cap. 3. de vit. & honeſt. cler. cap. propoſuiſti de filiis presbit.* quam opinionem gloſſa ſequitur, in *d. cap. 3. & in d. can. nemo de conſecrat. diſtinct. 1. Ioann. de Selua prima parte de benef.* 10. *quæſt.* 5. *num.* 170.

3. Sed hæc opinio, præſertim locum habet, in parochiali Eccleſia, *d. cap.* 3. in cuius fundatione, habenda eſt ratio, decimarum, oblationum, & aliarum obuentionum ſpiritua ium, ſic vt illæ, cum dote Eccleſiæ, ſufficere poſſint, alendis duobus clericis, vt notat Panormitanus in *cap. cum ſicut de conſecrat. Eccleſ. vel alt. num* 5.

4. Et quidem illud, in tantum verum eſt, vt Rector Eccleſiæ parochialis, compelli poſſit, ad adſciſcendum ſibi Clericum, *Ioannes de Selua parte 1. quæſt. 5. num. 171. & ſeq. & ibi Molineus in verbo opinionem*, qui dicit, & hanc opinionem ſibi placere, quidquid infra dicat, idem de Selua, *Panormitanus in d. cap. vlt. de præſumpt. Felinus ibidem*, quod probant doctores paſſim, argumento *d. cap. vlt. de præſumpt. & d. can. illud 7 quæſt.* 1.

5. Sed hoc ſemper, cum illo temperamento accipiendum eſt, ſi reditus ſufficiat, vt notat *idem de Selua parte 1. quæſt. 5. num 172. ſub finem*, cui velim addi eumdem Panormitanum *in d. cap. 1. num. 2. de ædif & repar. eccleſ.* argumento *d. cap vlt. de præſumpt. & cap. de his de ædif. & repar. eccleſ.*

6. Et in ſumma ita concludo, in conſtituenda dote Eccleſiæ, præſertim parochialis, ita rationem ineundam eſſe, vt duobus ſufficiat, iunctis decimis, oblationibus, & aliis caſualibus obuentionibus, quæ & in dotem & portionem congruam imputari ſolent, vt notat

Digitized by Google

Simon Oliuaus ſenator Tholoſanus in deciſ. 2. in quo conuenit, & quodammodo accedit, ad opinionem Gerardi Meinardi, eiuſdem curiæ ſenatoris, niſi in eo quod ab eadem imputatione, diſtributiones quotidianas eximat, *in deciſ.* 19. *lib.* 1.

7. Sed ſi de facto contingat, dotem non ſufficere, alendis duobus clericis, non eſſe cogendum rectorem, ad adſciſcendum ſibi clericum, & ſocium, & multo minus, ad alia onera ſubeunda, etiam Epiſcopalia, cum ſibi imputare debeat, qui Eccleſiam conſecrauit Epiſcopus, quod dotem ſufficientem, conſtitui non curauerit, quorum tamen ratio haberi debet, in conſtituenda dote, rectè notat dominus de Selua *parte prima de benef. quæſt.* 5. *num.* 172.

8. Quod diximus, de Eccleſia parochiali, multo magis locum habet, in Eccleſia Cathedrali, cuius dos, non duobus tantum, ſed & pluribus ſufficere debet, ſi quidem Epiſcopi, non tantum vicarios habere debent, ſed & alios ad Prædicationis officium, audiendas confeſſiones, & iniungendas pœnitentias idoneos, *cap. quoniam cap. inter cætera de off. ordin.* ſed & alias, & qui ſibi, tanquam ſenatores, & à conſiliis aſſidunt, quique Canonici dicuntur.

9. Sed quid dicendum de Eccleſia Collegiata, vel conuentuali, ſeu monaſterio, nimirum communis ſententia eſt, non pauciores in ea, quàm tres inſtitui debere, tot enim numero exiguntur, ad conſtituendum Collegium, *lege neratius dig. de verb. ſignif.* vt ſimiliter ad conſtituendam familiam, *lege deteſtatio* §. 3. *in fine eod. gloſſa in cap.* 1. *in verbo duo de elect. & cap. nobis, in verbo conuentuali de iure patron. & Clem.* 3 *de præſcript.*

10. Sed & illud idem Leo Imperator, in conſtitutione monaſterij, obſeruari præcepit, nimirum vt ſufficiens tribus monachis dos conſtituatur, *nou.* 14. cuius etiam meminit *Balſamon Septimæ Synodi cap.* 14. verba enim collectiua, de tribus ſaltem, nunciari debent, vt apud *Ariſtotelem lib.* 1. *de cœlo* τὸ πᾶν τοῖς τρισὶν ὥρισται omne tribus definitur, *gloſſa tamen in cap. ſicut de conſecrat. eccleſ. & Panormit in cap.* 1. *de elect.* dicit Collegium Eccleſiaſticum duobus conſtare poſſe, quibus ſaltem dos ſufficere debet.

11. Excipienda tamen ſunt, mendicantium monaſteria, quæ ſine dote conſtitui poſſunt, *cap. exiit qui ſeminat de verb. ſignif. in* 6. ſatis eſt enim, in eorum conſtitutione, haberi rationem loci, in quo monaſterium erigitur, vt inde, ſufficientes eleemoſinas colligere poſſint, *cap. quorumdam* 24. §. *volentes & ibi gloſſa in verbo mendicantium de elect. in* 6. *& cap.* 1. §. *confirmatos de relig. dom.* vbi dicitur, *certas poſſeſſiones, aut reditus habere, poſſeſſionem ſeu regulam, eis interdicere, ſed per quæſtum publicum, tribuere victum ſolere, incertam mendicitatem.*

12. Præterea multi exiſtimant, ſufficientem dotem eſſe debere, ad onera Epiſcopalia perſoluenda & hoſpitalitem exercendam, *cap. de Monachis de præb. capit.* 1. *eod. in* 6 *& Clement.* 1. *de iure patron. cap.* 2. *de ſuppl. neglig. præb. gloſſa in capit. quoniam de vit. & honeſt. Cler.*

13. Et hæc quidem onera Epiſcopalia, conſiſtunt in iure procurationis, ob viſitationem exigenda, & cum inde, ab initio fundationis Eccleſiæ, iure communi, impoſita eſſe videantur, *cap. cum venerabilis de cenſ.* nec præſcriptioni ſunt obnoxia, *cap. cum ex officij de præſcript.* vt pluribus tractat. *Adrianus Behottus in tractatu viſitationum & procurationum eiſdem annexarum. Ioannes. Tournetius in collectione ad decretorum materiam beneficiariam litt. V. num.* 24.

14. Verum in iis procurationibus, & aliis oneribus Epiſcopalibus exigendis, ratio haberi debet, facultatum Eccleſiæ, *cap. Sopitæ de cenſ. cap. conquerente de off. ordin. can. cauendum* 10. *quæſt.* 3. ex quo concludit Hoſtienſis, & poſt eum Panormitanus *in d. cap. ſi ut*, non eſſe neceſſarium, vt ab initio talis conſtituatur dos, quæ ſufficere poſſit, ad iura epiſcopalia perſoluenda, & hoſpitalitatem exercendam, quoniam his oneribus, hæ tantum eccleſiæ ſint obnoxiæ, quæ idoneas habeant facultates.

15. Sed & ex his velim ita concludi, Epiſcopum in dote à fundatore conſtituenda, prouidere poſſe ſi velit, vt dos ſufficiat, ad onera Epiſcopalia perſoluenda, & hoſpitalitatem exercendam, tametſi, non ita ſtricte agere debeat, cum fundatore, quandoquidem, iis oneribus, præciſe non teneantur eccleſiæ, niſi in quantum facere poſſunt.

16. Sunt etiam qui exiſtiment, dotem ſufficere debere, ad ſarta tectaque ædificia ſacra tuenda, cum hoc onus, non tantum incumbat rectoribus eccleſiarum parochialium, ſed etiam iis, qui maiora beneficia poſſident, *cap.* 1. *& cap. de his de ædif. & repar. eccleſ. cap. ſi monachus* 16. *quæſt.* 1. *cap. vlt. de his quæ fiunt à mai. parte cap. capp. Carol. Mag. lib.* 5. *canone* 92.

Digitized by Google

17. Sed cum ad hoc onus, cogi non poſſint preſbiteri, niſi aliquid, de bonis Eccleſiæ ſuperſit, *d. cap. de his de conſ. Eccleſ.* idem de eo, quod de ſupra dictis, dicendum exiſtimo, ſub hac tamen exceptione, vt cum agitur, de reparatione Eccleſiarum, ante omnia, conſuetudo loci ſpectari debeat, quæ vt plurimum ius facit, vt notat Panormitanus in *d. cap. de conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

18. Hoc certe obſeruandum eſt, in dote conſtituenda ſufficientiam, ex præſenti tempore, ſpectandam eſſe, nam ſi dos poſtea, caſu aliquo, ſufficiens eſſe deſierit, non erit imputandum Epiſcopo, qui eam acceptam habuerit, vel fundatori qui dotem aſſignauerit, argumento *Legis 2. §. ſi eo tempore de adminiſtrat. rerum ad ciuit. pertinentium.*

19. Inuenio tamen, in capitularibus Car. Magn. *lib. 6. cap. 69.* cautum fuiſſe, vt Eccleſiæ quæ dotem perditam, vel ſubſtractam haberent, ab his, quorum ſunt dotentur, alioquin Epiſcopis permiſſum eſt, ad dominium ſuæ ſedis, eas reuocare, & ſi aliquis liberorum, his reſultauerit, iubentur Epiſcopi, reliquias ex his auferre, & in meliori loco eas ponere.

20. Et quidem illud fere congruit, his quæ ſtatuta habemus, à Tridentinis Patribus *in ſeſſ. 21. de reformat. cap. 7.* vbi Tridentini Patres ſolliciti, vt beneficiorum memoria, & titulus non abſoleſceret, iubent, vbi collapſæ, & vetuſtatis vitio, dirutæ ædes ſacræ, reſtaurari nequeunt, reditus earum, in matrices Eccleſias, & Cathedrales transferri, erectione facta altarium ſub inuocatione Sanctorum, in quorum memoriam, prædictæ ædes, fuerant conſecratæ & dedicatæ.

21. Hoc quoque, non omittam dicere, quod pertinet, ad ſufficientiam dotis, earum Eccleſiarum, quæ non ſunt parochiales, aut Collegiatæ, vel conuentuales, ſatis eſſe, ſi vnus manſus interger, & abſque vllo ſeruitio, illis tribuatur, quod ex Vormaſienſi Concilio relatum eſt, *in can. ſanctorum 23. quaſt. 8. & in cap 1. de cenſ. & lib. 1. cap. Car. Mag. can.* 51. eiuſdem quoque manſi, fit mentio, in *cap ſecundum 23. quaſt. 8.*

22. Sed & his congruit, quod ſcribit Aymonius, Carolum Magnum, ne inopia coacti, miniſtri diuini cultus, in eo ſegnius elaborarent, edixiſſe, vt ſingulis Eccleſiis, manſus tribueretur integer, idque ſecundum veteres canones, ſignificans, canonem illum Vormatienſis Concilij ſupra allatum, à quo non multum abeſt, *can. 4. Synodi Colonienſis*, ne ex dote Eccleſiæ, id eſt ex vno manſo, & quatuor mancipiis, cenſus exigatur, *Cuiacius lib. 1. de feudis.*

23. Porro in eo libertas, & immunitas prædicti manſi, in dotem Eccleſiis aſſignati eminet, primum, quod & à præſtatione decimarum eximatur, vt notat *Helmodius in Cronicis Sclauorum cap. 7.* vbi Comitem Palaborum, trecentos manſos reſignaſſe dicitur, dandos in dotem Epiſcopij, cum omni integritate, tam redituum, quam decimarum: ſecundo, quod in d. Concilio Vormatienſi, ſtatutum habeatur, vt prædicto manſo, ab omni ſeruitio libero exiſtente, ſi quid amplius preſbiteri habuerint, vt de ſenioribus, id eſt dominis, debitum ſeruitium impendere præcipiatur, quæ exceptio, libertatem & immunitatem, prędicti manſi confirmat.

24. Quid ſit autem manſus, non conuenit inter omnes authores, nam *gloſſa in d. cap. 1. de cenſ.* ait manſum Italicis, eſſe quantitatem terræ, quæ duobus bobus ſufficit, in vno anno, ad laborandum, vel vt in *can. ſecundum 23. quaſt.* 8. vnde vnus ruſticus, cum ſua familia, poſſit ſuſtentari.

25. Et tamen, in vtroque loco gloſſa, accipiendum hoc vocabulum eſſe dicit, pro agro, vnde percipitur frumentum, & vinum, ad Euchariſtiam faciendam, quæ poſtrema explicatio, aperte repugnat ſupra dictis auctoritatibus, ex quibus apparet liquido, manſum accipi, pro dote Eccleſiæ, quæ maior eſſe debet, quam vt ſufficiat, Euchariſtiæ conficiendæ.

26. Verius eſt ergo, quod ſcribit *Cuiacius lib. 1. feud. cap.* 1. manſum dici fundum, vnde quis ſe, ac ſuam familiam tueri, ſatis commode poteſt, & vectigal, ſiue cenſum domino præſtare, quæ definitio valde mihi placet, dummodo, præter illud vectigal, ſiue cenſum, quem domino pręſtandum eſſe ait, manſus, qui Eccleſiæ, pro dote aſſignaretur, ſufficiat, alendo ſaltem vni Clerico, alioquin pro dote fruſtra aſſignaretur, vt ſcribit *Anaſtaſius Germonius in tit. de cenſ.*

27. Sed tamen hæc manſi definitio, repugnare videtur, prædictæ Concilij Vormatienſis ſanctioni, vbi preſbiteris interdicitur, ne de prędicto, ſeruitium vllum faciant, pręter Eccleſiaſticum, quod & vocabulum, *gloſſa d. cap. 1. de cenſ.* explicat, de cenſu, qui dominis pręſtari ſolet, itaque rectius dixerim, prędictum manſum, à Cuiacio definitum, intelligendum de profano, & feudo quocumque, qui alteri, quam Eccleſię col-

latus ſit, quem conſtat, ſub onere cenſus, & cuiuſcumque alterius ſeruitij, concedi ſolere, vt ibidem ſit ita vſus apud Cuiacium, quod feudum.

28. Nec vero intereſt, cuius modi, vel menſuræ, fuerit manſus, in dotem Eccleſiæ datus, quem tamen Honorius III. in *cap de iure patronatus in* 5. *compilat. decretal.* ab Innocentio Cironio, nuper edita, quodque in Gregoriana collectione non habetur, illuſtri Regi Mennæ reſcribens, triginta paſſibus definire videtur.

29. Namque his verbis Regiam maieſtatem adhortatur Honorius III. *tuam ſerenitatem rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus cum indecens, modis omnibus videatur, vt Eccleſia memorata, competenti dote penitus ſint expertes, ipſarum cuilibet, ſaltem triginta paſſus terræ, iuxta canonicas ſanctiones, in liberam eleemoſynam, extra cœmiterium, à parte qualibet earumdem, ad domos clericorum faciendas, ibidem liberaliter largiaris.*

30. Sed Innocentius Cironius in notis ad hoc cap. in verbis, *triginta paſſus iuxta canonicas ſanctiones*, dubius & incertus hæret, exquirendis canonicis ſanctionibus, quæ doti, modum dixiſſe creduntur, numque ſiſtat ad *can. ſicut antiquitas* 17. *quæſt.* 4. vel ad Concilij Toletani 12. can. 10. vel Synodi Coyanenſis cap. 12. quæ. 50. paſſus in maiori Eccleſia 30. in minori aſili ſiue ſecuritatis, vel vt media ſæcula dixerunt, ſaluitaris ambitum definiuerunt, plerique tamen alij, 12. Iugerum dotem fuiſſe dicunt, vt *Cuiacius lib.* 1. *feud. tit.* 1. *Fileſac. de ſacr. Epiſcop. auct. cap.* 4. §. 21. *Chopinus de ſacr. polit. in protheoria num.* 8. nulla tamen certa auctoritate ſubnixi.

31. Nam ex diuerſo conſtat, etiam hoc manſi vocabulo, comprehendi villam, & ædificia, in quibus habitant Coloni, ſeu Villici, ac propterea, ſæpe cum manſo, iunguntur manentes, ſiue commanentes, qui & manſuarij à Cironio & Annonio locis ſupra dictis dicuntur, quorum omnium vna eademque origo, à manendo duntaxat, vnde & Gallicum vocabulum *manoir*.

32. Et in ſumma manſus eſt, σύνταξις, ſiue vniuerſitas quædam agrorum, quæ vulgo noſtris *mas de terre*, à Caſſiodoro, & Gregorio maſſa, *Cuiacius loco ſupra dicto*, *Anaſtaſius Germonius in tit. de cenſ. itemque Franciſcus Pithæus in gloſſario ſubiecto. cap. Carol. Mag.* in quibus manſus, ſeu manſa, plerumque hæreditates appellantur, *Cuiacius eodem loco*, quæ antiquis hæredia, Gallis *heritages*, ex quibus cenſus quotannis domino præſtari ſolebat.

33. Namque & illud manifeſtius apparet, ex prædicto additionis Caroli Magni loco, quem ibem Pithæus citat, in hæc verba, *vt quoniam in quibuſdam locis, coloni, tam Fiſcales, quam de caſis Dei, ſuas hæreditates, id eſt manſa, quæ tenent, non ſolum ſuis paribus, ſed & clericis vendunt, & tantum ſellam retinent, & hac occaſione ſic deſtricta ſunt villa, vt non tantum cenſus debitus, inde non poſſint exigi, ſed etiam quæ terra, de ſingulis manſis fuerint, non poſſint agnoſci*, &c.

34. Verum & ille locus, meo iudicio oſtendit, & illud maxime euincit, manſa illa, non locari ſolita, ſed in emphiteuſim perpetuam dari, *à rente fonciere*, vt vulgo dicitur, alioquin qui ea tenebant, non potuiſſent vendere, citat & alium locum, idem Pithæus, ex Diplomate Henrici Imperatoris, apud Lazium, huic ſententiæ conuenientem.

35. Sed ex his, illud etiam apparet, quam verum ſit, quod ſupra dictum eſt, manſum eſſe vniuerſitatem prædiorum, ſed & manifeſtius, ex eodem diplomate, vbi dicitur *vnum regalem manſum, cum omnibus ſuis pertinentiis, & vtriuſque ſexus mancipiis, terris, cultis, & incultis, areis, ædificiis, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarum decurſibus, piſcationibus, ſiluis, venationibus, ſaginationibus, cum omni vtilitate, quæ aut nominari, aut ſcribi poteſt, in proprium tradidimus.*

36. Manſum autem alio vocabulo, coloniam appellari exiſtimo, in *Concilio Valentino cap.* 5. his verbis *ipſi ſæculares, & fideles laici, ſi condere voluerint baſilicas, in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, vnam coloniam veſtitam cum tribus mancipiis dotationis cauſa eis conferant Fileſacus de ſacra Epiſcop. auctor. cap.* 4. §. 2. *Nicolaus Maiſtreus de bonis & poſſeſſionibus Eccleſiarum lib.* 3. *cap.* 1. vbi veſtito manſo, apſum opponit, vt veſtitus dicatur, cum inſtrumento, hoc eſt, ſuppellectile ruſtica, mancipiis, colonis, armentis, & aliis, quæ terræ colendæ conducunt; apſus vero, abſque inſtrumento, inſtructum dicitur in iure ciuili, *lege inſtrumenio dig. de inſtruct. & inſtrum. leg.*

Digitized by Google

§. SECVNDVS.

In quibus rebus, dos conſiſtere poſſit.

1. *Dos Eccleſiæ, conſtitui debet, ex propriis bonis.*
2. *Improbatur dotatio Eccleſiæ, ex latrociniis facta.*
3. *Res aliena in dotem data, reſtitui debet vero Domino, non pretium.*
4. *Nota ad* can. comperimus 14. quæſt. 2.
5. *Ob euictionem rei in dotem datæ, competit actio quanti minoris, ſed & redhibitoria.*
6. *Probatur in dote Eccleſiæ, euictioni locum eſſe, & reſpondetur contrarius argumentis.*
7. *Quo caſu ex rebus alienis, dos conſtitui poteſt.*
8. *Quis ſit modus conſtituendæ dotis, de bonis Cathedralis Eccleſiæ.*
9. *An hoc caſu, neceſſarius conſenſus capituli.*
10. *Vbi diuiſio menſę, vel communio, ex quibus bonis dotatio fieri debet.*
11. *Non licet, modum in donationibus faciendis excedere.*
12. *Dotis certus reditus eſſe debet, non caſualis.*
13. *An oblationes, aut prouentus caſuales, imputari debeant in dotem, aut congruam.*
14. *Tentatur imputari poſſe, quamuis contrarius vſus præualuerit.*
15. *Diſtributiones quotidianæ imputari non debent in dotem.*
16. *Nec alienæ retributiones aduentitiæ.*

1. HActenus dictum eſt, de ſufficientia dotis, videamus nunc, in quibus rebus, dos eccleſiæ conſiſtere poſſit, ante omnia igitur dico, in iis tantum, quæ propria ſunt conſtituentis, conſiſtere poſſe, non in iis, quæ fuerunt aliena, quidquid enim ex ſcelere Deo offertur, omnipotentis non placat iram, ſed irritat, *can. non eſt putanda* 1. *quæſtione* 1.

2. Illud tamen noſtris hiſce temporibus, ſæpius obſeruatum vidimus, à publicanis, & vectigalibus paſſim, qui dum amplam, & opulentam fortunam, quæſierunt, ex populi diſpendio, partem eius, in altaris, aut cuiuſcumque alterius ædis ſacræ erectionem conſecrant, Romanorum militum more, qui latrociniis, & rapinis purgati ſe credebant, ſi partem prædæ, Vulcano obtuliſſent, cùm tamen *Concilium Carthaginenſe* 4. *cap.* 94. eorum, qui pauperes opprimunt dona, à ſacerdotibus refutanda præcipiat: plura vide apud *Nic. Maiſtreum de bon. & poſſeſſ. Eccleſ. parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 15. *quinam oblationes facere non poſſunt.*

3. Nec vero mihi facile perſuadeam, de alieno conſtitutam dotem, non eſſe reſtituendam vero domino, ſed pretium tantum, quod quidam tentant, argumento *can. comperimus* 14. *quæſt.* 6. cui contradicere videtur, Alexandri IV. conſtitutio, quæ incipit *felicis recordationis*, & permittit fratribus Carmelitis, & Minoribus, eorum quæ latrocinio quæſita ſunt, reſtitutiones, ita demum recipere, ſi veri, & legitimi domini inueniri non poſſint.

4. Verum nec ille canon, ſi propius inſpiciatur, reſtitutioni vero domino faciendæ, obſtare videtur, loquitur enim de rebus ipſis, quæ conſecratæ ſunt, dos autem eccleſiæ, non eſt conſecrata, ac propterea, ſi appareat eam, de alieno conſtitutam eſſe, reſtitui debet vero domino, manente aduerſus fundatorem, obligatione, ad ſupplendum quanti minoris, ob reſtitutionem dos eſſe cæpit, argumento *leg.* 4. *cod. de iure dot.*

5. Quamuis enim regulariter, donator euictionis nomine, non teneatur, *lege* 2. *cod. de euict. lege Ariſtò* §. *vlt. dig. eod.* nec redhibitoria actione, ex edicto ædilitio deſcendente, tamen illud in donatione ſimplici, & mere lucratiua, intelligendum eſt, non in donatione oneroſa, vel quæ donatarium aliqua conditione afficiat, hæc enim non propriè donatio,

tio, ſed commutatio, quæ permutationis regulis regi debet, & gubernari.

6. Sed id maxime, in fundationibus obſeruari conuenit, quæ certi cuiuſdam officij, & miniſterij exhibitionem continent, vel depauperato, & ad inopiam redacto fundatori, & patrono, ſubueniendi neceſſitatem, vnde permutationis regulis, decidendæ veniunt, quę euictionem admittit, vel etiam, quanti minoris actionem, argumento *legis ſed & ſi leg. §. plane dig. de petit. hered.* hoc enim negotium, vt eiuſdem legis verbis vtar, veluti quoddam eſt, permutationis genus.

7. Verum vno caſu inuenio, dotem de alieno conſtitui poſſe, vt puta, ſi Epiſcopus, in ſua diœceſi, monaſterium fundare voluerit, aut Eccleſiam iam fundatam, monaſticis regulis informare, vel pro ſua ſepultura exornare voluerit, huic enim centeſimam, illi vero, quinquageſimam partem, redituum matricis Eccleſiæ, donare atque aſſignare poterit, *cap. Apoſtolicæ de donat. cap. paſtoralis de his quæ fiunt à præl. can. ſi epiſcopus, & ſequenti 12. quæſtione 2.*

8. Sed tamen illud, ſub hoc temperamento obſeruari ſolet, vt alterutri Eccleſiæ ſatisfiat, ita vt, & illi cui donatur, competenti ſubſidio ſubueniatur, & ei cui tollitur, graue damnum non inferatur, *d. cap. Apoſtolicæ de donat. & cap. paſtoralis de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit. d. can. ſi epiſcopus & ſequenti 12. quæſt. 2.* qua ratione in iure ciuili, donationes inter virum & vxorem, non probantur, dum alter coniugum, vel nimium ditefcit, vel alter nimium depauperatur, *lege 7. §. 8. & ſeq. dig. de donat. inter vir. & vx.*

9. Nec vero opus eſt, conſenſu capituli, in donatione facienda, iam ædificatæ Eccleſiæ, vel antea, monaſticis regulis informatæ, tametſi, neceſſarius ſit, ab initio, dum Epiſcopus inſtituit ædificare monaſterium, aut iam ædificatum, regulis informare, *d can. ſi Epiſcopus* quem ſic Panormitanus explicat in *d. cap. Apoſtolicæ de donat.* cui iungenda *gloſſa, in verbo elargiri & in cap. paſtoralis in verbis ſalua conſtitutione canonica extra de his quæ fiunt a præl. & Boetij Eponis interpretatio ad cap. officij de teſtam. num. 33. in ſintagm. 1. antiq. Eccleſ.*

10. Et quidem quod dicitur, de bonis Eccleſiæ matricis, quinquageſimam partem, vel centeſimam, nouæ fundationis gratia Epiſcopum donare poſſe, ſub hac diſtinctione accipiendum eſt, vt ſi quidem bona Eccleſiæ, inter Epiſcopum & capitulum non fuerint diuiſa, de communibus bonis, donationem facere poſſit, alioquin, ſi fuerint diuiſa, de his, quæ ad menſam ſuam pertinent, ſic enim Panormitanus explicat verba eiuſdem capituli, ad Epiſcopalem menſam, vel Cathedralem Eccleſiam, pertinentibus.

11. Cæterum quantæcumque fuerint facultates, alterutrius menſæ, non licet Epiſcopo, prædictum modum in dotando excedere, ſiue ſemel, ſiue pluries id facere voluerit, niſi ex auctoritate ſummi Pontificis, *d. cap. Apoſtolicæ de donat. d. cap. paſtoralis de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap. & ibi gloſſa & Panormit. & in can. bonæ 12. quæſt. 2. & ibi gloſſa in verbo quinquageſimam.*

12. Et tamen, vnico illo caſu excepto, non licet, de alieno, dotem eccleſiæ conſtituere, verum vbi, de proprio conſtituitur, parum intereſt, in quo genere bonorum aſſignetur, dummodo reditus, qui ex iis bonis percipitur, quantum fieri poteſt, certus ſit, nec ex caſu pendeat, quod notant, definitionis noſtræ beneficiariæ, *verba cum ſuo reditu.*

13. Verum & illud ideo dico, quod in dote conſtituenda, non multum attendi debent, caſuales prouentus, veluti oblationes fidelium, quæ in congrua portione, vicariis perpetuis aſſignanda, ob eamdem rationem, imputari non ſolent, vt Rebuff. tradit. recte, in *tract. de congrua portione num. 83. & in tract. nominat. quæſt. 9. num. 38. Gerardus Meinardus ſenator Tholoſanus lib. 1. deciſ. cap. 29.*

14. Et tamen qua ratione Simon Oliuæus, eiuſdem curiæ ſenator, oblationes & alios prouentus caſuales, in portionem congruam, imputari debere tentat, *lib. 1. deciſ. cap. 2.* ita in dotem, cuilibet eccleſiæ aſſignandam, adſcribi poſſe, & debere, probari poteſt, ſed potiſſimum ea ratione, quod cum ab ea imputatione, ex eo ſolo eximi credantur, quod ſoli præſentes, & diuinis officiis intereſſentes, hos eccleſiæ fructus, conſequantur, docet quemlibet clericum, ſuo beneficio, ita intitulari, vt in eo perpetuo perſeueret, *can. neminem can. ſanctorum diſt. 70.* ſed tamen id obtinuit, vt ſæpius, nec in portionem congruam, nec in dotem imputentur.

15. Idem quoque dicendum eſt, de diſtributionibus quotidianis, quæ & præſentibus tantum debentur, & cum multis caſibus, contingere poſſit, aliquem, ex iuſta cauſa abſentem eſſe, ea de cauſa in æſtimando valore reditus beneficij, non habetur ratio, earum diſtributionum, ſed groſſorum fructuum, qui veniunt in portatis, vt loquitur regula Cancellatiæ 60. & ideo in *cap. 1. de cler. non reſid. in 6.* ſeparantur huiuſmodi diſtributiones, ab aliis

Digitized by Google

fructibus, quibus congruit, *deciſ. Rotæ 8. de præb. in nouis aliàs 134. de ſentent. & re iud. in antiquiſ, alias numero* 407.

16. Nec aliud dicendum, de his, quæ ex laudabili conſuetudine Eccleſiæ præſtari ſolent, veluti pro benedictione nubentium, aut ſepultura mortuorum, quæque poſt dotis conſtitutionem, ex piis fidelium largitionibus, incrementi loco accedere poſſunt, præſertim, cum in dote conſtituenda, præſentis temporis ratio habere debeat, vt ſupradictum eſt, quamuis in noſtra Lutetia, parochiales Eccleſias agnoſcamus, aliàs indotatas, rectoreſque ipſos, ex ſolis oblationibus & retributionibus ſpiritualibus, adminiſtrationis gratia illatis, alimenta ſibi quærere, quæ & abundantius ſubminiſtrantur.

§. TERTIVS.

De inſtrumento ſtatuendæ dotis, & obedientiæ, neceſſario.

1. *Vt ſolemnis dicatur dotatio, eius nomine inſtrumentum confici debet.*
2. *Probatur exemplo inſtrumenti dotalis, ad nuptias neceſſarij.*
3. *Plura exempla, dotalium inſtrumentorum, vnde petenda.*
4. *Inſtrumentum dotis plerumque continet profeſſionem ſubiectionis Epiſcopo.*
5. *Sed nec expreſſa profeſſio ſubiectionis, ſubintelligitur.*
6. *Quæ forma, ſubiectionis Eccleſiaſticæ promittendæ.*
7. *Quæ forma traditionis dotis.*
8. *Vnde Scotatio ſic dicta.*
9. *Epiſcopus dominus eſſe debet, non dominans in Clero.*
10. *Quæ ſigna ſubiectionis conſtitui debent, & quo tempore.*

1. HOc etiam ſuperaddendum eſt, Epiſcopum ſatagere debet, vt inſtrumentum, dotis ſtatutæ conficiatur, in quo ſigillatim ea deſcribantur, quæ pro dote Eccleſiæ ſunt aſſignata, ex qua cauſa, quibus conditionibus, nomen aſſignantis, & conſecrantis, eaque Epiſcopali ditioni ſubijciantur, & in Archiuis Epiſcopatus recordantur, *can. nemo de conſecrat. diſtinct. 1. can. placuit 1. quæſt. 2. can. Piæ mentis 16. quæſt. 7. can. 1. Synodi Conſtantinop.*

2. Sicut enim, veræ & legitimæ nuptiæ, abſque dotalibus inſtrumentis, æſtimari nequeunt, adeo vt, veram vxorem, à concubina, vel ſaltem minus legitima vxore, ſola ratio, dotalium inſtrumentorum ſeparet, & diſtinguat, *can. omnibus §. concubina can. is qui & ſequenti 34. diſtinct.* ita inſtrumentum dotale, fundationi legitimæ, adeſſe debet, non tantum, vt facilius probetur, ſicut aliæ quælibet ſcripturæ, ſed vt legitima exiſtat.

3. Verum huius conſtituendæ, & probandæ dotis, plura exempla nobis patent, in formulis Marculphi monachi, & veteribus, itemque notis iiſdem additis, & apud Goffridum Vindocinenſem, Yuonem Carnotenſem, Innocentium III. & alios paſſim, vt & apud Aubertum Miræum Bruxellenſem, in cod. piarum donat. item notitia donationum Eccleſiæ Saltzburgenſis, cap. 9. apud Caniſium, vbi illuſtre ſubminiſtratur teſtimonium, Virgilij Epiſcopi Saltzburgenſis Eccleſiam à Guntherio Comite exſtructam non aliter conſecrare volentis quam iuriſdictioni Epiſcopali ſubmiſſam profeſſus fuiſſet.

4. Quod autem diximus, inſtrumentum fieri debere, quo contineatur, Eccleſiam ipſam, cum dote Epiſcopo eſſe ſubiectam, ſignificatur, in *d. can. placuit 1. quæſt. 2.* his verbis & *obſequium ipſius, per donationem carthulæ confirmatam accepit*, quæ quidem cartha, ſuper altare deponi ſolebat, vnde Goffridus Vindocinenſis in tractatu *de promiſſionibus pro conſecratione*, ait, *ſit à manu ſimonia, quando cartha, qua continetur obſequium, ſcripta ponitur ſuper altare.*

5. Et tamen illud conſtat, etiam non expreſſa obſequij mentione, ipſo iure, Eccleſiam ſubeſſe Epiſcopo, in cuius diœceſi ſita eſt, *can. omnes Baſilicæ 16. quæſt. 7. cap. 3. de relig. dom. can. ſi quis Epiſcopum 16. quæſt. 5* etiamſi ſint monaſteria, *can. monaſteria 1. 18. quæſt. 2. & cap. cum dilectus de relig. dom. Fileſ. de ſacr. epiſcop. auct. cap. 7. num. 60.*

Digitized by Google

6. Namque Abbates, Epiſcoporum iuriſdictioni, iure communi ſubiiciebantur, adeo vt, ante conſecrationem ſuam, aut benedictionem, ſubiectioni,, & obedientiæ, profeſſionem emitterent, ad eam formulam, aut conſimilem, quæ à Ciſtertienſibus edi ſolebat, in *cap. ne Chriſtiani de ſimonia* quæque, ſub ipſa conſecratione, publice recitabatur, vt videre eſt apud Goffridum, in eodem tractatu, his verbis expreſſam, *ſit lingua ſimonia cum publice recitatur, illa promiſſio.*

7. Sed vt illa ſubmiſſio àbbatum, fiebat per recitationem carthulæ, ſubmiſſionem continentis, ita ſubmiſſio Eccleſiæ, fieri ſolebat, per traditionem pallij altaris, à fundatore, Epiſcopo factam, vt notatur, in præmiſſo exemplo, monaſterij, à Guntherio Comite exſtructi, quod vt Epiſcopali ditioni ſubiectum, ſecundum canonicas ſanctiones, profiteretur, per pallium altaris, Vigilio Epiſcopo, ipſam Eccleſiam, cum omnibus, quæ antea perdonauit, tradidiſſe dicitur, eodemque, fiebat traditio, rerum dotalium, modico terræ, manu, vel in extremitate pallij accepta, per manus Epiſcopi, aris impoſita, quæ traditio, Scotatio dicitur, in *cap. 2. de conſuet. apud Greg.*

8. Verum cum ex eodem capitulo, ſatis pateat, quid ſit ſcotatio, & quę eius forma, à pleriſque quæri ſolet, vnde ſic dicta fuerit, ea tradendi forma, ſed miſſis variis augurandi rationibus, ad hoc vocubulum, quas ſedulo inquirunt, *Ioannes à Coſta in ſummariis lib. 1. decretal. tit. de conſuet. ad cap. 2. Innocentius Cironius in obſeruat. canon. lib. 1. cap. 9.* ex eo dictam conijcio cum *Simone Oliuæo lib. 4. deciſ. Thol. cap. 1. & in additionibus* quod, cum ſæpius, ſit immobilium traditio, quæ vulgo dicuntur cotta, & in per ſcriptis moribus noſtris *cotteries*, ex eo ſcotationem ſic dictam, vt fundorum traditio, fundationis nomen aſſumpſit.

9. Et hinc eſt, quod omnes Eccleſiæ, Epiſcopum, tanquam dominum agnoſcunt, *cap. grauem de exceſſ. Prælat.* non tamen, tanquam dominantem in clero, vt ait diuus Petrus *canonica epiſtola cap. 5. & can. eſto. 95. diſtinct. can. placuit in fine* 10. *quæſt.* 3. imo vt dicitur in *d. can. eſto. ſacerdotes ſe eſſe nouerint, non dominos.*

10. Et propterea, in ſignum ſubiectionis, cenſum imponere poteſt, aut tempore fundationis, aut conſecrationis, aut donationis, aut immutatis indultæ, vt ait *Lancellotus inſtit. iuris canonici lib. 2. tit de cenſ.* traditionibus enim rerum, quæcumque pacta adiici poſſunt, *lege in traditionibus dig. de pactis* quæ tamen, perfectæ donationi, & traditioni, inſuper addi non poſſunt, ne ſuper inductis grauetur Eccleſia, *can. generaliter §. places 16. quæſt. 1.*

TERTIA PARS.

In quibus ſubiiciantur Eccleſiæ Epiſcopis, ſiue de Cenſibus.

1. *Ordo, ſeries, & connexio, huius diſputationis, cum præcedenti.*
2. *Legis diocæſanæ, & iuriſdictionis, verba potius magiſtralia, quam iuris.*
3. *Legis diœceſanæ, nomen, vnum ex his, quæ generis & ſpeciei nomen obtinent.*
4. *Ratio inueſtigandi ea, quæ ſunt de lege diœceſana, vel iuriſdictionis.*
5. *Altera ratio quærendi, quænam ſint vtriuſque partes.*
6. *Exploſa diſtinctio gloſſa in* cap. dilectus de off. ordinarij.

1. VIdeamus nunc, in quibus ſubiiciantur Eccleſiæ, pleraque enim ex his recenſentur, in *cap. conquerente 16. de off. ordin.* quæ vulgo interpretes, in duo diuidunt, nimirum ea, quæ ſunt de lege iuriſdictionis, & quæ ſunt de lege diœceſana, *cap. auditis de reſtit. in integrum capit. auditis de præſcript.* quorum pariter fit mentio, in *cap. dilectus de off. ordinarij.*

2. Et tamen Panormitanus, in *d. cap. dilectus*, dicit hæc verba, eſſe magiſtralia potius, quam iuris, neque enim, in antiquis canonibus, inuenitur hæc diſtinctio, iurium Epiſcopalium, vt rectè dicere poſſimus, vnam eſſe legem diœceſanam, ſub qua continetur lex iuriſdictionis, *Panormitanus in cap. 1. de ſtatu monach. Innocent. 4. ad d. cap. dilectus Ioannes de Imola eod. num. 6. ſub finem.*

3. Eſt enim legis diœceſanæ nomen, vnum ex his, quæ generalem, & ſpecialem ſignificationem admittunt, vel vt dicitur in iure, quæ & ſpeciei nomen obtinent, vt in iure

ciuili adoptio, quæ adoptionem ſpecialiter ſumptam, & ad rogationem ſpecies habet, & ita generaliter accipitur, legis diœceſanæ vocabulum, *in cap. auditis de præſcript.* ex diuerſo autem, ſtricte, ac ſpecialiter, in *cap.* 1. 10. *quæſt.* 1. *& cap. dilectus de offic. ordinarij, can. cum pro vtilitate* 16. *quæſt.* 1. *& cap. quum ſit* 18. *quæſt.* 2.

4. Verum, ex his omnibus locis colligitur, monaſteria, à lege diœceſana, excepta eſſe, vnde regulam colligit Panormitanus, ſecutus Innocentium IV. in *cap.* 1. *de ſtatu monach.* quibus etiam è noſtris adhæret, *Chopinus lib.* 2. *de ſacra polit. tit. in principio*, aſſerentes omnia, à quibus monaſteria, de iure ſunt excepta, eſſe de lege diœceſana, cætera omnia, de lege iuriſdictionis.

5. Sed & eam regulam, certiorem eſſe ait Panormitanus, quam quæ traditur in gloſſa *d. capit. dilectus de offic. iud. ordin. can.* 1. 10. *quæſt.* 1. nimirum ea, quæ ex parte Epiſcopi; in dando conſiſtunt, eſſe de lege iuriſdictionis, quæ vero in recipiendo, de lege diœceſana, quam & probare videtur, *Innocentius Cironius in paratitlis tit. de offic. iud. ordinarij.*

6. Siquidem ex his, quæ infra dicturi ſumus, manifeſtum erit, monaſteria non eſſe exempta, à procuratione, quæ recipiendo conſiſtit, cum tamen ſint exempta, à lege diœceſana, ex quo ſequitur non eſſe perpetuo verum, ea quæ in recipiendo conſiſtunt, eſſe de lege diœceſana, itaque Panormitanum ſecuti operæ prętium eſt, hoc loco, ſigillatim recenſere omnia, quæ ſunt de lege diœceſana, vt inde pateat, quænam ſint de lege iuriſdictionis.

---

§. PRIMVS.

De Cathedratico ſiue Synodatico.

1. *Cathedraticum, quodnam indictionis genus.*
2. *Cathedraticum, differt ab Entroniaſtico.*
3. *Cathedraticum, & ſynodaticum, ſinonima verba.*
4. *Cathedraticum, & ſynodaticum, duobus ſolidis conſtat.*
5. *Modus indictionis præſtandæ, tempore fundationis, vel conſecrationis dici debet..*
6. *Conſuetudo plurium facit, in præſtatione Cathedrali.*
7. *Vſus Cathedratici, in Eccleſia Græca.*
8. *Quadruplex ius Cathedratici, in prædicta Eccleſia.*
9. *Monaſteria, à Cathedratici ſolutione, de iure exempta.*

1. INter ea quæ ſunt legis diœceſanæ, primum locum tenet cathedraticum, quod eſt indictionis genus, ab Eccleſiis præſtandum Epiſcopo, pro honore cathedræ, ſic enim appellatur, munus Epiſcopale, eo quod olim Epiſcopi, ſedentes in ſolio, & cathedra docerent, *Euſeb. lib.* 7. *hiſt. Eccleſ. cap.* 15. *&* 26. *& tripartita lib.* 5. *cap.* 29.

2. Hoc autem, ius cathedratici exigitur, in recognitionem ſedis cathedralis, cuius ſit mentio, in *cap. Eccleſiis de cenſ. in can. placuit* 2. *& can. nec immerito* 10. *quæſt.* 3. & hoc genus cathedratici differt ab eo, de quo meminit *Iulianus Anteceſſor, nou.* 15. *cap.* 431 *& à Iuſtiniano nou.* 123. entroniaſticum appellatur, quod videlicet, pro conſecrationis labore, dabatur ab Epiſcopo, conſecranti coepiſcopo, vel metropolitano.

3. Verum illud honorarij genus, quod Epiſcopo cathedratici nomine præſtatur, aliàs ſynodaticum appellatur, quoniam in ſynodo, præſtari ſolet, *cap. conquerente de off. ordin. & cap. olim de cenſ.* quamuis Franciſcus Meinardus Anteceſſor Pictauienſis *in repetitione ad d. cap. conquerente de off. ordin.* ſynodaticum, & cathedraticum, in hoc cap. coniungi velit, non quod eadem ſint, ſed quod eadem vtriuſque ſumma, nullam tamen differentiam addit, qua elici poſſit diſtincta eſſe & ſeparata.

4. Illud igitur indictionis genus quod vulgo cathedraticum, ſiue ſynodaticum appellatur definitum eſt, duobus ſolidis, quas aureos intelligi, & quorum ſinguli, ante incrementa monetarum, quinquaginta ſex ſolidos, duodecim denariolis conſtantes valebant, vt obſeruauit *Robertus Cœnalis Abrincenſis Epiſcopus in lib. de pond. & menſ. pag.* 120.

5. Nec tamen omittendum eſt, huius indictionis modum, in fundatione & conſecra-

Digitized by Google

tione Eccleſiæ, definiri poſſe, quoniam, eo maxime tempore, cenſus ab Epiſcopo, in ſignum ſubiectionis conſtituitur, & cathedraticum appellatur, *Lancellotus in inſtit. iur. can. tit. de cenſ. in principio & §. 1. & ſequ. d. cap. conquerente, & cap. olim d. complacuit, & can. illud, & can. inter cæt.* 10. *quæſt.* 3.

6. Hos tamen ſolidos, aureos, aut argenteos eſſe poſſe, ſecundum loci conſuetudinem docet Panormitanus in *d. cap. conquerente*, & recte ſecundum loci conſuetudinem, ſi quidem, ex vetuſto more, præſtari debent, vt cætera iura Epiſcopalia, *d. can. nec numerus* 10. *quæſt.* 3. & in hoc regno præſtari non ſolet, niſi ex continua poſſeſſione, iam præſcriptum fuiſſe probetur, vt notat *Chopinus lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num. 2. & 3.*

7. Hoc autem ius cathedratici, etiam in Eccleſia Græca, conſtitutum fuiſſe apparet, ex iure Græco-Romano, *lib. 4. ſub titulo Georgij Xiphilini*, vbi ius illud canonicum appellatur, quod ſpectes ex more, Pontificibus præſtari ſolet, illud enim vere eſt canonicum, vt & ciuile quod ex moribus deſcendit, *lege 2. dig. de orig. iuris*, & infra dicturi ſumus ad verba definitionis *conceſſa* cap. 4. quibus legibus terminari debeant contentiones beneficiariæ.

8. Verum hoc ius cathedratici, in Eccleſia Grȩca triplex fuiſſe conſtat, ex alia Nicolai cognomento Grammatici conſtitutione deſcripta eodem libro: primum enim fuit, vnius aurei nummi, à ſingulis tantum ſacerdotibus perſoluendi, non etiam diaconis, aut ſubdiaconis: ſecundum pro ordine cuiuſque clerici præſtari ſolebat, & hoc iuxta ordinum differentiam, maius aut minus fuit, vt ibidem dicitur: tertium à laicis præſtabatur, pro modo facultatum, cuiuſque, vel in nummis, vel in ſpeciebus addi poſſit & quartum, quod ab ipſis Epiſcopis, ſingulis annis, Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſubſidij nomine dari ſolebat, cuius fit mentio in *can. 4. Concilij Niceni*, ex Arabico ſermone tranſlati.

9. Cæterum ab onere cathedratici, & ſynodatici monaſteria exempta eſſe patet, ex *d. can inter cætera iuncto complacuit, & can. illud* 10. *quæſt.* 3. vnde ſupra diximus, regulam à Panormitano conſtitutam, & ab Innocentio IV. approbatam, vt ea omnia, de lege diœceſana eſſe cenſeantur, à quibus monaſteria, de iure exempta inueniuntur.

---

§. SECVNDVS.

De tertia vel quarta parte oblationum.

1. *Tertia, vel quarta pars oblationum, eſt legis diœceſanæ.*
2. *Omnes olim reditus Eccleſiaſtici in diſpenſatione Epiſcopi, retenta ſibi portione.*
3. *Vſus Hiſpaniæ, circa diſtributionem redituum Eccleſiaſticorum.*
4. *Quando à portione ſua abſtinere iuſſi ſunt Epiſcopi, & in quos vſus inſumenda.*
5. *Optio data Epiſcopis, portionis retinendæ ſub onere reparationum, vel cedendo ſe liberare.*
6. *Vſus Galliæ, circa diſtributionem redituum Eccleſiaſticorum, & primum Eccleſiæ Cathedralis.*
7. *Oblationes Eccleſiæ Cathedralis, diuiſæ in duas partes.*
8. *Hæc diuiſio facta cum onere reparandarum Eccleſiarum, & alendorum pauperum.*
9. *Quid dicendum, de bonis Eccleſiæ parochialis diſtribuendis.*
10. *Oblationum parochialibus Eccleſiis exhibitarum, tertia, vel quarta pars, debetur Epiſcopis.*
11. *Illa pars eſt legis diœceſanæ, & ideo monaſteria exempta.*
12. *Item & aliæ Eccleſiæ ſeculares, paulatim ab hoc onere, liberæ factȩ.*
13. *Oblationes integrȩ, ſunt de iure parochialium Eccleſiarum.*
14. *Probatur argumento cap.* Paſtoralis de his quæ fiunt à præl.
15. *Oblationes in capellis exhibitȩ, intra fines parœciarum, pertinent ad rectorem.*
16. *Oblationes factȩ, in capella nullius parœciȩ, pertinent ad diœceſanum.*

Digitized by Google

17. *Vtrum adiudicandę oblationes primario rectori an vicario perpetuo.*
18. *Nota ad decretum ſenatus Pariſienſis aduerſus Renatum Benedictum.*
19. *Hodie vicario perpetuo debentur, & probatur decreto curię.*
20. *Diuiduntur plerumque, oblationes, inter rectores, & ędituos.*
21. *An oblationes ſint neceſſariò, & de iure preſtandę.*
22. *Quibus caſibus oblationum pręſtatio, in obligationem tranſiit.*
23. *Nota ad canones oblationum neceſſariam preſtationem pronunciantes.*
24. *Blæſenſis edicti confirmatio, circa inueteratam oblationum conſuetudinem.*
25. *Derogatum in hac parte, Aurelianenſi edicto, quod probauit Tridentina Synodus.*
26. *Oblationes onere facultatis, & libertatis, decreto Curię pronunciatæ.*

1. AD legem quoque diœceſanam, pertinebat olim tertia vel quarta pars oblationum quæ inferioribus Eccleſiis fieri ſolebant, ſed quia, nihil eſt obſcurius, in iure canonico, quam quæ olim, ex reditibus, Eccleſiarum inferiorum Epiſcopi, ſibi vindicare conſueuerant, & quod hodie ſibi vindicare debeant, paucis earepetam, quæ de hoc argumento, mihi comperta ſunt.

2. Verum illud in primis eſt, omnia bona Eccleſiæ, in poteſtate Epiſcopi fuiſſe, quarum reditus, atque obuentiones quaſlibet, ſine vlla differentia, in quatuor partes diſtribuere debebat, vna ſibi retenta, vt docui in capite pręcedenti ex *can. vobis & ſequent.* 12. *quæſt.* 2.

3. Sed & obſeruandum, quod ibidem præmonuimus hanc diſtributionem, non habuiſſe locum in Hiſpania, in qua, tres tantum partes fieri ſolebant, quarum tertia dabatur Epiſcopis, vt conſtat ex *Concilio Toletano 4. cap 32. & Toletano 9. cap. 6.* vnde ſumptus eſt *can. vltimus* 12. *quæſt.* 3. *ex Terraconenſi cap.* 8. ex quo deſumptus *can. decernimus* 10. *quæſt.* 1. *Fileſ. de ſacr. Epiſcop. auctor. cap.* 16. § 2.

4. Ab hac tamen tertia, poſtea abſtinere iuſſi ſunt, eamque reparationi Eccleſiarum relinquere, *cap.* 1. & 2. 10. *quæſt.* 3. vnde illa portio, fabricalis appellari cæpit, vt notat ex veteri manuſcripto, Iacobus Puynuſſonius patronus Tholoſanus in *act. Forenſ. act.* 20. eoque refert, Clementem IV. quæſtum fuiſſe apud Caſtellę Regem, *quod tertiam fabricalem, annis pluribus ſubtraxiſſet, terra ſua Eccleſiis.*

5. Et demum Epiſcopis, optio data eſt, vt ſimallent, tertiam portionem accipere, reparationi Eccleſiarum eſſent obnoxij, ſin minus eam cedendo, ab hoc onere, ſe redderent immunes, *can. vino* 10. *quæſt.* 3. quod & poſterius, ſenſim optauerunt, & hæc quidem in Hiſpania locum habuerunt, vt mox docuimus, in capite pręcedenti.

6. Nam in Gallia, vt ſuſpicor, longe aliter ſe res habuit, ſi quidem ex Concilio Aurelianenſi primo *cap.* 16. & 17. meo iudicio colligi poteſt, differentiam fuiſſe, inter bona Eccleſiæ cathedralis, & oblationes, altari eiuſdem Eccleſię factas, & alia bona, ſeu oblationes inferiorum eccleſiarum, nam *d. can.* 16. ex quo ſumptus eſt *can. antiquitas* 10. *quæſt.* 1. pertinet ad cathedralem eccleſiam.

7. Verum enim ex dictis locis ſiue canon. patet, dimidiam oblationum partem, Epiſcopo tribuendam eſſe, alteram dimidiam clero, in quorum fine videtur innui, alios reditus, ſeu commoda, in Epiſcoporum poteſtate remanere, quod ego ita interpretor, vt diuidantur priſco more, nimirum in quatuor partes

8. Nec tamen illud negauerim, ſic poſſe intelligi, vt omnia bona eccleſię cathedralis, in duas partes diſtribuantur, non vt olim in quatuor, duabus illis partibus, quę alimentis pauperum, & eccleſiarum reparationi, deſtinatæ erant, ad onus epiſcopi, & clerici, ex æquo pertinentibus.

9. Quantum vero, ad bona eccleſiarum parochialium, de quibus nominatim loquitur *can.* 17. *eiuſdem Concilij Aurelianenſis* vnde ſumptus eſt *canon de his* 10. *quæſt.* 1. ſimiliter diſtinguit oblationes, ab aliis eccleſię bonis, veluti terris, vineis, mancipiis, ac ſimilibus, nam in iis, antiquorum canonum ſtatuta, ſeruari iubet, nimirum, vt in poteſtate Epiſcopi conſiſtant, diuidenda tamen, in quatuor partes, vt ſuprà diximus.

10. Ex his vero, quę altari acceſſerunt, id eſt oblationibus quotidianis, tertiam partem, epiſcopis ſeruari iubet, ſicut etiam de decimis, *ſecundum quoſdam*, ait *d. can.* 17. *Concilij Aurelianenſis* quibus verbis, haud dubie, ſignificantur Hiſpani, vt viſum eſt *Feleſacc, in tractatu de ſacra epiſcop. auct. cap.* 16, §. 2. nam poſtea ſubdit, *ſed tamen, nos ſequentes Ro-*

Digitized by Google

manos, ſingulis annis, quartam partem, aut in quarto quoque anno totam, Epiſcopis relinquimus.

11. Ex ſupra dictis igitur apparet, circa oblationum partem, Epiſcopis tribuendam, ſecundum varias locorum conſuetudines, fuiſſe variatum, *can. poſſeſsionis in fine 16. quaeſt. 1. & can. nec numerus §. cathedraticum* 10. *quaeſt.* 3. quantacumque vero fuerit, legi diœcaſanæ, tribui ſolere, & monaſteria, ab eo exempta eſſe conſtat, *ex cap. cum pro vtilitate 16. quaeſt. 1. cap. 1. de ſtatu monach.*

12. Necnon etiam paulatim auctis Epiſcopatuum reditibus Eccleſiæ ſæculares, ab illa parte oblationum Epiſcopis tribuenda, immunes factæ ſunt, iuſſis Epiſcopis in reparationem Eccleſiarum, eam relinquere, *can. placuit, & duobus ſequentibus* 10. *quaeſt.* 3. vel ſub onere reparationis eam accipere, *can. vni.* 11. *quaeſt.* 1. quam tamen dimittere maluerunt, vt ſe reparationum grauamine exonerarent.

13. Hodie igitur oblationes cenſentur eſſe, de iure parochialium Eccleſiarum tantum, quod mirum non eſt, cum canonica portio, ſiue illa ſit tertia, ſiue quarta, poſſit omnino non eſſe debita, ſiue ex conſuetudine, ſiue ex præſcriptione, *cap. de quarta de praeſcript. Greg. Tholoſ. in capit. conquerente cap. 16. num. 2. de offic. ordin. Couarruuias ad capit. officij de teſtam. 1. num. 1.*

14. Sed & illud probari ſolet, argumento *cap. paſtoralis de his quae fiunt à prael. ſine conſ. cap.* vbi obuentionum vocabulo, ſignificantur omnes prouentus, in tantum vt oblationes, quæ fiunt imagini, in pariete depictæ, quocumque loco, pertineant ad Eccleſiam parochialem, intra cuius limites, imago depicta eſt, Panormit. in rubrica de parochiis, & in *cap. dilectus num. 4. verſ. 2. de cuius, de offic. ordinarij.*

15. Necnon idem dicendum, de his, quæ fiunt capellis, ſeu aliis Eccleſiis ſæcularibus, non habentibus curam animarum, nam hæ quoque pertinent ad Eccleſiam parochialem, intra cuius limites, capellæ illæ ſitæ ſunt, Panormit. in *d. cap. dilectus num. 4. verſ. 2. de off. ordin. & d. cap. ad audientiam de Eccleſ. adif. d. cap. paſtoralis, & cap. ex transmiſſa de praeſcript.* & argumento, à contrario ſenſu ducto, ex *d. capit. ad audientiam de adif. vel repar. Eccleſ.*

16. Quod ſi in nulla parochia ſitæ ſunt, ius percipiendarum oblationum, ſpectat ad diœceſanum, argumento *cap. quoniam de decimis,* multo magis ergo oblationes, quæ fiunt ſacra facienti in aliena parochia, cedunt rectori, illius parochiæ, ſiue Eccleſiæ, *Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num.* 25. Panormit. in *d. cap. paſtoralis,* quod & probatur argumento, *cap. requiſiſti de teſtam.*

17. Verum maior dubitatio eſt, vter in percipiendo oblationum emolumento, ſit præferendus primarius rector, an vero vicarius perpetuus, ſed pridem ſenatus cenſuit, primarium curionem præferendum, referente Chopino *l. 2. de ſacr. polit. tit. 7. n. 28.* inter canonicos ſancti Germani Altiſſiodorenſis, in hac vrbe Pariſienſi, primarios rectores Eccleſiæ, ſancti Euſtachij, & Renatum Benedictum, eiuſdem parœciæ vicarium perpetuum, decreto die 13. Februarij, anni 1503. pronunciato.

18. Sed animaduertere eſt, illud decretum curiæ, non definitiua ſanctione pronunciatum, ſed interim, & pendente deciſione appellationis, tanquam ab abuſu, ab ipſo vicario interpoſitæ, à ſententia Officialis Pariſienſis qua primariis Rectoribus oblationes addixerat, adeo vt inde pateat, ſenatum ex temporali iudicio, non perpetuo ius dicere voluiſſe.

19. Nam & alias, vt obſeruauit Laurentius Bochellus, in Bibliotheca iuris Gallici, in verbo *oblationes* ſenatus oblationes, in Eccleſia ſancti Saluatoris exhibitas, eiuſdem Rectori, ſeu vicario perpetuo, deberi pronunciauit, excluſis regularibus ſancti Martini Campeſtris, licet primariis Rectoribus eiuſdem Eccleſiæ, quod & hodie obſeruatur, & æquius eſt.

20. Sed & aliquando, in quibuſdam Eccleſiis, diuiduntur oblationes inter parochum, ſiue curionem, & æditues, ſeu matricularios, vt idem Chopinus auctor eſt *lib. 3. de ſacr. polit. tit. 4. num. 9. Ioannes Canutius in 2. centuria quaeſtionum decretis curiae deciſarum quaeſt.* 10. & certè laici, nullo prætextu oblationes capere poſſunt, etiam in oratoriis à ſe ædificatis, *can. ſi quis baſilicam de conſecrat. diſtinct.* 1. *can. ſanctorum* 10. 1. *quaeſt.* 1. *& can. ſtatuimus 16. quaeſt. 1. cap. quamuis de decimis.*

21. Sed ſcio quæſitum, an huiuſmodi oblationes, licite exigantur, & vtrum de neceſſitate debeantur, nec-ne, quam canoniſtæ, ex ſententia *d. Thomae Aquinatis ſecunda ſecundae quaeſt.* 86. ſic dirimunt, vt quatuor tantum caſibus laicos, huiuſmodi oblationibus faciendis, obſtrictos eſſe dicant.

22. Primum cum longa conſuetudine, hoc ius introductum eſt, in maioribus feſtiui-

Digitized by Google

tatibus aliquid offerre. Secundo cum prædij nomine, veluti pro cenſu, oblatio eſt impoſita. Tertio, ob inopiam Rectoris parochialis. Quarto & poſtremo cum ex propria, vel aliena liberalitate, obligatio proficiſcitur, veluti ex teſtamento, & donatione, vel alia qualibet pactione.

23. Et ita explicandi videntur canones, ex quibus neceſſitas oblationum, Chriſtianis dicitur iniuncta, *can. alia cauſa, can. ſtatuimus* 16. *quaſt.* 1. *can. omnis Chriſtianus de conſ. diſtinct.* 1. *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 3. *num.* 26. *in fine*, quia extra hos caſus, meræ ſunt facultatis & libertatis, vt & donationes, quæ dum, in neceſſitatis cauſam tranſeunt, omnino extinguntur, donari enim intelligitur, quod nullo cogente iure conceditur *lege donari dig. de donat.*

24. Ex his vero quatuor caſibus, primum confirmatum habemus, conſtitutione Blæſenſi relata in collatione *conſtit. reg. lib.* 1. *tit.* 3. §. 57. quæ conſtitutio lata eſt, anno 1579. & ea ſancitum ab Henrico III. Rectores Eccleſiarum parochialium, de cętero tuendos, in iure percipiendarum oblationum, & aliorum iurium, prout longa conſuetudine, & inueterata, antea receptum fuit.

25. Et ea quidem conſtitutione derogatum eſt, *Conſtitutionis Aurelianenſis art.* 15. qua prohibitum fuerat, quidpiam exigere, pro rebus ſpiritualibus, cuiuſcumque conſuetudinis prætextu, idemque cautum fuerat, ſenatuſconſulto Pariſienſi, relato apud *Ioannem Paponem in collect. decretorum lib.* 1. *tit.* 3. *art.* 7. *Meinardus lib.* 1. *deciſ. cap.* 1. quod tamen rectè immutatum, nam & Tridentinę Synodi Patres, huiuſmodi inueteratas conſuetudines, non improbauerant.

26. Verum vt mox pręmonuimus, extra hos caſus oblationes, à parochianis exhiberi ſolitę, in mera facultate, & voluntate remanent, nec ad earum pręſtationem cogi poſſunt, vt alias iudicauit ſenatus Pariſienſis, die 7. Iunij, anni 1632. in publicis cauſarum actionibus, dum malè, & cum abuſu proceſſum, & iudicatum, ab Officiali Trecenſi pronunciauit, quod oblationum, à parochianis libere præſtandarum, actionem, & litem à rectore motam, diiudicandam ſuſceperat.

---

§. TERTIVS.

De quarta parte Decimationum, ſeu Decimarum.

1. *Quarta decimationum, an legi diœceſanæ tribuenda ſit, hic & num.* 4.
2. *Cui debeantur decimę parochiales, iure communi.*
3. *Quæ pars decimarum, debeatur Epiſcopo.*
4. *An iure, an conſuetudine, debeatur pars decimarum Epiſcopo.*
5. *Decimæ earum rerum, quę in nullius ſunt parochia, integras ſibi vindicat Epiſcopus.*
6. *An illa pars, ſit legi diœceſanę tribuenda.*
7. *Priuilegium regularibus conceſſum, vt decimas laborum non ſoluerent, quorumdam ſpeciale factum.*
8. *Commune priuilegium, vt regulares, de noualibus, decimas non pręſtarent.*
9. *Monaſteria, à pręſtatione decimarum, non ſunt exempta.*
10. *Regulares, curam animarum exercentes, ſubſunt Epiſcopo, quoad vtramque legem.*
11. *Pars decimarum Epiſcopo debita, eſt de lege iuriſdictionis.*

1. SVnt qui legi diœceſanę tribuant, quartam partem decimationum, ſeu decimarum, ſic enim paſſim appellantur, in *cap. conquerente de off. iud. ordin.* inter quos eſt Innocentius licet reprehendatur à Panormitano in *cap. dilectus num.* 4. *verſ.* 3. *de offic. ordin.* quem ſequitur Meinardus Pictauienſis anteceſſor, in repetitione *cap. conquerente cap.* 6. *num.* 22.

2. Et hæ quidem decimę iure communi, preſbiteris parochianis ſunt attributę *can.* 1. 13. *quæſt.* 1. *cap. cum contingat & ſequenti, de decimis apud Greg. can. ſtatuimus, can. de decimis*

Digitized by Google

mis, *& can. ſi quis laicus*, 16. *quæſt.* 1. in tantum, vt qui decimas, aduerſus rectorem parocciæ, vindicare intendit, non ſoli poſſeſſioni, inſiſtere debeat, ſed & titulum, continuatæ poſſeſſionis exhibere, quamuis & ſpoliatus, reſtitui petierit, vt habetur in *cap.* 2. *de reſtit. ſpol. cap.* 1. *de præſcript.*

3. Verum quarta, earumdem Epiſcopo debetur, *cap. conquerente de offic. ord. cap. de quarta de præſcript. cap. quoniam de dec.* vbi indefinite fit mentio, eius partis, quam Epiſcopus, de decimis habere debet, nec ſine ratione, nam etſi vulgo, quarta Epiſcopis debeatur, tamen ex conſuetudine, quæ in his præualet, *cap. certificari de ſepult.* maior, aut minor, deberi poteſt, *gloſſa in d. cap. quoniam in verbo tua parte de dec.*

4. Caue tamen dixeris, partem decimationum, ex conſuetudine, Epiſcopo deberi, vt gloſſa ſentire videtur, in *d. cap. conquerente*, nam Ioannes Andræas, Panormitanus, & alij doctores, gloſſam illam improbant, & dicunt, partem aliquam decimarum, Epiſcopo deberi, iure communi, ſed quotam illam partem, ex conſuetudine maiorem, aut minorem eſſe poſſe.

5. Quin etiam, aliquando contingit, vt Epiſcopus, decimas omnes, percipere debeat, veluti, ſi ex his agris percipiantur, qui in nulla ſunt parochia, *cap. quoniam de decimis*, vt de oblationibus, ſupra diximus, nam & Eccleſia cathedralis, cuius caput & rector Epiſcopus, vniuerſalis parochia dicitur, vt obſeruat *Vid. Conchilius in memorialibus reformat. eccleſ. pag.* 111. *&* 153. qua ratione loca, quæ nullius ſunt parochiæ, vindicare ſolet.

6. Quamuis autem, pars aliqua decimarum, ad Epiſcopum, de iure communi, pertineat, non tamen ſequitur, illam eſſe, de lege diœceſana, ſi modo verum eſt, quod ſupra diximus, ea eſſe de lege diœceſana, à quibus monaſteria, de iure inueniuntur exempta, monaſteria enim, à parte decimationum, Epiſcopo ſoluendarum, non ſunt exempta, *cap.* 1. *§. cæterum de verb. ſignif. in* 6.

7. Et quidem olim, religioſis fere omnibus, conceſſum fuerat, vt decimas, laborum ſuorum non ſoluerent, *can. queſti*, *& can. decimas* 16. *quæſt.* 1. ſed Hadrianus, hoc priuilegium, non ad omnes, ſed ad Religioſos Ciſtertienſis Ordinis, & Hoſpitalarios tantum, extendi voluit, & ad ea prædia, quæ ipſi, propriis manibus, vel ſumptibus colerent, *cap. ex parte de decimis*, vt pluribus explicat, & confirmat, *Scholiaſtes d. Louetij lit. D. numero* 56.

8. Cæteris vero religioſis, hoc tantum conceſſit, vt de noualibus ſuis, propriis quoque manibus, & ſumptibus excultis, déque hortis, & nutrimentis animalium, decimas non ſoluerent, quod Alexander III. poſtea confirmauit, vt conſtat ex *d. cap. ex parte* 10. *de decimis*, ſed & priuilegium Ciſtertienſibus datum, in prædiis poſtea quæſitis, acciſum eſt, Innocentij III. reſcripto in *cap. nuper. eod. tit.*

9. Et ex his liquido apparet, monaſteria, à præſtatione decimarum, non eſſe exempta, niſi ſpeciale priuilegium impetrauerint, quod euidentius probat, *cap. ſuggeſtum eod. tit. d. cap.* 1 *§. cæterum de verb. ſignif.* ſed cum decimæ, ſint de iure, parochialium Eccleſiarum, vt ſupra diximus, & Epiſcopus, ab illis quartam recipiat, numquid ſaltem verum eſt, monaſteria, ab illo iure Epiſcopali, eſſe exempta.

10. Nec vero illud admittendum, nam ſi monaſteria, parochiam habeant, quæ ſpeciali priuilegio, non ſit exempta, ratione illius, Epiſcopo ſubſunt, quoad vtramque legem, iuriſdictionis videlicet, & diœceſanam, vt tradit Panormitanus in *cap. dilectus num.* 4. *verſ. concludo de off. ordin.* citato in eam rem *cap. ex ore de priuileg.* & probatur *Concilij Tridentini ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 11.

11. Sic ergo concludo, cum Panormitano, in *d. cap. dilectus de offic. iud. ordinarij*, quartam decimationum, aut quamcumque aliam partem, Epiſcopo præſtandam, non eſſe de lege diœceſana, cum ab ea monaſteria, non ſint exempta, ſecundum regulam, toties à nobis repetitam, quod & probat, idem Meinardus in repetitione *d. cap. conquerente cap.* 6. *§.* 22.

---

§. QVARTVS.

De quarta parte mortuariorum.

1. *Mortuariorum, ſiue ſepulturæ nomine relictorum monaſteriis, pars debetur Epiſcopo.*
2. *Item parochiali Eccleſiæ, mortuariorum quarta debetur.*

Digitized by Google

3. *Quid mortuariorum, & funeralium nomine veniat.*
4. *Not.* ad Clementinam dudum de ſepulturis.
5. *Quarta pars parochialibus Eccleſiis debita, in ſolis funeralibus locum habet.*
6. *Probatur decreto ſenatus Aquenſis, cuius deciſio excutitur.*
7. *Hodiè media pars funeralium, debetur rectoribus paroeciarum.*
8. *Probatur decretis ſenatus Pariſienſis.*
9. *Modus dictus delationibus mortuorum, in Eccleſias regularium.*
10. *An ex mortuariis, duæ quartæ deducendæ, & quomodo.*
11. *Status, & ſpecies quæſtionis, proponitur.*
12. *Differt an Epiſcopus, an Eccleſia parochialis, primum deducat.*
13. *Epiſcopus quocumque caſu, ſiue prius, ſiue poſteriùs, quartam tantum, deducere debet.*
14. *Nec refert, an Eccleſia parochialis, prius deducat.*
15. *Quid dicendum, vbi Eccleſia parochialis, in vna dioeceſi monaſterium in altera.*
16. *Tunc parochialis Eccleſia, in detractione quartæ præferenda.*
17. *Probatur auctoritate Panormitani, & ratione.*
18. *Quarta pars mortuariorum, non eſt ex lege dioeceſana.*
19. *Quid mortuariorum, & funeralium nomine, veniat.*
20. *Nihil exigendum pro apertura terræ, & ſepultura.*
21. *Quæ ex laudabili conſuetudine, præſtari ſolent, approbantur.*
22. *In id Regię conſtitutiones inter ſe pugnantes, in concordiam adducuntur.*

1. IDem dicendum, de parte mortuariorum, id eſt eorum, quæ quis pro annuo in vltima voluntate reliquit, quorum certa pars debetur Epiſcopo, pro conſuetudine cuiuſque Eccleſiæ, modo tertia, modo quarta, ſiue Eccleſiis, ſiue monaſteriis reliquerit, *cap. conquerente de off. iud. ord. cap. officiis, cap. requiſiſti de teſtam. & ibi Boet. Epo. in ſintagm. 1. antiq. Eccleſ. de iure prouentuum Eccleſiaſticorum.*

2. Sed & ſi quis, elegerit ſepulturam, in aliquo monaſterio, & aliquid ei reliquerit, eius relicti, dimidia pars, vel quarta, ſecundum loci conſuetudinem, debetur Eccleſiæ parochiali, *cap. 1. cap. cum ſuper. cap. certificari, & cap. in noſtra de ſepult.* tametſi Bonifacius VIII. in *cap. ſuper cathedram de ſepult. in extrauag. commun.* ſub hac quarta, comprehendi voluerit, non tantum ea, quæ quis, pro anno reliquerit, ſed etiam funeralia.

3. Verum eo nomine, ſignificantur ea, quæ in funere deferuntur, vt in *cap. 1. §. de funeralibus de priuileg. in extrauag. commun.* quo quidem capitulo, Benedictus XI. illam Bonifacij conſtitutionem abrogauit, ſed illa rurſus, à Clemente V. refixa eſt, in *capit. dudum de ſepult. in Clement. §. verum.*

4. Namque ibi, generaliter ſtatuitur, quartam illam, parochialibus Preſbiteris eſſe præſtandam, de omnibus obuentionibus, non tantum funeralibus, quæ vt ſupra diximus, cum funere deferuntur, veluti cereis, & candelis, ſed etiam, de quibuſcumque relictis, ad quoſcumque vſus, *etiamſi, canonica illa portio de illis, præſtari non conſueuerit*, quibus verbis ſignificatur, *cap. vlt. de teſtam.* in quo pleraque recenſentur, ex quibus canonica portio, Eccleſiæ, vel Epiſcopo, præſtari non debet.

5. Et quidem, hanc quartam funeralium portionem, Eccleſiis parochialibus eſſe præſtandam, definitum eſt, *Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de reformat. cap. 3.* quæ tamen de conſuetudine, ad ea ſola extenditur, quæ cum funere deferuntur, vt obſeruat *Franciſcus Fortius ad deciſiones Franciſci Stephani Aquenſis Præſidis deciſ.* 45.

6. Sed enim ibidem Stephanus refert, ſenatuſconſultum curiæ Aquenſis, die 19. Octobris, anni 1583. prolatum, quo, œconomus parochialis Eccleſiæ Maſſilienſis, Beatæ Mariæ de Arcubus, aliàs *des Acoules*, in iuſta poſſeſſione conſeruatus eſt, pro quarta cereorum, facium, ſepulturarum omnium, eorumque, quæ ſpeciali nomine, funeralia appellantur, contra œconomum Dominicanorum Maſſilienſium.

7. Verum hodiè, hæc quarta pars, variis curiæ Pariſienſis decretis, ad mediam partem, extenſionem meruit, quaſi accedente, & conſolidata ea portione, quæ Epiſcopis olim debebatur, & qua abſtinere iuſſi ſunt, eamque dimittere, in gratiam, & beneficium,

Digitized by Google

Rectorum parochialium inſumendam, vt de quarta fabricali, iam antea diximus.

8. Et vero illud idem, poſt alia multa decreta, tandem ſtatuit, ſenatus Pariſienſis, inter Rectores parochialium Eccleſiarum Pariſienſium, & præcipuè Rectorem Eccleſiæ, diuo Paulo conſecratæ, & regulares eiuſdem vrbis, & maximè Minimos, diui Franciſci de Paula ſodales, & religioſos, die 7. Martij anni 1647. & iterum 7. Maij eiuſdem anni.

9. Sed enim iiſdem decretis, in efferendis parochianis, extra parochiam, & in Eccleſias regularium, ſiue intra, ſiue extra parochias conſtitutas, in quibus ſepulturam elegerint, aut familiaris ſepulchri, aut domeſtici iure vtuntur, modum & morem impoſuit, curia Pariſienſis, nec-non declarauit, quibus ſolemnibus, à clero, & rectore parochiali, efferrentur, & à regularibus exciperentur.

10. Sed & cum, ex præcedentibus conſtet, olim quartam mortuariorum, ab omnibus Eccleſiis, & monaſteriis, Epiſcopo deberi, & rurſus aliam quartam, Eccleſiæ parochiali, à monaſteriis, in quibus defunctus, ſepulturam elegit, magna oritur quæſtio, vtrum hoc poſtremo caſu, duas quartas, deduci oporteat, & quomodo, quæ non minus, torſit ingenia interpretum, quam ea, quæ de duabus quartis, legitima, & trebellianica, ſiue falcidia habetur, in *cap. Rainutius & Rainaldus de teſtament.* 15. ad quas *Boetius Epo.* ſpecialem commentarium edidit, ſicut de duabus quartis, ab Epiſcopo, & Rectore parœciæ deducendis, egit ad *cap. officij 13. de teſtam. num. 17. in ſintagmate primo antiq. Eccleſ. de iure prouent. eccleſ.*

11. Et vt prædictæ quæſtioni, lux fiat, finge octuaginta, monaſterio relicta eſſe, ſi ex ea ſumma, Epiſcopus quartam deducat, ante Eccleſiam parochialem, habiturus eſt viginti, & Eccleſia parochialis, ex ſexaginta, quæ ſuperſunt penes monaſterium, habitura eſt quindecim tantum, & iterum ex illis quindecim, videtur Epiſcopo, quarta eſſe præſtanda, ab Eccleſia parochiali, *d. cap. conquerente de offic. ordin. & aliis ſupra citatis.*

12. Ex diuerſo, ſi Eccleſia parochialis, quartam ſibi debitam, ante Epiſcopum accipiat, habitura eſt viginti, & Epiſcopus quindecim tantum, atque ita multum intereſſe videtur, vter prior deducat, an Epiſcopus, an Eccleſia parochialis, & tamen pleriſque viſum eſt, eccleſiam parochialem, ad detrahendam quartam, priorem admitti quaſi legitimam, & iure naturali debitam, *Panormitanus in cap. certificari de ſepult. Couarr. ad cap. vlt. in fine de teſtam. Michael Lochmaier Canonicus Patauienſis in parochiali Curatorum cap 7. de canonica portione in fine.*

13. Verum, res ita, expedienda eſſe videtur, vt dicamus, Epiſcopum, in omni caſu, quartam deducere debere, nec quicquam amplius, minuſue, ideóque, ſi ex tota ſumma, monaſterio relicta, puta ex octuaginta, quartam detraxerit, puta viginti, non poterit deinceps, ex quarta, eccleſiæ parochiali debita, quicquam detrahere, alioquin, ex vno eodemque relicto, plus quam quartam conſequeretur.

14. Quod ſi eccleſia parochialis, prius quartam detraxerit, nimirum viginti, epiſcopus ex ſexaginta, quæ ſuperſunt, quartam deducet, nimirum quindecim, & ex viginti, quæ eccleſiæ relicta ſunt, aliam quartam, videlicet quinque, atque ita ſemper habiturus eſt viginti, nec intereſt prior, an poſterior deducat, quæ fuit ſententia Hoſtienſis & Ioannis Andreæ.

15. Et huic ſententiæ videtur adſtipulari, Panormitanus in *capit. certificari de ſepult.* vbi tamen notat, vno caſu, multum intereſſe, vt putà, ſi monaſterium, cui legatum relictum eſt, in vna diœceſi, eccleſia vero parochialis, in alia ſita ſit, ſic enim duo epiſcopi, quartam deducere debent, ſinguli ex eo, quod eccleſiæ, ſibi ſubiectæ relictum eſt.

16. Et ideo ſi dicamus, epiſcopum, cui monaſterium ſubiicitur, prius quartam deducere debere, vtique deducet viginti, atque ita parochialis eccleſia, habitura eſt quindecim tantum, epiſcopus vero cui ſubeſt, quartam illorum quindecim, è contrario vero, ſi eccleſia parochialis, prius deducet habitura eſt viginti, epiſcopus vero illius quinque, alter vero, nimirum epiſcopus monaſterij quindecim.

17. Et hoc poſterius magis arridet Panormitano, loco ſupra dicto, vt eccleſia parochialis prius deducat, quaſi debitum à teſtatore, *cap. 1. & capit. cum ſuper. de ſepulturis* & ex ſolido legato diminuendum, *Clem. dudum de ſepult.* vt legitima, quæ cum omni fauore, excipienda ſit, vt pote iure naturali, & antiquiore debita, deductionis prælationem meretur, vt pluribus tractant interpretes ad *d. cap. Raynutius, & cap Rainaldus de teſt.*

18. Nunc ergo concludamus, cum monaſteria, non ſint exempta, à quarta parte mortuariorum, & funeralium, vt probatum eſt ſupra, conſequens eſt, eam non eſſe, de lege diœceſana, à qua certum eſt, monaſteria exempta eſſe, *cap. 1. 10. quæſt. 1. capit. dilectus de off. iud. ordin.* quamquam in *d. capit. conquerente*, videtur enumerari inter ea, quæ ſunt

Digitized by Google

legis diœceſanæ, præmiſſæ tamen regulæ, potius ſtandum mihi videtur.

19. Caue autem exiſtimes mortuariorum, ſeu funeralium appellatione, ſignificari ea, quæ pro ſepeliendis, defunctorum corporibus, & apertura terræ, à quibuſdam exiguntur, cum ex ſuperioribus pateat manifeſtius, ea tantum funeralium nomine cedere, quæ cum funere deferuntur, vel eccleſiæ cuilibet, teſtamento, vel inter viuos relicta ſunt, pro merendæ ſepulturæ gratia.

20. Nam & illæ exactiones, prohibitæ ſunt, cuiuſcumque conſuetudinis prætextu, *cap. non ſatis, & cap. cum in Eccleſia de ſimon. cap. abolenda de ſepult.* quod & plenius refertur, in quinta compilatione decretal. vbi Honorio III. tribuitur, licet in Gregoriana perperam, & malè prædeceſſori Innocentio adſcribatur, vt obſeruauit Innocentius Cironius, in notis ad hunc titulum.

21. Nec tamen ea, quæ ex laudabili conſuetudine, præſtari ſolent, improbantur *cap. ad Apoſtolicam eod.* ex quo etiam capit. inferri ſolet, ad obſeruationem huius laudabilis conſuetudinis, omnes eſſe cogendos, epiſcopi auctoritate, quod tamen, à ſententia illius capituli, quibuſdam alienum videtur, & inter cæteros, Innocentio IV. & Duareno *lib. 7 de ſacr Eccleſ. miniſt. cap. 6. in fine.*

22. Et inde etiam natæ ſunt, duæ Regum noſtrorum conſtitutiones, ſibi inuicem contrariæ, vna in Comitiis Aurelianenſibus lata, per quam huiuſmodi exactiones, prohibitę ſunt, cuiuſcumque conſuetudinis prætextu, altera, in Comitiis Blæſenſibus, quæ, quantum ad laudabilem conſuetudinem, priorem illam corrigit, & emendat, *Papo lib. 1. decret. tit. 3. art. 57. & Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num.* 10.

---

§. QVINTVS.

De iure Cathedræ vbique ponendæ.

1. *Ius cathedræ vbique ponendæ, legi diœceſanæ adſcribitur.*
2. *Explicatur* can. Luminoſo 18. quæſt. 2.
3. *Sola monaſteria exempta, à iure cathedræ vbique ponendæ, ſoluuntur.*

1. INter ea quoque, quæ ſunt de lege diœceſana, quidam recenſent, ius cathedræ, vbique ponendæ, prædicandi cauſa, vel iuriſdictionis exercendæ gratia, *cap. cum Epiſcopus de off. ord. in 6. & ibi gloſſa in verbo non exempto cap. finali in verbo diœceſim de conſtit. eod. cap. præſenti, in verbo finitur de off. leg. in 6. cap. ſi Papa, §. & eſt in verbo collocare de priuileg. ibidem Clementina 1. de foro compet.* à quo tamen monaſteria cenſentur exempta, *can. Luminoſo 18 quæſt. 2.*

2. Verum quod dicitur, in *d. can.* explicandum eſt, de monaſteriis exemptis, & non de aliis, vt ait gloſſa, & ita etiam explicatur, à Gregorio Toloſano in repetitione *cap. conquerente de off. ordin. cap. 11. num.* 8. quod & probat *Iacobus Ferrerius ad deciſ. Guid. Papæ* 18. vbi etiam, prohibitionem ponendæ cathedræ, in monaſteriis exemptis, reſtringit, & coarctat, ad iuriſdictionis ordinariæ exercitium, ſaluo tamen honore, & iure concionandi, in iiſdem locis.

3. Namque illud conſtat, Diuum Gregorium, auctorem illius canonis Luminoſo, & præcedentis, primum in Italia, monachos exemiſſe, à iuriſdictione epiſcopali, vt notat Fileſacus in *lib. de ſacr. Epiſcop. auct. cap. 19. §. 2. & 8.* & ideo, in prædictis locis, & gloſſis ſupra laudatis, cathedræ vbique ponendæ facultas, quæ epiſcopis, generaliter competere dicitur, extenditur, ad quælibet loca, & monaſteria non exempta, quorum exceptio firmat regulam, in cæteris, atque etiam eamdem facultatem, eſſe legis diœceſanæ, cum iure communi, monaſteria, non habeantur exempta.

Digitized by Google

§. SEXTVS.

De Caritatiuo ſubſidio.

1. *An ius caritatiui ſubſidij, legi diœceſanæ tribuendum ſit, nec-ne.*
2. *Quibus caſibus, caritatiuum ſubſidium indicendum.*
3. *Explicantur cauſæ, propter quas exigi poteſt.*
4. *Improbantur iniuſtæ, & illicitæ exactiones.*
5. *Caritatiuum ſubſidium, ab initio, poſtulandum.*
6. *Ad caritatiui ſubſidij præſtationem, Eccleſiæ cogi poſſunt.*
7. *Diſputatur, an monaſteria, ab ea præſtatione exempta ſint.*
8. *Probatur monaſteria, exempta non eſſe.*

1. PRæterea, ſunt qui legi diœceſanæ tribuant, ius extraordinariæ collationis exigendæ, quod vulgo, caritatiuum ſubſidium appellatur, eo quod monaſteria, ab eo ſint exempta, qua de re tamen, non conſtat inter omnes, & de eo, Greg. Tholoſ. in repetit. *cap. conquerente de off. ordin.* & pluribus agit argumentis *Remigius Gonni in ſpeciali tractatu de caritatiuo ſubſidio quæſt.* 14. *&* 34.

2. Hoc autem ſubſidium exigere, epiſcopis permiſſum eſt, *Concilio Lateranenſi cap.* 4. non quidem ex arbitrio, ſed prout, eccleſiæ neceſſitates exigunt, *cap. cum Apoſtolus in fine de cenſ.* quod tamen non habetur integrum, nec in decretalibus Greg. nec in prima compilatione, ſed tantum in ipſa Concilij editione, quæ habetur in *volumine* 3. *Concil. parte* 2. *editionis Biniana, & cap. conquerente, in fine de off. ordin.*

3. Iuſtæ autem, huius ſubſidij exigendi, cauſæ eſſe videntur, veluti ſi ære alieno, eccleſia ſit obruta, vel ad ſummum Pontificem, vel ad Concilium generale, vel etiam ad principem, pro negotiis eccleſiæ, profectio ſit inſtituenda, tametſi hoc poſtremum, videatur improbare gloſſa, in *cap vnico* 10. *quæſt.* 3. à qua omnes, fere diſſentiunt, argumento *can. generaliter* §. *placet* 16. *quæſt.* 1. qui ſumptus eſt ex *lege generaliter* 46. *cod. de epiſc. & cler.*

4. Nec enim aliàs, ſine iuſta, & legitima cauſa, licet epiſcopis, vectigalis, ſeu tributi, vel alterius cuiuſcumque nouæ indictionis, à ſubditis quicquam exigere, *d. capit. cum Apoſtolus can. vnio, & can. quia cognouimus* 10. *quæſt.* 3. *can. nulli epiſcoporum cauſa*, 16. *quæſt.* 1. *cap. Eccleſiis de cenſ.* vbi excipitur cathedraticum, de quo nos ſupra diximus.

5. Hoc autem ſciendum eſt, caritatiuum illud ſubſidium, precibus ab initio impetrandum fuiſſe, & hodiè quoque, eſſe poſtulandum, *d. cap. cum Apoſtolus in fine*, vnde in veteribus ſchedis, donum gratuitum, conceſſio liberalis, ſubſidium charitatiuum appellatur, & aliis nominibus, quæ pleniorem donantis libertatem ſapiunt.

6. Verum aduerſus renitentes, ius poteſtatis ordinariæ exercendum, vt etiam inuiti ſoluere cogantur, & in eo conſentiunt omnes, vt probat *Rota tit. de cenſ. in antiquis deciſ.* 3. hoc addito, ius illud, præſcriptione tolli non poſſe, cui conſentit etiam Panormitanus in *d. cap. cum Apoſtolus num.* 5. *in fine*, cum ſit meræ facultatis, ex parte petentis epiſcopi, quæ præſcriptionis regulis non ſubiacet, vt probat idem *Remigius Gonni in d. tractatu de caritatiuo ſubſidio quæſt.* 60.

7. Sed an monaſteria, ab eo ſint exempta, anxie diſputari ſolet, certum eſt enim, generaliter, ab omnibus exactionibus, eſſe libera, *cap. quam ſit* 18. *quæſt.* 2. etiam à cathedratico, *cap. inter cætera* 10. *quæſt.* 3. quidni igitur, à caritatiuo ſubſidio, cum ij qui iuris ordinarij diſpoſitioni, non ſubmittuntur, multo minus, extraordinarij iure, & ſubuentionis inſolitæ, legibus ſubiacere debeant, *d. can. generaliter* 9. *quæſt.* 1.

8. Ex diuerſo autem, non eſſe exempta probare videtur, *cap. vnicum* §. *in exigendo de exceſſ. præl. in Clem.* & propterea *Innocentius, in d. cap.* 1. *de ſtatu monach. & Panormit. in cap. dilectus verſ. incipere* 5. *&* 9. *de off. iud. ordin.* dubij, & ancipites ſunt, in hac quæſtione, tametſi, in eam potius inclinare videantur, vt ſint exempta, idem *Gonni in d. tractatu de caritatiuo ſubſidio quæſt.* 34. qua ſententia ita recepta, reſpondendum ad *d. cap.* 1. *de ſtatu monach.* recitari in eo, quorumdam epiſcoporum indebitas exactiones, non tamen probari.

Digitized by Google

§. SEPTIMVS.

De iure mittendi Clericos, pro negotiis Eccleſiæ expediendis.

1. *An ius mittendi Clericos, ad expedienda Eccleſiæ negotia, ſit legis dioeceſanæ, vel iuriſdictionis.*
2. *Epiſcopus non tantum Clericos, ſed & Monachos delegare poteſt, negotiis Eccleſiæ expediendis.*
3. *Ius mittendi Clericos, pro negotiis Eccleſiæ expediendis, non eſt de lege dioeceſana.*

1. SImilis dubitatio eſt, num ſit de lege diœceſana, ius quod habent epiſcopi, mittendi Clericos, pro negotiis eccleſiæ, quò eos deſtinauerint, vel ad ſe euocare, qua de cauſa, fructus, beneficiorum ſuorum percipere, & lucrari diximus, quamuis abſentes, in *cap. 2. ad verba militia de reſidentia beneficiis debita*, de quo iure eſt, *canon quia frater. cauſa 7. quæſt.* 1.

2. At vero, cauſa dubitandi fuerit, quia epiſcopus, non tantum ſæcularibus, ſed etiam monachis, modo non exemptis, illud iniungere poteſt, *can. qui vere, & can. quidam monachi, 16. quæſt.* 1. atqui monaſteria, non ſubiiciuntur, legi diœceſanæ, vt probatum eſt ſupra.

3. Illud ergo verius eſt, ius illud, non eſſe de lege diœceſana, ſed iuriſdictionis, veluti ex canonica obedientia, ſubiectione, & reuerentia enatum, quam ſingulæ, & quælibet eccleſiæ, epiſcopo pręſtare debent, & quę in *d. cap. conquerente de offic. ordin.* primum, legis iuriſdictionis, caput eſſe dicitur, de qua & ſuo loco dicemus, in proprio & ſpeciali articulo.

§. OCTAVVS.

De iure conuocandi Cleri ad exequias.

1. *Ius conuocandi Cleri ad exequias, eſt legis dioeceſanæ.*
2. *Monaſteria non ſubiacent, conuocationi Cleri ad exequias.*
3. *Ius ſepeliendi, eſt merè ius parochiale..*

1. IVs quoque conuocandi Cleri ad exequias, vulgo tribuitur legi diœceſanę, vt teſtatur *gloſſa in d. cap. dilectus de offic. ordin. & ibi Panormitanus & Innocentius in capit.* 1. *de ſtatu monach. Chop. lib.* 2. *de ſacra polit. tit.* 7. *num.* 24.

2. Nec immerito, huic enim non ſubſunt monaſteria, argumento *can. placuit 16. quæſt.* 1. vbi prohibentur monachi, alios, quam in eodem monaſterio commorantes, vel fortuito aduenientes fratres, ſepelire, vel in aliena parochia, & eccleſia ſepeliendis adeſſe, vel pompam funebrem inſequi, & concomitari.

3. Namque ius ſepeliendi, eſt ex iuribus parochialibus, vnde rectè, titulo de ſepulturis, ſubiicitur titulus de parochiis, illud tamen hodiè, non ſeruatur, ſi teſtamento, vel quolibet alio actu legitimo, in monaſteriis, defuncti ſepulturam elegerint, in quo ſeruatur, ius decretis curię indictum, vt ſupra monuimus.

Digitized by Google

§. NONVS.

De conuocatione Synodi.

1. *Synodi conuocatio, eſt legis diœceſanæ.*
2. *Quænam Synodi Epiſcopales, & quomodo conuocandæ.*
3. *In ſynodo Epiſcopali, publicandæ ſanctiones Synodi Metropolitanæ.*
4. *Synodo Diœceſanæ, Abbates, aut Monachi, intereſſe non tenentur.*
5. *Regulares curam animarum exercentes, Synodo inter eſſe debent.*
6. *Is ſolus, qui curæ animarum præponitur, Synodo adeſſe debet.*
7. *Probatur decreto curiæ, rectorem paroeciæ exemptum, Synodo perſonaliter intereſſe non debere.*
8. *Regulares curam animarum exercentes, iuriſdictioni ordinariæ ſubiiciuntur quoad curam animarum.*
9. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis.*

1. LEgi diœceſanæ etiam tribuitur, ſynodi conuocatio, *gloſſa in d. cap. dilectus Innocentius in cap. 1. de ſtatu monach.* quam ſingulis annis faciendam conſtat, ex *cap. ſicut de accuſat.* cuius capituli initium eſt, de Concilio Prouinciali, cuius conuocandi, ius eſt Metropolitano, bis, aut ſemel in anno, *can. habeatur, can. propter, & can. quoniam, 18. diſtinct. & nouella Iuſtinian. 123.*

2. Verum in fine *d. cap. ſicut*, fit mentio ſynodi Epiſcopalis, quæ ſingulis annis celebrari conſueuit, niſi aliud, de conſuetudine ſeruetur, veluti in noſtra diœceſi Bituricenſi, in qua, bis in anno, huiuſmodi ſynodi congregantur, quibus ſingulis, rectores parœciarum, intereſſe debent, adminiſtrationis ſuæ, rationem reddituri, vt habetur in *capitul. Car. Mag. lib. 1. cap. 13.*

3. Et in hac quidem ſynodo, decreta ſynodi prouincialis, ſi quæ habita fuerit, publicari debent, *capit. ſicut de accuſat.* namque in ea celebranda, diligentiores eſſe Epiſcopos, quam in metropolitana, & prouinciali Archiepiſcopos, animaduertit *Cuiacius in cap. 29. de præb.* hac addita ratione, quia ſynodaticum, ſeu cathedraticum, in hac ſynodo præſtari ſolet, vt dicitur in *cap. conquerente de offic. ordinarij.*

4. Verum vtrique ſynodo, intereſſe non coguntur abbates, & monaſteriorum præfecti, *can. Epiſcopus 18. diſtinct.* qui refertur ſub inſigni Paleæ, & tamen huius fit mentio, ab ipſomet Gratiano, *can. vlt. 18. quæſt. 2.* multo minus monachi, & religioſi *cap. minus praua de exceſſ. prel.* quod etiam his verbis explicatur, in *cap. quoniam 21. de priuileg. monachum, ſeu clericum eiuſdem monaſterij ſynodare.*

5. Excipio duos caſus, quibus abbates, ad ſynodum venire compelluntur, vnus eſt, ſi de reformatione morum agatur, & non ſimpliciter de cura, & regimine Eccleſiarum parochialium, & hoc eſt quod dicitur, in *d. cap. Epiſcopus niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat*, ſic etiam explicandus eſt, *can. vlt. eadem diſtinct. & can. Abbates 18. quæſt. 2.*

5. Secundus caſus eſt, ſi monaſteria, aut ſaltem capellæ, dependentes à monaſteriis, coniunctam habeant, animarum curationem, quo ſenſu explicandum eſt, *capit. quod ſuper. his de maior. & obed. & cap. ex ore de priuileg.* quod confirmatur etiam tabulis priuilegiorum, Præmonſtratenſibus datorum, à Ioanne 23. & pluribus aliis anterioribus Pontificibus, quos citat *Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num 17.* & plenius referuntur in bibliotheca Præmonſtratenſi.

6. Et hoc poſteriore caſu, adhuc intereſt, vtrum abbas, an vero aliquis ex monachis, vel alius capellanus, aut vicarius perpetuus, hanc curam exerceat, quiſquis ille ſit, ad ſynodum venire compellitur, non etiam alij, vt docent *Panormit. in d. cap. quod ſuper his de mai. & obed. Greg. Tholoſ. in cap. conquerente de off. ordinarij, cap. 14. Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 7. num. 8. & 9 in fine, & 17.*

7. Nec tamen illud, vſquequaque verum eſt, aliàs enim iudicatum à ſenatu Pariſienſi, refert *Ioannes Lomedeus in tract. exempt. Eccleſiaſt. cap. 6.* quemdam Antonium *Morin*

Capellanum ſacro-ſanctæ Capellæ, Palatij Pariſienſis, & ex eo legibus Epiſcopalibus exemptum, & immunem, etiamſi parochialem Eccleſiam ſancti Petri *Deboiſleroy*, in diœceſi Senonenſi, obtineret, ſynodali vocatione ſolutum fuiſſe, nec ei corporaliter adeſſe debuiſſe, ſed tantum per procuratorem, cumque propter abſentiam, à diuinis ſuſpenſus fuiſſet, ad Epiſcopum Pariſienſem, abſolutionis beneficium accepturus, remiſſus eſt, decreto curiæ, pronunciato, die vi. Auguſti, anni 1585.

8. Verumtamen conſtat eos, qui exemptionis priuilegio ſuſtinentur, in iis quæ ſpectant ad curam animarum, iuriſdictioni Epiſcopali ſubiacere, ſecundum deciſionem *Tridentinæ Synodi ſeſſ. 25. de reg. cap.* 11. ſaluo exemptionis priuilegio, in cæteris, quod & Cardinales, interpretandæ Concilij Tridentini ſanctioni deputati, confirmarunt ad eundem locum, his verbis, *non intendit hoc decretum, derogare priuilegiis, niſi in iis, quæ ad curam animarum, & actualem Sacramentorum adminiſtrationem, pertinent, atque concernunt*, moti auctoritate *cap. cum capella 16. de priuileg. & capit. per exceptionem eod. in* 6.

9. Sed & illud idem, nuper à ſenatu Pariſienſi confirmatum eſt, in cauſa Epiſcopi Sagienſis, cui aderat Iacobus *Bataille*, appellantis tanquam ab abuſu, à ſententiis, in cauſa criminali, & extraordinaria dictis, contra fratrem Iacobum *Merigon*, religioſum Præmonſtratenſem, & parochialis Eccleſiæ *Durpos*, in diœceſi Sagienſi rectorem, & obedientiarium, contra religioſos Præmonſtratenſis Ordinis, in monaſterio Beatæ Mariæ *de-Syli*, qui ſententias in ſodalem dixerant, intimatos, quibus & ipſe patrocinium præbebam, malè enim, perperam, & cum abuſu proceſſum, & iudicatum decreuit ſenatus, ipſumque fratrem *Merigon*, tanquam parochialis Eccleſiæ rectorem, iuriſdictioni ordinariæ, ſiue Sagienſis Epiſcopi, ſubmiſſum pronunciauit, in publicis cauſarum actionibus Audemaro Talæo Aduocato Regio Sagienſis Epiſcopi partibus adhærente, die 7. Maij anni 1646.

---

§. DECIMVS.

De publicarum Proceſſionum indictione.

1. *Sæcularium Eccleſiarum rectores, proceſſionibus publicis, intereſſe coguntur.*
2. *Quibus caſibus regulares, proceſſionibus publicis, adeſſe teneantur.*
3. *Probatur auctoritate Concilij Tridentini, & ratione.*
4. *Probatur item decreto curiæ Pariſienſis, & Molinæi auctoritate.*

1. NVnc igitur inquirendum venit, an quemadmodum ſynodi conuocatio, dicitur eſſe de lege diœceſana, à qua, monaſteria ſunt exempta, ita, & publicarum proceſſionum indictio, à quibus pariter monaſteria eximantur, veluti ab iis, quæ fiunt tempore Rogationum, ſeu Litaniarum, ad quas certum eſt, Eccleſias ſæculares, compelli poſſe, *can. quando 38. diſtinct. iuncto, can. Rogationes de conſecrat. diſtinct.* 3.

2. Verum reſpondeo, monaſteria, publicis illis proceſſionibus, eſſe adſtricta, non tamen ex leui cauſa, ſed in nouo, ipſius Epiſcopi introitu, vel Legati, vel dum eas, pro publicis regni neceſſitatibus ſubleuandis, fieri contigerit, argumento *cap. minus praua verſ. eis quoque de exceſſ. prœl.* in quo agebatur de Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, ſpeciali priuilegio exemptis, vt inde pateat, etiam exemptos, quandoque, & ex rationabili cauſa, prædictis proceſſionibus, intereſſe debere.

3. Sed & illud pariter, comprobatum eſt, à Tridentinis Patribus, *ſeſſ. 25. de reg. cap.* 13. vbi dicitur, quoſcumque regulares, etiam exemptos, proceſſionibus publicis, præſentiam debere, exceptis iis ſolis, qui in ſtrictiori clauſura viuunt, puta Carthuſianos, & ratio eſt, quod cum calamitates publicæ, quibus ſubleuandis, & auerruncandis, Litaniæ, Proceſſiones, & ſupplicationes ad Deum, indicuntur, vniuerſam rempublicam Chriſtianam afficiant, pariter omnes, precum indictioni, obedientiam exhibere debent, ſaluo & incolumi, in quibuſcumque aliis, priuatis negotiis, priuilegij iure.

4. Et ea de cauſa refert, *Ioannes Galli, quæſt. 326. quod fuit dictum per arreſtum quod canonici Dumans, non erant recipiendi, ad poſſeſſionem, per eos allegatam, quod cum Epiſcopo Dumans, diœceſano, non tenebantur, ire ad proceſſionem, & in emendam condemnati, ratione exceſſuum commiſſorum, hoc impediendo, ſed per ſe ire volebant, & reuera iuerant per ſe, Epiſcopum dimitten-*

do

Digitized by Google

do ſeorſim, vbi *Carolus Molinæus ad verba canonici*, illud adiicit *quamuis exempti*, *quia non ſunt exempti*, *à iure reuerentiali*, *Baldus lege liberti libert aque cod. de oper. publ. nec ab onere*, *& obligatione miniſterij communis*, *ſed tantum à contenſioſa iuriſdictione*.

§. VNDECIMVS.

De his quæ ſunt legis iuriſdictionis.

1. *Ordo & ſeries huius diſputationis*, *& cum ſuperiori connexio.*
2. *Eccleſiæ ſæculares duplici lege ſubiiciuntur Epiſcopis*, *diœceſana*, *& iuriſdictionis.*
3. *Monaſteria vnica lege*, *ſcilicet iuriſdictionis.*
4. *Quæ ſunt ordinis*, *& iuriſdictionis*, *ſimul confunduntur.*
5. *Enumerantur ea*, *quæ ratione ordinis Epiſcopalis competunt.*
6. *Ea quæ ratione ordinis competunt*, *ab ipſiſmet Epiſcopis exequenda.*
7. *Quæ legis diœceſanæ*, *vel iuriſdictionis*, *mandari poſſunt*, *non quæ ſunt ordinis.*

1. HActenus de his dictum eſt, quæ Doctores aiunt eſſe, de lege diœceſana, vt puta cathedratico, tertia, vel quarta parte oblationum, decimationum, mortuariorum, caritatiuo ſubſidio, conuocatione cleri ad exequias, & ad ſynodum, à quibus omnibus, monaſteria cenſentur exempta, vt ſeriatim, & in ſingulis articulis probauimus ſupra maioris elucidationis gratia.

2. Nec vero aliæ quælibet Eccleſiæ, ab iis videntur exemptæ, ſi quidem hæ, duplici lege ſubiiciuntur Epiſcopo, diœceſana videlicet, & iuriſdictionis, vt docent gloſſa & Doctores in *cap. dilectus de off. ordinarij.*

3. Monaſteria verò vnica tantum, Epiſcopo ſubſunt, nimirum iuriſdictionis, niſi ſpeciali priuilegio, ſint munita, *can. monaſteria*, *& can. cognouimus* 18. *quæſt.* 2.

4. Videamus ergo deinceps, quæ ſunt de lege iuriſdictionis, hoc nomine generaliter ſumpto, pro omnibus, quæ non ſunt de lege diœceſana, etiam ſi ſint ordinis Epiſcopalis, vt accipiuntur, in *d. cap. conquerente de off. iud. ordinar.* quorum omnium, propriam, & inuariabilem doctrinam ſe dare non poſſe, fatetur ipſemet *Innocentius IV. in cap.* 1. *de ſtatu monach.*

5. Verumtamen, vt ſequentibus lux maior accedat, ſciendum eſt, ea dici ordinis Epiſcopalis, quæ ſolis Epiſcopis competunt, veluti presbiterorum, diaconorum, ac virginum conſecratio, conſtitutio altarium, benedictio, vel vnctio ſacrorum vaſorum, ac cæterorum mobilium conſecratio, confirmatio, chriſmatis confectio, & plura alia, de quibus fuſius agit, *Franciſcus Meinardus in repetitione capit. conquerente de off. ordinar. cap.* 15.

6. Hæc enim omnia, proprio Epiſcoporum officio incumbunt, ab iis ſolis peragenda, niſi ex ſpeciali priuilegio, ſimplici ſacerdoti, quædam eorum pars, fuerit conceſſa, *can. perlectis* §. *ad Epiſcoporum* 25. *diſtinct. can. quamuis*, 68. *diſtinct. can. manus de conſecrat. diſtinct.* 5. *cap. quanto de conſuetud. cap. aqua de conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

7. Sed & in *d. cap.* aqua hæc regula traditur, qua conſtituitur differentia, inter ea, quę ſunt ordinis, & ea, quę ſunt iuriſdictionis, quod hæc alij mandari poſſint, alia non poſſint, nos autem hoc loco, doctrinæ cauſa, hæc duo confundimus, & omnia, quæ non ſunt de lege diœceſana, iuriſdictioni tribuimus, etiam ſi ea ſint ordinis, vt quę modo recenſui.

§. DVODECIMVS.

De Canonica obedientia, ſubiectione, & reuerentia, & aliis, legis iuriſdictionis articulis.

1. *Plures ſpecies eorum*, *quę ſunt legis iuriſdictionis*, *enumerantur.*
2. *Quid in exemptis monaſteriis poſſit Epiſcopus.*

Digitized by Google

1. AD iuriſdictionem quoque pertinet, canonica obedientia, ſubiectio, & reuerentia, *d cap. conquerente de offic. ordin. cap. quod ſuper de mai. & obed.* item inſtitutio, ac deſtitutio beneficiatorum, & eorum, qui ſingulis Eccleſiis præſunt, *d. cap. conquerente de off. ordin. & cap. cum ex iniuncto in fine de hæret. cap. cum & plantare §. in Eccleſiis de priuileg. cap. 1. de cap. monach.* item correctio, & reformatio, *d. cap. conquerente, & can. 1. can. Abbas pro humilitate, can. ſi quis Abbas, & ſeq. 18. quæſt. 2. cap. penult. de relig. dom.* de his omnibus idem *Meinardus in repetitione d. cap. conquerente cap 6.*

2. Excipio ſemper monaſteria, ſpeciali priuilegio exempta, *can. luminoſo 18. quæſt. 2.* in quibus tamen, adhuc Epiſcopi, hoc ſatagere debent, vt exempti, ab eis corrigantur, quibus ius illud priuilegio competit, *cap. quanta deuotio, & cap. irrefragabilis de offic. ordin. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reg. cap. 14.* alioquin, ſi in correctione exercenda, negligentes exiſtant, ad eam procedere poſſunt, locorum ordinarij, tanquam à ſede Apoſtolica iudices delegati, ex eodem Concilio.

§. DECIMVS-TERTIVS.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

1. *Quot cenſuræ Eccleſiaſticę partes, & gradus.*
2. *Quid ſit interdictum Eccleſiaſticum.*
3. *Quid ſuſpenſio, & quis effectus.*
4. *Quid excommunicatio, & quę maior dicatur.*
5. *Quę minor, & vnde vtriuſque petenda explicatio.*

1. PArs quoque, iuriſdictionis Epiſcopalis eſt, cenſura Eccleſiaſtica, *d. cap. conquerente,* quo nomine ſignificatur, interdictum, ſuſpenſio, & excommunicatio, *cap. cum inter de conſuetud. cap. querenti. de verb. ſignif.* ad quod *Quintinus Hæduus in analectis iuris ad titulum decretalium de verb. ſignif.*

2. Interdictum eſt, prohibitio adminiſtrandi ſacramenta, vel diuina officia celebrandi, vel actus quoſdam ſpiritales exequendi, in pœnam alicuius delicti, facta, vel ratione loci, vel ratione perſonarum, *cap. ſi ſententia & ſequent. de ſentent. excommun. in 6. Couarruuias ad cap. alma 2. parte §. 1. num. 7. & 8. de ſentent. excommun. in 6.* ad cuius maiorem intelligentiam, adeundus nouiſſimus tractatus, *de orig. & progreſſu interdict. Eccleſ.* ſubiectus commentario ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ Petri Pithæi.

3. Suſpenſio eſt cenſura, qua quis ab officio, vel perceptione ſacramentorum, interim excluditur, à iure, vel ab homine, & rectè interim, nam vt patet ex *cap. at ſi clerici de iudic.* eò differt ſuſpenſio, à depoſitione, quod hæc in perpetuum, illa vero ad tempus tantum, ab officio remoueat, cuius plures ſpecies, & gradus, adnotare poſſimus, in *gloſſa Clem. finalis in verbo ſuſpenſi de pœnis.*

4. Excommunicationis vero, duæ ſunt ſpecies, altera minor, altera maior dicitur, illa à perceptione ſacramentorum tantum, hæc à communione fidelium ſeparat, & anathema vocatur, *cap. ſi quidem 59. de ſentent. excommun. can. ad menſam §. aliquando, & §. eſt & alia & can. nemo Epiſcoporum 11. quæſt. 3.*

5. Minor itaque excommunicatio, quam quis incurrit, ob peccatum mortale, cum à perceptione ſacramentorum ſeparet, etiam ſuſpenſio appellatur, *cap. vlt. de cohabit. cler. & mul.* & de his omnibus, excommunicationis ſpeciebus, egregiè & ad rem Iacobus Seuertius, Theologus Pariſienſis, in ſumma omnium excommunicationum, & Iulius Cæſar Ramerius, ad Bullam in cœna Domini, item è noſtris Rebuffus ad eamdem Bullam.

§. DECIMVS-QVARTVS.

De iuriſdictione ordinaria.

1. *Cognitio cauſarum, pars eſt iuriſdictionis Epiſcopalis.*
2. *Iuriſdictio duplex, altera ordinaria, altera delegata, & quænam ſit.*

Digitized by Google

1. IVriſdictioni quoque, Epiſcopali tribuitur, cauſarum omnium, quæ ad forum Eccleſiaſticum ſpectant, ordinaria cognitio, *d. cap. conquerente de off. ordin.* hoc eſt citatio, examinatio, & deciſio, *cap. dilectus eod tit.* eaque, cum Epiſcopos, à munere Epiſcopali, & cura auocaret, hoc eſt, à prædicatione verbi Dei, alteri, hoc eſt officiali, vel vicario, neceſſariò fuit commitenda, vt aliàs manifeſtè probauimus.

2. Et rectè de iuriſdictione ordinaria, inſtituitur diſputatio, de qua eſt *titulus de offic. ordinarij*, nam ſunt quidam, qui à ſummo Pontifice delegatam habent iuriſdictionem, de quibus eſt, *titulus de offic. iud. deleg. & cap ſanè*, quod & pertinet ad mandatam iuriſdictionem, & hi in cauſis ſibi commiſſis, maiores ſunt ordinariis ipſis, ſicut iure ciuili, iudices dati à principe, in *lege à iudice cod. de iud.* quorum iuriſdictio, dicitur extranea, & precaria, ordinaria vero naturalis, & dignitatis Epiſcopalis, comes indiuidua, vt docet *Meinardus Pictauienſis anteceſſor ad cap. conquerente de offic. iud. ordin.*

---

§. DECIMVS-QVINTVS.

De Pœnitentiarum iniunctione, & viſitatione annua.

1. *Præcipuum Epiſcopi munus, in circumeunda diœceſi.*
2. *Procuratio dicta circada, à circumitione.*
3. *Quodnam viſitantis Epiſcopi munus, & officium.*
4. *Vnde petenda muneris, & officij viſitatori incumbentis, explicatio.*
5. *Viſitatio ſemel in anno fieri debet.*
6. *Quo caſu repetitur, gratis fieri debet.*
7. *Viſitationi, annexa procuratio.*
8. *Vndè procurationis nomen.*
9. *Altera ratio, vndè ſic denominetur.*
10. *Procuratio plerumque in victualibus, non in pecunia.*
11. *Quis modus viſitationibus, & procurationibus datus ſit.*
12. *Modus viſitationis, in pecuniæ collatione.*
13. *In taxatione procurationis, tranſactiones veteres ſeruari debent.*
14. *Procuratio non debetur, niſi reuera viſitanti diœceſim.*
15. *Probatur ratione à beneficio ad officium ducta.*
16. *Monaſteria non ſunt exempta, à procuratione & viſitatione.*
17. *Præſcriptione non extinguitur, procurationis, vel viſitationis ius.*
18. *Quoddam procurationis genus, preſcriptione tollitur.*
19. *Ne quidem pretextu exemptionis, impeditur viſitatio.*
20. *Probatur conſtitutionibus Regum noſtrorum.*
21. *Huius diſputationis, cum ſuperiori connexio.*

1. AD iuriſdictionem quoque ſpectare videtur, pœnitentiarum impoſitio, de qua in *d. cap. conquerente de off. ordin. cap. accedentibus de exceſſ. prel.* ac poſtremo annua viſitatio, ibidem, circà quam ſciendum eſt, Epiſcoporum præcipuam ſollicitudinem verſari, in circumeunda, ſingulis annis diœceſi, vndè περιοδευταὶ dicti ſunt, à circumitione.

2. Et ea ratione, merces illa, ſiue tributum, quod viſitationis cauſa, præſtari ſolet, quæque procuratio ſæpius appellatur, de qua & mox dicemus, circada dicitur à circumitione in veteribus chartis monaſteriorum, vt in exemptionis inſtrumento, monaſterio ſancti Dionyſij, à Landerico Epiſcopo Pariſienſi conceſſæ, vt obſeruauit *Ludou. Lacerda in aduerſariis ſacris cap. 72. num. 19.*

3. Verum illa viſitandi facultas, maximè conſiſtit, in perluſtrandis Eccleſiis, intra diœceſim conſtitutis, vt ſi quæ reparatione opus habent, reparari iubeant, & clericos in

eis deſeruientes obſeruent, qualiter ſe gerant, & diuina officia peragant, *canone decreuimus, & duobus ſequentibus* 10. *quæſt.* 1.

4. Sed vt plenius intelligatur, quale ſit officium Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, prouinciam ſuam viſitantis, vel diœceſim perluſtrantis, conſulendus *Innocentius IV. in cap.* 1. *vſque ad finem de cenſ. Marianus. Socinus in tractatu viſitationis num.* 25. *& ſeq.* Adrianus Behorius in tractatu nuper edito, breuiſſimo quidem ſed luculento de iure antiquo procurationum ex ſacris Eccleſiæ canonibus collecto.

5. Hæc autem viſitatio, ſemel tantum, per ſingulos annos, fieri debet, *can. decreuimus & ſequenti*, niſi aliquod incidat, propter quod, iteranda eſſe videatur, *cap. mandamus de off. Archid.* vel niſi ex conuentione, vel conſuetudine, ſæpius repetenda ſit, quo ſenſu explicandus eſt, *canon viſitandi, & canon ſequens*, 18. *quæſt.* 2. *cap. cum venerabilis in fine de cenſ. & cap. excommunicamus* §. *adiicimus de hæret.*

6. His tamen caſibus, vbi repetenda eſt, gratis fieri debet, vt habetur in *cap. Car. Calui in Synodo apud Tholoſam cap.* 5. his verbis, *vt ſemel in anno, Epiſcopi, hanc circumitionem, tempore congruo faciant, & ſi amplius miniſterium ſuum, per diœceſim, agere voluerint, hanc tamen diſpenſam, amplius quam ſemel, à presbiteris per annum non accipiant*, niſi aliud in fundatione conuenerit, vel conſuetudine inductum ſit, vt ſupra monuimus.

7. Cæterum, ordinariæ Epiſcoporum viſitationi, itemque Archiepiſcoporum, & Legatorum, aut Nunciorum ſedis Romanæ, vel præfectorum ordinis, annexa eſt procuratio, *capit. procurationes de cenſ.* quæ iure communi, ab ipſa fundatione Eccleſiæ, videtur impoſita, *cap. Sopita, & cap. venerabilis de cenſ.*

8. Sic autem appellatur, quia ſingulæ Eccleſiæ, Epiſcopum viſitantem, procurare debent, id eſt alere, ac tueri, quo ſenſu, procurandi vocabulum, accipitur, idem enim ſonat, ac ſimplex curandi verbum, apud bonos auctores, apud Plautum, & alios Grammaticos, vt & apud *Duarenum de ſacris Eccleſiæ miniſt. cap.* 5. *num.* 2. *& in capit. quanto extra de cenſ.*

9. Verum & quis rectè exiſtimauerit, procurationes ex eo dici, quod Epiſcopo, rem Eccleſiæ procuranti, & ad eam, viſitationis cauſa accedenti, præſtari ſoleant, quo ſenſu Agape, quod vocabulum, Græcis dilectionem ſonat, accipitur pro conuiuio, dilectionis cauſa facto, & pauperibus exhibito, cuius non ſemel ſit mentio, apud Tertullianum, & in *can. ſi quis deſpicit.* 42. *diſtinct.* & de eo ſupra diximus.

10. Hanc vero procurationem, non in pecunia, ſed in victualibus, conſiſtere ſtatuit, *Innocentius IV. in cap.* 1. §. *procurationis de cenſ. & Greg.* 10. *in cap.* 2. *eod. in* 6. tametſi Bonifacius VIII. electionem dederit iis, qui viſitantur, aut in victualibus, aut in pecunia, procurationes præſtare, *cap.* 3. *eod. in* 6. quod confirmatum eſt, *Concilij Tridentini ſeſſ.* 24. & 25 & conſtitutionibus Regum noſtrorum, vt teſtis eſt, *Papo lib.* 1. *tit.* 11. *art.* 4. *& Scholiaſtes d. Louetij litt. V, num.* 4.

11. Modus quoque expenſarum, definitus eſt, pleriſque canonicis ſanctionibus, ac præſertim Concilio Lateranenſi, ac Toletano, quibus numerus euectionum, id eſt equorum, quas ſecum viſitantes, ducere debent, taxatus inuenitur, *cap. cum Apoſtolus, de cenſ. cap. inter cætera in fine*, 10. *quæſt.* 3. quorum poſtremum, deſumptum eſt, ex *Concilio Toletano ſeptimo cap.* 4. vbi quod dicitur, de presbiteris parochialibus Galliæ, Romani emendatores, nec-non etiam *Anton. Auguſtinus lib.* 1. *emendat. Grat. Dialogo* 4 legunt Galliciæ, quæ pars Toletanæ prouinciæ.

12. Quin etiam, à Benedicto XII. ſecundum locorum, ac prouinciarum diuerſitatem, & Eccleſiarum qualitatem, modus procurationum, in pecuniis exhibendarum, pro cuiuſque viſitandi voluntate, & arbitrio, definitus fuit, in *extrauag. vas electionis de cenſ.* quibus adde eumdem *Socinum in tractatu viſitationis num.* 33. & aliis, & Adrianum Behotium, in tractatu de antiquo iure procurationum.

13. Verum hæ definitiones, non nocent, quominus pacta & conuentiones, quibus, de modo ſoluendi, aut non ſoluendi procurationess, conuenit, ſeruari debeant, argumento *capit. cum olim de cenſ.* propterea, Tridentina Synodus, huiuſmodi pactis conuentis, præiudicatum eſſe noluit, in *ſeſſ.* 24. *de reformat.*

14. Cumque viſitationi, vt ſupra dictum eſt, annexa ſit procuratio, conſequens eſt, eam non deberi, niſi reuera, & in perſona viſitantibus, *cap. procurationes de cenſibus can. relata* 10. *quæſt.* 1. aut ſaltem aliis, ab eis commiſſis, & deputatis, id munus exequentibus, vt ſit cum ipſi, qui viſitare tenentur, ex aliqua cauſa impediuntur, huic muneri ſupereſſe, *cap. inter cætera de off. ordin. gloſſa in d. capit. procurationes in verbo perſonaliter de cenſ.*

15. Sed & illud, hac ratione, confirmari poteſt, & argumento, à ſimili ducto, quod

Digitized by Google

cum, ad verba, definitionis noſtræ, *cum ſuo reditu* beneficium, ſiue reditum, & prouentum militiæ, quæ officium, & miniſterium denotat cohærere dixerimus, & ex eo, illud ſimul euicimus, nulli deberi, niſi qui officium impleuerit, ex quo, regulam iuris canonici, euulgauit Bonifacius VIII. beneficium, dari propter officium, in *cap. finali de reſcript. in 6.*

16. Cæterum à iure viſitationis, & procurationis ei annexæ, non eximuntur monaſteria, aut quælibet Eccleſiæ, *cap. ſolita, & cap. quod olim, de cenſ. cap. 1. eod. in 6. cap. vt iuxta de off. ordin.* quia, legis eſt iuriſdictionis viſitatio, & procuratio, à quâ, monaſteria, non eſſe exempta probauimus; niſi tamen, ex ſpeciali priuilegio exemptionis, vt patet ex eo, quod à Landerico, Epiſcopo Pariſienſi, monaſterio ſancti Dionyſij, indultum eſt, quod refertur à V.C. Hieronimo Bignonio in *notis ad Marculf. monachi cap 1.*

17. Nec tamen præſcriptione tollitur, quæ ius iſtud, minuere non poteſt, *cap. cum inſtantia de cenſ.* & *cap. cum ex officij de præſcript.* quia, cum viſitationi, annexa ſit procuratio, iiſdem regulis, gubernari debet, cum itaque ius viſitandi, ex reuerentia Epiſcopo debita, originem ſuam mutuetur, neutra, præſcriptionis legibus ſubiacet, vt probatum eſt in *cap. 12. de præſcript.* nec itaque, ipſa procuratio, quod adeo verum eſt, vt quamuis in ciuitate Epiſcopali, ſit abbatia, nec illa præſcribere poſſit *cap. venerabili de cenſ.*

18. Verum illud obſeruandum eſt, quod dicitur, ius procurationis, præſcriptionis regulis non ſubeſſe, ita intelligendum eſſe, vt in eo ſolo procurationis onere, locum habeat, quod ratione viſitationis debetur, ſunt enim, procurationum exſoluendarum, tres cauſæ: prima ratione viſitationis, de qua ſupra: ſecunda, ratione legis, ſiue conuentionis, fundationi dictæ, *can. Eleutherius 18. quæſt. 2.* tertia, ratione conſuetudinis, *can. ſeruitium eod* quæ duæ poſtremæ ſpecies, cum iure communi, nequaquam innitantur, ideò, præſcriptione extingui poſſunt.

19. Verum hodiè, ex Concilio Tridentino, nequidem, priuilegij ratio, haberi debet, in procuratione, viſitationis gratia præſtanda, nam in *ſeſſ. 7. de reformat. cap. 8.* iubentur locorum ordinarij, Eccleſias quaſcumque, & quomodolibet exemptas, viſitare, appellationibus, priuilegiis, conſuetudinibus, etiam à tempore immemoriali præſcriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus, penitus excluſis.

20. Sed & idem, repetitum habemus, in *ſeſſ. 21. cap. 8. & 24. de reformat. cap. 9. & ſeſſ. vlt. de regul. cap. 20.* quibus congruunt, conſtitutiones Regum noſtrorum, Aureliis latæ anno 1560. *art. 11.* Blæſenſis *art. 32. & 52. Chop. lib. 2. de ſacra polit. tit. 8. num. 12.* ſed in eo, differentia eſt, quod cum in locorum exemptorum viſitationibus, Epiſcopi, ex auctoritate Pontificia, procedant, ipſimet intereſſe debent, nec enim, iudex demandatus, alteri, iuriſdictionem mandare poteſt, *leg. 1. dig de off. eius cui mand. eſt iuriſd.*

21. Hactenus de Eccleſiarum fundatione, & dote, earumdemque ſubiectione, venio nunc, ad tertium caput, de iure, quod in bonis Eccleſiaſticis, & earum fructibus, Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis, competit, vt propoſito nobis ordini, ſatisfaciamus.

CAPVT TERTIVM.

De iure quod in bonis Eccleſiaſticis, Eccleſiæ, vel perſonis Eccleſiaſticis, competit: ſiue de rebus Eccleſiæ, alienandis, vel non.

1. *Ordo & ſeries huius capitis.*
2. *Præmittitur præparatoria & præiudicialis quæſtio.*

1. LAte percurret hic tractatus, in quo agendum, de alienatione rerum Eccleſiaſticarum, emphiteuſi, locatione, præcaria, pignoris obligatione, & aliis contractibus, ad earum adminiſtrationem ſpectantibus, inter viuos, ac poſtremo, de ordinatione earum rerum, teſtamento, vel alio genere vltimarum voluntatum.

2. Verum illorum omnium, præparatoria, ac veluti præiudicialis, quæſtio eſt, an

rerum Eccleſiaſticarum dominium, ſit penès ipſos clericos, an penès totam Eccleſiam, vel ſingulas, an apud Deum, vel vicarium eius, nimirum ſummum Pontificem, an etiam apud pauperes.

---

§. PRIMVS.

Ad quos pertineat Dominium rerum Eccleſiaſticarum.

1. *Res Eccleſiæ dicuntur communes, & quomodo id intelligendum.*
2. *Probatur communionem eſſe pauperum, & Clericorum.*
3. *Res Eccleſiæ, dicuntur patrimonium pauperum.*
4. *Res Eccleſiæ, dicuntur eſſe Chriſti.*
5. *Quomodo id intelligendum, petitur ex auctoritate Doctorum.*
6. *Examinatur quomodo, res cuique Eccleſiæ cedant, & Prælatorum adminiſtrationi.*
7. *Dominium rerum Eccleſiaſticarum, eſt penès Eccleſiam.*
8. *Quomodo id intelligendum, an de vniuerſali, an de particulari.*
9. *Probatur ſingulares Eccleſias, petitorias in rem actiones exercere.*
10. *Probatur & in Eccleſia Romana, dominij diſtinctio.*
11. *Rerum monaſteriis quæſitarum, ad quos dominium pertineat.*
12. *Olim res immobiles, monaſteriis Franciſcanorum, relinqui non poterant.*
13. *Hodiè ex Concilio Tridentino, in commune relinqui poſſunt, & poſſideri.*
14. *Res ſacræ Eccleſiarum, nullius dominio adquiruntur.*

1. PRimum illud prænotandum eſt, quandoque res Eccleſiæ, dici communes, vt in *can. expedit. & can. res Eccleſiæ 12. quæſt.* 1. quæ ego intelligo, de communione Clericorum, aut etiam pauperum, nam vt ait D. Hieronimus, *quidquid habent clerici, pauperum eſt, can. vlt. 16. quæſt.* 1. non vt primo illorum occupanti cedant, vt dicitur in *tit. inſtit. de rerum diuiſ. ſtatim in principio*, ſed communes ſint, quoad vſum.

2. Et ad id apte diuus Auguſtinus in *can. quod autem 23. quæſt.* 7. de bonis Eccleſiæ ſic loquitur, *ſi pauperum, compauperes ſumus, & noſtra ſunt, & illorum, ſin autem priuatim, quæ ſufficiant poſsidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem, quodammodo gerimus, non proprietatem, nobis vſurpatione damnabili, vindicamus.*

3. Et ex eo eſt, quod res Eccleſiæ, patrimonia pauperum appellantur, in *can. quod iuxta 16. quæſt. 1. & in cap. cum in officiis de teſtam. Couarruuias lib. 2. var. reſol. cap. 16. num.* 8. & D. Ambroſius ad Valentinianum poſſeſſionem Eccleſiæ, vocat ſumptum pauperum, & egenorum.

4. Sed & Eccleſiæ bona, Chriſti eſſe dicuntur, *can. qui Chriſti, & can. qui abſtulerit, 12. quæſt.* 2. ſi quidem hæc, Deo fuerunt oblata, *can. ſaluator. verſiculo domum 1. quæſt. 3. can. mancipia & ſequenti, de rerum permut.* & propterea, diuina appellantur, *can. conuenior. 23. quæſt.* 8. patrimonium Chriſti, *cap. cum ex eo de elect. in 6.*

5. Huic autem ſententiæ, maximè accedit, Panormitanus in repetitione *cap. cum eſſes num. 29. de teſtam.* poſt Innocentium in *cap. cum ſuper. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Gregor. Tholoſ. *lib. 25. ſintag. iur. cap. 8. num.* 2. vbi & illud adiiciunt, pleriſque locis probari, res Deo oblatas, ita Chriſti dominio adiici, vt dominio Eccleſiæ, cedere intelligantur, vel Prælatorum, qui adminiſtrandæ præficiuntur, quod tamen maiorem deſiderat explicationem.

6. Verum enim quod dicitur, bona Eccleſiæ, vel eſſe Eccleſiæ, vel Prælatorum, vel capitulorum, id accipiendum eſt, de adminiſtratione, ſunt enim vicarij, & veluti adminiſtratores, à Chriſto conſtituti, *can. penult. 33. quæſt.* 1 ſicuti etiam, cum dicuntur eſſe pauperum, illud exaudiendum eſt, de ſuſtentatione, *Couarruuias in capit. cum in officiis de teſtam num. 3. verſiculo* 4. quod ego ſatis probo, cum Redoano in tractatu *de reb. Eccleſ. non alien. quæſt. 52. num. 8 & ſeq.*

7. Nec tamen, pariter illud probauerim, quod dicunt, dominium eorum bonorum,

Digitized by Google

eſſe Dei, niſi eo ſenſu, quo Deus omnium Dominus eſt, alioquin rerum Eccleſiaſticarum Dominium, mihi videtur, eſſe penès Eccleſiam, in qua opinione eſt *Rebuffus in compendio alienat. rerum Eccleſiaſt. num. 99.*

8. Quod ita velim intelligi, non de vniuerſali Eccleſia, ſed de ea, cui quæque res, eſt adquiſita, quod apte probat, *can. videntes, 12. quæſt. 1. lex Deo nobis §. has autem, & lex Iubemus nulli 14. §. ſanè cod. de ſacroſ. Eccleſ.* vbi vſusfructus, rerum Eccleſiaſticarum finitus, cum dominio & proprietate ipſius Eccleſiæ conſolidari dicitur.

9. Sed & illud euidentius apparet, ex eo, quod Eccleſia, aduerſus Eccleſiam, in rem actiones petitorias, & poſſeſſorias, exercere intendit, & ſua quæque vindicare ſolet, imò etiam aliena, quadraginta annorum præſcriptione, omninò adquirere, *capit. illud de præſcript.*

10. Verum etiam ex eo, quod Romana Eccleſia, hoc priuilegio vti ſoleat, vt non minori, quam centum annorum præſcriptione, res ſuas amittat, *authent. quas actiones cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ res, dominiorum diſtinctionem, ad ſingulas quaſque Eccleſias pertinentium, ſatis manifeſtè demonſtrat.

11. Excipienda ſunt monaſteria, quæ nihil proprium habere poſſunt, nec priuatim, nec in communi, præſertim vero, Franciſcanorum, quæ cauſa fuit, vt Nicolaus III Dominium earum rerum, quarum vſus eis communis eſt, Romanæ Eccleſiæ, ſeruatum eſſe voluerit, *capit. exiit qui ſeminat de verb. ſignif. Clement. exiit de paradiſo §. proinde, & §. cumque annui reditus, eod. tit.* quod tamen dominium, poſteà repudiauit Ioannes 22. in *extrauag. ad conditorem, & extrauag. quod quorumdam eod.*

12. Et propterea, olim in hoc regno, variis curiæ decretis, ſemoti ſunt, à petitione legatorum, ſibi relictorum, vt videre eſt, apud *Ioannem Galli quæſt. 62. 52. 44. & 37.* nec aliter admitti ſolebant, quam ad æſtimationem, ſeu pretium, rerum ſibi relictarum, *Chop. lib. 3. de ſacra polit. tit. 6. num. 22,* aut ad alimenta ſibi relicta *D. Louet. litt. L, num. 8. Robertus rerum iud. lib. 2. cap. 2.*

13. Verum ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de reg. cap. 3.* conſtat, permiſſum eſſe, Mendicantibus, bonorum dominium, in commune habere, *Chop. lib. 3. de ſacra polit. tit. 1. num. 8. & tit. 6. n. 22.* ex quo tempore, illis bona immobilia, teſtamento, vel inter viuos, reditus annui, & alia quælibet, dimitti potuerunt, in commune poſſidenda, vt probant *Scholiaſtes D. Louetij litt. L, num. 8. Meinardus lib. 1. quæſt. illuſt. quæſt. 19.*

14. Sed quod diximus, dominium rerum Eccleſiaſticarum, eſſe penès ſingulas Eccleſias, dictum velim, de dominio rerum temporalium, quædam enim ſunt res ſacræ, quæ rite per Epiſcopum, ad miniſterium Dei, conſecratæ ſunt, vt calices, & vaſa ſacra, & hæc nullius eſſe videntur, *§. nullius, & §. ſacra inſtit. de rerum diuiſ.* de quibus ſupra diximus.

§. SECVNDVS.

De prohibita rerum Eccleſiaſticarum alienatione.

1. *Rerum Eccleſiaſticarum alienatio prohibita.*
2. *Ita & earum, quæ ſpiritualibus connexæ ſunt.*
3. *Quæ origo prohibitionis, alienationis rerum Eccleſiaſticarum.*
4. *Prohibitio alienationis rerum Eccleſiaſticarum, ad quælibet religioſa loca extenditur.*
5. *Quæ pœnæ alienantium res Eccleſiæ.*
6. *Aliæ pœnæ aduerſus alienantes ſubiiciuntur.*
7. *Qui actus alienationis nomine comprehendantur.*
8. *An res mobiles Eccleſiæ liceat alienare.*
9. *Res ſacræ, quamuis mobiles, vendi non poſſunt.*
10. *Quibus caſibus, res ſacræ vendi poſſunt.*
11. *Iiſdem caſibus poſſunt & oppignerari.*

1. PRimum igitur, rerum Eccleſiaſticarum, ſiue ſacræ, ſiue temporales ſint, hoc commune eſt, quod alienari nequeant, hæ videlicet, quia commercio ſunt exemptæ, atque etiam, iuris diuini, *lege Sancimus 21. cod. de ſacroſ. Eccleſ.* illæ, quia licet tempo-

rales ſint, & communem, cum cæteris ſortem, accipere videantur, tamen ſpiritualibus quæ in ſacro miniſterio conſiſtunt, cohærent, & ideò, earum naturam ſortiuntur.

2. Et vero ſicut ea, quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt in *lege quæ religioſis* 43. *de rei vind.* ita, & quę ſpiritalibus connexa ſunt, ſpiritualia habentur, & propterea, ſicut res ſpiritales vendi nequeunt, abſque ſimonia, vt infrà dicetur, ad verba definitionis, *Cœleſtis cap.* 2. ita nec temporales, illis annexæ, *cap. de iure* 16 *de iure patron. cap.* 5. *de iudiciis.*

3. Tum vero, quia, ſicut Eccleſia, religionis, & fidei, mater perpetua eſſe dicitur, ſic & eius dos, & patrimonium, perpetuum eſſe debet *lege iubemus* 14. *cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ lex, primum lata fuit, de bonis, maioris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, deinde porrecta ad omnes ſubiectas, Patriarchæ Conſtantinopolitano, conſtitutione Anaſtaſij Græca, quę eſt *lex* 17. *cod. eod. tit.* qua rerum Eccleſiaſticarum alienationes, nihilominus interueniente decreto, & actorum monumentis, permittebantur.

4. Sed & illud, Iuſtinianus Imperator ſuſtulit, *Nou.* 7. prohibita, bonorum Eccleſiaſticorum, in vniuerſum alienatione, imò & eorum, quæ ad Monaſteria, Xenodochia, Noſocomia, & quælibet loca pia, ſeu Hoſpitalia pertinent, immobilia ſcilicet, quibus annumerantur, ſerui, Ruſtici, & coloni, cum peculiis, & panes ciuiles, *d. nou.* 7. & ita in *cap. nulli de reb. Eccleſ. non alien.* non tantum prohibetur alienatio, rerum immobilium, ſed etiam, ruſticorum mancipiorum.

5. Verum adeo, generalis eſt, prohibitio alienationis rerum Eccleſiaſticarum, vt etiam extendatur, ad ſummum Pontificem *can non liceat Papa* 12. *quæſt.* 2. pœna anathematis in inferiores, qui alienauerunt, aut alienationi conſenſerunt, iure Pontificio conſtituta, *can. bene* §. *item* 96. *diſtinct. & cap. ſi quis presbiterorum de reb. Eccleſ. non alien. Rebuff. in compendio alienat. rerum Eccleſiaſt. num.* 105. *& ſequent.* vbi alias pœnas, ſubiungit, ex Bulla Pauli II. quod eſt *cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alienand. in extrauag. commun. can. Apoſtolicos* 12. *quæſt.* 2.

6. Sed & præmiſſis pœnis adiecta eſt, honoris depoſitio, *can.* 2. 17. *quæſt.* 1. & *Clement.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* & alterius tantidem reſtitutio, *can. diaconi* 12. *quæ*ſt. 2 irrita ſemper manente alienatione, ſic, vt res alienata, nullo reddito pretio, cum fructibus reſtitui debeat, *cap.* 1. *de ſchiſm. d. capit. ſi quis presbiterorum de reb. Eccleſ. non alien*

7. Nec illud omittendum, alienationis verbo, ſignificari hoc loco, venditionem, permutationem, hypothecam, emphiteuſim, & omnem actum, per quem aut dominium, aut ius in re transfertur, *d. capit. nulli*, vbi *conditionis* verbum expungendum eſt, vt putat *Anton. Auguſtinus ad hoc cap. in cap. in prima collect. decretal. & capit. ambitioſæ in extrauag. commun. de reb. Eccleſ. non alien. non.* 7. §. *alienationis*, ex qua deſumptum eſt, *d. capit. nulli*, in qua etiam nouella, conditionis verba non habentur.

8. Quod autem dictum eſt, prohibitionem alienandi, ad res immobiles tantum extendi, ita acceptum velim, vt res mobiles, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, alienari poſſint, *can. bene* §. *plane* 96. *diſtinct.* cui congruit *lex Conſtantini* 22. *cod. de adminiſtrat. tut.* quæ tractat, de rebus minorum, qui in pleriſque iuris articulis, pari paſſu cum eccleſia ambulant, imò eccleſia, minorum iure vtitur, in *capit. auditis de reſtit. in integrum.*

9. Verum quælibet aliæ res pretioſæ, ac Deo dicatæ, vt ſacra vaſa, veſtes, cæteraque donaria, non poſſunt alienari, *d. extrauag. ambitioſæ de reb. Eccl.ſ. non alien.* ne quidem cum ſolemnitate, quæ in immobilibus eſt neceſſaria, *lege Sancimus* 21. *cod. tit.* niſi ad redemptionem captiuorum, aut pauperum alimoniam, tempore famis, aut niſi ære alieno prematur eccleſia.

10. Sed eo caſu, vaſa ſuperflua, conflari oportet, & ſic conflata alienari, ſi non ſit, vnde alienum æs, diſſolui poſſit, *d. lege Sancimus, & nou.* 7. §. *iiſdem can. ſacrorum, & can. aurum* 12. *quæſt.* 2. & ob eamdem cauſam, nimirum redemptionis captiuorum, narrat Socrates, Acacium Epiſcopum, conflaſſe vaſa omnia aurea, & argentea, eaque diſtraxiſſe.

11. Nec tamen negauerim, quin iuſtiſſima neceſſitate vrgente, pignori dari poſſint, vt infrà dicetur, & interim probari poteſt, auctoritate *cap.* 1. *de pig.* fugitiuos quoque ſeruos, alienare permiſit Concilium Agathenſe *can. fugitiui* 12. *quæſt.* 2. quæ autem, iuſtiſſima cauſa eſſe poſſit, oppignerandi, patet ex *d. cap.* 1. *de pig. in verbo neceſſitate.*

§. TER-

Digitized by Google

§. TERTIVS.

Quibuſdam ex cauſis, res Eccleſiæ alienari poſſe.

1. *Certis quibuſdam caſibus, permiſſa rerum Eccleſiaſticarum alienatio.*
2. *Vnde* rubrica decretal. de rebus Eccleſ. alien. vel non.
3. *Enumerantur cauſæ, propter quas, alienatio rerum Eccleſiaſticarum, permittitur.*
4. *An diſcuſſio mobilium, alienationem præcedere debeat.*
5. *Probatur diſcuſſionem præcedere debere.*

1. SEd vt redeam, ad res Eccleſiæ immobiles, dico earum alienationem, iuſtis ex cauſis, aliquando permitti, nimirum, ex cauſis euidentis neceſſitatis, aut vtilitatis, *cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. *can. huiuſmodi* 10. *quæſt.* 2. *Clement.* 1 *de rebus eccleſ. non alien. can. ſicut, & can. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. *nou.* 46. *capit. tua, de his quæ fiunt à præl ſine conſ. cap.*

2. Et ex eo eſt, quod in decretalibus, ita concipitur titulus, ſiue rubrica, alienationem rerum Eccleſiaſticarum interdicens, *de rebus Eccleſiæ alienandis vel non*, cuius duas partes eſſe notat, Andræas Vallenſis, in paratitlis ad eumdem titulum, quarum alterâ rerum Eccleſiaſticarum alienatio interdicta ſit, altera, certis ex cauſis permiſſa, quæ fuſius exponuntur in eodem titulo, & à nobis inferius, vt ſubiectæ materiæ ordo poſtulauerit.

3. Et vt exemplis hoc confirmem, dico, ſi æs alienum vrgeat, nec ex fructibus bonorum Eccleſiaſticorum, aut rebus mobilibus, quæ ſeruando ſeruari nequeunt, ſatisfieri non poſſit, alienationem permitti, vt in *cap. penult. de verb. ſignif.* permittitur collatio beneficiorum, cum retentione fructuum, vrgentibus Eccleſiæ debitis impendendorum, contra iuris communis regulas, nam & ob eamdem cauſam, prædia minorum, diſtrahere licet, *lege* 1. *de rebus eorum qui ſub tut. vel cura ſunt.*

4. Et ex eo diſputari ſolet, an quemadmodum, in alienationibus prædiorum, ad minores pertinentium, apud nos obſeruari ſolet, vt priuſquam, ad eorum diſtractionem progrediendum ſit, mobilium diſcuſſio habeatur, conſtitutionibus Regum noſtrorum, in vſum reuocata diſpoſitione *legis à Diuo Pio* 15. *de re iud.* ita, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum idem ſeruari debeat.

5. Sed & illud vtique ſuaderem, vt in alienatione prædiorum, ad Eccleſias pertinentium, quamuis publicè, & ſolemniter habita, mobilium tamen, certa & accurata diſcuſſio, alienationem præcederet, nec enim vlla ſubeſſet, alienandi cauſa, ſi ex diſtractione mobilium, diſſoluendo æri alieno, ſatisfieri poſſet, quod in minoribus vbique obſeruatur, quorum iure vtitur Eccleſia *cap. auditis de in integr. reſtit. min.* nec tamen illud, in alienatione, rerum Eccleſiaſticarum immobilium, vſque hodiè, decreto curiæ comprobatum audierim.

§. QVARTVS.

De neceſſaria alienationis cauſa.

1. *Cauſa debet adeſſe, propter quam, res Eccleſiæ alienentur.*
2. *Quæ cura eſſe debeat, adquirentis res Eccleſiæ.*
3. *Rerum Eccleſiaſticarum emptor, debet ſatagere, vt pretium, in vtilitatem Eccleſiæ vertatur.*
4. *Ob publicas neceſſitates regni, res Eccleſiæ, diſtrahi poſſunt.*
5. *Qua forma, & auctoritate, alienatio fieri debeat.*

Digitized by Google

6. *Propter exſolutionem ſubuentionum, facta alienatio, prętextu nullitatis, reſcindi non ſolet.*

7. *Redemptio ſolarij, Eccleſiæ debiti, & Lutetianis ędibus impoſiti, fieri ſolet.*

8. *Probatur vſus moribus Pariſienſibus inuectus.*

9. *Enumerantur alienationis pręcipuę cauſę.*

1. EX præmiſſis igitur conſtat, quibuſdam ex cauſis, alienationes rerum Eccleſiaſticarum permitti, ſeruatis nempe, iuris canonici ſolemnitatibus, quibus omnibus, vt ſatisfiat, in primis neceſſe eſt, debitum, propter quod alienatio fieri debet, ob rem, atque vtilitatem Eccleſiæ, contractum fuiſſe, cuius rei probatio iucumbit emptori, cum ex eo, illius cauſa ſecurior fiat.

2. Et propterea, ſollicitus eſſe debet, qui res eccleſiæ adquirit, non tantum, vt pretium emptionis, cedat in liberationem eccleſiæ, ſed etiam vt obligatio, cuius diſſoluendæ cauſa, alienatio contrahitur, ex ea cauſa proceſſerit, quæ olim eccleſiæ vtilis fuerit, vt multis probat *Couarrunias lib. 2. var. reſol. cap. 17. Innocent. & Panormit. in cap. quod quibuſdam de fide inſtrum. Faber. in authent. hoc ius de ſacroſ. eccleſ. Rebuff. in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 10. *in fine* 38. 39. 40. & 41. idque etiam euidenter expreſſum eſt, *d. nou.* 120. *cap.* 6. *in fine.*

3. Et ob eam rationem, iudicatum refert, *Carondas lib.* 5. *reſp. iur. cap.* 18. alienationem prædiorum, ad Claromontanam Eccleſiam, in Bellouacenſi diœceſi, pertinentium, nullam eſſe, ex eo, quod pretium, venditionis cauſa exſolutum, in vtilitatem, & commodum eiuſdem eccleſiæ, non tranſijſſet, decreto in publicis cauſarum actionibus prolato die 12. Ianuarij anni 1580. quod pariter refertur à *Canutio in tract. alienat. rer. eccleſiaſt. capit.* 1.

4. Nonnumquam etiam, ob vrgentes regni neceſſitates, eccleſiaſticorum prædiorum alienatio fieri ſolet, lege publica, & edicto principis ita iubente, vt factum eſt in hoc regno, anno 1563. vt ſaluti reipublicæ Chriſtianæ conſuleretur, & libertati eccleſiæ, ab hæreticorum inuaſione ſeruandæ, de quo *Chop. lib.* 3. *de ſacra polit. tit.* 8. *num.* 1. vt & *collector. probationum ad libertat. eccleſ. Gall. cap.* 40. *& commentarius ad eaſdem libertates additus art.* 28. *collectionis Pithoeanæ.*

5. Verum eo caſu, impetrari ſolet Pontificium diploma, huiuſmodi alienationis cauſæ cognitionem indicens, in partibus diſcutiendam, quod tamen, auctoritate Regia ſuſtineri debet, reſcripto principis in id emiſſo, ita vt Pontificia ſimul, & Regia auctoritate, delegati iudices, ad alienationem, rerum eccleſiaſticarum, procedere debeant.

6. Sed & eo caſu habita alienatio, ex defectu ſolemnium, reſcindi non ſolet, cum auctore quodammodo prætore facta habeatur, & iuſte poſſideri intelligatur, quod auctore prætore poſſidetur in *lege* 11. *de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* tum quod alia ſit, redhibendorum ea forma alienatorum prædiorum ratio; nempe facultas eccleſiaſticis, ſæpius Regiis edictis conceſſa, qua ſuperſtite, vix eſt, vt ad extraordinarium, annullandæ alienationis, remedium recurratur, argumento legis 16. *dig. de min.*

7. Aliquando etiam, publicæ vtilitatis contemplatione, permiſſum eſt, vectigal ſolarium, ſuper ædibus Lutetiæ ſitis, redimere certo pretio, vt Domini, liberas ab hoc cenſu ædes poſſideant, *Chop. lib.* 3. *de ſacra politia tit.* 6. *num.* 2. vbi refert Caroli VII. Francorum Regis edictum, in id promulgatum, die 21. Ianuarij anni 1441.

8. Et vero, illud ita iuſtum, & æquo iure ſeruandum, tribus Pariſienſium ordinibus viſum eſt, vt in Conſuetudinis Pariſienſis *art.* 121. *& ſeq.* tranſcriptum ſit: alienationis autem, quæ fit propter vtilitatem publicam, exemplum eſt, in *cap. non liceat Papæ, & can. ſine exceptione* 12 *quaſt.* 2. vt puta, ſi ſit domus in vrbe, vel in caſtro, quę plus incommodi, quam vtilitatis afferre ſoleat.

9. Verum, vt omnes alienandarum rerum eccleſiaſticarum cauſas, longius diffuſas, in pauca contrahamus, *Hoſtienſis in ſumma tituli de reb. eccleſ. non alien. Redoanus in tractatu alien. rer. eccleſ. quaſt.* 19. quinque præcipuas aſſignant. Prima ratione neceſſitatis, ſi æs alienum vrgeat, de qua ſupra, & in *can.* 2. §. *hoc ius* 10. *quaſt.* 2. Secunda, pietatis, ob redemptionem captiuorum. Tertia vtilitatis, *can ſine exceptione* 12. *quaſt.* 2. Quarta æquitatis, in fauorem veterum colonorum, argumento *legis congruit de locat. præd. fiſc.* Quinta incommoditatis, vel maioris vtilitatis *can. terrulas* 12. *quaſt.* 2. quæ tamen ſæpius, ad duas reducuntur, neceſſitatis, & vtilitatis.

Digitized by Google

§. QVINTVS.

De inquiſitione commodi, vel incommodi, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, neceſſaria.

1. *Inquiſitio commodi, vel incommodi, neceſſaria in alienatione rerum Eccleſiaſticarum.*
2. *Qua forma fieri debeat inquiſitio.*
3. *Inquiſitio, precedere debet alienationem.*
4. *Certa, & euidens debet eſſe cauſa alienationis.*
5. *Aliæ ſolemnitates, in alienationibus neceſſariæ, ſtrictim enumerantur.*
6. *Alienatio, quamuis publico programmate facta, non valet abſque ſolemnitate.*

1. DE vtraque autem cauſa, neceſſitatis videlicet, aut vtilitatis, legitime conſtare oportet, neque ſufficit, in inſtrumento alienationis, ſpecialiter dictum fuiſſe, alienationem hac, aut illa cauſa factam fuiſſe, niſi aliter probetur, *capit. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. Guido Papæus deciſ. 151. Rebuff. in compend. rer. Eccleſ. num. 10. & 75.*

2. Sed & illud ita probari oportet, actis ſcilicet inquiſitionis, in cauſam alienationis habitis, nec-non commodi, aut incommodi, quæ apud nos, & idiotiſmo noſtro, vocari ſolet, *information de la commodité ou incommodité*, quæ in partibus fieri debet, ſiue locis, de quorum alienatione agitur, vocatis etiamnum omnibus, quorum intereſſe poteſt, vt docet *Ioannes Canutius in tract. alienat. rer. eccleſ. pag. 17. & ſeq.*

3. Et hæc quidem acta, ſiue inquiſitio commodi, vel incommodi, alienationem præcedere debent, nec enim ſi ſubſequerentur, alienationi ex eo inutili, confirmationem adiicerent, vt ſæpius iudicauit ſenatus, referente *Bergeronio in addit. ad decreta Ioann. Papo-nis lib. 1. tit. de alienatione rer. Eccleſ. art. 2.* namque peracta alienatione, fruſtra quæreretur num vtilis, aut neceſſaria, alienationis cauſa foret.

4. Nec dubia eſſe debet, alienationis cauſa, ſed euidens, & manifeſta, *capit. ſine exceptione verſ. quod non ſit dubium 12. quæſt. 2.* quod ſi tempore alienationis, videretur eſſe vtile, quod poſteà apparuerit non fuiſſe, valebit alienatio, dummodo ſolemnia non deſint, ſed eccleſia, beneficium reſtitutionis, impetrare poterit, *Rebuffus ibidem num. 97.*

5. Non ſufficit autem, iuſtam cauſam alienandi, præceſſiſſe, niſi & ſolemnitates, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, iure Pontificio requiſitæ, adhibitæ ſint, quæ in iis potiſſimum conſiſtunt, tractatu capituli, ſi Eccleſia capitulum habeat, conſenſu eorum, qui capitulum faciunt, vel eorum, qui Eccleſiis deſeruiunt, inſtrumento alienationis, & ſubſcriptione canonicorum, vel clericorum, ac poſtremo licentia, ſeu conſenſu Epiſcopi.

6. Sed & illarum omnium, iuris ſolemnitatum, nulla deeſſe debet, alienationi faciendæ, alioquin corruet, quamuis ſedente pro tribunali iudice, auctionum ſolemnibus interuenientibus, habita ſit, vt iudicatum refert *Ludouicus Carondas lib. 13. reſponſ. iuris cap. 6.* & variis inde, ſenatus Pariſienſis decretis, confirmatum eſt, quæ referuntur *in ſupplemento tract. alienat. rer. Eccleſ. auctore Ioanne Canutio, & in collectione decretorum ſecundum ſeriem ſeſſionium auctore Ioanne Dufreſne.*

§. SEXTVS.

De tractatu circa alienationem neceſſario.

1. *Quid ſit tractatus, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum neceſſarius.*
2. *Modus conuocandi capituli, vt tractatus habeatur.*
3. *Modus tractatus habendi, in alienationibus.*

Digitized by Google

1. AD iuriſdictionem quoque pertinet, canonica obedientia, ſubiectio, & reuerentia, *d cap. conquerente de offic. ordin. cap. quod ſuper de mai. & obed.* item inſtitutio, ac deſtitutio beneficiatorum, & eorum, qui ſinguli Eccleſiis præſunt, *d. cap. conquerente de off. ordin. & cap. cum ex iniuncto in fine de hæret. cap. cum & plantare §. in Eccleſiis de priuileg. cap. 1. de cap. monach.* item correctio, & reformatio, *d. cap. conquerente, & can. 1. can. Abbas pro humilitate, can. ſi quis Abbas, & ſeq. 18. quæſt. 2. cap. penult. de relig. dom.* de his omnibus idem *Meinardus in repetitione d. cap. conquerente cap 6.*

2. Excipio ſemper monaſteria, ſpeciali priuilegio exempta, *can. luminoſo 18. quæſt. 2.* in quibus tamen, adhuc Epiſcopi, hoc ſatagere debent, vt exempti, ab eis corrigantur, quibus ius illud priuilegio competit, *cap. quanta deuotio, & cap. irrefragabilis de offic. ordin. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reg. cap. 14.* alioquin, ſi in correctione exercenda, negligentes exiſtant, ad eam procedere poſſunt, locorum ordinarij, tanquam à ſede Apoſtolica iudices delegati, ex eodem Concilio.

---

§. DECIMVS-TERTIVS.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

1. *Quot cenſuræ Eccleſiaſticę partes, & gradus.*
2. *Quid ſit interdictum Eccleſiaſticum.*
3. *Quid ſuſpenſio, & quis effectus.*
4. *Quid excommunicatio, & quę maior dicatur.*
5. *Quę minor, & vnde vtriuſque petenda explicatio.*

1. PArs quoque, iuriſdictionis Epiſcopalis eſt, cenſura Eccleſiaſtica, *d. cap. conquerente,* quo nomine ſignificatur, interdictum, ſuſpenſio, & excommunicatio, *cap. cum inter de conſuetud. cap. querenti. de verb. ſignif.* ad quod *Quintinus Hæduus in analectis iuris ad titulum decretalium de verb. ſignif.*

2. Interdictum eſt, prohibitio adminiſtrandi ſacramenta, vel diuina officia celebrandi, vel actus quoſdam ſpiritales exequendi, in pœnam alicuius delicti, facta, vel ratione loci, vel ratione perſonarum, *cap. ſi ſententia & ſequent. de ſentent. excommun. in 6. Couarruuias ad cap. alma 2. parte §. 1. num. 7. & 8. de ſentent. excommun. in 6.* ad cuius maiorem intelligentiam, adeundus nouiſſimus tractatus, *de orig. & progreſſu interdict. Eccleſ.* ſubiectus commentario ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ Petri Pithæi.

3. Suſpenſio eſt cenſura, qua quis ab officio, vel perceptione ſacramentorum, interim excluditur, à iure, vel ab homine, & rectè interim, nam vt patet ex *cap. at ſi clerici de iudic.* eò differt ſuſpenſio, à depoſitione, quod hæc in perpetuum, illa vero ad tempus tantum, ab officio remoueat, cuius plures ſpecies, & gradus, adnotare poſſimus, in *gloſſa Clem. finalis in verbo ſuſpenſi de pœnis.*

4. Excommunicationis vero, duæ ſunt ſpecies, altera minor, altera maior dicitur, illa à perceptione ſacramentorum tantum, hæc à communione fidelium ſeparat, & anathema vocatur, *cap. ſi quidem 59. de ſentent. excommun. can. ad menſam §. aliquando, & §. eſt & alia & can. nemo Epiſcoporum 11. quæſt. 3.*

5. Minor itaque excommunicatio, quam quis incurrit, ob peccatum mortale, cum à perceptione ſacramentorum ſeparet, etiam ſuſpenſio appellatur, *cap. vlt. de cohabit. cler. & mul.* & de his omnibus, excommunicationis ſpeciebus, egregiè & ad rem Iacobus Seuertius, Theologus Pariſienſis, in ſumma omnium excommunicationum, & Iulius Cæſar Ramerius, ad Bullam in cœna Domini, item è noſtris Rebuffus ad eamdem Bullam.

---

§. DECIMVS-QVARTVS.

De iuriſdictione ordinaria.

1. *Cognitio cauſarum, pars eſt iuriſdictionis Epiſcopalis.*
2. *Iuriſdictio duplex, altera ordinaria, altera delegata, & quænam ſit.*

Digitized by Google

1. IVriſdictioni quoque, Epiſcopali tribuitur, cauſarum omnium, quæ ad forum Eccleſiaſticum ſpectant, ordinaria cognitio, *d. cap. conquerente de off. ordin.* hoc eſt citatio, examinatio, & deciſio, *cap. dilectus eod tit.* eaque, cum Epiſcopos, à munere Epiſcopali, & cura auocaret, hoc eſt, à prædicatione verbi Dei, alteri, hoc eſt officiali, vel vicario, neceſſariò fuit commitenda, vt aliàs manifeſtè probauimus.

2. Et rectè de iuriſdictione ordinaria, inſtituitur diſputatio, de qua eſt *titulus de offic. ordinarij*, nam ſunt quidam, qui à ſummo Pontifice delegatam habent iuriſdictionem, de quibus eſt, *titulus de offic. iud. deleg. & cap ſanè*, quod & pertinet ad mandatam iuriſdictionem, & hi in cauſis ſibi commiſſis, maiores ſunt ordinariis ipſis, ſicut iure ciuili, iudices dati à principe, in *lege à iudice cod. de iud.* quorum iuriſdictio, dicitur extranea, & precaria, ordinaria vero naturalis, & dignitatis Epiſcopalis, comes indiuidua, vt docet *Meinardus Pictauienſis anteceſſor ad cap. conquerente de offic. iud. ordin.*

---

§. DECIMVS-QVINTVS.

De Pœnitentiarum iniunctione, & viſitatione annua.

1. *Præcipuum Epiſcopi munus, in circumeunda diœceſi.*
2. *Procuratio dicta circada, à circumitione.*
3. *Quodnam viſitantis Epiſcopi munus, & officium.*
4. *Vnde petenda muneris, & officij viſitatori incumbentis, explicatio.*
5. *Viſitatio ſemel in anno fieri debet.*
6. *Quo caſu repetitur, gratis fieri debet.*
7. *Viſitationi, annexa procuratio.*
8. *Vndè procurationis nomen.*
9. *Altera ratio, vndè ſic denominetur.*
10. *Procuratio plerumque in victualibus, non in pecunia.*
11. *Quis modus viſitationibus, & procurationibus datus ſit.*
12. *Modus viſitationis, in pecuniæ collatione.*
13. *In taxatione procurationis, tranſactiones veteres ſeruari debent.*
14. *Procuratio non debetur, niſi reuera viſitanti diœceſim.*
15. *Probatur ratione à beneficio ad officium ducta.*
16. *Monaſteria non ſunt exempta, à procuratione & viſitatione.*
17. *Præſcriptione non extinguitur, procurationis, vel viſitationis ius.*
18. *Quoddam procurationis genus, preſcriptione tollitur.*
19. *Ne quidem pretextu exemptionis, impeditur viſitatio.*
20. *Probatur conſtitutionibus Regum noſtrorum.*
21. *Huius diſputationis, cum ſuperiori connexio.*

1. AD iuriſdictionem quoque ſpectare videtur, pœnitentiarum impoſitio, de qua in *d. cap. conquerente de off. ordin. cap. accedentibus de excess. prel.* ac poſtremo annua viſitatio, ibidem, circà quam ſciendum eſt, Epiſcoporum præcipuam ſollicitudinem verſari, in circumeunda, ſingulis annis diœceſi, vndè περιοδευταὶ dicti ſunt, à circumitione.

2. Et ea ratione, merces illa, ſiue tributum, quod viſitationis cauſa, præſtari ſolet, quæque procuratio ſæpius appellatur, de qua & mox dicemus, circada dicitur à circumitione in veteribus carthis monaſteriorum, vt in exemptionis inſtrumento, monaſterio ſancti Dionyſij, à Landerico Epiſcopo Pariſienſi conceſſæ, vt obſeruauit *Ludou. Lacerda in aduerſariis ſacris cap 72. num. 19.*

3. Verum illa viſitandi facultas, maximè conſiſtit, in perluſtrandis Eccleſiis, intra diœceſim conſtitutis, vt ſi quæ reparatione opus habent, reparari iubeant, & clericos in

Digitized by Google

eis deſeruientes obſeruent, qualiter ſe gerant, & diuina officia peragant, *canone decreuimus, & duobus ſequentibus* 10. *quæſt.* 1.

4. Sed vt plenius intelligatur, quale ſit officium Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, prouinciam ſuam viſitantis, vel diœceſim perluſtrantis, conſulendus *Innocentius IV. in cap.* 1. *vſque ad finem de cenſ. Marianus. Socinus in tractatu viſitationis num.* 25. *& ſeq.* Adrianus Behorius in tractatu nuper edito, breuiſſimo quidem ſed luculento de iure antiquo procurationum ex ſacris Eccleſiæ canonibus collecto.

5. Hæc autem viſitatio, ſemel tantum, per ſingulos annos, fieri debet, *can. decreuimus & ſequenti*, niſi aliquod incidat, propter quod, iteranda eſſe videatur, *cap. mandamus de off. Archid.* vel niſi ex conuentione, vel conſuetudine, ſæpius repetenda ſit, quo ſenſu explicandus eſt, *canon viſitandi, & canon ſequens*, 18. *quæſt.* 2. *cap. cum venerabilis in fine de cenſ. & cap. excommunicamus* §. *adiicimus de hæret.*

6. His tamen caſibus, vbi repetenda eſt, gratis fieri debet, vt habetur in *cap. Car. Calui in Synodo apud Tholoſam cap.* 5. his verbis, *vt ſemel in anno, Epiſcopi, hanc circumitionem, tempore congruo faciant, & ſi amplius miniſterium ſuum, per diœceſim, agere voluerint, hanc tamen diſpenſam, amplius quam ſemel, à presbiteris per annum non accipiant*, niſi aliud in fundatione conuenerit, vel conſuetudine inductum ſit, vt ſupra monuimus.

7. Cæterum, ordinariæ Epiſcoporum viſitationi, itemque Archiepiſcoporum, & Legatorum, aut Nunciorum ſedis Romanæ, vel præfectorum ordinis, annexa eſt procuratio, *capit. procurationes de cenſ.* quæ iure communi, ab ipſa fundatione Eccleſiæ, videtur impoſita, *cap. Sopitæ, & cap. venerabilis de cenſ.*

8. Sic autem appellatur, quia ſingulæ Eccleſiæ, Epiſcopum viſitantem, procurare debent, id eſt alere, ac tueri, quo ſenſu, procurandi vocabulum, accipitur, idem enim ſonat, ac ſimplex curandi verbum, apud bonos auctores, apud Plautum, & alios Grammaticos, vt & apud *Duarenum de ſacris Eccleſiæ miniſt. cap.* 5. *num.* 2. *& in capit. quanto extra de cenſ.*

9. Verum & quis rectè exiſtimauerit, procurationes ex eo dici, quod Epiſcopo, rem Eccleſiæ procuranti, & ad eam, viſitationis cauſa accedenti, præſtari ſoleant, quo ſenſu Agape, quod vocabulum, Græcis dilectionem ſonat, accipitur pro conuiuio, dilectionis cauſa facto, & pauperibus exhibito, cuius non ſemel fit mentio, apud Tertullianum, & in *can. ſi quis deſpicit.* 42. *diſtinct.* & de eo ſupra diximus.

10. Hanc vero procurationem, non in pecunia, ſed in victualibus, conſiſtere ſtatuit, *Innocentius IV. in cap.* 1. §. *procurationis de cenſ. & Greg.* 10. *in cap.* 2. *eod. in* 6. tametſi Bonifacius VIII. electionem dederit iis, qui viſitantur, aut in victualibus, aut in pecunia, procurationes præſtare, *cap.* 3. *eod. in* 6. quod confirmatum eſt, *Concilij Tridentini ſeſſ.* 24. *&* 25 & conſtitutionibus Regum noſtrorum, vt teſtis eſt, *Papo lib.* 1. *tit.* 11. *art.* 4. *& Scholiaſtes d. Louetij litt. V, num.* 4.

11. Modus quoque expenſarum, definitus eſt, pleriſque canonicis ſanctionibus, ac præſertim Concilio Lateranenſi, ac Toletano, quibus numerus euectionum, id eſt equorum, quas ſecum viſitantes, ducere debent, taxatus inuenitur, *cap. cum Apoſtolus, de cenſ. cap. inter cætera in fine*, 10. *quæſt.* 3. quorum poſtremum, deſumptum eſt, ex *Concilio Toletano ſeptimo cap.* 4. vbi quod dicitur, de presbiteris parochialibus Galliæ, Romani emendatores, nec-non etiam *Anton. Auguſtinus lib.* 1. *emendat. Grat. Dialogo* 4 legunt Galliciæ, quæ par Toletanæ prouinciæ.

12. Quin etiam, à Benedicto XII. ſecundum locorum, ac prouinciarum diuerſitatem, & Eccleſiarum qualitatem, modus procurationum, in pecuniis exhibendarum, pro cuiuſque viſitandi voluntate, & arbitrio, definitus fuit, in *extrauag. vas electionis de cenſ.* quibus adde eumdem *Socinum in tractatu viſitationis num.* 33. & aliis, & Adrianum Behotium, in tractatu de antiquo iure procurationum.

13. Verum hæ definitiones, non nocent, quominus pacta & conuentiones, quibus, de modo ſoluendi, aut non ſoluendi procurationess, conuenit, ſeruari debeant, argumento *capit. cum olim de cenſ.* propterea, Tridentina Synodus, huiuſmodi pactis conuentis, præiudicatum eſſe noluit, in *ſeſſ.* 24. *de reformat.*

14. Cumque viſitationi, vt ſupra dictum eſt, annexa ſit procuratio, conſequens eſt, eam non deberi, niſi reuera, & in perſona viſitantibus, *cap. procurationes de cenſibus can. relata* 10. *quæſt.* 1. aut ſaltem aliis, ab eis commiſſis, & deputatis, id munus exequentibus, vt fit cum ipſi, qui viſitare tenentur, ex aliqua cauſa impediuntur, huic muneri ſupereſſe, *cap. inter cætera de off. ordin. gloſſa in d. capit. procurationes in verbo perſonaliter de cenſ.*

15. Sed & illud, hac ratione, confirmari poteſt, & argumento, à ſimili ducto, quod

cum, ad verba, definitionis noſtræ, *cum ſuo reditu* beneficium, ſiue reditum, & proventum militiæ, quæ officium, & miniſterium denotat coherere dixerimus, & ex eo, illud ſimul euicimus, nulli deberi, niſi qui officium impleuerit, ex quo, regulam iuris canonici, euulgauit Bonifacius VIII. beneficium, dari propter officium, in *cap. finali de reſcript. in 6.*

16. Cæterum à iure viſitationis, & procurationis ei annexæ, non eximuntur monaſteria, aut quælibet Eccleſiæ, *cap. ſolita, & cap. quod olim, de cenſ. cap. 1. eod. in 6. cap. vt iuxta de off. ordin.* quia, legis eſt iuriſdictionis viſitatio, & procuratio, à quâ, monaſteria, non eſſe exempta probauimus, niſi tamen, ex ſpeciali priuilegio exemptionis, vt patet ex eo, quod à Landerico, Epiſcopo Pariſienſi, monaſterio ſancti Dionyſij, indultum eſt, quod refertur à V. C. Hieronimo Bignonio in *notis ad Marculf. monachi cap. 1.*

17. Nec tamen præſcriptione tollitur, quæ ius iſtud, minuere non poteſt, *cap. cum inſtantia de cenſ.* & *cap. cum ex officij de præſcript.* quia, cum viſitationi, annexa ſit procuratio, iiſdem regulis, gubernari debet, cum itaque ius viſitandi, ex reuerentia Epiſcopo debita, originem ſuam mutuetur, neutra, præſcriptionis legibus ſubiacet, vt probatum eſt in *cap. 12. de præſcript.* nec itaque, ipſa procuratio, quod adeo verum eſt, vt quamuis in ciuitate Epiſcopali, ſit abbatia, nec illa præſcribere poſſit *cap. venerabili de cenſ.*

18. Verum illud obſeruandum eſt, quod dicitur, ius procurationis, præſcriptionis regulis non ſubeſſe, ita intelligendum eſſe, vt in eo ſolo procurationis onere, locum habeat, quod ratione viſitationis debetur, ſunt enim, procurationum exſoluendarum, tres cauſæ: prima ratione viſitationis, de qua ſupra: ſecunda, ratione legis, ſiue conuentionis, fundationi dictæ, *can. Eleutherius 18. quæſt. 2.* tertia, ratione conſuetudinis, *can. ſeruitium eod* quæ duæ poſtremæ ſpecies, cum iure communi, nequaquam innitantur, ideò, præſcriptione extingui poſſunt.

19. Verum hodiè, ex Concilio Tridentino, nequidem, priuilegij ratio, haberi debet, in procuratione, viſitationis gratia præſtanda, nam in *ſeſſ. 7. de reformat. cap. 8.* iubentur locorum ordinarij, Eccleſias quaſcumque, & quomodolibet exemptas, viſitare, appellationibus, priuilegiis, conſuetudinibus, etiam à tempore immemoriali præſcriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus, penitus excluſis.

20. Sed & idem, repetitum habemus, in *ſeſſ. 21. cap. 8. & 24. de reformat. cap. 9. & ſeſſ. vlt. de regul. cap. 20.* quibus congruunt, conſtitutiones Regum noſtrorum, Aureliis latæ anno 1560. *art. 11.* Blæſenſis *art. 32. & 52. Chop. lib. 2. de ſacra polit. tit. 8. num. 22.* ſed in eo, differentia eſt, quod cum in locorum exemptorum viſitationibus, Epiſcopi, ex auctoritate Pontificia, procedant, ipſimet intereſſe debent, nec enim, iudex demandatus, alteri, iuriſdictionem mandare poteſt, *leg. 1. dig de off. eius cui mand. eſt iuriſd.*

21. Hactenus de Eccleſiarum fundatione, & dote, earumdemque ſubiectione, venio nunc, ad tertium caput, de iure, quod in bonis Eccleſiaſticis, & earum fructibus, Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis, competit, vt propoſito nobis ordini, ſatisfaciamus.

CAPVT TERTIVM.

De iure quod in bonis Eccleſiaſticis, Eccleſiæ, vel perſonis Eccleſiaſticis, competit: ſiue de rebus Eccleſiæ, alienandis, vel non.

1. *Ordo & ſeries huius capitis.*
2. *Præmittitur præparatoria & præiudicialis quæſtio.*

1. LAte percurret hic tractatus, in quo agendum, de alienatione rerum Eccleſiaſticarum, emphiteuſi, locatione, præcaria, pignoris obligatione, & aliis contractibus, ad earum adminiſtrationem ſpectantibus, inter viuos, ac poſtremo, de ordinatione earum rerum, teſtamento, vel alio genere vltimarum voluntatum.

2. Verum illorum omnium, præparatoria, ac veluti præiudicialis, quæſtio eſt, an

Digitized by Google

rerum Eccleſiaſticarum dominium, ſit penès ipſos clericos, an penès totam Eccleſiam, vel ſingulas, an apud Deum, vel vicarium eius, nimirum ſummum Pontificem, an etiam apud pauperes.

---

§. PRIMVS.

Ad quos pertineat Dominium rerum Eccleſiaſticarum.

1. *Res Eccleſiæ dicuntur communes, & quomodo id intelligendum.*
2. *Probatur communionem eſſe pauperum, & Clericorum.*
3. *Res Eccleſiæ, dicuntur patrimonium pauperum.*
4. *Res Eccleſiæ, dicuntur eſſe Chriſti.*
5. *Quomodo id intelligendum, petitur ex auctoritate Doctorum.*
6. *Examinatur quomodo, res cuique Eccleſiæ cedant, & Prælatorum adminiſtrationi.*
7. *Dominium rerum Eccleſiaſticarum, eſt penès Eccleſiam.*
8. *Quomodo id intelligendum, an de vniuerſali, an de particulari.*
9. *Probatur ſingulares Eccleſias, petitorias in rem actiones exercere.*
10. *Probatur & in Eccleſia Romana, dominij diſtinctio.*
11. *Rerum monaſteriis quæſitarum, ad quos dominium pertineat.*
12. *Olim res immobiles, monaſteriis Franciſcanorum, relinqui non poterant.*
13. *Hodiè ex Concilio Tridentino, in commune relinqui poſſunt, & poſſideri.*
14. *Res ſacræ Eccleſiarum, nullius dominio adquiruntur.*

1. PRimum illud prænotandum eſt, quandoque res Eccleſiæ, dici communes, vt in *can. expedit. & can. res Eccleſiæ 12. quæſt.* 1. quæ ego intelligo, de communione Clericorum, aut etiam pauperum, nam vt ait D. Hieronimus, *quidquid habent clerici, pauperum eſt, can. vlt. 16. quæſt.* 1. non vt primo illorum occupanti cedant, vt dicitur in *tit. inſtit. de rerum diuiſ. ſtatim in principio*, ſed communes ſint, quoad vſum.

2. Et ad id apte diuus Auguſtinus in *can. quod autem 23. quæſt.* 7. de bonis Eccleſiæ ſic loquitur, *ſi pauperum, compauperes ſumus, & noſtra ſunt, & illorum, ſin autem priuatim, quæ ſufficiant poſsidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem, quodammodo gerimus, non proprietatem, nobis vſurpatione damnabili, vindicamus.*

3. Et ex eo eſt, quod res Eccleſiæ, patrimonia pauperum appellantur, in *can. quod iuxta 16. quæſt. 1. & in cap. cum in officiis de teſtam. Couarruuias lib. 2. var. reſol. cap. 16. num.* 8. & D. Ambroſius ad Valentinianum poſſeſſionem Eccleſiæ, vocat ſumptum pauperum, & egenorum.

4. Sed & Eccleſiæ bona, Chriſti eſſe dicuntur, *can. qui Chriſti, & can. qui abſtulerit*, 12. *quæſt.* 2. ſi quidem hæc, Deo fuerunt oblata, *can. ſaluator. verſiculo domum* 1. *quæſt.* 3. *can. mancipia & ſequenti, de rerum permut.* & propterea, diuina appellantur, *can. conuenior.* 23. *quæſt.* 8. patrimonium Chriſti, *cap. cum ex eo de elect. in* 6.

5. Huic autem ſententiæ, maximè accedit, Panormitanus in repetitione *cap. cum eſſes num. 29. de teſtam.* poſt Innocentium in *cap. cum ſuper. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Gregor. Tholoſ. *lib. 25. ſintag. iur. cap. 8. num.* 2. vbi & illud adiiciunt, pleriſque locis probari, res Deo oblatas, ita Chriſti dominio adiici, vt dominio Eccleſiæ, cedere intelligantur, vel Prælatorum, qui adminiſtrandæ præficiuntur, quod tamen maiorem deſiderat explicationem.

6. Verum enim quod dicitur, bona Eccleſiæ, vel eſſe Eccleſiæ, vel Prælatorum, vel capitulorum, id accipiendum eſt, de adminiſtratione, ſunt enim vicarij, & veluti adminiſtratores, à Chriſto conſtituti, *can. penult. 33. quæſt.* 1 ſicuti etiam, cum dicuntur eſſe pauperum, illud exaudiendum eſt, de ſuſtentatione, *Couarruuias in capit. cum in officiis de teſtam. num. 3. verſiculo* 4. quod ego ſatis probo, cum Redoano in tractatu *de reb. Eccleſ. non alien. quæſt. 52. num. 8 & ſeq.*

7. Nec tamen, pariter illud probauerim, quod dicunt, dominium eorum bonorum,

Digitized by Google

eſſe Dei, niſi eo ſenſu, quo Deus omnium Dominus eſt, alioquin rerum Eccleſiaſticarum Dominium, mihi videtur, eſſe penès Eccleſiam, in qua opinione eſt *Rebuffus in compendio alienat. rerum Eccleſiaſt. num. 99.*

8. Quod ita velim intelligi, non de vniuerſali Eccleſia, ſed de ea, cui quæque res, eſt adquiſita, quod apte probat, *can. videntes, 12. quæſt. 1. lex Deo nobis §. has autem, & lex Iubemus nulli 14. §. ſanè cod. de ſacroſ. Eccleſ.* vbi vſusfructus, rerum Eccleſiaſticarum finitus, cum dominio & proprietate ipſius Eccleſiæ conſolidari dicitur.

9. Sed & illud euidentius apparet, ex eo, quod Eccleſia, aduerſus Eccleſiam, in rem actiones petitorias, & poſſeſſorias, exercere intendit, & ſua quæque vindicare ſolet, imò etiam aliena, quadraginta annorum præſcriptione, omninò adquirere, *capit. illud de præſcript.*

10. Verum etiam ex eo, quod Romana Eccleſia, hoc priuilegio vti ſoleat, vt non minori, quam centum annorum præſcriptione, res ſuas amittat, *authent. quas actiones cod de ſacroſ. Eccleſ.* quæ res, dominiorum diſtinctionem, ad ſingulas quaſque Eccleſias pertinentium, ſatis manifeſtè demonſtrat.

11. Excipienda ſunt monaſteria, quæ nihil proprium habere poſſunt, nec priuatim, nec in communi, præſertim vero, Franciſcanorum, quæ cauſa fuit, vt Nicolaus III Dominium earum rerum, quarum vſus eis communis eſt, Romanæ Eccleſiæ, ſeruatum eſſe voluerit, *capit. exiit qui ſeminat de verb. ſignif. Clement. exiit de paradiſo §. proin ie, & §. cumque annui reditus, cod. tit.* quod tamen dominium, poſteà repudiauit Ioannes 22. in *extrauag. ad conditorem, & extrauag. quod quorumdam eod.*

12. Et propterea, olim in hoc regno, variis curiæ decretis, ſemoti ſunt, à petitione legatorum, ſibi relictorum, vt videre eſt, apud *Ioannem Galli quæſt. 62. 52. 44. & 37.* nec aliter admitti ſolebant, quam ad æſtimationem, ſeu pretium, rerum ſibi relictarum, *Chop. lib. 3. de ſacra polit. tit. 6. num. 22.* aut ad alimenta ſibi relicta *D. Louet. litt. L, num. 8. Robertus rerum iud. lib. 2. cap. 2.*

13. Verum ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de reg. cap. 3.* conſtat, permiſſum eſſe, Mendicantibus, bonorum dominium, in commune habere, *Chop. lib. 3. de ſacra polit. tit. 1. num. 8. & tit. 6. n. 22.* ex quo tempore, illis bona immobilia, teſtamento, vel inter viuos, reditus annui, & alia quælibet, dimitti potuerunt, in commune poſſidenda, vt probant *Scholiaſtes D. Louetij litt. L, num. 8. Meinardus lib. 1. quæſt. illuſt. quæſt. 19.*

14. Sed quod diximus, dominium rerum Eccleſiaſticarum, eſſe penès ſingulas Eccleſias, dictum velim, de dominio rerum temporalium, quædam enim ſunt res ſacræ, quæ rite per Epiſcopum, ad miniſterium Dei, conſecratæ ſunt, vt calices, & vaſa ſacra, & hæc nullius eſſe videntur, *§. nullius, & §. ſacræ inſtit. de rerum diuiſ.* de quibus ſupra diximus.

§. SECVNDVS.

De prohibita rerum Eccleſiaſticarum alienatione.

1. *Rerum Eccleſiaſticarum alienatio prohibita.*
2. *Ita & earum, quæ ſpiritualibus connexæ ſunt.*
3. *Quæ origo prohibitionis, alienationis rerum Eccleſiaſticarum.*
4. *Prohibitio alienationis rerum Eccleſiaſticarum, ad quælibet religioſa loca extenditur.*
5. *Quæ pœnæ alienantium res Eccleſiæ.*
6. *Aliæ pœnæ aduerſus alienantes ſubiiciuntur.*
7. *Qui actus alienationis nomine comprehendantur.*
8. *An res mobiles Eccleſiæ liceat alienare.*
9. *Res ſacræ, quamuis mobiles, vendi non poſſunt.*
10. *Quibus caſibus, res ſacræ vendi poſſunt.*
11. *Iiſdem caſibus poſſunt & oppignerari.*

1. PRimum igitur, rerum Eccleſiaſticarum, ſiue ſacræ, ſiue temporales ſint, hoc commune eſt, quod alienari nequeant, hæ videlicet, quia commercio ſunt exemptæ, atque etiam, iuris diuini, *lege Sancimus 21. cod. de ſacroſ. Eccleſ.* illæ, quia licet tempo-

Digitized by Google

rales ſint, & communem, cum cæteris ſortem, accipere videantur, tamen ſpiritualibus quæ in ſacro miniſterio conſiſtunt, cohærent, & ideò, earum naturam ſortiuntur.

2. Et vero ſicut ea, quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt in *lege quæ religioſis* 43. *de rei vind.* ita, & quę ſpiritalibus connexa ſunt, ſpiritualia habentur, & propterea, ſicut res ſpiritales vendi nequeunt, abſque ſimonia, vt infrà dicetur, ad verba definitionis, *Cæleſtis cap.* 2. ita nec temporales, illis annexæ, *cap. de iure* 16 *de iure patron. cap.* 5. *de iudiciis.*

3. Tum vero, quia, ſicut Eccleſia, religionis, & fidei, mater perpetua eſſe dicitur, ſic & eius dos, & patrimonium, perpetuum eſſe debet *lege iubemus* 14. *cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quæ lex, primum lata fuit, de bonis, maioris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, deinde porrecta ad omnes ſubiectas, Patriarchæ Conſtantinopolitano, conſtitutione Anaſtaſij Græca, quę eſt *lex* 17. *cod. eod. tit.* qua rerum Eccleſiaſticarum alienationes, nihilominus interueniente decreto, & actorum monumentis, permittebantur.

4. Sed & illud, Iuſtinianus Imperator ſuſtulit, *Nou.* 7. prohibita, bonorum Eccleſiaſticorum, in vniuerſum alienatione, imò & eorum, quæ ad Monaſteria, Xenodochia, Noſocomia, & quælibet loca pia, ſeu Hoſpitalia pertinent, immobilia ſcilicet, quibus annumerantur, ſerui, Ruſtici, & coloni, cum peculiis, & panes ciuiles, *d. nou.* 7. & ita in *cap. nulli de reb. Eccleſ. non alien.* non tantum prohibetur alienatio, rerum immobilium, ſed etiam, ruſticorum mancipiorum.

5. Verum adeo, generalis eſt, prohibitio alienationis rerum Eccleſiaſticarum, vt etiam extendatur, ad ſummum Pontificem *can. non liceat Papæ* 12. *quæſt.* 2. pœna anathematis in inferiores, qui alienauerunt, aut alienationi conſenſerunt, iure Pontificio conſtituta, *can. bene* §. *item* 96. *diſtinct. & cap. ſi quis presbiterorum de reb. Eccleſ. non alien. Rebuff. in compendio alienat. rerum Eccleſiaſt. num.* 105. *& ſequent.* vbi alias pœnas, ſubiungit, ex Bulla Pauli II. quod eſt *cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alienand. in extrauag. commun. can. Apoſtolicos* 12. *quæſt.* 2.

6. Sed & præmiſſis pœnis adiecta eſt, honoris depoſitio, *can.* 2. 17. *quæſt.* 1. & *Clement.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* & alterius tantidem reſtitutio, *can. diaconi* 12. *quæſt.* 2 irrita ſemper manente alienatione, ſic, vt res alienata, nullo reddito pretio, cum fructibus reſtitui debeat, *cap.* 1. *de ſchiſm. d. capit. ſi quis presbiterorum de reb. Eccleſ. non alien*

7. Nec illud omittendum, alienationis verbo, ſignificari hoc loco, venditionem, permutationem, hypothecam, emphiteuſim, & omnem actum, per quem aut dominium, aut ius in re transfertur, *d. capit. nulli*, vbi *conditionis* verbum expungendum eſt, vt putat *Anton. Auguſtinus ad hoc cap. in cap. in prima collect. decretal. & capit. ambitioſæ in extrauag. commun. de reb. Eccleſ. non alien. non.* 7. §. *alienationis*, ex qua deſumptum eſt, *d. capit. nulli*, in qua etiam nouella, conditionis verba non habentur.

8. Quod autem dictum eſt, prohibitionem alienandi, ad res immobiles tantum extendi, ita acceptum velim, vt res mobiles, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, alienari poſſint, *can. bene* §. *plane* 96. *diſtinct.* cui congruit *lex Conſtantini* 22. *cod. de adminiſtrat. tut.* quæ tractat, de rebus minorum, qui in pleriſque iuris articulis, pari paſſu cum eccleſia ambulant, imò eccleſia, minorum iure vtitur, in *capit. auditis de reſtit. in integrum.*

9. Verum quælibet aliæ res pretioſæ, ac Deo dicatæ, vt ſacra vaſa, veſtes, cæteraque donaria, non poſſunt alienari, *d. extrauag. ambitioſæ de reb. Eccl. ſ. non alien.* ne quidem cum ſolemnitate, quæ in immobilibus eſt neceſſaria, *lege Sancimus* 21. *eod. tit.* niſi ad redemptionem captiuorum, aut pauperum alimoniam, tempore famis, aut niſi ære alieno prematur eccleſia.

10. Sed eo caſu, vaſa ſuperflua, conflari oportet, & ſic conflata alienari, ſi non ſit, vnde alienum æs, diſſolui poſſit, *d. lege Sancimus, & nou.* 7. §. *iiſdem can. ſacrorum, & can. aurum* 12. *quæſt.* 2. & ob eamdem cauſam, nimirum redemptionis captiuorum, narrat Socrates, Acacium Epiſcopum, conflaſſe vaſa omnia aurea, & argentea, eaque diſtraxiſſe.

11. Nec tamen negauerim, quin iuſtiſſima neceſſitate vrgente, pignori dari poſſint, vt infrà dicetur, & interim probari poteſt, auctoritate *cap.* 1. *de pig.* fugitiuos quoque ſeruos, alienare permiſit Concilium Agathenſe *can. fugitiui* 12. *quæſt.* 2. quæ autem, iuſtiſſima cauſa eſſe poſſit, oppignerandi, patet ex *d. cap.* 1. *de pig. in verbo neceſſitate.*

§. TER-

§. TERTIVS.

Quibuſdam ex cauſis, res Eccleſiæ alienari poſſe.

1. *Certis quibuſdam caſibus, permiſſa rerum Eccleſiaſticarum alienatio.*
2. *Vnde* rubrica decretal. de rebus Eccleſ. alien. vel non.
3. *Enumerantur cauſæ, propter quas, alienatio rerum Eccleſiaſticarum, permittitur.*
4. *An diſcuſſio mobilium, alienationem præcedere debeat.*
5. *Probatur diſcuſſionem præcedere debere.*

1. SEd vt redeam, ad res Eccleſiæ immobiles, dico earum alienationem, iuſtis ex cauſis, aliquando permitti, nimirum, ex cauſis euidentis neceſſitatis, aut vtilitatis, *cap. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. can. huiuſmodi* 10. *quæſt. 2. Clement. 1 de rebus eccleſ. non alien. can. ſicut, & can. ſine exceptione 12. quæſt. 2. nou. 46. capit. tua, de his quæ fiunt à præl ſine conſ. cap.*

2. Et ex eo eſt, quod in decretalibus, ita concipitur titulus, ſiue rubrica, alienationem rerum Eccleſiaſticarum interdicens, *de rebus Eccleſiæ alienandis vel non*, cuius duas partes eſſe notat, Andræas Vallenſis, in paratitlis ad eumdem titulum, quarum alterâ rerum Eccleſiaſticarum alienatio interdicta ſit, altera, certis ex cauſis permiſſa, quæ fuſius exponuntur in eodem titulo, & à nobis inferius, vt ſubiectæ materiæ ordo poſtulauerit.

3. Et vt exemplis hoc confirmem, dico, ſi æs alienum vrgeat, nec ex fructibus bonorum Eccleſiaſticorum, aut rebus mobilibus, quæ ſeruando ſeruari nequeunt, ſatisfieri non poſſit, alienationem permitti, vt in *cap. penult. de verb. ſignif.* permittitur collatio beneficiorum, cum retentione fructuum, vrgentibus Eccleſiæ debitis impendendorum, contra iuris communis regulas, nam & ob eamdem cauſam, prædia minorum, diſtrahere licet, *lege 1. de rebus eorum qui ſub tut. vel cura ſunt.*

4. Et ex eo diſputari ſolet, an quemadmodum, in alienationibus prædiorum, ad minores pertinentium, apud nos obſeruari ſolet, vt priuſquam, ad eorum diſtractionem progrediendum ſit, mobilium diſcuſſio habeatur, conſtitutionibus Regum noſtrorum, in vſum reuocata diſpoſitione *legis à Diuo Pio 15. de re iud.* ita, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum idem ſeruari debeat.

5. Sed & illud vtique ſuaderem, vt in alienatione prædiorum, ad Eccleſias pertinentium, quamuis publicè, & ſolemniter habita, mobilium tamen, certa & accurata diſcuſſio, alienationem præcederet, nec enim vlla ſubeſſet, alienandi cauſa, ſi ex diſtractione mobilium, diſſoluendo æri alieno, ſatisfieri poſſet, quod in minoribus vbique obſeruatur, quorum iure vtitur Eccleſia *cap. auditis de in integr. reſtit. min.* nec tamen illud, in alienatione, rerum Eccleſiaſticarum immobilium, vſque hodiè, decreto curiæ comprobatum audierim.

§. QVARTVS.

De neceſſaria alienationis cauſa.

1. *Cauſa debet adeſſe, propter quam, res Eccleſiæ alienentur.*
2. *Quæ cura eſſe debeat, adquirentis res Eccleſiæ.*
3. *Rerum Eccleſiaſticarum emptor, debet ſatagere, vt pretium, in vtilitatem Eccleſiæ vertatur.*
4. *Ob publicas neceſſitates regni, res Eccleſiæ, diſtrahi poſſunt.*
5. *Qua forma, & auctoritate, alienatio fieri debeat.*

Digitized by Google

§. QVINTVS.

De inquiſitione commodi, vel incommodi, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, neceſſaria.

1. *Inquiſitio commodi, vel incommodi, neceſſaria in alienatione rerum Eccleſiaſticarum.*
2. *Qua forma fieri debeat inquiſitio.*
3. *Inquiſitio, præcedere debet alienationem.*
4. *Certa, & euidens debet eſſe cauſa alienationis.*
5. *Aliæ ſolemnitates, in alienationibus neceſſariæ, ſtrictim enumerantur.*
6. *Alienatio, quamuis publico programmate facta, non valet abſque ſolemnitate.*

1. DE vtraque autem cauſa, neceſſitatis videlicet, aut vtilitatis, legitime conſtare oportet, neque ſufficit, in inſtrumento alienationis, ſpecialiter dictum fuiſſe, alienationem hac, aut illa cauſa factam fuiſſe, niſi aliter probetur, *capit. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. Guido Papæus deciſ. 151. Rebuff. in compend. rer. Eccleſ. num.* 10. *& 75.*

2. Sed & illud ita probari oportet, actis ſcilicet inquiſitionis, in cauſam alienationis habitis, nec-non commodi, aut incommodi, quæ apud nos, & idiotiſmo noſtro, vocari ſolet, *information de la commodité ou incommodité*, quæ in partibus fieri debet, ſiue locis, de quorum alienatione agitur, vocatis etiamnum omnibus, quorum intereſſe poteſt, vt docet *Ioannes Canutius in tract. alienat. rer. eccleſ. pag.* 17. *& ſeq.*

3. Et hæc quidem acta, ſiue inquiſitio commodi, vel incommodi, alienationem præcedere debent, nec enim ſi ſubſequerentur, alienationi ex eo inutili, confirmationem adiicerent, vt ſæpius iudicauit ſenatus, referente *Bergeronio in addit. ad decreta Ioann. Paponis lib.* 1. *tit. de alienatione rer. Eccleſ. art.* 2. namque peracta alienatione, fruſtra quæreretur num vtilis, aut neceſſaria, alienationis cauſa foret.

4. Nec dubia eſſe debet, alienationis cauſa, ſed euidens, & manifeſta, *capit. ſine exceptione verſ. quod non ſit dubium* 12. *quæſt.* 2. quod ſi tempore alienationis, videretur eſſe vtile, quod poſteà apparuerit non fuiſſe, valebit alienatio, dummodo ſolemnia non deſint, ſed eccleſia, beneficium reſtitutionis, impetrare poterit, *Rebuffus ibidem num. 97.*

5. Non ſufficit autem, iuſtam cauſam alienandi, præceſſiſſe, niſi & ſolemnitates, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, iure Pontificio requiſitæ, adhibitæ ſint, quæ in iis potiſſimum conſiſtunt, tractatu capituli, ſi Eccleſia capitulum habeat, conſenſu eorum, qui capitulum faciunt, vel eorum, qui Eccleſiis deſeruiunt, inſtrumento alienationis, & ſubſcriptione canonicorum, vel clericorum, ac poſtremo licentia, ſeu conſenſu Epiſcopi.

6. Sed & illarum omnium, iuris ſolemnitatum, nulla deeſſe debet, alienationi faciendæ, alioquin corruet, quamuis ſedente pro tribunali iudice, auctionum ſolemnibus interuenientibus, habita ſit, vt iudicatum refert *Ludouicus Carondas lib.* 13. *reſponſ. iuris cap. 6.* & variis inde, ſenatus Pariſienſis decretis, confirmatum eſt, quæ referuntur *in ſupplemento tract. alienat. rer. Eccleſ. auctore Ioanne Canutio, & in collectione decretorum ſecundum ſeriem ſeſſionum auctore Ioanne Dufreſne.*

§. SEXTVS.

De tractatu circa alienationem neceſſario.

1. *Quid ſit tractatus, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum neceſſarius.*
2. *Modus conuocandi capituli, vt tractatus habeatur.*
3. *Modus tractatus habendi, in alienationibus.*

4. *Conditiones tractatus, quęnam eſſe debeant.*
5. *Pręſentium tantum conſenſus neceſſarius, nec abſentium requirendus.*
6. *Tentatur, abſentium habendam eſſe rationem.*
7. *Maior pars intereſſe debet tractatui, & quęnam ſit.*
8. *Vnicus tantum tractatus neceſſarius, niſi aliud de conſuetudine ſeruetur.*
9. *Tentatur, plures tractatus non inutiles.*
10. *In alienatione rerum inferioris Eccleſię, an interuenire debeat tractatus.*
11. *Probatur, ſolius rectoris conſenſum neceſſarium.*

1. NVnc igitur agendum de tractatu, quem neceſſarium eſſe conſtat, ex *d. capit. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. *capit.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. *cap. tua de his quæ fiunt à Præl. ſine conſ. capit. apud Greg.* nihil autem aliud eſt tractatus, quam *conſilium, ſeu deliberatio eorum, qui capitulum faciunt, vt puta canonicorum, ad hoc, more ſolito conuocatorum.*

2. Et primum *more ſolito*, dixi, quoniam, non idem, in omnibus eccleſiis, mos eſt conuocandi capitulum, vt plurimum autem fit conuocatio, ad ſonum campanæ, *gloſſa in cap.* 5. *in verbo factam de conceſſ præb. capit. in cauſis* 30. *de elect. apud* Greg. *Redoan. in tract. alienat. rerum Eccleſ. quæſt.* 25. *num.* 15. quod & D. Hieronimus teſtatur, in regula ſanctimonialium, vbi iubet eas, campanili ſonitu conuocari, referente Hieronimo Magio in *lib. de tintinnabulis cap.* 2.

3. Secundo, *conſilium & deliberationem* dixi, quoniam vbi propoſitum fuerit, an expediat, rem eccleſiaſticam alienari, ſinguli de ea re, deliberare debent, id eſt de cauſa alienationis, vtrum ſit neceſſaria, vel vtilis, & an de rebus mobilibus, ſatisfieri poſſit, an non, *Rebuff. in compend. alienat. num.* 84. & hoc amplius dicere, vtrum potius hanc, vel illam alienari videatur, poteſt enim contingere, vt iuſta alienationis cauſa procedat, & tamen non expediat, vnam aliquam rem alienari.

4. Et vt paucis rem expediam, tractatus ille ſolemnis, & diligens eſſe debet, ad cuius ſolemnitatem, inſtrumentum confici oportet, in ipſo capitulo, neque enim ſufficeret, eius mentionem fieri in alio, veluti in inſtrumento, ipſius alienationis, & eo pertinet vulgaris regula, quæ dictat, non credi referenti niſi conſtet de relato, ſumpta ex *nou.* 119. § *& hoc inſuper.* & ita obſeruandum docet *Ioannes Canutius in tract. alienat. rer. eccleſ. cap.* 1. vbi citat *Durandum in ſpeculo tit. de locato* §. *ſequitur verſ. ſcias*, vbi formam explicat, qua debet confici inſtrumentum, huius tractatus.

5. In habendo autem tractatu, nulla habenda ratio abſentium, quos neque vocari neceſſe eſt, nec conſenſum eorum expectari, *Rebuff. in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 76. *& ſeq Abbas in cap.* 1. *num.* 1. *de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit.* nec mentio eorum, in inſtrumento fieri, *cap. quanto de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit.* ita enim concludit *Innoc. in capit.* 1. *de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit. gloſſa in capit. præſertim, in verbo ipſorum de teſtamen. in* 6. *Guido Pap. quæſt.* 160.

6. Nec quicquam obſtat, quod dicitur, in *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. vbi totius cleri tractatus exigitur, id enim de clericis præſentibus intelligendum eſt, nam vt abſentes vocentur, certis tantum caſibus, receptum eſt, nimirum in electionibus, receptionibus, & caſu *d. capit. præſentium Redoan. ibidem num* 56.

7. Quamuis autem abſentes, exſpectandi non ſint, maior tamen pars adeſſe, & alienationi conſentire debet, argumento *capit.* 1. *de his quæ fiunt à maior. parte capit.* maior autem pars, aliquando dicitur, ac præcipuè in electionibus, non ratione minoris partis, ſed totius collegij, ita vt, ea maior cenſeatur, quæ duabus partibus conſtat, quarum tres, totum collegium componunt, argumento *legis nominationum de decur. lib.* 10. *& legis* 3. *dig. de decret. ab ordine faciendis, & cap.* 48. *de elect.* ſic enim, in tractatu alienationis, duas partes, intereſſe debere, concludit ibidem *Redoanus num.* 54.

8. Vnus autem, non plures tractatus, ſunt neceſſarij, niſi ſpeciali conſuetudinę receceptum ſit, aut regulæ eccleſiæ, plures tractatus exigant, vt in eccleſiis ſancti Benedicti, quarum religioſi, duorum dierum tractatus facere debent, *Rebuff. in compendio alienat. rerum eccleſ. num.* 82. *& ſeq.* vt notat *Couarruuias lib.* 2. *var. lect. cap.* 17 *num.* 1. *Redoan. ibidem num.* 29. *& Ioannes Andreas in addit. ad ſpeculum tit. de locato* §. *ſequitur verſ. ſcias.*

9. Et tamen eodem loco, ipſe ſpeculator indiſtincte, plures tractatus deſiderat, quod vtile fore teſtatur gloſſa *d. cap.* 1. *de reb. eccleſ. non alien. in* 6. *in verbo tractatus*, & tamen illud obſeruandum eſt, textus, qui hanc ſolemnitatem deſiderant, in ſingulari numero lo-

Digitized by Google

qui, vt *capit. 1. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. can. ſine exceptione 12. quæſt. 2. & capit. tua de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit.* vbi Panormit. ait, hanc eſſe communem opinionem.

10. Tractatus autem ille, non tantum requiritur, in alienandis rebus, Eccleſiæ cathedralis, ſed etiam in alienandis rebus, Eccleſiæ inferioris, quoties alienatio, fit per Epiſcopum, alioquin, ſi fiat per ipſius Eccleſiæ rectores, ſola Epiſcopi auctoritas, ſufficiens eſt, abſque conſenſu, & tractatu capituli, Eccleſiæ cathedralis, *Chopinus lib. 3. de ſacra polit. tit. 8. num. 20. Clementina 1. §. conuentus ſui de reb. eccleſ. non alien. & ibi gloſſa.*

11. Namque illud manifeſtius patet, ex ſequentibus verbis *d. Clementinæ aut ſi conuentum non habeat, prælati proprij conſenſu. ad hoc nihilominus accedente*, vt & confirmat *Panormitanus in cap. 1. de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit. num. 5. & Couarrunias lib. 20. var. reſol. capit. 17. num. 1. & Reb. in compend. alienat. rerum eccleſiaſt. num. 88. & ſeq. Redoanus in d. tract. alienat. rer. eccleſiaſt. quæſt. 25. num. 44.*

---

§. SEPTIMVS.

Quorum conſenſus neceſſarius ſit.

1. *Conſenſus maioris partis Clericorum, requiritur in alienatione.*
2. *Vox vnius reclamentis, quandoque exauditur.*
3. *Vbi Eccleſia caret conuentu, & capitulo, ſuperioris conſenſus requiritur.*
4. *Conſenſus Abbatis, & Monachorum, ſimul neceſſarius.*
5. *Quamuis, diuiſo patrimonio fruantur.*
6. *Conſenſus in congregatione præſtandus, non ſeparatim.*
7. *Conſenſus alienationem præcedere debet, vt tractatus, vel ſaltem concomitari.*

1. TRactatum ſequitur conſenſus, non quidem omnium, ſed maioris partis; vt mox diximus, & patet ex *d. capit. 1. de his, quæ fiunt à mai. parte capit. & capit. quanto de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap. Authent. hoc ius porrectum cod. de ſacroſ. eccleſ.* quod ita intelligendum eſt, vt præſentium tantum habeatur ratio, modo duæ partes interſint, *Redoanus in tract. alienat. rer. eccleſ. quæſt. 25. num. 54.*

2. Et tamen iudicatum refert *Ioannes Canutius in 2. centuria quæſtionum Forenſium quæſt.* 80. in ſenatu Turonis ſedente, vnum ex fratribus, & Canonicis Eccleſiæ Claromotanæ in Aruernia, reclamare potuiſſe, aduerſus alienationem, ab eodem capitulo habitam, nulla iuſta cauſa, ad id impellente, iuſtamque eius querelam admiſſam, & probatam à ſenatu, qui alienationem reſcidit decreto in id prolato die 23. Aprilis anni 1591.

3. Quod ſi Eccleſia careat capitulo, aut monaſterium religioſis, tunc conſenſus ſuperioris, requirendus eſt, vt puta Epiſcopi vel Archiepiſcopi, *Clementina 1. verſ. conuentus, ſui de reb. eccleſ. non alienat.* vt mox diximus, ſed ita, ſi ſit iuriſdictioni ordinariæ ſubmiſſa, alioquin ſi exempta ſit, exſpectandus conſenſus ſummi Pontificis, vel iudicium ab eo delegatorum, gloſſa d. Clem. 1. in verbo proprij.

4. Nec ſufficit conſenſus monachorum, inconſulto abbate præſtitus, aut contra, quamuis abbas ſit commendatarius, *Peleus actionum Forenſium lib. 2. cap. 2.* imo Rebuffus exiſtimat, fruſtra conſenſum monachorum, interuenire, niſi abbas conſentiat, & contra in *compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 94. aliàs enim imperfectus eſſet, & inutilis conſenſus.

5. Sed & idem obſeruatur, quamuis diuiſo, & inuicem ſeparato patrimonio vtantur, aliàs idiotiſmo noſtro Gallico dicimus, *qu'ils ayent leur manſe ſeparée*, idem *Canutius in tractat. alienat. rer. Eccleſ. capit.* 1. vbi plura in id decreta curiæ refert *Chopinus lib. 1. monaſt. tit. 2. Carondas lib. 16. reſponſ. cap.* 2. namque hæc diuiſio, extemporanea dicitur, nec perpetua, vnde nec dominium mutat, nec communionem antiquam extinguit.

6. Cæterum hic conſenſus, non ſeparatim à ſingulis, exigi debet, veluti extra capitulum, ſed tantum in capitulo, in præſentia omnium, non in abſentia, aut per litteras,

Digitized by Google

ſeu tabellas, argumento *legis ſi in tres dig. de recept. arbit. Rebuff. in compend. alienat rer. Eccleſ. num. 91. & 92. Redoanus in d. tract. alienat. rer. Eccleſ. quæſt. 33.* licet aliud, in electionis materia ſeruari videatur, *capit. in Geneſi de elect.*

7. Et hic quidem conſenſus, alienationem præcedere debet, alioquin nulla eſt, niſi poſtea, nouus tractatus, & ratihabitio, ſequuta fuerit, *cap. cum nos de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap. Rebuff. in compend. alien. rer. Eccleſ. num. 93. & 95.* quemadmodum in iure ciuili, auctoritas tutoris, contractum à minore habitum, præcedere debet, non ſubſequi, *§. 2. inſtit. de auct. tut. & cur.* ex quo concludi poteſt, etiam in ipſo actu alienationis, præſtandum eſſe conſenſum, vt & docet *Redoanus in tract. de alienat. rer. Eccleſ. quæſt. 32.*

---

§. OCTAVVS.

De auctoritate Superioris, neceſſaria in alienationibus.

1. *Auctoritas Superioris, in alienationibus neceſſaria.*
2. *Qua forma præſtandus ſuperioris conſenſus, & auctoritas.*
3. *Cuius Epiſcopi conſenſus requiritur, an alienantis Eccleſiæ, an diœceſis, in qua res ſitæ ſunt.*
4. *Probatur, Epiſcopum Eccleſiæ alienantis, auctoritatem præſtare debere.*
5. *Tutius eſt, vtriuſque Epiſcopi, adhibere conſenſum, in alienationibus.*
6. *In exemptis, requiritur auctoritas, ſummi Pontificis.*
7. *In monaſteriis pleno iure ſubmiſſis Abbatibus, ſolius Abbatis conſenſus requiritur.*
8. *An vacante ſede capitulum, auctoritatem alienationi, præſtare poſſit.*
9. *Excutitur Panormitani ſententia.*
10. *Capitulum ſede vacante, res menſæ Epiſcopalis, alienare non poteſt, ſecus in his, quę ſunt inferiorum Eccleſiarum.*
11. *Epiſcopus res Eccleſiæ paſtore deſtitutæ, alienare non poteſt.*
12. *In qualibet alienatione, & Epiſcopi, & Eccleſiæ alienantis, conſenſus requiritur.*
13. *Res modici valoris, ab Epiſcopis, ſine conſenſu fratrum, alienari poſſunt.*
14. *Nota ad* can. terrulas 12. quæſt. 2.
15. *Res modici valoris, Abbas ſine conſenſu fratrum, donare poteſt.*
16. *An Epiſcopus alienandæ rei, quæ ſit de menſa, auctoritatem præſtare poſſit.*
17. *Vbi rerum de menſa Epiſcopali ſit alienatio, Archiepiſcopi auctoritas accedere debet.*
18. *Diſtinctio inter Epiſcopum, qui iurauerit ſe non alienaturum, vel non.*
19. *Item neceſſarius in alienatione, patroni conſenſus.*

1. NOn tamen ſufficit, tractatus capituli, & conſenſus maioris partis canonicorum, aut monachorum eius Eccleſiæ, vel monaſterij, cuius res alienatur, ſed hoc amplius exigitur, vt Epiſcopi conſenſus interueniat, *can. Abbatibus & ſequenti, & can. ſine exceptione 12. quæſt. 2. can. in venditionibus 17. quæſt. 4. cap. vlt. de reb. eccleſ. non alien. in 6. & Clement. 1. eod.*

2. Et hic quidem conſenſus, cauſa cognita eſt adhibendus, non tamen in modum decreti, vt docet *Couarruuias lib. 2. var. reſolut. cap. 17. num. 1. in fine*, quantum autem interſit, inter conſenſum, & decretum, explicat *gloſſa in d. cap. 1. in verbo tractatus de reb. eccleſ. non alien. in 6. & Clement. 1. eod. Rebuff. in compend. alienat. rer. eccleſ. num. 24. & omnes Doctores Greg. Tholoſ. lib. 25. ſintagm. iur. cap. 8. num. 16.*

3. Rurſus quæri poteſt, cuius Epiſcopi conſenſus, ſit neceſſarius, an eius, cui ſubeſt Ecccleſia, quæ alienat, an vero eius, in cuius diœceſi, ſita res eſt, quæ alienatur, & quamuis *gloſſa capit. in venditionibus 17. quæſt. 4.* videatur exigere, conſenſum eius, qui

Digitized by Google

præeſt loco, vbi res ſita eſt, tamen aliud, facile mihi perſuadeam.

4. Nam cum munus Epiſcopale, extendatur magis in Eccleſias, vel perſonas, quam res, quæ, cum perſonarum contemplatione, à Deo conditæ ſint, earum conditionem ſequuntur, quaſi acceſſorium, naturam principalis, exiſtimem, potius eius conſenſum exigi, in cuius diœceſi, ſita eſt Eccleſia, quod & probare videtur, *authent. hoc ius porrectum cod. de ſacroſ. ecleſ.*

5. Et hæc ſententia eſt *Innocentij in capit. paſtoralis de priuileg. & Felini in capit. dilectus verſic. 7. de reſcript.* & in id pariter videndus *Rebuff. in compend. alienat. rer. ecleſ. num. 22. Greg. Tholoſ. lib. 25. ſintagm. iur. cap. 8. num. 17.* qui tamen dicunt tutius eſſe, vtriuſque conſenſum interuenire, quibus & adhæret *Redoanus in tract. alienat. rer. eccleſ. quæſt. 4. num 37. & ſequent. vſque ad 45.*

6. Aliquando tamen Epiſcopi licentia, ſiue conſenſus, non eſt neceſſarius, quid enim, ſi Abbas monaſterij, cuius res alienatur, fuerit exemptus, hoc caſu, ſummi Pontificis conſenſus exigitur, tanquam ſuperioris, argumento *capit. auctoritate §. inhibemus de priuileg. in 6.* eſt enim, monaſteriorum exemptione donatorum caput, Romanus Pontifex, vt innuit Goffridus Vindocinenſis, reſpondens Goffrido, Carnotenſi Epiſcopo, qui eum Acephalum, quaſi capite carentem nominabat, quod ordinaria poteſtate exemptus ſedi Apoſtolicæ, immediate ſubmitteretur.

7. Quod ſi Eccleſiæ, quæ pleno iure ſubſunt Abbatibus illis, alienare velint, ſolus abbatis conſenſus ſufficit, cum habeat Epiſcopalem iuriſdictionem, aut quaſi, vt docet *gloſſa Clement. 1. de reb. ecleſ. non alien. in verbo proprij Rebuff. in compend. alienat. rer. ecleſ. num. 86. Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 8. num. 20. Redoanus in d. tractatu quæſt. 41. num. 64. & ſeq.*

8. Illud autem adeo verum eſt, ſine Epiſcopi conſenſu, alienationem factam, non valere, vt ſede vacante, capituli conſenſus, & auctoritas non ſufficiat, ſed neceſſaria ſit, auctoritas ſuperioris, ſine qua, alienatio facta, reſcindi poteſt, argumento *can. ſi qua de rebus, & can. precariæ 12. quæſt. 2. & cap. 1. ne ſede vac. aliq. Innon. gloſſa ad capit. ſi qua & can. fraternitatem 71. diſtinct. Redoanus in tract. de alienat. rer. ecleſ. quæſt. 29. num. 1. & ſequent.*

9. Verum ipſe Panormitanus aliud ſentit, *in cap. cum olim de mai. & obed. num. 2. verſic. 3. dubitatur*, vbi differentiam conſtituit, inter alienationem rerum, ad Epiſcopatum vacantem pertinentium, & alienationem prædiorum, inferioris Eccleſiæ, cuius ſententia, & auctoritas, non leuis eſt ponderis, & momenti, adeo vt pleroſque alios interpretes, in ſuam opinionem adducat.

10. Namque priori caſu alienatio, rerum ſcilicet Epiſcopalium, vacante ſede, ne quidem à capitulo haberi poteſt, & de huiuſmodi alienatione, intelligendi ſupra dicti canones, poſteriori vero, ſede vacante, auctoritatem præſtare poſſit, & debeat capitulum, cum talis actus, ſit iuriſdictionis, in cuius exercitium, capitulum vacante ſede ſuccedit omnimodo, vt innuit ipſe *Panormitanus in d. cap. cum olim de maior. & obedient.*

11 Ex diuerſo quoque Epiſcopus, vacante Eccleſia, id eſt, paſtore ſuo deſtituta, rem eius, alienare non poteſt, *can. vlt. 10. quæſt. vlt.* niſi defenſorem, ſeu œconomum conſtituat, qui cauſa cognita, res Eccleſiæ, cui conſtitutus eſt, alienare poterit, *gloſſa in capit. 1. in verbo defenſorem de reb. ecleſ. non alien. in 6.* quod tamen improbat *Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 8. num. 20. in fine*, vbi videtur exigere, conſenſum capituli Eccleſiæ Cathedralis.

12. Et in ſumma, neque Eccleſia ſine conſenſu Epiſcopi, neque Epiſcopus ſine conſenſu eccleſiæ, quicquam alienare poſſunt, *can placuit 12. quæſt. 2.* eccleſiam cum dico, non tantum intelligo eam, quæ capitulum habet, ſed etiam eam, quæ capitulo vacat, tametſi quidam caſus, excipiendi videantur, quibus alienatio valet, inconſulto alterutro facta.

13. Nam ſi fuerit res exigua, & parum vtilis, & neceſſitas, id poſtulauerit (vtrumque enim exigitur *gloſſa apud Guid. Papaum quæſt. 149. gloſſa ad capit. quicumque 17. quæſt. 14. Turrecremata ibidem*) Epiſcopus ſine conſenſu capituli, alienare poteſt, *d. can. placuit iuncto can. terrulas 12. quæſt. 2.* cui obſtare videbatur, *d. cap. quicumque*, vbi deponitur Epiſcopus, propter alienationem prædij, etiam modici, ſed illud ibidem Turrecremata, conciliat cum *d. can. terrulas* quod in *d. can. quicumque* agatur de prædio exiguo, cuius tamen poſſeſſio, erat vtilis eccleſiæ.

14. Verum nec in *d. can. terrulas 12. quæſt. 2.* id licere probat *Duarenus lib. 1. de ſacr. eccleſ.*

Digitized by Google

miniſt. num. 3. explicans quod dicitur, in *can. terrulas* hic citato, *terrulas, aut vineolas, exiguas* & *eccleſia minus vtiles, aut longè poſitas, Epiſcopus, ſine conſilio fratrum, ſi neceſsitas fuerit, diſtrahendi habeat facultatem*, de conſenſu coepiſcoporum, qui tempore Agathenſis Concilij exigebatur, qui eo caſu remittitur, non etiam conſenſus capituli.

15. Ex diuerſo, ſi ſit res modica, & Eccleſiæ conſuetudo id permittat, abbas ſine conſenſu monachorum, eam donare poteſt, *cap. cæterum de donat. Rebuff. in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 60. vbi tamen, obſcure id tractat. Verum, de donationis robore, valdè dubitauerim, cum ipſa ſit mera perditio, niſi in compenſationem obſequij, & famulatus, Eccleſiæ præſtiti, illata fuerit, vel bene merentibus facta.

16. Quæ dicta ſunt de conſenſu Epiſcopi, in alienatione, rerum Eccleſiaſticarum neceſſario, tunc locum habent, cum res quæ alienantur, non ſunt de menſa Epiſcopi, alioquin non videtur, ſufficere conſenſus, etiamſi capituli conſenſus accedat, ne in rem propriam, auctor eſſe videatur, quod fieri non poteſt *lib. de auct. & conſ. tut. & curat. cap. finali de inſtit. gloſſam Clement. finalis in verbo menſa ſua de reb. eccleſ. non alien.*

Et propterea, plerique exiſtimant, hoc caſu Archiepiſcopi, vel ſummi Pontificis, conſenſum exigi, argumento *can. per ſingulas & ſequentis* 19. *quæſt.* 3. *& can. bene verſ. quod ſi cuiuſlibet* 96. *diſtinct. gloſſa in cap.* 1. *de reb. eccleſ. non alien. in* 6. in verbo defenſore quem iure ciuili, neceſſarium eſſe conſtat, *authent. hoc ius porrectum cod. de ſacroſ. eccleſ.*

18. Et tamen vulgò diſtingui ſolet, vtrum Epiſcopus, iurauerit ſe non alienaturum, res eccleſiæ, ſine conſenſu Archiepiſcopi, vel ſummi Pontificis, quod iuſiurandum abbates, & Epiſcopi vulgò præſtant, vt refert *Panormit. in capit.* 2. *num.* 3. *de feudis*, & hoc caſu, neceſſarius eſt, eorum conſenſus, aliàs non, & ita concluſum refert, *Guid. Papæus quæſt.* 149. *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 13. *num.* 20. *Redoan. in tract. alien. rer. eccleſ. quæſt.* 45. *num.* 45 *&* 46.

19. His addo, quod inter omnes conuenit, in alienatione rerum Eccleſiæ, quæ patronum habet, etiam ipſius conſenſum exigi, quoniam ipſius intereſt, bona eccleſiæ non diſſipari, *can. conſtit. & ibi gloſſa* 16. *quæſt.* 1. *& can. filiis eadem cauſ. quæſt.* 7. *Rebuff. in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 9. *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 7. *num.* 18. *&* 19. *Redoan. in tract. alienat. rer. eccleſ. quæſt.* 21. *num* 3. vbi tamen videtur excludere, neceſſitatem conſenſus, patroni laici, licet aliud ſentiat, in patrono eccleſiaſtico, quod tamen apud nos non ſeruatur, differentia illa, penitus remiſſa

---

§. NONVS.

De inſtrumento alienationis neceſſario.

1. *Inſtrumentum fieri debet, alienationis rerum Eccleſiaſticarum.*
2. *Subſcriptio etiamnum eorum, qui alienationi conſentire debent, olim requirebatur hodiè non.*
3. *Hodiè ſola mentio in inſtrumento fieri debet eorum, qui tractatui interfuerunt.*

1. POſtremo in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, neceſſarium eſt inſtrumentum, quo probari poſſit, tractatum, & conſenſum interueniſſe eorum, ſine quibus, alienatio fieri non poteſt, nec tantum id requiritur, vt probetur quod geſtum eſt, quod aliàs, etiam ſine ſcriptura, vel inſtrumento valeret, vt dicitur in *lege* 4. *dig. de pig.* ſed maximè deſideratur, ad ſubſtantiam, & ſolemnitatem actus conſtituendam, vt de inſtrumento dotis, ſupra admonuimus.

2. Nec vero inſtrumentum tantum, ſed & ſubſcriptio eorum, qui alienationi conſentire debent, *can. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *cap. tua de his quæ fiunt à prel. ſine conſ. capit.* hodiè tamen, ſubſcriptio non exigitur, ſed ſufficit notarium, tabellionem, ſeu ſcribam, capituli inſtrumentum conficere, ac perlegere, eique ſubſcribere, vt notat *Redoanus in tract. alienat. rer. eccleſ. quæſt.* 21. *num.* 112. *& ſeq.*

3. Verum hoc ſemper obſeruandum eſt, vt ſingulorum, qui tractatui interfuerunt, mentio fiat in inſtrumento, neque enim ſufficeret dicere, tractatum in capitulo, & concluſum fuiſſe, rem illam alienari, vt *Ioannes Andreas, & Imola*, ſcribunt *in capit. quanto de*

Digitized by Google

de his quæ fiunt à præl ſine conſ. capit. argumento *legis vlt. verſ. ſigillatim vnumquemque eorum cod. de vendit. rer. ad ciuit. pertin. Rebuff. in compend. alienat. rer. Eccleſ. num.* 16. *& Greg. in ſintagm. I. lib.* 25. *cap.* 8. *num* 14. *in fine. Redoanus ibidem.*

---

§. DECIMVS.

De aliis pleriſque alienationum ſolemnitatibus, & earum remiſſione quandoque facienda.

1. *An ſolemnitates iuris ciuilis, in alienationibus, neceſſario ſint obſeruandæ.*
2. *Probatur, non eſſe neceſſario obſeruandas, licet in ius canonicum relatæ ſint.*
3. *Duo concurrere debent, vt valeat alienatio, cauſa, & ſolemnitas.*
4. *In pleriſque alienationibus ſola vtilitas ſpectatur.*
5. *Probatur hæc opinio, auctoritate, & ratione.*
6. *Refellitur hæc opinio, à Duareno, & contrariis argumentis reſpondetur.*
7. *Solemnitates, non ſupplent cauſæ defectum, propter quem, alienatio redditur, ipſo iure nulla.*
8. *Viæ nullitatis, locum non habent in hoc regno.*
9. *Quibuſdam caſibus valet alienatio, abſque ſolemnitate.*
10. *Quibus caſibus, res Eccleſiæ, abſque ſolemnitate, alienari poſſint.*
11. *Reditus pecunia conſtituti, perpetuo redimi poſſunt.*
12. *Onera redituum, Lutetianis ædibus impoſitorum, perpetuo redimi poſſunt.*

1. VErum cum aliæ quoque ſolemnitates, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum, iure ciuili deſiderentur, *nou.* 7. *&* 120. & inter cæteras, proſcriptio rerum alienandarum, & auctio publica, cuius fit mentio in *authent. hoc ius porrectum cod de ſacroſ. eccl.* quæri ſolet, an & illæ, ſint neceſſariæ, cauſam dubitandi præbet, quod prædicta authentica, vt vocant, in iure Pontificio, de verbo ad verbum, ſit ſcripta, in *can. ea enim* §. 10. *quæſt.* 2. & veluti canoniſata, vt aiunt.

2. In eo tamen omnes conueniunt, ſolemnitates illas, à iure ciuili introductas, non eſſe obſeruandas, nec ea mente conſtitutiones, quæ de his loquuntur, in ius Pontificium eſſe tranſlatas, vt ius facerent, ſed vt ſtudium Principum, in tuendis, & conſeruandis Eccleſiæ bonis proderent, vt innuit *gloſſa cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien in* 6. *in verbo tractatus. Guido Papæus quæſt.* 149. *Greg. Tholoſ. lib.* 25. *ſintagm. cap.* 8. *num.* 18. *Redoan. in tract. alienat. rer. Eccleſ. quæſt.* 24. *num* 16. *& ſequent.*

3. Ex ſupra dictis igitur liquet, in alienatione rerum immobilium, ad Eccleſias pertinentium, duo requiri, cauſam alienandi, quæ neceſſaria ſit, aut ſaltem vtilis, & ſolemnitatem, quarum altera ſi deſit, nulla eſt alienatio, *cap.* 2. *ibi in forma, & caſibus à iure expreſſis de reb. eccleſ. non alien. in* 6. & hanc eſſe vulgatem, & communem doctorum opinionem, multis probat *Couarrun. lib.* 2. *var. reſolut. cap.* 17. *num.* 2.

4. Non deſunt tamen, qui exiſtimant, vt valeat alienatio, ſufficere, vt ſit vtilis Eccleſiæ, quamuis, ſine ſolemnitate facta, idemque dicendum exiſtimant, ſi res minus vtiles, & oneroſæ Eccleſiæ, quæ plus incommodi, quam commodi afferre ſolent, alienatæ ſint, tunc enim, vtilitate Eccleſiæ, defectus ſolemnium rependitur, maximè, cum illa, minoris beneficio vtens, *capit. auditis de in integrum reſtit.* non niſi læſa, reſtitui debeat.

5. Sed & huius ſententiæ, plures citantur auctores, *à Guidone Papæo quæſt.* 156. arcem huius opinionis ponentes, in *can. non liceat Papæ, & can. terrulas* 12. *quæſt.* 1. & aliis argumentis, quæ recenſentur, à *Rebuff. in ſupra dicto tractatu num.* 34. *Redoano in tract. alienat. rer. eccleſ. quæſt.* 20. *num.* 82. *& ſequent.*

6. Verum hanc opinionem, refellit Duarenus *lib.* 7. *de ſacr. eccleſ. miniſt. cap.* 9. licet ibidem teſtetur, hanc quæſtionem, adeo controuerſam eſſe, vt de ea, nondum inter claſ-

Digitized by Google

ſes ſupremæ curiæ, conuenire potuerit, quod confirmat *Ioan. Papo lib.* 1. *rapſod. tit.* 13. *art.* 2. *& Rebuff. in ſupradicto tractatu num.* 103. ſcribit, hoc eſſe in mente dictæ curiæ, ne ob defectum ſolemnitatum, citrà enormem læſionem, alienationes, rerum Eccleſiaſticarum, reſcindantur.

7. Ex diuerſo autem, ſi iuſta cauſa, alienandi defuerit, quamuis ſolemnitates, adhibitæ fuerint, nulla reſciſſione opus eſſe, ſed ipſo iure, alienationem nullam eſſe defendit, Couarruuias *lib.* 2. *var. reſolut. cap.* 17. *num.* 2. quod tuetur ex iure, quod apud Hiſpanos obſeruabatur, vbi vſus inualuit, vt nullitati, ipſo iure inductæ, locus fiat, in pleriſque negotiis, iuris veteris, diſpoſitione ſeruata.

8. Verum apud nos, reſcripto principis opus eſt, vt reſcindatur, huiuſmodi alienatio, cum hodiè, illud axioma, maximè inualuerit, in hoc regno, vias nullitatis, locum non habere, *voyes de nullité, n'ont point de lieu*, nouiſſimi iuris, & Imperialis diſpoſitione, in vſum reuocata, quæ reſcriptis principum, Maximam auctoritatem dedit, vt codicillaris officinæ, & Regiæ, via liberior pateret, de quo paſſim, & vbique, queritur Carolus Molinæus.

9. Sunt tamen quidam caſus, quibus alienatio valet, abſque vlla ſolemnitate, vt puta, ſi monaſterio mendicantium, qui nihil proprium habere poſſunt, vel debent, res immobilis relicta fuerit, hanc enim, alienare poſſunt, & debent, abſque vlla ſolemnitate, *Rebuf. in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 29. *Greg. Tholoſ. lib.* 25. *ſintagm. l. cap.* 8. *num.* 4. *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 6. *n.* 22. qua de re, ſupra dictum eſt, idemque ſtatui debet, ſi res Eccleſiæ relicta fuerit, ſub onere reſtituendi.

10. Idem quoque dicendum eſt, ſi vectigal pecuniarium, nummorum datione, Eccleſiæ ſit adquiſitum, quod nos reditum, pecunia conſtitutum appellamus, *rente conſtituée à prix d'argent*, & ſi huiuſmodi vectigal, inter immobilia cenſeatur, tamen liberum eſt, debitori, quandocumque voluerit, redimere, eadem nummorum quantitate, creditrici Eccleſiæ reſtituta, *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 6. *num.* 14.

11. Namque ea eſt, huius contractus natura, vt redimendi facultas, quandoque debitori competat, quo iure, vti debet Eccleſia, cum ſit commune, & ordinarium, quod adeo verum eſt, vt nec præſcriptione tolli poſſit, redimendi facultas, quia, de natura huius contractus eſſe dicitur, quæ æterna, & perpetua eſſe debet, *Molinæus in tract. de vſuris num.* 194. *Couarruu. lib.* 1. *var. reſol. cap.* 9. *num.* 8. *Ioann. Bacquetius in tit. des Franc-fiefs cap.* 7. *num.* 4. *Guid. Conchil. ad conſuet. Niuernenſem.*

12. Idem quoque, publicæ vtilitatis contemplatione, permiſſum eſt, Dominis ædium quæ Lutetiæ ſitæ ſunt, vt poſſint ſolarium vectigal, Eccleſiæ debitum redimere, vt ſuprà dictum eſt, quamuis, ſub ea pactione, & lege conſtitutum ſit, vt numquam redimatur, quod & perſcriptis Pariſienſium moribus *art.* 121. *& ſequenti*, inductum eſt, & Aurelianenſium *art.* 271.

---

§. VNDECIMVS.

De variis alienationum ſpeciebus, ac primum de emphiteuſi, & in feudum datione.

1. *Emphiteuſis perpetua rei Eccleſiaſticæ; condemnata iure ciuili.*
2. *Iure ciuili, perpetua emphiteuſis, reſtringitur ad perſonam emphiteuticarij, & liberorum primi gradus.*
3. *Iure canonico, qualibet emphiteuſis rei Eccleſiaſticæ, damnata.*
4. *Nota ad* canonem ea enim §. perpetua 10. quæſt. 2.
5. *Conſtitutiones Imperatoriæ, alienationem rerum Eccleſiaſticarum prohibentes, non aliàs admittuntur, quam ſi ab Eccleſia fuerint approbatæ.*
6. *Prædiorum ſterilium emphiteuſis, valet iure canonico.*
7. *Quamuis perpetua, reſtringitur ad tertiam generationem.*
8. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis.*
9. *Emphiteuſis prædiorum ſterilium, non valet, abſque ſolemnitate iuris.*

Digitized by Google

10. *Renouatio emphiteuſeos, vel infeodationis, fit eadem forma, qua incepta fuerat.*
11. *Remitti poßunt ſolemnitates, in alienatione temporali.*
12. *Res Eccleſiæ, nec in feudum dari poſſunt, niſi ſeruatis iuris ſolemnibus.*

1. HActenus de alienatione rerum eccleſiaſticarum, in vniuerſum dictum eſt, nunc de contractibus quibuſdam dicendum eſt, de quibus dubitari poteſt, an alienationem contineant, ac primum de emphiteuſi, quæ duplex eſt: quædam enim fit in perpetuum, quædam ad tempus: emphiteuſis perpetua, etiam iure ciuili, prohibita fuit, à Iuſtiniano *nou.* 7. *§. emphiteuſim*, cum temporalis, ex eodem iure, originem ſumpſerit, & auctoritatem, nempe Zenonis conſtitutione, quæ exſtat, in *tit. cod. de iure emphiteut*

2. Neque enim Iuſtinianus, licèt in *d. nou.* 7. emphiteuſim probauerit, vult eam extendi, extra perſonam emphiteuticarij, & filiorum eius ac nepotum, vel etiam coniugis, ſi de coniuge, in contrahendo mentio facta ſit, idem tamen *nou.* 120. *cap.* 1. hanc prohibitionem reſtrinxit, & ad ſolam Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & religioſa loca, quæ ſunt in territorio eius, pertinere decreuit, data licentia cæteris Eccleſiis, perpetuam rerum ſuarum emphitheuſim, contrahendi, *d. nou. cap.* 6. *§. licentiam.*

3. At iure Pontificio, quælibet emphiteuſis prohibita *can. Apoſtolicos* 12. *quæſt.* 2. non modo quæ perpetua eſt, *cap. nulli de reb. eccleſ. alien. vel non*, ſed etiam, quæ ad vitam, vel aliud certum tempus, dummodo non ſit modicum, quid ſit autem modicum tempus, explicatur infrà, *ad §.* 13. *de locat. & cond. & Clement.* 1. *de reb. eccleſ. non alien. can. non liceat Papæ ibi nec in vſumfructum rura dare* 12. *quæſt.* 2.

4. Neque enim iis obſtat, *can. ea enim §. perpetua* 10 *quæſt.* 2. quo perpetuæ locationes probari videntur, nam canon ille ſumptus eſt ex *d. nou.* 120. *& authent. perpetua cod. de ſacroſ. eccleſ.* quas antea docui, in ius Pontificium relatas, non vt ius faciant, aut pro lege habeantur, ſed vt ſtudium, Chriſtianorum Principum, in conſeruandis rebus Eccleſiaſticis omnibus innoteſceret.

5. Et ideo Panormitanus in *capit. in præſentia de probat.* multis rationibus contendit, & argumentis, huiuſmodi conſtitutiones, de prohibita rerum eccleſiaſticarum alienatione factas, nullius eſſe momenti, niſi ab eccleſia, fuerint approbatæ, atque ita, nominatim cautum habetur, in *capit. eccleſia ſanctæ Mariæ de conſtit. & can. bene quidem fraternitas* 96. *diſtinct. cap. vlt. de reb. eccleſ. alien. vel non.*

6. Verum quod dictum eſt ſupra, emphitheuſim rerum eccleſiaſticarum, eſſe prohibitam, fallit in prædiis ſterilibus, veluti ſiluis, quæ in emphiteuſim, rectè dantur iis, à quibus ſuo, vel parentum ſuorum labore, conſtiterit extirpatas, & culturæ idoneæ redditas, *capit. ad aures de rebus eccleſ. alien. vel non*, alioquin ab aliis extirpatas, aliis in emphiteuſim dari, non permittitur, niſi meliorem conditionem offerant, vt habetur in *d. cap. ad aures ibi niſi fortè tunc aliis.*

7. Et quamuis in *d. capit.* pateat, res eccleſiæ ſteriles, poſſeſſorum ſtudio, & opere arabiles factas, hereditario iure, ſub annuo cenſu, concedi poſſe, quod *gloſſa eiuſdem capit. in verbo hereditario iure* interpretatur, perpetuo poſſidendas, tamen ex mente, & ſententia *d. nou.* 7. *§. emphiteuſim*, perpetua illa, poſſeſſorum ſeries, ad liberos liberorum coarctata, ſiue tertiam generationem, variis ſenatus Pariſienſis decretis, tum prætorianorum iudicum.

8. Sed præcipuè confirmatur altero, curiæ Pariſienſis decreto, quod refertur à *Ioann. Canutio in tract. alienat. rer. eccleſ.* pronunciato die 23. Martij anni 1613. in gratiam, & fauorem, conuentus & regularium, ædis & monaſterij, diuo Sulpitio dicatæ, in ſuburbio Bituricenſi, Ordinis Benedictini, contra poſſeſſores, & detentores, vniuerſitatis agrorum, ad dictum conuentum, olim pertinentium, in parochia *de Vaſſellay*, nomine *Pelourdes* appellatos, qui à Ioanne *Feulant*, primo emphiteuta, ſub conditione, continuandæ poſſeſſionis ad liberos, & liberos liberorum, quæſierant, dictis enim religioſis, poſſeſſionem ſenatus addixit, quamuis emphiteutarum liberi ſuperſtites eſſent.

9. Cum ergo alienationis verbo, emphiteuſis contineatur, *d. cap. nulli* conſequens eſt, in emphiteuſi contrahenda, eaſdem ſolemnitates adhibendas eſſe, quæ in alienatione deſiderari ſupra diximus, *d. Clem.* 1. *de reb. eccleſ. non alien.* idque probatur manifeſtius, ex eo quod, euoluentibus voluminibus decretorum, quibus alienatio rerum eccleſiaſticarum condemnatur, longè plura pateant exempla, emphiteuſeos condemnatæ, ob defectum ſolemnitatum, quam cæterarum, alienationis ſpecierum.

10. Sunt tamen qui exiſtiment, ſi res ad tempus, in emphiteuſim dari conſueuerint,

Digitized by Google

ſufficere in renouanda emphiteuſi, eaſdem ſolemnitates adhiberi, quæ anteà conſuetæ fuerint, in inchoanda, *Guido Papæus quæſt.* 100. *& ibi Ferrerius* quod probant auctoritate *cap. ex parte de Feudis.*

11. Quamuis enim ſolemnitates, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum neceſſariæ, contraria conſuetudine, remitti nequeant, tamen hoc locum habet, in alienatione perpetua, non in emphiteuſi, facta ad certum tempus, & hanc ſententiam, multis, magniſque auctoritatibus confirmat, *Couarruuias lib.* 2. *var. reſolut. cap.* 17. *num.* 4. præſertim vero *d. cap.* 2. *de feudis.*

12. Verum & ex eo capite conſtat, res Eccleſiæ, in feudum dari non poſſe, cum datio in feudum, ſit ſpecies alienationis, niſi res fuerit, quæ in feudum dari non conſueuerit, hæc enim ad Eccleſiam reuerſa, iterum infeodari poterit, ſi modo cauſa infeodandi, non ceſſet, *Chop. lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 6. *num.* 20. *& Rebuff. in compend. alienat. rerum Eccleſiaſt. num.* 33. *Guido Papæus quæſt.* 100. *& ibi Ferrerius, & in quæſt.* 153. *& ſequenti.*

§. DVODECIMVS.

De precariis.

1. *Quid precariæ, quid precarium, & differentiæ inter vtrumque.*
2. *Precarium ad nutum reuocatur.*
3. *Precarium ſoluitur morte accipientis, non dantis.*
4. *Precariæ non reuocantur ad arbitrium concedentis.*
5. *Precariæ iuris canonici definiuntur.*
6. *Item origo earumdem inueſtigatur.*
7. *Vtilitas precariarum, perpenditur.*
8. *Precariarum & alia ſpecies explicatur.*
9. *Precariæ quandoque Clericis, ſtipendij loco conceduntur.*
10. *In quibuſdam Eccleſiis, vtendæ dantur.*
11. *Quod in Eccleſia Carnotenſi, & Turonenſi precariæ, alias preſtariæ celtiſmo noſtro* les preſtrieres.
12. *Precariæ de quinquennio, in quinquennium reuocari debent.*
13. *Ratio huius reuocationis iterandæ, explicatur.*

1. HÆc de emphiteuſi, & infeodatione, nunc de precariis videamus, quo nomine ſignificatur, ſpecialis quidam contractus, iure Pontificio receptus, ſed ciuili incognitus, nam quod nos vulgo, precarium appellamus, de quo eſt titulus digeſtorum de precario, longe differt à precariis, de quibus eſt titulus lib. tertio decretalium.

2. Namque illud, vtendum conceditur tandiu, quamdiu voluerit is, qui precario concedit, ideoque ad nutum reuocatur, *leg.* 1. *&* 2. *dig. de precario*, quod adeo verum eſt, vt non valeat conuentio, inter dantem & accipientem interpoſita, ne ante certum tempus reuocetur, *lege cum precario* 19. *dig. de precario.*

3. Item precarium, non ſoluitur morte dantis, ſed accipientis tantum, quia ipſi, non heredi conceſſum eſt, *d. lege* 19 *in fine*, denique ſoluitur, alienatione rei, precario conceſſæ, niſi nouus emptoris conſenſus interuenerit, *lege quæſitum* §. *illud tamen dig. eod.* quæ omnia repetuntur in *cap.* 1. *vltimo de precariis.*

4. Sed enim in eo, Gregorius notat precarias, quæ fiunt de poſſeſſionibus Eccleſiarum, non reuocari, ex voluntate concedentis, nec eius, qui concedenti ſucceſſerit, niſi forſitan, iniuſtæ fuerint, vt habetur in *cap.* 2. *eod. & cap. de precariis* 10. *quæſt.* 2. quod vtrumque falſo tribui, Concilio Carthaginenſi, obſeruat Cuiacius *lib.* 1. *feud. tit.* 1. §. *ſi vero Archiepiſcopus*, & ante eum Ant. Auguſtinus in *notis ad cap.* 2. *tit. de precariis*, ex antiqua collectione decretalium prima, vbi vterque notat, non inueniri in d. Concilio, ſed in legibus Longobardorum, ſub Epigraphe Lotharij *lib.* 3. *tit.* 8. *cap.* 2.

Digitized by Google

5. Eſt autem, contractus, quo vſusfructus prædij, ad Eccleſiam pertinentis, ad certum tempus, plerumque ad vitam accipientis, ea lege dari ſolet, vt qui accipit, aliam rem eiuſdem pretij, Eccleſiæ daret, retento vſufructu, vt docet *Cuiacius in commentariis ad tit. cod. de iure emphiteut. & ad legem 1. circa medium, & lib. 4. obſeruat. cap. 7.* quod ciuilis precarij legibus, minimè conuenit.

6. Huius autem contractus, origo proficiſcitur, ex conſtitutione Leonis, & Anthemij, cuius fit mentio in *lege iubemus cod. de ſacroſ. eccleſ.* poſtea confirmatæ à Iuſtiniano *nou. 7. §. ſi quis autem, & 120. §. ſi vero aliquis*, quæ in ius Pontificium tranſlatæ ſunt, *can. ea enim §. ſi æconomus & ſequenti*, 10. *quæſt.* 2. & multis ſynodis probatæ, *Remenſi cap. 36. & 37. Turonenſi cap. 51. Bellouacenſi cap. 13. Meldenſi cap. 22.*

7. Precariarum autem fit mentio, paſſim in formulis Marculfi monachi *lib. 2. cap. 5.* apud Flodoardum in Hiſtoria Remenſi, & in capitularibus Caroli Magni, & Car. Calui, ex quibus locis apparet, quàm vtilis ſit Eccleſiæ hic contractus, ſiquidem in vicem, & remunerationem vſusfructus, prædij ab ea dati, alterius prædij, quod eiuſdem valoris, & æſtimationis eſſe debet, proprietatem adquirit, finito vſufructu, pleno iure, & dominio poſſidendam, & fruendam.

8. Eſt & alia precariarum forma, Concilio Mediomatricum introducta, vt qui, quid Eccleſiæ donat pleno iure, rem aliam ab Eccleſia, triplo meliorem accipiat, iure vſusfructus tantum poſſidendam *can precariæ à nemine* 10. *quæſt* 2. qui in notis Romanæ Emendationis, Beluacenſi, Meldenſi, & Maticenſi tribuitur, vt & à Burchardo, & Yuone, in collectione decretorum.

9. Quandoque etiam, hoc genere tractatus, prædia clericis dari ſolent ad tempus, vel quamdiu vixerint, ſtipendij loco, veluti ob bene merita eorum, vel vt miniſterium Eccleſiæ præbeant, nullius tamen, penſionis onere poſſidenda, *Tolet. Concilij 6. cap. 5. can. ſæpè fit*, 12. *quæſt.* 2. Agathenſi, & Aurelianenſi Conciliis *cap. clerici, & ſequenti 16. quæſt. 3. Simmachus Papa, ad Cæſarium fratrem, cap. 1. can. poſſeſſionem 16. quæſt. 1. can gloriam in fine 12. quæſt. 2.*

10. Quin etiam in quibuſdam Eccleſiis, inueterata conſuetudine receptum eſt, vt adſcitis in collegium canonicorum, eccleſiaſtica prædia concedantur, cum onere modici æris, tandiu ab eis detinenda, quamdiu in eodem collegio, perſeuerauerint, & ex ea poſſeſſione, & prædiorum, quibus tunc iucumbunt, appellatione, canonicatus, & præbendæ, nomen ſuum ſortitæ ſunt, vt in pluribus Neuſtriæ cathedralibus Eccleſiis, exempla ſunto. Lexouienſi, Baiocenſis, & aliis, in quibus, ex prædiis, vnicuique canonicatui conceſſis, vario nomine appellantur.

11. At vero huiſmodi prædia, ſeu beneficia, in Eccleſia Carnotenſi, vocantur precariæ, aliàs preſtariæ *les preſtrieres* quarum mentionem habet, Yuo Carnotenſis Epiſcopus in *epiſt.* 271. ad Paſchalem ſummum Pontificem, in eaque laudat iudicium, & decretum eiuſdem ſummi Pontificis, quo precariarum vſum, in eadem Eccleſia damnauerat, eumdem tamen morem, in Eccleſia ſancti Mattini Turonenſis, refert *Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 7. num. 13.*

12. Has autem precarias, ſingulis luſtris, hoc eſt quinto quoque anno, renouandas eſſe, iubent canones Eccleſiaſtici *can. precariæ de quinquennio* 10. *quæſt.* 2. *& cap.* 1. *de precar. lib.* 3 *decret.* & in legibus Francicis Caroli Magni *libro 4. ſi quis in cenſibus reddendis, & precariis renouandis, negligens fuerit, &c. & in capit. Caroli Calui in Synodo habita in Villa Sparnaco cap. 22. ſub finem Marculfus monachus lib. 2. cap. 5. & in notis ad hunc locum.*

13. Verum illa renouatio, ad hoc fieri debet, ne pereat memoria contractus, ac primæ profeſſionis, *can. longinquitate* 12. *quæſt.* 2. *can. ſæpè fit eod. c'eſt ce que nous appellons, nouuelles reconnoiſſances*, vtraque autem, inſcriptis fieri debet, vt patet ex *Concil. Toletano 16. cap. 15 ne per detentationem diuturnam, præiudicium afferat Eccleſiæ, Synodo Epaunenſi cap. 18.* is verbis *quod Clerici, etiam ſine precatoriis, qualibet diuturnitate temporis, de Eccleſiæ remuneratione poſſederint, in ius proprietatis tempore non vocetur*, Marculfus in formulis, Flodoardus in Hiſtoria Remenſi, & alij paſſim.

Digitized by Google

ſ. DECIMVS-TERTIVS.

De locatione, conductione.

1. *Infrequens olim locationis vſus in Eccleſia, & vndè.*
2. *Nota ad* can. quæſti. 16. quæſt. 1.
3. *Olim monachi, cureſtri opere occupati.*
4. *Locatio rei Eccleſiaſticæ, contractus licitus iure canonico.*
5. *Nota ad* cap. nulli de reb. Eccleſ. alien. vel non.
6. *Locatio ad longum tempus, eſt, quædam alienationis ſpecies.*
7. *Aliud Dominum eſſe, aliud actionem vtilem alicui competere.*
8. *Obligatio præſtandorum fructuum in longum tempus, non eſt locatio.*
9. *Quid ſit modicum tempus, in locationibus.*
10. *Quid ad vitam, & in perpetuum fieri, idem eſt.*
11. *Concilij Tridentini diſpoſitio, condemnans locationes, in longum tempus, etiam prę- teritis occurrit.*
12. *Quid longum tempus, in quibuſdam regni conſuetudinibus.*
13. *Locatio rei Eccleſiaſticæ, non poteſt fieri, repetito pluries legitimo tempore.*
14. Extrauag. ambitioſæ *non valet locatio intra triennium, multoties repetitum.*
15. Extrauag. ambitioſæ *vbique non admittitur.*
16. *An locationes prædiorum Eccleſiaſticorum, poſſint fieri in anticipationem.*
17. *Probatur non poſſe fieri, ſicut nec repręſentatis penſionibus.*

1. NVnc venio, ad locationes rerum Eccleſiaſticarum, quæ rectè ſubiiciuntur precariis, quod propius, ad eas accedat locatio, ſed & rectius emphitheuſi, quod vna eademque rubrica, expediantur apud Gregorium, in qua, licet præmittatur locatio, tamen hic ſupponi æquum viſum eſt, quia olim, minus frequentatas fuiſſe agnoſco, ſi quidem clerici, communiter viuentes, fundos ſuos, proptiis manibus colebant, nec ſæcularibus colendos, arandoſque locabant.

2. Et ex eo eſt, quod in Concilio Cabilonenſi apud Iuonem Carnotenſem *parte* 13. *de rebus Eccleſiaſticis* ex quo ſumptus eſt *can. quæſti* 16. *quæſt.* 1. qui tamen Moguntinenſi Concilio tribuitur à Gratiano decretum eſt, *vt Epiſcopi, & Abbates, de agris, & vineis, quæ ad vſum, & fratrum ſtipendium habent, decimas, ad Eccleſias ſuas, deferri faciant,* hoc eſt, vt de laboribus ſuis, ac nutrimentis aliis Eccleſiis decimas non præſtent vt explicat *can. decimus* qui proximè ſequitur *ead. quæſt. & cauſa.*

3. Sed & monachos, rureſtri opere occupari ſolitos conſtat, ex epiſt. D. Hieronimi ad Ruſticum Monachum ea parte quæ relatâ eſt, in *can. nuſquam de conſecrat. diſtinct.* 5. & in *cap.* 1 *ne cler. vel mon.* refertur exemplum Apoſtolorum negotiantium, & in regula D. Benedicti, Monachorum per manus proprias, monaſterij negotia procurantium, quod mire explicat *Boetius Epo in comment. ad d. capit.* 1. *ne Cler. vel Monach. numero* 34. *vſque ad* 39.

4. Hodiè vero, Eccleſiaſticorum prędiorum locationes, adeo ſunt vulgares, vt vix quemquam inuenias eorum, qui communem vitam agunt, agros ſuos colentem, & certè licitus eſt hic contractus, per quem res, non alienantur, *lege non ſolet* 39. *dig. de loc. & cond.* ſed ad tempus tantum, fruendæ dantur.

5. Et ideo animaduertit, *Anaſtaſius Germonius lib.* 2. *cap.* 20. *in cap. nulli de reb. eccleſ. alien. vel non*, expungendum eſſe verbum, *conductionem*, vel vt alij legunt *conditionem* cum dicitur, alienationis verbo, contineri conductionem, quod plane falſum eſt, adeo vt Iuſtinianus quoque, *nou.* 7. §. *alienationis*, & Carolus Magnus in *capit. add.* 3. explicantes contractus, qui alienationis verbo comprehenduntur, non meminerint conductionis.

Digitized by Google

6. Verum excipiendæ locationes, quæ ad longum tempus factæ ſunt, quia alienationis ſpeciem habent, & ideo prohibitæ ſunt, *cap. ad audientiam de reb. Eccl. alien. vel non Clement. 1. in fine eod.* iiſdem namque regulis reguntur, & gubernantur, ac emphiteuſeos, vel infeudationis contractus, de quibus ſupra, iiſdemque pariter ſolemnibus firmari debent, quibus aliæ quælibet, rerum Eccleſiaſticarum alienationes.

7. Et ſic in *lege 1. §. quod ait prætor. de ſuperfic.* ei, qui non ad modicum tempus conduxit, ſuperficiem in rem actionem dari dicitur, ex quo vulgo creditum eſt, eſſe Dominum, atque ita locationem, quæ non ad modicum tempus facta eſt, alienationem continere, quod tamen falſum eſt, aliud namque eſt, in rem actionem competere, & aliud Dominum eſſe, *l. 1. §. vlt. & lege finali ſi ager vectigalis vel emphiteut. petat.*

8. Illud tamen vſu receptum eſt, locationes, quæ non ad modicum tempus fiunt, pro alienationibus haberi, & in prohibitione alienandi facta contineri, ſecus eſt tamen, ſi quis ad dandos fructus, ſeſe obliget in longum tempus, nam cum hic contractus, perſonam tantum obnoxiam teneat, & alienus ſit à locatione, valet, argumento *legis vlt. dig. de contrah. empt.*

9. Nec vero alienum fuerit, diſputare, quid ſit modicum tempus, hodiè tamen vulgò receptum eſt, id dici, quod decennium non excedit, argumento *leg. vlt. de præſcript. longi temp. & lege ſi cum fideicommiſſa §. Ariſto. dig. qui & à quib. manum.* ex quo ſequitur, locationes, quæ fiunt ad decennium, aut vltra, pro alienationibus haberi, atque ita prohibitas cenſeri, quam opinionem, communem eſſe probat, *Couarruu. lib. 2. var. reſol. cap. 16. num. 1. Redoan. in tract. alien. rer. eccleſ. quæſt. 38. num. 48. & aliis ſequentibus.*

10. Et ſanè idem obtinet, ſi non ad certum tempus, ſed ad vitam accipientis, facta ſit, *d. Clement. 1. de rebus eccleſ. non alien.* quia, idem eſt ad vitam concedi, & in perpetuum, vt infrà commodius explicabimus, ad verba definitionis *ad vitam* niſi forſitam, is qui conduxit, eius ſit ætatis, vt non præſumatur, decem annis victurus, iuxta *legem computationi 65. dig. ad leg. falcid. Couarruu. ibidem num. 3. in fine.*

11. Sed & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 11. in fine*, locationes ad longum tempus, ſeu ad viginti nouem annos factas, irritas eſſe ſtatuit, ſi in damnum Eccleſiæ, & contra ſanctiones Eccleſiaſticas, contractæ fuerint, quod prouincialis ſynodi iudicio, decernendum reliquit, in locationibus, à triginta annis, & citrà habitis, quamuis nec ciuiles, nec canonicæ ſanctiones, præteritis negotiis, formam dare conſueuerint, quod eò inductum eſt, quod illa ſanctio, vetera tantum iura, aliquandiu obſoleta, in vſum reuocet.

12. Namque, quod & notandum eſt, in nonnullis partibus, longum tempus, non eſt decem annorum, ſed triginta, vt in hac prouincia Biturigum, & in his videbantur, locationes prædiorum Eccleſiaſticorum, quæ trigeſimum annum non excedunt, valere, quo admiſſo, quidam etiam exiſtimauerunt, plures locationes, vno eodemque inſtrumento, in viginti nouem annos, ſæpius repetitas, fieri poſſe, ſic vt emenſo, nouem annorum ſpatio, atque ita, prima locatione finita, ſecunda incipiat, ac deinceps reliquæ, & in hac ſententia fuit, *Baldus cap. 1. §. ſi libellario quibus mod. feud. amitt. & in lege voluntas cod. de fideicom.*

13. Sed tamen eam reprehendit Cynus, in *lege 1. cod. de iure emphit.* merito, nam & ſimilis fraus, iam olim improbata fuit, à Iuſtiniano *nou. 7. §. quod autem in fine*, vbi permiſſa emphitheuſi, vſque ad vitam ſecundi hæredis, non licet paciſci vt ea finita, iterum renouetur, in perſona tertij, propterea quod, huius contractus executio, in id tempus excurrere poſſet, quo non eſſet fortè in viuis, qui conceſſit, qui nec ſucceſſorem ſuum, onerare poteſt, & grauare, maximè, ſi beneficium, tanquam morte vacuum, adeptus fuerit.

14. Quæ cum ita ſint, & nouiſſimo iure nimirum ex Pauli II. conſtitutione quæ exſtat inter extrauagantes communes *tit. de reb. eccleſ. non alien.* nulla locatio, rerum Eccleſiaſticarum, triennium excedere debeat, conſequens eſt, non valere locationes, in plura triennia factas, quod multis defendit *Couarruuias ibidem num. 4.* & ante eum *Car. Molinæus in conſuet. Pariſ. §. 85. gloſſa 2. num. 42.*

15. Illud tamen in tranſcurſu notandum eſt, illam Pauli II. conſtitutionem, non paſſim apud omnes obſeruari, teſte eodem *Couarruuia loco ſupra citato num. 6. verſ. 8. Redoan. in tractatu alienat. rer. eccleſiaſt. quæſt. 35. num. 2. & ſeq.* ſicut nec quælibet aliæ extrauagantes, vt infrà dicetur ad verba definitionis *conceſſa cap. 4. quibus legibus cont. benefic. terminari debeant num. 22.*

16. Et quidem illud adeo verum eſt, plures locationes, vnius eiuſdemque rei, in cer-

Digitized by Google

tum, & legitimum tempus, ſæpius repetitum, contractas non valere, veluti in duo, vel plura triennia, vel nouennia, vt quamuis vna ſit locatio, in certum, & modicum tempus facta, qua nullam alienationem contineat, non poſſit tamen locator, ante finitum tempus locationis, vel emphiteuſeos, eamdem renouare, ſiue eodem, ſiue maiore pretio, *on ne peut renouueller le contract d'adcenſe, ou d'emphiteoſe, auparauant que le temps ſoit expiré*, alioquin hæc noua locatio, ſeu emphiteuſis irrita eſt.

17. Et hoc quidem collegiis omnibus, capitulis, & aliis corporibus, interdictum à ſenatu Pariſienſi, referente *Chopino lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 7. *num.* 3. *& Rebuff. in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 18. *&* 19. ſicuti etiam, non valent locationes prædiorum Eccleſiaſticorum, quæ repræſentatis penſionibus fiunt, in præiudicium ſucceſſoris, *d. Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 11. vbi & damnantur pariter locationes, factæ in anteceſſum, ſiue anticipationem.

§. DECIMVS-QVARTVS.

De alienatione per tranſactionem inducta.

1. *Per tranſactionem, alienatio rei Eccleſiaſticæ, fieri non poteſt, niſi ſeruatis ſolemnibus.*
2. *Probatur pluribus argumentis, & auctoritatibus.*
3. *Excutitur fauor tranſactionis, moribus noſtris inductus.*
4. *Tranſactio omnium contractuum nomen, & naturam induit.*

1. SEd an per tranſactionem, alienatio fieri poſſit, aut quæ alienationis inſtar obtinet, locatio in longum tempus, aut emphiteuſis rei Eccleſiaſticæ, ſcio diſputatum fuiſſe, ſed verius eſt, ne ſub prætextu quidem tranſactionis, contractum de iure prohibitum celebrari poſſe, niſi in tranſactione, eadem interuenerint, quæ in qualibet alienationis ſpecie, ſunt neceſſaria.

2. Et illud quidem probatur, argumento *cap.* 1. *de tranſact. legis* 1. §. *at ſi tranſegit ſi quid in fraudem patron. legis nullis dig. de tranſact. & ibi gloſſa*, & hanc ſententiam tuetur, *Chopinus lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 7. *num.* 4. *& Rebuffus in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 12. *Duarenus lib.* 7. *de ſacr. eccleſ. miniſt. cap.* 9. *ſub finem, Redoanus in tract. alien. rer. eccleſ. quæſt.* 2. *num.* 2. *& quæſt.* 51. *cap* 17. *num.* 1. *&* 2.

3. Nec dimouere poteſt, quod maximùs ſit fauor tranſactionum, vt pote, quæ componendarum, & terminandarum litium cauſa, introductæ ſunt, quas maximè clerici, execrari debent, maiorque, conſtitutionibus Regum noſtrorum datus ſit, qui tranſactiones, nullo principis beneficio, reſcindi voluerint, ſic edicente Carolo IX. in ſanctionibus anni 1560. *art.* 4.

4. Namque illud in aperto eſt, quod cum tranſactio, non ſit aliquod ſpeciale nomen contractus, ſed in omnes tranſeat, omniumque alienationum formam, & naturam induat, adeo vt tranſactione, emptio venditio, locatio, emphiteuſis, diuiſio bonorum, & alij contractus peragi poſſint, ideo cæterorum contractuum, & alienationum conditionem ſortitur, iiſdemque regulis, & legibus interpretenda eſt, & decidenda, vnde cum tranſactio, alienationem rei Eccleſiaſticæ contineat, iiſdem ſolemnitatibus inniti debet, ac cæteræ alienationis ſpecies.

§. DECIMVS-QVINTVS.

De rerum permutatione.

1. *Permutatio rei Eccleſiaſticæ, cum minore, vel æquali prohibita.*
2. *Permutatio rei Eccleſiaſticæ, cum principe facta, etiam cum re inæquali, prohibita.*

3. Nota

Digitized by Google

3. Nota ad authenticam ſed & permutare cod. de ſacroſ. Eccleſ.
4. Nota generalis ad quaſlibet authenticas.
5. *Eccleſiæ inter ſe, res ſuas permutare poſſunt, æqualitate ſeruata.*
6. *Curare debet, qui æquandæ permutationi pretium addidit, vt illud cedat Eccleſiæ commodo.*

1. QVid dicendum de permutatione, niſi quod in vniuerſum prohibita eſt, vt quælibet alia ſpecies alienationis, *cap. nulli de reb. eccleſ. alien. can. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. etiam ſi res, quæ ad Eccleſiam, ex cauſa permutationis peruenit, ſit æqualis valoris ac ea, quæ ab Eccleſia recedit, cum enim nulla ſit vtilitas Eccleſiæ, aut neceſſitas, quæ in omni alienatione, interuenire debent, dicendum eſt, permutationem nullius eſſe momenti, *d. can. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2.

2. Excipiuntur duo caſus, quibus ſufficit, in permutatione, nullum damnum Eccleſiæ verſari, vnus eſt, ſi princeps cum Eccleſia, permutationem faciat *cap.* 1. *de rer. permutat. can. ea enim* §. *ſed & permutare* 10. *quæſt.* 2. qui ſumptus eſt, ex *Authentica ſed & permutare cod. de ſacroſ. eccleſ.* licet in *d. cap.* 1. *de rerum permut.* illud idem referatur, tanquam ex Siluanectenſi Concilio deſumptum, ſed enim in notis, à Romanis Emendatoribus, deducitur origo ex *d. authentica.*

3. Et tamen, vt notat Anaſtaſius Germonius *tit. de rer. permut.* non reſpondet ſententię Iuſtiniani, in *nou.* 7. *cap.* 2. §. *ſi minus igitur*, ex qua deſumpta eſt, vbi videtur exigere Imperator, vt in hoc contractu permutationis, cum principe inito, melior fiat conditio Eccleſiæ, *quid enim*, inquit, *cauſetur Imperator, ne meliora det, cui plurima dedit Deus habere, & multorum Dominum eſſe, & facile dare, & maximè, in ſanctiſsimis eccleſiis, in quibus optima menſura eſt, donatarum rerum immenſitas.*

4. Sed & conſequenter, ibidemque notat Anaſtaſius Germonius, non ſemper nec facile credendum, ipſis authenticis, in corpore iuris relatis, quæ plerumque ita ſucciſæ, & reſectæ ſunt, ab Irnerio earum abbreuiatore, & collectore, vt Nouellis Iuſtinianeis, vnde deſumptæ ſunt, non ſatis fœliciter reſpondeant, & propterea monet, ex ipſis nouellis, tanquam ex fonte puriori, ius eſſe exhauriendum.

5. Secundus caſus eſt, ſi Eccleſiæ, res ſuas inuicem permutent, tunc enim ſatis eſt, æqualitatem ſeruari, pecuniâ, inæqualitatem ſi quæ fuerit compenſante *cap. ad quæſtiones de rer. permut. Panormit. in capit. cum eſſes de teſtam. num.* 31. *Couarruu. lib.* 1. *var. reſol. cap.* 5. *num.* 9. *Boet. Epo in ſaturn permut. genere ad cap. cum olim de rer. permut. num.* 100.

6. Sed quia hyperocha, ſeu ſupplementum valoris, & æſtimationis, idiotiſmo noſtro Gallico dicimus, *la plus value*, rei permutatæ locum ſubit, vtique vigilare debet, & curare Eccleſia, quæ illud addere debet, vt commodo, & vtilitati, compermutantis Eccleſiæ cedat, ſiue æri alieno, vtiliter ab Eccleſia contracto, diſſoluendo, ſiue in comparationem prædiorum, ipſi Eccleſiæ vtilium, vt ſuprà admonuimus.

---

§. DECIMVS-SEPTIMVS.

De pignoribus, & hypothecis.

1. *An hypotheca, alienationis nomine, ſit æſtimanda.*
2. *Hypotheca non eſt alienationis ſpecies, propriè ſumpta.*
3. *Hypotheca rei Eccleſiaſticæ prohibita.*
4. *Specialis hypotheca prohibita, in* cap. nulli de reb. eccleſ. alien.
5. *Generalis non item, quia minus rem afficit.*
6. *Prælatus, obligando res Eccleſiæ, non præſumitur obligaſſe, ſpecialiter dicatas.*
7. *Res mobiles Eccleſiæ, & ſacræ, difficilius pignori ſubiiciuntur, quam immobiles.*
8. *Probatur differentia, exemplis in id relatis.*
9. *Quibus caſibus res mobiles Eccleſiæ, & ſacrę, pignori ſubiiciantur.*
10. *Excutitur decretum curię Pariſienſis, de luendo pignore rei ſacrę.*

Digitized by Google

1. SVpereſt vt dicamus, de hypotheca rerum Eccleſiaſticarum, nam & hæc, alienationis verbo contineri dicitur, in *cap nulli de reb. Eccleſ. alien. vel non, & in nou. 7. §. alienationis, & §. quia vero leonis, & in rubrica dig. & cod. de reb. mim. non alien. vel ſuppon. itemque lege Iulia de fundo dotali*, cuius diſpoſitione, quamuis res dotalis, conſentiente vxore alienari poſſet à marito, tamen, nec eadem aſſentiente, hypothecę dari poterat.

2. Et tamen certum eſt, pignus non eſſe alienationem, cum alienatio propriè ſumpta, ſit contractus, per quem dominium transfertur, *lege 1. cod. de fundo dotali*, atqui rei pignori datæ dominium, manet penès debitorem, *lege pignus cod. de pign. act.* & ideo alienatio non videtur, *lege alienatum 67. dig. de verb. ſignif.*

3. Sic itaque ſtatuendum eſt, hypothecam, vel pignus, non eſſe alienationem, ſed tamen prohibita alienatione, fauore alicuius, vt puta Eccleſiæ, vel pupilli, & hypothecam prohibitam cenſeri, quoniam per eam, ad alienationem facile peruenitur, ad hoc enim contrahitur hypotheca, vt non ſoluta ad diem pecunia, diſtrahatur, tum quia hypotheca, ius in re transferre ſoleat, quod pars eſt quædam dominij.

4. Verum non omnis, rerum Eccleſiaſticarum hypotheca, prohibita eſt, ſed ſpecialis tantum, per quam fundus aliquis, aut res alia certa, pignori vel hypothecæ datur, *d. cap. nulli*, in quo ſpecialis hypothecæ mentio habetur, *Redoan. in tract. alienat. rer. eccleſ. quæſt. 2. cap. 7. num. 12.*

5. Et à contrario ſenſu colligunt, Prælatum Eccleſiæ, non prohiberi, pro obſeruatione contractus, quem nomine Eccleſiæ celebrat, bona eius, generaliter obligare *Panorm. ibidem, & cap. 2. de precar. Couarru. lib. 2. var. reſolut. cap. 16. num. 7.* vbi notat, ſpecialem hypothecam, magis rem afficere, quam generalem, argumento *leg. 3. cod. de ſeru. pign. dat. manum.* ex quo patet, ſeruum ſpeciali hypothecæ ſuppoſitum, manumitti non poſſe, cum alias, generali hypothecæ ſubmiſſus, libertate donari poſſit.

6. Nec tamen exiſtimandum eſt, hac generali obligatione contineri, res quas credibile eſt, prælatum ſpecialiter obligaturum non fore, vt calices, vaſa ſacra, aliaque mobilia, diuino cultui deſtinata, imo res ipſæ mobiles clericorum, quæ quotidianis vſibus deſeruiunt, nec eorum libri, pignori capi poſſunt, tametſi non dubitem, pignori dari poſſe, *Ioann. Papo lib. 1. rapſod tit 5. art. 8.* argumento *legis 6. dig. de pign. & hypoth.*

7. Et certè conſtat, hęc difficilius obligari, quam ea, quę ſunt iuris profani, veluti domus, vel vineę, prata, ac ſimilia, ſi quidem hęc non tantum ex cauſa neceſſitatis, ſed etiam vtilitatis, alienari, necdum obligari poſſunt, adhibita iuris ſolemnitate, vt ſuprà diximus.

8. Hęc vero, non niſi iuſtiſſima neceſſitate vrgente, veluti ob redemptionem captiuorum, aut alimoniam pauperum, tempore famis, *cap. 1. de pign. lege Sancimus nemini cod. de ſacroſ. eccleſ can. ſicut omnino can. aurum, & ſequenti 12. quæſt. 2.* quas ob cauſas, eaſdem res alienari poſſe, monui ſupra, initio huius capitis.

9. Sed meminiſſe oportet, iuſtiſſimam debere eſſe neceſſitatem, non qualem qualem, vt Couarruuias docet *lib. 2. var. reſol. cap. 16* quem velim conſuli, non omittam tamen hoc loco, quod relatum eſt, à Papone *lib. 1. rapſod tit. 1. art. 8.* ſenatum decreuiſſe, calicem à religioſo quodam, ſorori ſuæ, ob creditam pecuniam obligatum, poſt mortem eius, abbati reſtituendum, ita demum, ſi pecuniam, pro qua obligatus fuerat, creditrici ſorori exſolueret.

10. Nec vero dubito, quin ideo ſenatus, pignus luendum eſſe decreuerit, quod abbas, calicem illum, iure peculij, ad ſe pertinere diceret, nec enim ęquum eſſe, peculium defuncti, ſine onere ęris alieni, ad eum reuerti, argumento *cap. ex præſentiam de pign.* Couarruuias *in capit. 1. de teſtam. numero 13. & 14.* peculij enim occupatio, eſt quędam ſucceſſionis ſpecies, quę etiam, æris alieni luendi neceſſitatem transfert.

Digitized by Google

§. DECIMVS-SEPTIMVS.

An Clerici vſuariis, aut fructuariis ſimiles, ſeu de peculio Clericorum.

1. *Ordo & ſeries huius diſputationis, & cum præcedenti connexio.*
2. *Beneficiati curam animarum exercentes, vſufructuarÿ dum valent, in infirmitate conſtituti vſuarÿ ſunt.*
3. *Compares facti latinis libertis, vt viuant vt liberi, ſed moriantur vt ſerui.*
4. *Simplices beneficiati, ſimiles Romana libertate donatis, vt viuant, & moriantur vt liberi.*
5. *Gloſſa beneficiatos indiſtinctè aſſerit eſſe vſuarios tantum.*
6. *Quomodo Clerici vti debeant rebus Eccleſiaſticis.*
7. *Viuere debent de altari, non luxuriari.*
8. *Superflua redituum beneficij extra victum & veſtitum, pertinent ad pauperes.*
9. *Huic ſententiæ aptatur D. Hieronimi & Auguſtini locus.*
10. Nota ad can. Apoſtolicos 12. quæſt. 2.
11. *An extra neceſſarios vſus, fructus beneficiorum conſumentes, eximantur à peccato.*
12. *Impugnatur affirmatiua opinio vt ſeuerior.*
13. *Beneficiarios minus quam fructuariis, amplius quam vſuarios eſſe tractatur.*
14. *Beneficiarij non tanquam Domini, ſed tanquam adminiſtratores.*
15. *Beneficiarÿ fructus conſumptione non perceptione ſuos faciunt.*
16. *Non qualibet conſumptione, ſed victui & veſtitui neceſſaria.*
17. *Ædificium ex re Eccleſiæ exſtructum cedit Eccleſiæ*
18. *Quod ſupereſt redituum victu & veſtitu deducto, in fabricam impendendum.*
19. *De rebus ex pecunia Eccleſiæ quæſitis, beneficiati tantum eleemoſinæ intuitu diſponere poſſunt.*
20. *An res empta ex pecunia Eccleſiæ ſit Eccleſiaſtica.*
21. *Qui acquiſiuit res ex pecunia Eccleſiæ, nulli donare poteſt.*
22. *An de rebus Eccleſiæ nomine aut occaſione comparatis, Clerici diſponere poſſint.*
23. *Tentatur nec ſimplices beneficiarios, de bonis per Eccleſiam quæſitis, diſponere poſſe.*
24. *Quilibet beneficiarius, de bonis aliunde quæſitis, libere diſponere poteſt.*
25. *Res beneficiario quæſita, vnde quæſita preſumatur.*
26. *Quod à Clerico bona propria & Eccleſiaſtica habente adquiritur, fit commune inter ipſum & Eccleſiam.*
27. *Vbi pluribus Eccleſiis præficitur inter eas diuidi debet.*
28. *Ratio huius communionis præſumptę adducitur.*
29. *Vbi ignoratur an Clericus patrimonium habuerit, præſumptio eſt pro Eccleſia.*
30. *Probatur argumento deſumpto ab vxore.*
31. *Aliud in tutore ſeruatur iure ciuili.*
32. *Ratio diuerſitatis inter tutorem, Clericum, & vxorem.*
33. *Poſſeſſio rei quęſitę licet ab hęrede, non tollit pręſumptionem, Ecclesię gratia inductam.*
34. Nota ad cap. nulli 12. quæſt. 5.

35. *Clerici de his quæ ex profeſſione, aut miniſterio adquiſierunt, libere diſponere poſſunt.*
36. *Probatur argumento peculij caſtrenſis vel quaſi.*
37. *Diſtributiones quotidianæ intereſſentibus pleno dominio adquiruntur.*
38. *Diſtributiones quotidianæ neque pignori obligari, neque capi poſſunt.*
39. *Probatur beneficiarios amplius quam vſuarios eſſe.*
40. *Locatio à Clerico facta rei Eccleſiaſticæ, quamdiu duret.*
41. *Diſtinguitur vtrum nomine proprio, an Eccleſiæ à Clerico facta ſit.*
42. *Viuentibus Clericis, amplior diſponendi facultas, quam morientibus.*
43. *In ægritudine conſtituti, eleemoſinæ intuitu tantum diſponere poſſunt.*
44. *Ratio diſtinctionis affertur & probatur.*
45. *Viuentes poſſunt plene diſponere modo in pios vſus.*
46. *Poſſunt ſeruos Eccleſiæ manumittere, & manumiſſis aliquid donare, imo & iura patronatus remittere.*
47. *De rebus Eccleſiæ teſtari non poſſunt niſi tantumdem erogauerint.*
48. *An ſummus Pontifex dare poſſit licentiam teſtandi.*
49. *Tentatur à Couarruuia id poſſe, & quibus rationibus.*
50. *An habens teſtandi facultatem, ſi nullo facto teſtamento deceſſerit, tranſmittat bona ad heredes.*
51. *Qui non vtitur conceſſa teſtandi facultate, relinquit bona diſpoſitioni iuris communis.*
52. *An qui propria habet, & Eccleſiaſtica bona, ex propriis, an Eccleſiaſticis ſibi ſubuenire debeat.*
53. *Ratio dubitandi affertur, & diſcutitur.*
54. *Ratio decidendi pariter examinatur.*
55. *Qui propria habet, vndè ſibi ſubuenire maluit, de fructibus beneficiorum, ſeruatis diſponere poteſt.*
56. *An qui ex propriis bonis res Eccleſiæ reſtituerit, impenſum repetere poſſit, aut heredes ab Eccleſia.*
57. *Diſtinguendum an animo repetendi fecerit, nec-ne.*
58. *An fructus beneficiorum pignori obligari, aut capi poſſint, & quomodo.*
59. *Probatur nec pignori obligari, nec capi poſſe, aut debere.*
60. *Probatur pignori obligari, vbi in cauſam victus aut veſtitus debitum impenſum eſt.*
61. *Confirmatur auctoritate* capit. olim de reſtitut. ſpol.
62. *Probatur ex alia quacumque cauſa, fructus beneficiorum, pignori obligari non poſſe.*
63. *Quid ſeruetur in Gallia in fructibus beneficiorum pignori dandis, vel obligandis.*
64. *Quis pignori capiendos beneficiorum fructus iniungere poteſt.*
65. *An mobilia Clericorum pignori capi poſſint, & quę.*
66. *Decedens inteſtatus Clericus, in iis quę ex bonis Eccleſiæ quæſita ſunt, Eccleſiam relinquit heredem.*
67. *Decedens in Cathedrali aut colligiata Eccleſia Collegium, aut capitulum relinquit heredem.*
68. *Id ſeruatur etiamſi ex maſſa communi, quid priuatim ex ſtatutis Eccleſiæ poſſideat.*
69. Nota ad capit. vlt. de offic. ordinar. in 6.
70. *Prelatus non cenſetur de Collegio, vt decedenti ſuccedat Collegium.*
71. *Probatur argumento diuiſionis menſę Epiſcopalis, & capitularis.*
72. *Examinatur diſtributio fructuum beneficiorum ſecundum* extrauag. ſuſcepti de elect. *facta.*

Digitized by Google

73. *Quæ aliunde, quam ex bonis, vel intuitu Eccleſiæ, Clerico adquiruntur, cognatis debentur.*
74. *Vbi Clericus, nullos cognatos habens decedit, ſuccedit Eccleſia, tanquam vir & vxor.*
75. *Succedit & tanquam fiſcus Eccleſia.*
76. *An Clericus, nullos cognatos habens inſtituere poſſit extraneos in propriis.*
77. Nota ad cap. ſi quis Epiſcopus de heret. & can. Epiſcopus qui filios 12. quæſt. 2.
78. *Quid ſeruetur in Gallia circà ſucceſſionem Clerici abſque cognatis decedentis, vel peregrini, vel illegitimi.*
79. *Damnato ex crimine Clerico, cui bona adquirantur.*

1. HÆc quæ hactenus dicta ſunt, de alienatione, ac pigneratione rerum Eccleſiaſticarum, deque variis contractuum generibus, quibus illæ commercio ſubiiciuntur, ſatis oſtendunt eos, qui beneficia Eccleſiaſtica poſſident, non eſſe earum rerum dominos, ſi quidem dominium penes Eccleſiam reſidet, vt probatum eſt initio huius capitis, ſed eſſe fructuarios, aut vt alij volunt, vſuarios tantum, eſt enim inter iuris Pontificij doctores, circa hanc quæſtionem maxima diſſenſio.

2. Vulgaris enim opinio Canoniſtarum hæc eſt, differentiam eſſe, inter beneficiarios, curam animarum, vel adminiſtrationem habentes, & eos qui ſimplex beneficium poſſident, illos, dum valent, eſſe tanquam fructuarios, ſic, vt de fructibus beneficiorum ſuorum diſponere poſſint, in infirmitate autem conſtitutos, ex qua mors ſequuta ſit, vt vſuarios tantum, ad eum ſaltem effectum, vt fructùs beneficiorum ſuorum etiam perceptos, ad heredes tranſmittere nequeant.

3. Et ita ſimiles factos eſſe volunt iis, qui in iure ciuili, latina libertate donati erant, quorum ea erat conditio, vt viuerent quidem vt liberi, morerentur vero vt ſerui, vt habetur in *lege vnica cod. de latina lib. toll.* quod appoſitè & ad rem beneficiatis applicat, *gloſſa pragm. ſanct. tit. de annat. §. item quod in verbo adquiſitos, & ibi Probus addit. 2.*

4. Simplices vero beneficiarios, vt canonicos, & capellanos, & in vita, & in morte, fructuarios cenſeri, ſic, vt de fructibus teſtari poſſint, compares facti, libertis Romana libertate honoratis, qui dum viuerent, & morerentur, eadem vtebantur libertate, & facultate diſponendi, & hanc diſtinctionem probat *gloſſa in cap. præſenti de offic. ordin. in 6.* cuius & meminit *Chopinus lib. 3. de ſacr. polit. tit. 1. num. 23. in Margine Heſtienſis in cap. vlt. de pec. cler.*

5. Verum & aliàs, gloſſa indiſtinctè aſſerit, clericos habentes beneficia, eſſe vſuarios tantum, in *cap. quod nos in verbo teſtamentum de teſtam. & capit. vlt. in verbo obitus de pecul. cler. cap. cum conſtet in verbo fruatur de pign. & cap. cum olim in verbo definitiuum de rer. permut. gloſſa in can. duo ſunt in verbo proprietatem 12. quæſt.* 1. & huic poſteriori ſententiæ Panormitanus accedit in *2. repetit. cap. cum eſſes de teſtam.* vbi latè hac de re diſputat, & hanc communem eſſe opinionem, probat Boetius Epo, ita vt contrariam, hæreſeos in iure Pontificio inſimulet, in *tract. de iure prouent. Eccleſ. ad cap. 1. de teſt. num. 68. in ſintagm.* 1. *antiq. Eccleſ.*

6. Verius eſt tamen, clericos in beneficiis, nec prorſus fructuarios eſſe, & aliquid amplius, quam vſuarios habere, vt mox oſtendam, hoc generaliter præmiſſo, in bonis, & rebus Eccleſiaſticis, nihil amplius iuris, clericis conceſſum eſſe, quam vt inde ſe tueantur, & vitæ neceſſaria comparent, & ſi quid ſupereſt, pauperibus diſtribuant, *can. quia tua in fine can. videntes, & can. illi 12. quæſt. 1. can. 1. 44. diſtinct.*

7. Namque apte & in eam ſententiam ſic eloquitur D. Hieronimus *tibi, ô ſacerdos, de altari viuere, non luxuriari permittitur,* & alibi, *aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria, ſibi retinere probatur*, can. 1. § ordinandus 42. diſtinct. D. Bernardus epiſt. 2. *quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum ſimplicem, de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt, teſte Couarru. in cap. cum in officiis num. 3. de teſtam. & Duareno in tract. de ſacr. eccl. miniſt. lib. 2. cap. 4.* vbi plura exempla refert eorum, qui de rebus Eccleſiæ, præter victum, & veſtitum, nihil attingebant.

8. Quod autem dico, ſuperfluum illud, pauperibus eſſe diſtribuendum, conſtat, ex *can. Epiſcopus 12. quæſt. 1. & can. Epiſcopus 10. quæſt. 2. idem Bernard. epiſt. 42. clamant* inquit,

pauperes, noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis.

9. Et ita exaudiendum illud D. Hieronimi in *cap. vlt. 16. quæſt. 1. quidquid habent clerici pauperum eſt*, quod aperte D. Auguſtinus explicat in *can. quod autem 23. quæſt. 7. ſi pauperum, comp auperes ſumus, etiam noſtra ſunt & illorum. Sin autem priuatim, quæ nobis ſufficiunt, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem, quodammodo gerimus, non proprietatem vſurpatione damnabili vindicamus.*

10. Verum & his adde, quod dicitur in *can. Apoſtolicos 12. quæſt. 2.* reditus Eccleſiaſticos, ad propriam Epiſcorum vtilitatem, & ob eſcam pauperum, & ſuſtentationem peregrinorum, eſſe deſtinatos, quorum rectè quidem procurationem, ſeu diſpenſationem, beneficiarij habere dicuntur *cap. vlt. 12. quæſt. 1. can. Epiſcopus 14. quæſt. 1. can. in omnibus 16. quæſt. 1. can. ſacerdos 1. quæſt. 2. can. expedit. 12. quæſt. 1. can. Epiſcopus in fine eod.*

11. Quod adeo verum eſt, vt plerique exiſtiment, clericos in peccatum mortale incidere, ſi in profanos vſus, fructus beneficiorum expendant, aut teſtamento, heredibus eos relinquant, à quo peccato, non eximuntur, vi generalis conſuetudinis, quæ in Gallia inualuit *gloſſa pragm. ſanct. tit. de annat. §. item quod in verbo adquiſitos*, & nonnulli etiam reſtitutioni obnoxios eſſe affirmant.

12. Et tamen hanc poſteriorem opinionem, vt duram nimis, & ſeueram, puta quæ neceſſitatem reſtitutionis inducat, improbare conatur *Couarrunias in capit. cum in officiis num. 3. de teſtam.* & ex eiuſdem mente *Boet. Epo in tract. de iure prouent. Eccleſ. ad cap. 1. de teſtam. in ſintagm. 1. antiq. eccleſ* vtramque tamen opinionem, tuetur & defendit *Guilelmus Redoanus in tract. de ſpol. eccleſ. quæſt. 3. num. 37. & ſeq.* ſed tandem poſteriori magis adhęret.

13. Hoc itaque præmiſſo, oſtendo beneficiarios omnes, minus quam fructuarios, amplius quam vſuarios eſſe, nam fructuarij, non tantum ius quod habent, aliis locare poſſunt, ſed & vendere, & donare, vſuarij vero hæc facere nequeunt, ſed ad vſum quotidianum vti *inſtit. de vſu & habit.* atquin beneficiarij, locare quidem ac vendere, imo donare poſſunt.

14. Nec tamen vt domini illud exequuntur, ſed vt adminiſtratores, & diſpenſarores bonorum Eccleſiaſticorum tantum, ſic, vt ſuis neceſſitatibus, ante omnia prouidere poſſint, tum vero ſi quid ſupereſt, in pauperum alimenta, & Eccleſiæ vtilitates, conuertere debeant, quod ex præcedentibus liquet, & maximè ex *d. can. Epiſcopus 12. quæſt. 1. d. can. nulli in fine 12. quæſt. 1.*

15. Ne dixeris ergo beneficiarios, fructus beneficiorum ſuos facere, vt faciunt fructuarij, cum eos perceperint, *lege arboribus §. Iulianus dig. de vſufr. & lege ſi fructuarius 13. dig. quib. mod. vſufr. finit.* aut pretium, ex diſtractione eorum redactum, ſibi adquirere, non magis quam tutores, aut negotiorum geſtores, excepto eo, quod hi de rebus, pupilli, vel eius, cuius negotia gerunt, vitæ neceſſaria, percipere nequeunt, quod tamen beneficiarij poſſunt.

16. Verum vt probem beneficiarios, perceptione fructuum, non fieri dominos, ſed conſumptione tantum, non qualibet, ſed ad victum, veſtitumque ſufficienti, adduco textus ſuprà citatos, & maximè *can. Clericus in fine, can. duo ſunt, & can. Epiſcopus 12. quæſt. 1.* facit etiam *capit. ratio de præb.* vbi dicitur, id quod communi vtilitati datum eſt, non eſſe propriis, cuiuſque vſibus applicandum, quo loco agitur de præbendis, & earum fructibus.

17. Sed & illud adeo verum eſt, vt quamuis in ædificationem, aut conſtructionem monaſterij, reditus bonorum Eccleſiaſticorum, impendantur, ipſum monaſterium Eccleſiæ tradere teneatur, qui conſtruxit, ius patronatus, in eo habituræ, *can. Apoſtolicos in fine 12. quæſt. 2. & ibi gloſſa in verbo conſtruxiſſe*, ex quo concludit eadem gloſſa, & in notatis in Margine ædificium ex pecunia, vel reditibus Eccleſiæ ſeruatis, & ſuperfluis conſtructum, Eccleſiæ ipſi cedere, non ædificanti, quamuis in ſolo, quod non ſit Eccleſiæ.

18. Idem etiam probatur, ex eo, quod reditus beneficiorum ſuorum, in fabricam, & conſtructionem Eccleſiæ, ſiue reparationem, impendere teneantur, ſi quid deducto victu, aut veſtitu eis ſupereſt, *cap. vlt. de his quæ fiunt à mai. parte cap. & capit. de his de ædif. repar. eccleſ. Chop. lib. 1. monaſt. tit. 3. num. 24. ſub finem*, cui accedit Tridentina ſynodus *ſeſſ. 21. cap 7. & ſeſſ. 24. cap. 13. de reformat.*

19. Et ob eam cauſam, de fructibus beneficiorum, deque eo, quod ex prouiſione Eccleſiæ, ad eos peruenit, diſponere non poſſunt, niſi intuitu eleemoſinæ, neque inter viuos, neque teſtamento, *can. Epiſcopi 12. quæſt. 1. capit. ad hæc, & ſeq. de teſtam. nou. 131. §. interdicimus*, & quod dico inter viuos, ſatis probatur ex eo, quod ſupra dictum eſt, quidquid deducto victu aut veſtitu, illis ſupereſt, in pauperes, aut alios pios vſus, erogandum eſſe

capit. vltim 12. quæſtione 1. & aliis locis ſupra citatis.

20. Adeoque verum eſt fructus beneficiorum, non eſſe proprios ipſorum, qui eos percipiunt, vt quamuis ex pretio eorum, aliquid emerint, ſuo, vel alieno nomine, id quod emptum eſt, non ipſi qui emit, aut ei cuius nomine emptum eſt, ſed Eccleſię adquiratur, *cap. 1. in fine de teſtam. can. placuit 12. quæſt. 3. can. fixum, cauſa eadem quæſt. 5. cap. inquirendum de pecul. cler. Couarru. ad d. cap. 1 de teſtam. num. 1. Boet. Epo in ſintagm. de iure prouent. eccleſ. ad d. cap. 1. de teſtam. num. 111.*

21. Sed neque is qui adquiſiuit, cuiquam donare, aut de eo teſtari poteſt, *can quicumque 12. quæſt. 4. cap. quia nos de teſtam. Aut. licentiam cod. de Epiſc. & cler.* & quamuis res empta ex pecunia aliena, regulariter emptori adquiratur *lege ſi ex ea cod. de rer. vindic.* tamen hoc fallit fauore Eccleſię, *gloſſa in canone Apoſtolicos 12. quæſtione 2. in verbo conſtruxiſſe.*

22. Sic etiam fallit fauore militis, & pupilli, vel minoris, *lege ſi vt proponis eod. lege 5. cod. arbitr. tutelæ lege 2. dig. quando ex facto tut. vel cur.* cuius iure vtitur Eccleſia *capit. auditis de reſtit. in integr.* ex quibus omnibus patet, beneficiarios, de fructibus beneficiorum, qui deducto victu veſtituque ſuperſunt, deque bonis per Eccleſiam, ſeu occaſione Eccleſiæ quæſitis, diſponere non poſſe.

23. Nec vero diſtinguendum eſt, vtrum is qui diſponit, adminiſtrationem habuerit, nec-ne, qua tamen diſtinctione, plerique vtuntur, *Couarru. in d. capit. 1. num. 5. de teſtam.* nam etiam ſimplices beneficiarios, de fructibus, & bonis, Eccleſiæ occaſione quæſitis, teſtari non poſſe, conſtat ex *d. cap. relatum 2. verſ. nonne autem ibi ſucceſſor clerici iuncto capit. in officiis de teſtam. Boet. Epo in ſintagm. de iure prouent. Eccleſ. ad capit. 1. de teſtam. num. 78. & ſeq.*

24. Ex diuerſo autem conſtat, omnes omnino, de rebus quas aliunde, quam occaſione Eccleſiæ habuerint, non tantùm inter viuos, ſed etiam teſtamento, diſponere poſſe, *can. nulli, & d. can. fixum 12. quæſt. 5. d. can. placuit 12. quæſt. 3. d. can. Epiſcopus, & can. ſunt manifeſtæ 12. quæſt. 1. cap. 1. de teſtam.* quia ſic quæſita, extra bona Eccleſię eſſe cenſentur, atque etiam, pleno & libero iure, clericis adquiruntur.

25. Sed & hac diſtinctione admiſſa, inter res Eccleſiæ occaſione quæſitas, & eas, quę aliundè obuenerunt, adhuc dubitari ſolet, quid ſit dicendum de his, de quorum origine non conſtat, vtrum ab Eccleſia, an aliunde, ad beneficiarios peruenerunt, ad quam quæſtionem, videndus latè diſſerens, *Panormitanus in cap. cum eſſes de teſtam. num. 21. & ſeq. & Couarru in cap. 1. de teſtam. num. 6. item Guilelmus Redoanus in tractatu de ſpoliis Eccleſ. quæſt. 9. ex quibus præſumatur Clericus adquiſiſſe num. 31. & ſequ. Boet. Epo ad cap. 1. de teſtam. numero 108.*

26. Huius autem dubitationis tollendæ cauſa, multum intereſt ſcire, an beneficiarius, ante beneficium adeptum, bona propria habuerit, nam ſi conſtat eum habuiſſe, & tamen incertum ſit, vtrum ex propriis, an ex Eccleſiæ bonis, aliquid adquiſierit, dicendum eſt, id quod adquiſiuit, commune eſſe inter Eccleſiam, & heredes defuncti, quaſi de vtriuſque bonis quæſierit, ruſticorum more obſeruato in dubiis, vt ambiguitatis tollendæ cauſa, diuidatur res, de qua quæritur, argumento *legis ſi paterfamilias 40. iuncta lege, & hoc Tiberius 41. dig. de vulg. & pup. ſubſtit.*

27. At vero ſi plures ſint Eccleſiæ, in quibus beneficia habeat, qui adquiſiuit, inter eas, & heredes diuiditur, *capit. relatum, in fine de teſtam.* quaſi de vtroque patrimonio, pro rata cuiuſque adquiſitum, *can. ſacerdotes 12. quæſt. 4. §. ſi vero Couarru. in cap. 1. de teſtam. num. 10. & Panormitanus in cap. cum eſſes de teſtam. num. 24. Boet. Epo in ſintagm. de iure prouentuum eccleſ. ad d. capit. relatum 12. de teſtam. num. 56. & ſeq.*

28. Namque illud imputatur defuncto, quod non diſtinxerit patrimonium ſuum, à patrimonio Eccleſiæ, nec inſtrumentum confici iuſſerit, ex quo apparere poſſit, quid ſit proprium, & quid non, vnde quidam exiſtimant, eum debere inſtrumentum facere, ſeu inuentarium, *Couarruuias in cap. 1. de teſtam. num. 9. can. ſunt manifeſtæ 12. quæſt. 1. & d. can. ſacerdotes in principio. Boet. Epo in ſintagm. de iure prou. Eccleſiaſt. ad d. capit. 1. de teſtam. numero 110.*

29. Si vero non conſtet, vtrum beneficiarius, aliquid proprium habuerit, tum præſumitur, de bonis Eccleſiæ, argumento *cap. 1. de pecul. cler & can. placuit 12. quæſt. 3. lege Quintus mutius 51. de donat. inter vir. & vx. & lege etiam 6. cod. eodem*, quibus ſtatuitur, non eſſe ignotum, cum dubitatur, vnde vxor matrimonij tempore, aliquid quæſierit, id ex bonis mariti quæſiiſſe cenſeri.

30. Sed & earum legum diſpoſitionem, huic noſtræ ſententiæ, & opinioni confirman-

Digitized by Google

dæ, accomodat Ioannes Andræas, *ad d. cap. 1. de pecul. cler. gloſſa ibidem in verbo debent, & Guilelmus Redoanus in d. tractatu de ſpoliis eccleſ. quæſt. 9. num. 31. & ſequent.* & rectè, cum ſit quoddam ſpiritale matrimonium, inter beneficiatum & Eccleſiam contractum, *cap. inter corporalia de tranſlat. epiſc.*

31 Quamuis autem in pleriſque, pupillus, & Eccleſia, pari paſſu ambulare ſoleant, adeo vt Eccleſia, minorum iure, ſæpiſſimè vti dicatur, *cap. auditus de reſtit. in integrum*, non tamen in pupillo, idem obſeruandum eſt, quod in Eccleſia ſeruari diximus, licet tutor ad tutelam vocatus, nihil habuiſſe probetur, ante ſuſceptam tutelæ adminiſtrationem.

32. Nec enim ex eo pupillus, res & facultates, tutoris induſtria quæſitas, vel eo ſolo prætextu ſibi vindicare poteſt, cum in illo turpis lucri, aut fraudulenti, nulla verſetur ſuſpicio, vt in vxore dicitur in *dd. leg.* & in clerico, cui quælibet negotiatio interdicta eſt, vt paſſim in iure canonico probatur, & ſupra vidimus ad verba definitionis *cæleſtis cap. 1. de vit. & hon. cler* §. 1. *de cler. mercatore.*

33. Nec vero multum intereſt, vtrum Eccleſia, rem adquiſitam poſſideat, an beneficiarij heres, quia nemo ſibi mutare poteſt cauſam poſſeſſionis, *lege 3.* §. 19. *de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* nam & ſi *Gofredus Tranenſis in ſumma tituli de ſucceſſ. ab inteſt.* & plerique alij dicant, in dubio, pro poſſeſſore præſumi, idque probare conentur, *ex can. nulli 12. quæſt. 5.* tamen non omnino concludit argumentum.

34. Verum enim, nec ſola poſſeſſio, in illo cap. poſſidentem adiuuat, ſed fama quæ ad ſummum Pontificem perlata erat, quæque res illas, de quibus agebatur, ante adeptam dignitatem, à defuncto quæſitas ferebat, vt patet ex *epiſt. D. Gregorij ad Deodatum lib. 10. epiſt.* vnde ſumptus eſt, *d. can. nulli*, qui male apud Gratianum inſcribitur ad Lucidium, *Couarruu. in cap. 1. de teſtam. num. 8. & 9. Boet. Epo in d. ſintagmate de iure prou. eccleſ. ad capit. 1. de teſtam. num. 109.*

35. Cæterum, quæ de bonis propriis dicta ſunt, id eſt aliunde quam ab Eccleſia quæſitis, etiam locum habent in iis, quæ ex artificio, vel doctrina, ad aliquem peruenerint, nam & hæc propria eſſe cenſentur, & de his diſponere poſſunt, *cap. relatum 2. in fine de teſtam. cap. quia nos eod* idem dicendum de his, quæ ratione ordinis ſacri adquiſierint, veluti pro miſſis celebrandis, *Couarruu. in cap. 1. de teſtam. num. 11. Boet. Epo in cap. quia nos de teſtam. in ſintagm. 1. antiq. eccleſ. de iure prouent. eccleſ.*

36. Namque licet in iure ciuili, filiisfamilias teſtari non ſit permiſſum, *l. 6. dig. qui teſtam. facere poſſunt*, tamen de Caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi peculio, libere diſponere poſſunt, *l. 11. & 12 cod. eod.* quod & in clericis filiisfamilias ſtatuit, *lex 34. & 50. cod. de epiſc. & cler.* quia quantum ad peculium ſpectat, iure patrumfamilias vti ſolent, & libere teſtari poſſunt.

37. Idem etiam exiſtimandum eſt, de diſtributionibus quotidianis, quorum dominium & proprietas, non ad eccleſiam, ſed ad ipſos beneficiarios pertinet, *cap. vnico. de cler. non reſid. in 6.* & ratio eſt, quoniam hæ, clericis perſonaliter conceduntur, ob miniſterium, quod diuino cultui impendunt, Panormit. in *d. cap. cum eſſes de teſtam. num. 3. verſ. 5. Couarruu. in cap. cum in officiis num. 4. de teſtam. Redoan. de ſpol. eccleſ. quæſt. 9. num. 43.* atque etiam conſulendæ *deciſ. Rotæ tit. de præb. deciſ. 39.*

38. Et ob eam rationem inualuit, vt ab ipſis clericis, auferri non poſſint, nec pignori ſubiici, ſicut nec ſportulæ, aut ſtipendia, quæ deſeruientibus officiariis aſſignantur, quæ vulgo apud nos appellari ſolent *des eſpices & gages*, adeo vt, ſi à creditore, in cauſam pignoris capiantur, ab obligationis nexu ſolui, & eximi debeant, & tanquam liberæ, diuinis officiis intereſſenti clerico addici, argumento *legis 5. cod. quæ res pign. legis commodis dig. de re iud.*

39. Ex ſuperioribus ergo conſtat, quam verum ſit, quod ſupra dictum eſt, beneficiarios, fructus ex beneficiis perceptos, non facere ſuos, ac proinde non eſſe fructuarios, reliquum eſt vt probem eos, aliquid amplius iuris habere, quam vſuarios, quod non erit difficile, ſi quis meminerit, quod ſupra dictum eſt, vſuarios nec locare, nec vendere, nec donare poſſe, quod tamen beneficiarij facere poſſunt, non iam vt domini, ſed vt adminiſtratores tantum.

40. Et eò fit vt à locatio, beneficiario facta, tamdiu perſeueret, quamdiu beneficium retinet, & ideo morte ipſius locatio exſpirat, nec ſucceſſor ſtare tenetur, ſi tamen alij beneficium reſignauerit, ſucceſſor, qui ab eo ius habet, ſtare tenetur locationi, hoc enim iure vtimur in hoc regno, vt refert *Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 7. num. 6. in fine Lud. Car. lib. 11. reſponſ. cap. 46.*

41. Verum

Digitized by Google

41. Verum vt plurimum, diſtingui ſolet à Doctoribus, & interpretibus iuris canonici, vtrum locatio, nomine Eccleſiæ facta ſit, an nomine proprio, vt priore caſu, locatio morte beneficiarij non expiret, poſteriori vero finiatur, *gloſſa in capit. vlt. ne præl. vices ſuas, & Couarruu. lib. 2. var. reſol. cap. 15. in fine*, quia Eccleſia, quæ tunc conduxiſſe dicitur, adhuc remanet, nec morte prælati extinguitur.

41. Sed & illud in primis obſeruandum eſt, ipſos beneficiarios, quamdiu viuunt, & valent, de bonis Eccleſiæ, vt putà de fructibus beneficiorum ſuorum, aut mobilibus, quę occaſione Eccleſiæ adquiſierint, in pios vſus, ad libitum diſponere poſſe, *can. res Eccleſiæ 12. quæſt. 1. Panormit. in cap. cum eſſes num. 21. de teſtam. Boet. Epo in ſintagm. prouent. eccleſ. ad cap. 8. de teſtam. num. 3. & in cap. relatum 12. num. 235.*

43. At vero in ægritudine conſtituti, non pro libito, ſed moderate tantum, nec ratione teſtamenti, ſed intuitu eleemoſinæ, relinquere valent, *cap. ad hæc cap. relatum 2. § licet autem de teſtamentis*, & nota illud *moderate*, vnde à contrario ſenſu colligitur, in ſanitate conſtitutos, ſine modo donare poſſe, quod intelligi volo, de pia donatione, & ſic *d. capit. ad hæc de teſtamentis*, interpretationem ſuam recipere debet, ex *cap. relatum*, vt obſeruat ibidem Boet. Epo.

44. Sed cur inter viuos, amplius eis licet, quam teſtamento, niſi quia teſtamentum, non niſi poſt mortem effectum habere poteſt, *cap. cum Martha de celebrat miſſ.* & in id tempus excurrit, quo beneficiarij deſinunt eſſe, ac proinde adminiſtratores, & diſpenſatores, cum beneficia Eccleſiaſtica ad hæredes non tranſeant, *cap. Apoſtolica 8. quæſt. 1.* nec ſanctuarium Domini, hereditario conuenit iure poſſideri, *capit. ad decorem de inſtit. apud Greg.*

45. Nec viuentes tantum, in pios vſus, fructus à ſe perceptos, expendere poſſunt, ſed etiam bene merentibus donare, *d. cap. relatum §. licet de teſtam.* moderatam tamen donationem eſſe oportet, vt colligitur *ex capit. cæterum de donat.* poſſunt etiam in vſum dare, vt puta clericis ſtipendij loco, & precariæ titulo, *can. vlt. 16. quæſt. 16. can. gloria in fine 12. quæſt. 2.*

46. Sed & ſeruos Eccleſiæ bene meritos manumittere poſſunt, attamen *gloſſa inſtit. iur. canon. tit. de reb. eccleſ. non alien. §. illud*, exigit vtroque caſu conſenſum ſuperioris, & citat Panormitanum in cap. conſenſus *de reb. eccleſ. alien. vel non*, & *cap. tua de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. capit.* nec tantum manumittere, ſed & manumiſſis, vt ſolebat olim, aliquid dare, modo non excedat viginti ſolidos, aut ſi terrula, vel vineola, vel hoſpitium aliquod, exigui valoris, *can. ſi quis qualibet, & ſequenti 12. quæſt. 2.*

46. Illos quoque, qui alioquin non ſunt bene meriti, manumittere poſſunt, dummodo aliquid Eccleſiæ ſuæ relinquant, aliqua prædia, vel familias eis adquirant, *cap. conſenſus de reb. eccleſ. alien. vel non*, & ſi velint, iura patronatus manumiſſis remitti ab Eccleſia, tunc duos alios ſeruos, eiuſdem pretij debent ſubſtituere, & coram concilio Eccleſiæ, manumiſſionem celebrare, *can. epiſcopus 58. cauſ. 2. quæſt. 2.* alioquin, ſi tantumdem Eccleſiæ dónauerint, libertus manet Eccleſiæ, *can. de libertis 12. quæſt. 2.* nec-non eius liberi.

47. Ad extremum, etiam de rebus Eccleſiæ teſtari poſſunt, ſi tantumdem de ſuo ſuppleuerint, *can. fixum in fine & ſequ. 12. quæſt. 5.* cum autem ea omnia, ſimplices vſuarij facere nequeant, ſatis liquet beneficiarios, aliquid amplius quam vſuarios eſſe, minus tamen quam fructuarios, cum fructuarij fructus ſuos faciant, ac de his diſponere poſſint vt probatum eſt ſuprà.

48. Sed cum inter cætera dixerimus, clericos de fructibus beneficiorum, deque bonis ex re Eccleſiæ quæſitis teſtari non poſſe, ſaltem hoc quæritur, an ſummus Pontifex, illud permittere poſſit, & certè *Panormitanus in cap. cum eſſes de teſtam. num. 30. Rebuff. tit. de diſpenſat. num. 55. & ſequ. in praxi benefic. & in compend. alienat. rer. eccleſ. num.* 10. exiſtimant, non ſine magna cauſa, hanc licentiam dari.

49. Et tamen *Couarruuias in cap. cum in offi iis num. 7. eod.* contrarium ſentit hac ratione, quia prohibitio illa teſtandi, non eſt de iure diuino, ac proinde, diſpenſatione ſummi Pontificis, remitti poteſt, vt idem auctor probat, in *cap. 2. num. 10. eod. & Guilelmus Redoanus in tract. de ſpoliis eccleſ. quæſt. 7. num. 50. & ſequenti*, namque in iis quæ ſunt iuris poſitiui, ea plenitudine poteſtatis vtitur, vt de iure, ſupra ius diſpenſare poſſit, *cap. propoſuit de conceſſ. præb.*

50. Sed quæritur, an data facultate teſtandi, ſi is cui data eſt, ſine herede, id eſt ab inteſtato decedat, ad heredes legitimos ea bona tranſmittat, qua de re conſulendæ *deciſiones Rotæ num. 3. de teſtam. in antiquis*, vbi remittitur hæc quæſtio indeciſa, *ad capit. præſenti de offic. ordin. in 6.* ex quo tamen, nec ipſa deciſio peti poſſit.

51. Verum vt aliquatenus, ſoluendæ quæſtioni ſatisfiat, concludendum eſt, quod cum teſtandi licentia, ſit ſpecies quædam diſpenſationis, iure communi aduerſa, nihil poteſt operari, niſi in caſu expreſſo, & permiſſo diſpoſitionis teſtamentariæ, qua ceſſante, iuri communi locus redditur, quod patet euidentius ex *capit. quicumque cauſa* 12. *quæſt.* 4.

52. Ad hæc quæri ſolet, an beneficiarius, qui habet propria bona, ex iis potius, quam beneficij reditibus, ſe ſe alere debeat, an vero reditus beneficij, in ſuos ac neceſſarios vſus, conuertere poſſit, ac bona propria ſibi, ac ſucceſſoribus ſuis conſeruare.

53. Dubitationem faciunt, verba D. Hieronimi ad Damaſum, citata à Gratiano, in *capit. vlt. in fine* 16. *quæſtione* 1. *& in can. Clericos* 1. *quæſtione* 2. & Proſperi, atque Auguſtini, in *canone paſtor ead quæſtione, & cauſa canone illi autem, & canone vlt.* 12. *quæſtione* 1. quibus damnantur clerici, bona propria poſſidentes, & ab Eccleſia ſtipendia accipientes, in fraudem, & præiudicium pauperum clericorum, qui in dedecus cleri mendicare coguntur.

53. Verum hæc teſtimonia, Concilium potius, quam præceptum continere exiſtimantur, vel ſaltem nudum præceptum exhibere, quod in iure ciuili, nullam neceſſitatem inducit, in *lege* 14. §. *diui dig. de leg.* 1. aut certè ad id tempus eſſe referenda, quo clericorum vita, ab omni contagione pura, atque Apoſtolicis exemplis innixa, de bonis communibus hoc tantum vſurpabat, quod cuique neceſſarium eſſet.

54. At cum Eccleſiæ miniſtris, & omnibus, qui altari deſeruiunt, ſua merces, ab Eccleſia ipſa, ſecundum ſeruitij meritum debeatur, *capit. penult.* 1. *quæſt.* 2. *& cap. cum ſecundum de preb* adeo vt beneficium, dari dicatur propter officium, in *cap. penult. de cler. non reſid. in* 6. in eam ſententiam itum eſt, vt licitum ſit vnicuique, fructus beneficiorum, qui pro mercede percipiuntur, in vſus ſuos conuertere, & interim bona propria, & fructus eorum, ſibi ac ſuis conſeruare.

55. Ex diuerſo quoque, ſi clericus, ex proprio patrimonio, ſe ſuamque familiam aluerit, & reditus beneficij, quos in eoſdem vſus, licite impendere poterat, ſeruauerit, atque in depoſito habuerit, non prohibetur de his teſtari, vt Couarruuias eadem ratione defendit, in *d. cap. cum in officiis de teſtam. num.* 3. *verſ.* 3. hæc enim portio, ſecundum veterum canonum diuiſionem, ita clerico aſſignata eſt, in mercedem miniſterij, diuino cultui impenſi, vt de ea libere diſponere poſſit.

56. Quod ſi ex propriis bonis, de quibus tam inter viuos, quam teſtamento diſponere poteſt, impenderit in rem, atque vtilitatem Eccleſiæ, ſic, vt meliorem eam fecerit, an ipſe, vel heredes eius, repetere poterunt, ſic putat Panormitanus argumento *can. ſacerdotes in fine & can. ſequ. verſ. quid ſi aliquid* 12. *quæſt.* 4. vbi dicitur, clerico reſarciendum eſſe damnum, rebus propriis allatum, occaſione rerum Eccleſiaſticarum.

57. Sed hoc puto, ita locum habere, ſi apparet beneficiarium, animo repetendi id feciſſe, aut ad faciendum coactum fuiſſe, alioquin pietatis intuitu, feciſſe præſumitur, quæ præſumptio, repetitionem excludit, argumento *cap. vlt. de pecul. cler. & ibi Panormitanus num.* 2. *can. quicumque* 12. *quæſt.* 4. *legis neſennius de negot. geſtis legis alimenta & legis ſi paterna. cod. eod.*

58. Cum ergo beneficiarij, de fructibus beneficiorum, pro arbitrio diſponere non poſſint, neque inter viuos, neque teſtamento, ſed victu veſtituque contenti, quidquid ſupereſt, in pios vſus impendere debeant, adhuc quæri poteſt, an fructus illos, creditoribus ſuis obligare, aut inuitis ipſis creditores, in cauſam pignoris capere poſſint.

59. Sunt enim qui exiſtiment, non poſſe eos, ex conuentione obligari, tametſi pignori capi poſſint, ſi nihil proprium habeant beneficiarij, vnde creditoribus ſatisfacere poſſint, quod probare conantur ex *capit. peruenit. de fideiuſſ. & cap. olim de reſtit. ſpoliat. & argumento legis* 8. *cod. quæ res pig. dari poſſ. & leg. ſtipendia cod. de execut. rei iud. legis commoda de re iud.* quibus locis, ſtipendia militum, & præmia athletarum, quæ pignori obligari non poſſunt, in cauſam iudicati capere licitum eſt, ſi aliunde, iudicatum fieri non poſſit.

60. Verum cum ſupra dictum ſit, beneficiarios, in fructibus beneficiorum, præter victum & veſtitutum, nihil proprium habere, conſequens eſt, vt ius pignoris, in eis conſiſtere non poſſit, ne quidem in iis, quæ veſtiariis & alimentis deſeruiunt, cum enim milites armatæ militiæ, non teneantur, niſi quatenus facere poſſunt, *lege milites* 6. *& lege item miles* 18. *de re iud.* quis Clericis, qui ſacri milites ſunt, idem priuilegium deneget, quod ex *capit. Odoardus de ſolut.* deduci poteſt, vbi *Panormitanus numero octauo.*

Digitized by Google

61. Huic igitur quæſtioni decidendæ, placet diſtinctionem eiuſdem Panormitani adhibere, *in 2. repetitione d. capit. cum eſſes de teſtam. num. 27.* vt ſi quidem debitum pro alimentis, aut veſtiariis beneficiarij contractum fuerit, reditus beneficij, in cauſam pignoris dari, & capi poſſint, cum in eam cauſam contractum ſit, in qua ſumma diſpenſandi libertas, ipſi clerico contigit, & ita interpretatur *d. capit. olim 16. de reſtitut. ſpoliat.*

61. Namque illud patet in ſpecie illius capituli, & in parte deciſa, quod cum Epiſcopus, ſpoliatus eſſet Epiſcopatu, & interim de alieno viuere coactus fuiſſet, iubet Pontifex expectari, donec Epiſcopatus poſſeſſionem recuperauerit, vt ex fructibus eius, ſatiſfacere poſſit, idem quoque confirmat, *capit. ex præſentium de pign.* vbi ſacerdos pro ſua neceſſitate, calicem obligaſſe dicitur, quem heres eius luere tenetur, tametſi regulariter, ſacra vaſa, obligari pignori nequeant, vt ſupra oſtendimus.

62. Cæterum ſi ex alia cauſa, quam neceſſarij vſus debitum contractum fuerit, fructus beneficiorum pignori non obligantur, vt apte probat *capit. peruenit de arbitr.* nec pugnat aliud *cap. peruenit de fideiuſſ.* quo ſummus Pontifex iubet, de reditibus clericorum, creditoribus, apud quos pro aliis fideiuſſerunt, ſatisfieri, nam hoc accipiendum eſt, de reditibus propriis clericorum, non bonorum Eccleſiaſticorum.

63. Hodiè vero in Gallia, ex conſtitutionibus Principum *Aurelia latis, art. 28. & Bleſenſibus art. 57.* fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ex quacumque cauſa pignori capi poſſunt, deducto ne egeant, quod duas partes redituum abſumit, ſolo triente, æris alieno obnoxio remanente, exceptis diſtributionibus manualibus, quas ex nulla parte, pignori capi poſſe diximus, *Ioann. Papo lib. 1. rapſod. tit. 5. art. 8. deciſ. rota tit. de ſolut. in antiq. Peleus lib. 2. act. Forenſ. art. 36.*

64. Nec tamen poteſt capitulum, ob mulctam indictam canonico, fructus beneficij pignori capere, teſte eodem Peleo, nec ob ceſſationem in reſtituendis prædiis, aut aſſiſtendo diuinis officiis, *pour reparation, ou non reſidence, l'Egliſe ne peut faire ſaiſir le temporel des benefices, mais la Cour ſeulement,* idem *Papo lib. 1. tit. 5. art. 50.* illudque munus incumbit, procuratoribus Regiis, ipſis iniunctum, conſtitutionibus Regiis.

65. Sed & res mobiles clericorum, in cauſam pignoris capiuntur, cum olim immobiles tantum, capi poſſent, ex Philippi Pulchri conſtitutione: excipio tamen res mobiles, quæ miniſterio diuino, & vſibus quotidianis deſeruiunt, atque etiam libros, excipio denique titulum ipſius preſbiteri, *Chop. lib. 3. de moribus Pariſ. cap. 3. num. 16. Papo lib. 1. rapſod. tit. 5. num. 8. & ibi Ioan. Cannutius,* quod & probatur *Aurel. edict. art. 12.*

66. Dictum eſt ſupra, beneficiorum fructus, & res omnes, occaſione Eccleſiæ quæſitas, quæ deducto victu, ac veſtitu ſuperſunt, ad Eccleſiam pertinere, nec ad heredes, aut legatarios beneficiarij, tranſmitti poſſe, niſi eleemoſinæ intuitu, nunc exquirendum quid generali Eccleſiæ nomine intelligatur, & quomodo, ad ſpecies reducendum ſit, ſecundum varias, decedentiũ conditiones, & qualitates Eccleſiarum, quibus regendis præponendi ſunt.

67. Verum enim concludendum eſt, hoc nomine, collegium, vel capitulum ſignificari, ſi Eccleſia ſit collegiata, vel cathedralis, in qua canonicus decedat, vel ſucceſſorem in beneficio, ſi Eccleſia non ſit collegiata, *cap. relatum 2. verſ. nomine autem eccleſiæ de teſtam. & ibi Boet. Epo, in ſintagm. 1. antiq. eccleſ. de iure prou. eccleſ. num. 8. & ſequent. itemque num. 16.* vbi vtitur exemplo decurionum, & nauiculariorum, qui decedentes, hereditatem ad collegium tranſmittere ſolent, *lege 1. & toto tit. de hered. decur.*

68. Et quidem illud adeo verum eſt, vt quamuis, ex bonis communibus, quædam diuiſim, canonicis fuerunt aſſignata, vt fit in pluribus collegiatis, & cathedralibus Eccleſiis, nihilominus adquiſita, per decedentem canonicum, & fructus beneficij, ipſi collegio cedunt, non ſucceſſori in beneficio, vt notat *Couarruuias in cap. relatum 2. num. 2. de teſtam.*

69. Et ita explicandum *cap. vlt. de off. ordin. in 6. & cap. quod ſæpe de elect. eodem, & capit. ſtatutum eod. tit. in Clement.* ex quibus patet, idem quoque dicendum eſſe, de fructibus vacantis beneficij, qui ſecundum diſtinctionem ſupra dictam, aut ad Eccleſias ipſas collegiatas, aut ad futuros ſucceſſores, pertinent, pro vt vel ex communi maſſa, vel ex peculiari, & priuata procedunt, quod mire expedit *Boet. Epo ibidem num. 14.*

70. Sed & hoc notandum eſt, ex *d. cap. quod ſæpè, & d. capit. ſtatutum,* quod diximus de iis, qui in Eccleſiis collegiatis beneficia obtinent, non pertinere ad Prælatos earum, quibus defunctis, res illæ, & fructus ante, vel poſt vacationem percepti, futuris debent ſucceſſoribus reſeruari, *Conarruu. in capit. relatum 2. num. 2. de teſtam.* & ita explicandum *d. cap. relatum, & cap. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. innou.*

71. Quamuis enim prælatus, tanquam collegij caput, vnam eamdemque perſonam,

Digitized by Google

cum collegio ſuſtinere videatur, tamen propriam, & diſtinctam perſonam exhibet, cum & ipſius patrimonium, aliàs dicimus *la manſe*, diſtinctum, & ſeparatum ſit, ab eo, quod toti collegio præſtatur, vnde & eidem portioni, ſiue menſæ Epiſcopali, cedere debet, quod relinquitur ab Epiſcopo, idem *Boet. Epo in d. cap. relatum num. 16. & ſequenti.*

72. Verum cum in multis Eccleſiis, vacantium beneficiorum, fructus, primi anni, ad alios, quam eccleſias ipſas, aut ſucceſſores, ex conſuetudine, vel priuilegio pertineant, viſum eſt eos diuidere, pro vt in *capit. ſuſcepti de elect. in extrauag. Ioann.* 22. quod repetitur in *extrauag. communibus tit. ne ſede vac. aliq. Innou.* quæ diuiſio laudatur à *Chopino lib. 1. de ſacr. polit. tit. 8. num. 5.*

73. Quantum autem ad eas res, quæ aliunde, quam ab Eccleſia, ad beneficiarium peruenerunt, veluti ex proprio patrimonio, aut ſucceſſione, vel induſtria, aut ratione ordinis, ad quem prouectus eſt, vel ſtipendij, quod ab alio habet, quemadmodum liberam habet teſtamenti factionem, vt ſupra diximus, & docet *Couarruuias ad cap. 1. num. 11. de teſtam.* ita & inteſtatus, proximioribus ea relinquit, argumento *can. Epiſcopus qui 34. cauſ. 12. quæſt. 2. can. ſi epiſcopus, & can. vlt. eadem cauſa quæſt. 5.*

74. Quod ſi nullos cognatos reliquerit, eccleſia ei ſuccedit, quaſi ex vltima parte ſucceſſorij edicti, vnde vir & vxor, quoddam enim ſpiritale matrimonium ineſt, inter clericum, & eccleſiam, *d. cap. inter corporalia de translat. epiſcop.* eaque ſententia, prædictis locis apte probatur, & *can. quicumque 12. quæſt. 2.* quibus congruit *Nou. Iuſtin. 131. cap. 13. §. ſi quis autem epiſcopus, & deciſ. rota 7. in antiquis tit. de teſtam.*

75. Verum in d. rotæ deciſione, alia ſuccedendi ratio redditur, quæ & iuri communi congruere videtur, namque ibidem probatur, eccleſiam habere fiſcum, & confirmatur *Clement. nolentes de heret.* qui fiſcus, non eſt penès ſummum Pontificem, ſed penès epiſcopum, vt ſcribit *Panormit. in cap. ſancto de ſucceſſ.* ab inteſtato, & hoc ſenſu explicandum eſt *cap. 1. de ſucceſſ. ab inteſt.*

76. Sed hoc amplius quibuſdam videtur, hoc caſu, quo clericus, ſeu beneficiarius, nullos cognatos habuerit, non licere alium, quam eccleſiam heredem inſtituere, quod probare conantur, ex *capit. ſi quis Epiſcopus de hered. & d. can. epiſcopus qui filios 12. quæſt. 2.* ſed hæc opinio vulgo eſt improbata vt notat *Couarruu. in repetione ad cap. 1. de teſtam. numero 4.*

77. Nec enim eam opinionem adiuuant, ſupra dicta capitula, quorum primum, pertinet ad epiſcopum, hæreticos ſiue cognatos, ſiue extraneos heredes inſtituentem, alterum vero corrigi debet, ex *Concilio Agathenſi cap. 33.* vnde ſumptum eſt, & vbi ſic legitur *Epiſcopus, qui filios, aut nepotes non habens, alium, quam eccleſiam relinquit heredem*, vt ille textus, conſilium, ſeu nudum præceptum, non neceſſitatem inducat, vt notat *Couarruu. in cap. 1. numero 4. de teſtam.* & in ſimili mox probauimus num.

78. Hoc tamen iure non vtimur in Gallia, ſiue enim clerici, heredem non habuerint, ſiue peregrini fuerint, quos vulgo albinos vocant, ſiue ex iuſtis nuptiis procreati non ſint, non eccleſia, ſed fiſcus principis, vel dominus territorij, bona eorum occupant, clericatus enim priuilegia, cum ſit ſpiritalis iuriſdictionis, ciuilia, vel Dominica iura non tollit, argum. *cap. per venerabilem qui filij ſint legit.*

79. Secus tamen eſt, ſi criminis rei damnati fuerint, ex quo, publicatio bonorum ſequi debeat, tunc enim Epiſcopus, bona eorum mobilia retinet, quaſi perſonam ſequantur, immobilia vero, fiſco, vel dominis territorij adquiruntur, *Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 8. num. 27. Ioan. Galli quæſt. 290. Steph. Aufrer. ad deciſ. 150. capellæ Tholoſanæ.*

§. DECIMVS-OCTAVVS.

De peculio Monachorum, vel regularium.

1. *Quidquid relinquitur monacho, adquiritur monaſterio.*
2. *Quibus vſibus peculium monacho concedendum.*
3. *Non valet receptio in monaſterium, vt receptus aliquid proprium habeat.*
4. *Quid in militibus Hieroſolimitanis ſeruetur.*
5. *Peculium monachi, in Eccleſia monaſterio ſubdita inſtituti, adquiritur monaſterio.*

Digitized by Google

6. *Peculium monachi in extranea Eccleſia inſtituti, adquiritur nouæ Eccleſiæ.*
7. *Quid ſtatuendum in monachò ad Epiſcopatum promoto.*
8. *Quid ſeruetur in Gallia circa ſucceſſionem epiſcopi.*
9. *Quod acquiritur monacho, poſt tranſlationem in aliud monaſterium, nouo monaſterio adquiritur.*
10. Nota ad canonem de lapſis 16. quæſt. 6. *& quid in tranſlatis pœnitentiæ cauſa.*
11. *Abbates commendatarij non ſuccedunt monachis, niſi ſint Cardinales.*
12. *In id Pij V. reſcriptum Cardinalibus etiam ſucceſſionem interdicens.*
13. *Quid Galliæ moribus inductum circa hanc ſucceſsionem.*
14. *Abbas, qui monacho beneficium à ſuo monaſterio dependens, obtinenti, tranſlationis gratiam denegauit, ſuccedere non poteſt.*
15. *In id ſenatus Pariſienſis decretum peculium Eccleſiæ parochiali addicens.*
15. *Inquiritur in mentem ſenatus id ſtatuentis.*
16. *Abbas peculium monachi vindicans; diſſoluendo æri alieno obligatur.*
17. *Confirmatur decretis ſenatus Pariſienſis.*
18. *An monachi teſtari poſſunt de libris ſuis, an teſtandi licentia à ſuperioribus conceſſa vti.*
19. *Eremitæ vtrum habeant, & teſtandi, & ſuccedendi ius.*
20. *Quid ſi à S. P. teſtandi facultate conceſſa, non vſus fuerit, an ad agnatos, an ad Abbatem bona tranſmittat.*
21. *Quid nouiſsimis curiæ decretis ſeruetur, in ſucceſsione monachi, ad Epiſcopatum promoti.*
22. *An Monachus, ad Epiſcopalem ſedem euectus, ſoluatur regula.*
23. Nota ad canonem ſtatutum 18. quæſt. 1.
24. *Monachi ad Epiſcopalem ſedem promoti, non ſuccedunt cognatis, licet cognati ipſis ſuccedant.*

1. QVæ ſuprà diximus in præcedenti §. locum habent, cum agitur de peculio clericorum, ſæcularium, ſiue teſtatorum, ſiue inteſtatorum, longè enim alia eſt ratio, peculij monachòrum, ſi quid eis ab Abbate, vel alio ſuperiore, conceſſum fuerit, quia ſi monacho aliquid relictum fuerit, certum eſt, illud monaſterio adquiri, niſi lex adiecta fuerit, ne quicquam adquireretur monaſterio, quo caſu, relictum non valet, *Panormit. in cap. 2. num. 8. de ſtatu monach. Cynus in authent. ingreſsi cod. de ſacroſ. eccleſ.*

2. In primis autem ſciendum eſt, peculium monacho concedi non debere, niſi pro iniuncta adminiſtratione, *cap. 2. de ſtatu monach.* nimirum vt ſe alat, vel in Eccleſiæ vtilitatem, non in rem ipſius monachi cedat, *Panormit. in cap. 2. in verbo adminiſtratione de ſtatu monach.* argumento *cap. 5. de offic. ordin.* monachi enim, nihil proprium habere poſſunt, *cap. cum ad monaſterium in princip. & fine de ſtatu monach.* ne quidem ex licentia ſummi Pontificis.

3. Quid ergo, ſi in ingreſſu monaſterij, permiſſum fuerit monacho, aliquid proprium habere, dicendum, quod ſi ea lege, in monachum receptum fuerit, non valere receptionem, quoniam ſubſtantia monachatus, eſt votum paupertatis, *gloſſa in cap. 2. in verbo adminiſtratione de ſtatu monach. & Panormit. ibidem. Cynus in d. auth. ingreſsi cod. de ſacroſ. eccleſ.* pacta autem, circa ſubſtantialia adiecta, immutant contractum, & negotium quodlibet, *lege pacta conuenta 72. §. idem dig. de contrah. empt.*

4. Hoc tamen fallit, in militibus Hieroſolimitanis, quibus permitti poteſt, vt ſuccedant parentibus ſuis, & legata ſibi relicta capiant, nam conſtitutionibus illius ordinis, quidquid miles adquirit, ordini adquirit, niſi à magiſtro ordinis, rei ſuæ adminiſtrationem, & diſponendi copiam obtinuerit, *Chop. lib. 2. de ſacr. polit. tit. 8. num. 14. in fine*, verum illud, vſquequaque non ſeruatur, nouiſſimis enim curiæ decretis, Hieroſolimitanis militibus, omnis ſuccedendi ſpes adempta eſt, ſicut fratribus & ſodalibus Societatis Ieſu,

Digitized by Google

vtriuſque ordinis conſtitutionibus inſuperhabitis, vt priuatis familiis, pax inconcuſſa ſeruetur, vt notat *D. Louetius litt. C, num.* 8 *& ibi Brodeus, itemque collector. decretorum curiæ ſecundum ſeriem temporum lib. 2. cap. 74. & 93.*

5. Hoc igitur caſu, quo peculium conceſſum fuerit monacho, vel adminiſtratio cuiuſuis eccleſiæ, monaſterio ſubiectæ, veluti prioratus (cuius etiam ratione, ſine licentia abbatis, in iudicio conſiſtere poſſunt, vt docet *Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit.* 1. *num.* 19.) dicendum eſt, abbatem ei ſuccedere, argumento *d. cap. quanto*, quod & iure ciuili congruit, ſi quidem peculium caſtrenſe, filijfamilias inteſtato defuncti, à patre occupatur, non tamen iure hereditario *lege 2. dig. de pecul. caſtr.*

6. Secus tamen eſt, ſi monachus, Eccleſiæ, quæ monaſterio ſubiecta non eſt, regimen obtinuerit, & ex re illius Eccleſiæ peculium comparauerit, tunc enim æquum eſt, Eccleſiam ei ſuccedere, quod tum maximè locum habet, cum monachus, ab obedientia ſolutus eſt, *Barthol. in lege ſi ſeruus communis dig. de ſtipul. ſeru. Chop. lib. 2. de ſacra polit. tit.* 8. *numero* 13. *&* 14.

7. Verum illud ſæpius euenit, cum in Epiſcopum monachus ordinatur, licèt à regula non ſoluatur, vt tradit *Chop. ibidem* tunc enim, quidquid tempore promotionis habet, remanet penès monaſterium, quidquid vero poſt adeptum Epiſcopatum adquiſiuit, etiam ex induſtria ſua, Eccleſiæ cathedrali reſtituendum eſt, *Couarruu. in d. cap.* 1 *de teſtam. num.* 19. *can. ſtatutum* 18. *quaſt.* 1. idemque dicendum, de parochiali Eccleſia, ad quam monachus, aliquando promouetur, etiam ſine diſpenſatione, vt in *can. in parochia* 16. *quaſt.* 1. *Panormit. in cap. quod Dei num.* 107. *de ſtatu monach.*

8. Nec tamen illud, apud nos vſquequaque ſeruatur, in monacho ad Epiſcopatum promoto, ſolet enim curia, ex veteri conſuetudine, quam in Gallia vigere conſtat, cognatis defuncti, hoc eſt heredibus, bona adiudicare, vt patet ex variis curiæ decretis, quæ exſtant apud *d. Louetium litt E, num.* 4. *& in additionibus ad eumdem locum.*

9. Et eadem ratione, ſi monachus, ab vno monaſterio, in aliud tranſlatus fuerit, vt poteſt, arctioris diſciplinæ amplectendæ obtentu, *cap. licet de regul. & tranſ. ad monaſt.* de quo transferendi modo *Stephanus Tornacenſis in epiſt.* 1. non erit dubitandum, quin poſt tranſlationem adquiſita, poſteriori monaſterio debeantur, argumento *can. ſtatutum* 18. *quaſtione* 1.

10. Illud tamen, locum non habet in iis, qui pœnitentiæ cauſa transferuntur, *can. de lapſis in fine* 16. *quaſt.* 1. qua de re conſule, *Couarruu. ad cap.* 1. *de teſtam. num.* 19. *& Chop. loco ſupra citato, & lib.* 2. *monaſt. tit.* 3. *deciſ. Cap. Thol. quaſt.* 39. *gloſſam in d. can. de lapſis*, ex qua & illud patet, monacho è monaſterio ſuo expulſo, rerum à ſe poſt expulſionem adquiſitarum, vſumfructum tantum deberi, proprietatem verò monaſterio reſeruari, ſicut in rebus, ab ipſis apoſtatis adquiſitis teſtatur, *Greg. Tholoſ. partit. iur. can. lib.* 1. *tit.* 26. *cap.* 4. *& in ſcholiis litt. C.*

11. Quod autem dictum eſt, regulariter abbatem, peculium monachi ſibi vindicare, locum habet in abbate, eiuſdem religionis, & regulæ, non in eo, cui monaſterium tantum commendatum eſt, niſi forte fuerit Cardinalis, huic enim, non denegatur peculium defuncti, vt probant duo ſenatus decreta, citata à *Chopino lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 8. ſed & in perſona cuiuſdam abbatis, qui Cardinalis non erat, hæſit curia nuper, & amplius deliberandum cenſuit, num defuncti monachi peculium, ei addiceret, *Brodeus in addit. ad d. Louet. litt. R, num.* 42.

12. Exſtat vero Apoſtolicum Pij V. reſcriptum, quo hæc controuerſia dirimi poteſt, in hæc verba *nullus commendatarius, cuiuſcumque dignitatis exiſtat, ſiue Primas, ſiue Cardinalis, ſe intromittat, in bona mobilia clericorum, ſub pœna lata ſententia excommunicationis, ipſo facto incurrenda Chop. ibidem*, nec ſine ratione, Abbates commendatarij, arcendi eſſe videntur, à peculio monachorum, cum ipſis decedentibus, monaſteria non ſuccedant, niſi in ſacris mobilibus, quæ ſeruitio diuino deputata ſunt, *Chop. ibidem.*

13. Attamen hodiè, & poſterioribus Eccleſiæ decretis, ſtatutum refert *ibidem Brodeus* monachorum decedentium peculium, Abbati vel Priori, ſiue regulari, ſiue commendatario, ſiue Cardinalis dignitate inſignito, ſiue ſimplici & ſolo titulo decorato deberi, adeo vt, ſi ad effectum beneficij adiſpiſcendi, monachus tranſlatus fuerit, de proprio monaſterio, ad aliud, quodcumque, poſt tranſlationem, ex fructibus beneficij quæſierit, Abbati eius monaſterij, à quo dependet beneficium, omnimodo adquirat.

14. Verum quo caſu nouus iſte Abbas, tranſlationis gratiam, monacho denegauerit, veteri & naturali Abbati, quæſita poſt adeptionem beneficij, & tranſlationem Apoſtolica auctoritate factam, addicuntur, quem enim nouus Abbas, viuum contempſit, non po-

Digitized by Google

teſtamortuum ſuum dicere, & ad bona eius aſpirare, vt ait *gloſſa in cap. ſicut* 17. *in verbo & ſcientibus de regul. & tranſ. ad monaſt.*

15. Et ea fuit ratio, propter quam ſubmotus eſt, nouiſſimo curiæ Pariſienſis decreto, Abbas ſancti Vincentij Siluanectenſis à ſucceſſione peculij, & lucro ſpoliorum, delatorum morte cuiuſdam regularis, ab Abbatia & monaſterio Chaliacenſi, Ciſtertienſis Ordinis, ad dictam Abbatiam ſancti Vincentij Siluanectenſis, Ordinis Benedictini, auctoritate Apoſtolica tranſlati, vt prioratui curato *de Montagni*, dicti Ordinis intitularetur, cum habitæ tranſlationi Abbas ſancti Vincentij auctoritatem non præſtitiſſet.

15. Sed enim cùm dictus regularis, eò tranſlatus fuiſſet, vt parochiali Eccleſiæ *de Montagni*, intitularetur, quæ à veteri monaſterio nequaquam pendebat, neque etiam à nouo ita vt ſola, legitimam defuncti, & hæredis, & quaſi vxoris perſonam ſuſtineret, ideo Audemarus Talæus, Procuratoris generalis partes ſuſtinens, veteri monaſterio peculium, addicendum declarauit, ſed parochialis Eccleſiæ fabricæ oneribus ſuſtinendis, & pauperum alimentis inſumendum dixit, ex decreto Siluanectenſis Epiſcopi nec-non ſubſtituto Procuratoris generalis aſſentiente quod decreuit ſenatus perorantibus Michaële *Langlois* pro Abbate ſancti Vincentij prouocante Franciſco *Montolonio*, pro regularibus Priore & Conuentu Chaliacenſi intimatis, die 13. Februarij anni 1651.

16. Quo caſu autem Abbas, monachi peculium occupat, æs alienum ab eo contractum, & funeris impenſas, pro modo peculij agnoſcere cogitur, ad inſtar patris *lege pater* 17. *dig. de pecul. caſtr. toto titulo quando de pecul. actio ann. Chopinus lib.* 3. *de ſacr. polit. tit.* 1. *num.* 21. *in princip., & fine Carolus. Oyſellius in tractatu expunctionum in iure factarum lib.* 5. *num.* 13. *& ſequent.*

17. Qua de cauſa rectè ſenatus Pariſienſis decreuit, abbatem non eſſe audiendum, ius peculij, calicem à monacho obligatum, vindicantem, niſi pecuniam, pro qua fuerat obligatus, creditori ſolueret, vt ſupra dictum eſt ex *Papone lib.* 1. *rapſodiæ tit.* 1. *art.* 8. namque peculij ratio, eſt quædam ſucceſſionis ſpecies, in vniuerſum ius, quod defunctus habuit, ſiue actiuum, ſiue paſſiuum.

18. Sed quod dictum eſt ſupra, peculium defuncti abbati ſuo reſtitui oportere, decretum eſt à ſenatu locum non habere, in libris, quos ille, ex induſtria ſua quæſitos, alij legauit, hunc enim Legatarium, Abbati præferendum eſſe cenſuit, referente *Chopino loco ſupra dicto* quod pariter probat *Antonius Fabricius in theoria & praxi beneſic. lib.* 3. *tit.* 5. *litt. P, in addit. Brodæus ad Louet. litt. R, numero* 42. illud tamen prorſus nouum & inauditum.

19. Namque certum eſt, monachos ius teſtandi non habere, niſi eis à ſummo Pontifice conceſſum fuerit, quod eidem licere probant *Durantius Præſes Tholoſanus quæſt.* 13. *& Simon Oliuæus eiuſdem curiæ ſenator lib.* 1. *deciſ. cap.* 15. illud tamen ius teſtandi habent Eremitæ, vt refert idem *Duar. quæſt.* 12. *Chop. de ſacr. polit. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 15.

19. Et tamen ad legitimam cognatorum ſucceſſionem, admitti non ſolent Eremitæ, vt decreuit ſenatus die iouis 17. Februarij anni 1633. referente in collectore decretorum ſecundum ſeſſionum ordinem, & ſeriem prolatorum *lib.* 2. *cap.* 106. licet autem ius teſtandi, à ſummo Pontifice indulgeri poſſit, vt ſupra dictum eſt, raro, nec ſine ratione concedi debet, vt docet *Couarruuias in cap.* 2. *de teſtam. num.* 10.

20. Sed vtrum data facultate teſtandi, ſi inteſtatus deceſſerit, ad legitimos heredes bona perueniant, nec-ne, idem ſtatuendum, quod ſupra ſtatuimus in clerico, cui facultas teſtandi, de fructibus beneficij data eſt, qui decedens inteſtatus, eos diſpoſitioni iuris communis, & canonici relinquit, ita regularis, inteſtato decedentis bona, ad Abbatem, quaſi peculij iure deuoluuntur.

21. Nec minus nouum videri debet, quod eadem curia decreuit, referente *Chopino lib.* 2. *de ſacr. polit. tit.* 8. *num.* 14. *Brodæo ad Louet. litt. E, num* 14. peculium monachi, è familia mendicantium, ad Epiſcopalem dignitatem euecti, cognatis ipſius, non Eccleſiæ cui præfuit, aut ſucceſſori eius deberi, aliquando tamen, eadem curia, diuiſit peculium, inter heredes defuncti, & Eccleſiam, teſte *Anton. Fabricio in theor. & praxi beneſ. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 27. *& in additionibus ad eumdem locum litt. T.*

22. Et quidem illud pariter mirum videri debet, nam ex hoc conſequens eſt, curiam iudicaſſe, per adeptionem Epiſcopatus, votum paupertatis, atque obedientiæ ſolutum fuiſſe, quod non congruit regulis iuris canonici, neque enim Epiſcopatu, ſoluitur monachatus, ac proinde de monacho, Epiſcopus factus, regulis ſuis obſtrictus manet, & tribus ſubſtantialibus votis, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, nec monachalem ha-

Digitized by Google

bitum deponere poteſt, *can. de monachis 16. quaſt.* 1. *cap. clerici officia in fine de vita & honeſtate clericorum.*

23. Nec mutat quod ſupra diximus, ab obedientia eum ſolui, vel vt loquitur *can. ſtatutum* 18. *quaſt.* 1. à iugo monaſticæ regulæ, & profeſſionis, hoc enim accipiendum eſt, de iuriſdictione abbatis, à qua eximitur Epiſcopus, non quod voto obedientiæ ſoluatur, ſed quod abbatem, cui obediat non habet, vt Couarruu. ex D. Thoma explicat *in cap.* 1. *num.* 8. *de teſtam. Ioan. Durant. quaſt.* 10 *& ibi Ferrerius.*

24 Et quamuis ea parte, regulas iuris canonici læſerit curia Pariſienſis, eaſdem tamen ſequuta eſt, & firmiſſime defendit altero caſu, quo quæſitum eſt, vtrum regularis, Epiſcopus factus, cognatis ab inteſtato decedentibus ſuccederet, licet enim ſucceſſionem, actiuam, & paſſiuam, iiſdem regulis regi, & gubernari voluerint, iuris interpretes, tamen ſenatus, Epiſcopum Riuenſem, ex Minimorum familia, ad hunc dignitatis apicem euectum, à legitima, & collaterali ſucceſſione excluſit, decreto in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Pariſienſi reitatis prolato die 11. Maij anni 1638. quamuis in partes Epiſcopi Riuenſis tuendas, habitus ſit longior tractatus, qui à ſtudioſis adiri poterit.

---

§. DECIMVS-NONVS.

Quid ſeruetur in Gallia, & aliis regionibus in hac Clericorum, & regularium ſucceſſione.

1. *In Hiſpania nequidem Epiſcopi, de fructibus beneficiorum, diſponere poſſunt teſtamento, aut legitimis heredibus relinquere.*
2. *Vetus Galliæ conſuetudo, vt Clerici, de fructibus beneficiorum, diſponere poſsint, & in eis cognati ſuccedere.*
3. *Hæc conſuetudo, perſcriptis Galliæ moribus approbatur.*
4. *Vetuſta Galliæ conſuetudo defenditur, & ab errore vindicatur.*
5. *Probatur auctoritate iuris Canonici.*
6. *Beneficiarij non tantum de fructibus teſtari, ſed & decedentes, heredibus relinquere poſſunt.*
7. Nota ad extrauag. ſuſcepti de elect. & ne ſede vac. aliquid innou.
8. *Aliud argumentum huiuſce probationis.*
9. *Quid ſtatuendum, vbi Clerici nondum collectis fructibus decedunt.*
10. *Fructus diuidendi inter hæredes, & ſucceſſorem in Beneficio, pro rata temporis.*
11. *In diuiſione, & computatione fructuum, annus ineundus à menſe Ianuario.*

1. HIc finem imponerem huic capiti, niſi generalis, non tantum huius regni, ſed totius propèmodum orbis conſuetudo, aliquid ex ſupra dictis immutaſſet, cuius vos admonere, officii mei eſſe duxi, prope modum dixi, nam in Hiſpania, teſtandi libertas de prouentibus Eccleſiaſticis, non datur Epiſcopis, niſi ſpeciali reſcripto eam impetrauerint, nec ab inteſtato decedentes, eos legitimis hæredibus relinquunt, vt colligitur ex *Couarruuia in cap. cum in officiis de teſtam. num.* 9.

2. In primis igitur receptum eſt, clericos fructus beneficiorum ſuos facere, ſic vt de his, tam inter viuos, quam teſtamento, libere diſponere valeant, & quibuſcumque voluerint relinquere, quod *Ioan. Gallus adnotauit quaſt.* 290. *& Coſmas Guim. ad pragm. ſanct. tit. de annatis §. item quod in verbo adquiſitos*, vbi hanc conſuetudinem, vetuſtate ſua commendant, & quamuis contrariam conſuetudinem, citet *Faber. §.* 1. *inſtit. de hered. qua ab inteſt. defer.* eamdem tamen tuetur in §. *is vero inſtit. de rerum diuiſ.*

3. Sed & hæc conſuetudo, tantam approbationem meruit in Gallia noſtra, vt in mores Pariſienſium tranſcripta ſit, *art.* 336. & Biturigum *tit.* 19. *art.* 40. vbi exploditur diſtinctio, iure canonico introducta, inter ea, quæ ex fructibus beneficiorum adquiſita ſunt,

vel

Digitized by Google

vel contemplatione Eccleſiæ, & ea quæ aliunde adquiruntur, quod & perſcriptis plurium aliarum regionum moribus inductum agnoſcimus, vt videre eſt in collatione Pariſienſium cum cæteris quæ auctore Ægidio Fortino prodiit.

4. Scio tamen dubitatum, num hæc conſuetudo, tanquam erronea, damnanda ſit, nec-ne, & an beneficiarios excuſet, à peccato, ſi eius obtentu, prouentus, & bona ex re Eccleſiæ quæſita, propinguis ſuis largiantur, & quamquam communis opinio ſit, illos grauiter peccare, Couarruuias tamen in *cap. cum in officiis num. 9. de teſtam.* contrariam ſententiam, optima ratione defendit.

5. Et præcipuè ex eo, quod ſummus Pontifex, quaſi priuilegij loco Altiſſiodorenſi Epiſcopo conceſſit, vt bona clericorum, ab inteſtato decedentium, in eius diſpoſitione eſſent, *can. cum tibi de verb ſignif.* cui ſimile priuilegium, Heduenſi Epiſcopo conceſſum aſſerit *Chaſſanæus ad conſuet. Burg. tit. des main-mortes art.* 11. quod cum iuri communi contradicat, ſequitur huius regulis, ſummam diſponendi libertatem, beneficiario competere.

6. Et ex his duo colligere poſſumus, vnum ius teſtandi de illis bonis, ex conſuetudine clericis eſſe permiſſum, alterum ceſſante priuilegio, eorum bona, legitimis hęredibus deferri, ſucceſſorij edicti ordine ſeruato, atque ita, ſi non palam, ſaltem tacitè, conſuetudinem illam approbari, quæ tamen ita inualuit, vt hodiè vbique ſeruetur, & iuris communis, & ordinarij locum ſubierit.

7. Nec diſſimilis huic, conſuetudo apte probatur, in *capit. ſuſcepti in extrauag. Ioan. 22. de elect.* quæ repetitur in *cap. vnico ne ſe de vac. aliq. innou. in extrauag. commu.* vbi ſummus Pontifex refert, in quibuſdam eccleſiis, vſu receptum eſſe, vt fructus vacantis beneficij, ad defunctum pertineant, animæ remedio applicandi, quam conſuetudinem, non in totum tollit, ſed fructus illos diuidit, inter defuncti hęredes, & ſucceſſorem in beneficio.

8. At vero, ſi non improbatur conſuetudo, quæ fructus beneficij, poſt mortem beneficiati perceptos, heredibus eius tribuat, multo minus eſt improbanda, quæ à ſuperſtite perceptos, & adhuc exſtantes, ad heredes tranſmittat, nec credibile eſt, ſummum Pontificem, & Reges Chriſtianiſſimos, tamdiu conſuetudinem illam, conniuentibus oculis paſſuros fuiſſe, ſi in diſpendium animarum verteret, & peccato mortali clericos implicaret, vt pluribus inculcat Couarruuias loco ſupra dicto.

9. Sed hac conſuetudine recepta, plerumque euenit, beneficiarios, nondum perceptis fructibus decedere, quo caſu quęritur, an nihil, ad heredes ſuos tranſmittant exemplo fructuarij in *lege ſi fructuarius meſſem dig. quib. mod. vſuff. fin. & lege defuncta dig. de vſuf.* an potius diuidendi ſint, inter heredes defuncti, & ſucceſſorem in beneficio, pro rata temporis, quo defunctus onera beneficij ſuſtinuerit.

10. Et illud poſterius, æquum viſum eſt, & vſu receptum, argumento fructuum, qui ſoluto matrimonio diuiduntur, pro rata temporis, quo defunctus, onera matrimonij ſuſtinuerit, *lege diuortio dig. ſoluto matrimonio*, & ad hanc quæſtionem conſulendi, *Couarruuias lib. 1. var. reſol cap. 15. num. 12. Chop. lib. 3. de ſacr. polit. tit. 1. num. 33. Louet. litt. F, num. 12. & Ioannes Bacquetius in tractatu de iuſtit. & iure cap. 15. num. 60.*

11. Ruſus quæritur, in diuidendis illis fructibus, pro rata temporis, à quo tempore initium ſumi debeat, an ab eo, quo primum defunctus beneficium obtinuit, an ab eo, quo fructus ſunt collecti, an potius à Ianuario, nouum annum ineunte, & hoc poſterius, ſenatui placuiſſe referunt, *Chopinus, Louet. & Bacquetius locis ſupra citatis, Iulianus Peleus Pariſ. patronus lib. 2. act. for. act. 36. & 55. Annæus Robertus lib. 3. rerum iudicatarum cap. 4. Papo in collat. decret. lib. 18. tit. 4. art. 11. & lib. 121. tit. 8. art. 10.*

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

De oneribus, & immunitatibus Eccleſiarum, & bonorum Eccleſiaſticorum.

PARS PRIMA.

De oneribus.

1. *Ordo & ſeries huius capitis, & cum præcedenti connexio.*
2. *Vnde cenſus & indictiones Eccleſiis impoſitæ.*
3. *Onera Eccleſiis impoſita, vel iure ordinario debentur, vel iure extraordinario.*
4. *Eorum quæ iure ordinario debentur, ſpecies, & exempla.*

1. IN ſuperiore capite, abunde tractatum eſt, de iure, quod in bonis Eccleſiaſticis, & fructibus eorum, Eccleſiæ, & perſonis Eccleſiaſticis competit, ſiue de commodis, & compendiis, quæ ex iiſdem rebus percipiuntur, & quia ſecundum naturam cuiuſque rei eſt, vt quem ſequuntur commoda, eumdem & ſequantur incommoda, vt ait *Paulus in lege* 10. *dig. de reg. I. & Bonifacius in cap.* 55. *de reg. iur. in 6.* ideo præcedenti materiæ, & diſputationi, non potuit aptius alia ſubiici, quam ea, quæ tractat de oneribus Eccleſiarum.

2. Quamuis enim, quod Deo conſecratur, ſoli Deo mancipandum, liberum ab omni onere eſſe debeat, & indignum videatur, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, vt quis pro ſpiritualibus, facere homagium compellatur, vt dicitur in *cap. vlt. de reg. iur. apud Greg.* quod refertur plenius in *cap. 2. de exceſſ. prælat. in 2. compilat. decret.* quia tamen in Eccleſiaſtica Hierarchia, ſicut in ciuili imperio, inferiores, ſuperioribus poteſtatibus, ſubiici neceſſe eſt, in ſignum ſubiectionis, & imperij, quædam onera, quidam cenſus, quaſi caritatiuæ ſubuentiones, ſuperioribus inferuntur.

3. Prima autem diuiſio onerum, inferioribus Eccleſiis impoſitorum, hæc eſt, quod quædam iure ordinario debeantur, alia iure extraordinario: iure ordinario debentur, quæ ordinariis, id eſt Epiſcopis, Archiepiſcopis, vel eorum vices agentibus, vt Archidiaconis præſtantur, & ea, vel ex lege diœceſana, qua omnes ſæculares Eccleſiæ tenentur, vel ex lege iuriſdictionis, cuius vinculo etiam monaſteria aſtringuntur, deſcendunt, de quibus abunde diſſeruimus ad verba definitionis *cum ſuo reditu cap. 2. de eccleſ. fundat. & dote.*

4. Sed enim ibidem, & ex ordine, de ſubiectione earumdem Eccleſiarum egimus, & vtriuſque legis, differentias aſſignantes, vnicuique, ſuas partes accommodauimus, legi ſcilicet diœceſanæ, cathedraticum, ſiue ſynodaticum, tertiam vel quartam partem oblationum, decimationum, & mortuariorum, & caritatuum ſubſidium, legi autem iuriſdictionis, viſitandi poteſtatem, ipſique annexam procurationem, & ideo plura nouiſſe cupientem, ad hunc locum remittimus, ne earumdem rerum, ſæpius repetita diſcuſſio, ſatietatem ſit paritura.

---

§. PRIMVS.

De iure Patronatus.

1. *Naſcentis Eccleſiæ temporibus, ius patronatus incognitum, & quare.*
2. *Primæua communionis ratio, ius patronatus excludit.*
3. *Origo iuris patronatus inueſtigatur.*
4. *Quædam proxima iuri patronatus.*
5. *Ius patronatus onus eſt Eccleſiæ.*

Digitized by Google

1. QVæ igitur iure extraordinario debentur, variis ex cauſis deſcendunt, & aliis quam locorum ordinariis, plerumque debentur, & perſoluuntur. Inter ea primum locum obtinet, ius patronatus, primis naſcentis Eccleſiæ temporibus incognitum, tum quod communio omnium bonorum, nulla qualia nunc ſunt beneficia admitteret, in quibus ſolis ius patronatus conſiſtere poteſt.

2. Tum vero, quod in Eccleſiam bonorum effundendorum nimius ardor, hiſce muneribus, atque honoribus non debuerit excitari, teſtante Diuo Luca, *Actorum cap. 4. multitudinis credentium fuiſſe cor vnum, animam vnam, nec quemquam, eorum quæ poſsidebat, ſuum eſſe dixiſſe;* vbi paulo poſt addit, *& quotquot poſſeſſores agrorum erant, vel domorum vendentes, pretia eorum ante pedes Apoſtolorum afferre ſolitos.*

3. Verum iſto ardore in cordibus fidelium paulatim tepeſcente, conniuentibus ordinariorum oculis, ius patronatus in Eccleſiam furtim irrepſit, atque illud huc vſque ſuſtinuit Eccleſia, vt Innocentij III. verbis vtar. *in cap. 3. de iure patron.* quo nullum potentius inuenire poſſet remedium, ad excitandos fidelium animos, quos ad huiuſmodi ſibi ius retinendum, partim ambitio, partim auaritia impellebant.

4. Et in eo quidem patronos, vel etiam eodem fere motu excitatos dixerimus, quo impulſi, qui apud Romanos, operibus publicis renouandis, & perficiendis impenſas præbebant, vt nomina ſua fronti (ita edicente Imperatore) inſcribi curarent, vt patet *ex lege 2. §. vlt. & lege vlt. de oper. publ.* vel qui ludis publicis inſtituendis pecunias erogabant, vt heredes ſuos ludorum exhibitioni, tanquam agonothetas præeſſe mandarent, quod religioſiſſime obſeruandum tradit Modeſtinus *in lege ſeptima dig. de pollic.*

5. Ius itaque patronatus, inter onera Eccleſiæ, vel bonis ipſius impoſita annumeratur, quod & Carolus Molinæus, in plerique locis commentariorum *ad reg. de infirm. reſig. & de public. reſignat.* ſeruituti comparat, quo ſublato, Eccleſiam liberas ædes habere vbique iactat, nec enim in ſolo honore, nec in commodo, aut vtilitate conſiſtit, imo & in onere, quod quidam duobus hiſce verſibus expreſſerunt:

Patrono debetur honos, onus, vtilitaſque,
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

---

§. SECVNDVS.

De honore patronis exhibendo, & primum præſentationis.

1. *Honor deferendus patrono ab Eccleſia.*
2. *Comparatio iuris patronatus, iuri manumiſſionis.*
3. *Patronus vacanti Eccleſiæ, Clericum inſtituendum præſentare poteſt.*
4. *Collatio ordinarij, ſpreto patrono facta, firma permanet, ſi non conqueratur patronus.*
5. *Ius patronatus ſeruituti comparatur.*
6. *Patronus, inconſulto Epiſcopo, non poteſt Clericum inſtituere.*
7. *Iuris patronatus, definitio quædam traditur.*
8. *Vnde ius patronatus, dicitur commendatio Clerici.*
9. *Inſtitutio Eccleſiarum, pertinet ad diœceſanum Epiſcopum.*
10. *Ius præſentationis, ab initio non competebat patronis.*

1. PRimum igitur patrono ſuus honos debetur, *cap. nobis de iure patron. Rochus Curtius in tractatu de iure patron. in verbo honorificum,* nam quemadmodum in iure ciuili, libertis, patronorum perſona ſancta ſemper, & religioſa eſſe debet, vt dicitur *in lege 9. dig. de obſeq. par & patr. præſt.* ſic in iure canonico, in multis ius patronatus, iuri manumiſſionis aſſimilatur, & maximè in honore patronis debito, vt pluribus tractat ibidem Rochus Curtius in dicto tractatu.

2. Et rectè, nam vt patronus, ſeruum manumittendo, dedit eſſe quod antea non habebat ſi quidem in iure ciuili, pro nullis habentur *lege 32. dig. de reg. iur. & § 4. inſtit.*

Digitized by Google

de cap. diminut. ſic patronus ædificando, fundando, vel dotando Eccleſiam, effecit vt exiſteret, quæ antea non erat Eccleſia, vnde vtrique, tanquam parenti, patrono, & conditori, idem fere honos debetur, vt patebit ex ſequentibus.

3. Primus igitur honor patrono debitus, in eo eſt, vt vacante Eccleſia quam dotauit, clericum idoneum Epiſcopo, vel alteri ordinario præſentet, in Eccleſia inſtituendum, *can. abbatem 18. quæſt. 2. can. decernimus 16. quæſt. 7. cap. illud de iure patron. cap. ex inſinuatione eod.* ita vt, non poſſit ſpreto, & neglecto patrono Epiſcopus, clericum in eadem Eccleſia ordinare, ipſoque conquerente patrono, ordinarij collatio ſit penitus annullanda, *d. can. decernimus 16. quæſt. 7. cap. illud de iure patron.*

4. Et rectè annullanda dicitur collatio, ſic enim verba *d. can. decernimus irritam nouerit* interpretatur *Cardinalis Turrecremata ibidem*, id eſt irritandam, vel irritam nunciandam, vt dicitur in *d. cap. illud de iure patron.* non conquerente enim patrono intra debitum tempus, de quo infrà, valida & firma remanet collatio, non quaſi conualeſcat, ceſſante querela neglecti patroni, vt obſeruat *Molinaus ad reg. de infirm. reſign. num. 60. & 61.* ſed quaſi ex primæua natura, & ordinaria virtute, vires accipiat, vt explicat idem *Molinaus in notis ad d. can. decernimus 16. quæſt. 7.*

5. Eſt enim facultas nominandi patrono competens, vel querela neglecti, quaſi conditio collationi adiecta, quaſi ſeruitus liberæ collationi impoſita, qua ſublata, pura remanet collatio, quæ cum ſub ea conditione reſoluenda veniret, pura exiſtit deficiente conditione, & quaſi ab initio impedimento, & ſeruitute ceſſante, libera remanet, vt pluribus probat *ibidem Molinaus, & d. Louet. cum ſcholiaſte litt. P, num. 25.* quod confirmat pluribus decretorum curiæ Pariſienſis teſtimoniis in id deductis.

6. Sic nec patronus, propria auctoritate, & inconſulto Epiſcopo, poteſt clericum inſtituere, ſiue quod inſtitutio ſit ſpiritualis, quæ in laicum cadere non poteſt, *d. can. illud de iure patron. cap. præterea eod.* vbi excommunicationis pœna, clerico infligitur, qui inconſulto Epiſcopo, è manibus laici Eccleſiam recipit, ſiue quod ſit quædam mutua, & reciproca, in ipſa fundatione dicta lex, quæ vtrumque pariter obliget veluti inter clientem & dominum data fides.

7. Et quidem, ab ea facultate præſentandi clericum, in Eccleſia ordinandum ab Epiſcopo, tanquam à nobiliori parte, & titulo illuſtriori, plures definitionem iuris patronatus deſumpſerunt, cum per ſingulas ipſius partes, latius definitio vagaretur, ſic enim ipſum ius patronatus definiuit *Andræas Vallenſis ad titulum decretalium de iure patronatus, cui aſſentit Coraſius in paraphraſi ſacerdotiorum parte 4. cap. 6. num. 4. ius præſentandi inſtituendum ad beneficium vacans.*

8. Verum illa nominatio, ſeu præſentatio, patrono iure fundationis conceſſa, dicitur, commendatio clerici Epiſcopo facta, in *Concilio Arelatenſi ſub Carolo Magno cap. 5. Moguntinenſi ſub eodem cap. 30.* vt inde pateat quod mox diximus, patronum propria auctoritate, Clericum inſtituere, vel deſtituere non poſſe, idque ſoli Epiſcopo concedendum, *cap. 19. & vlt. de iure patron. Concil. Nannetenſi cap. 16. Turonenſi ſub Carolo Magno cap. 1. Moguntinenſi ſub Rabano cap. 12. Nou. Iuſtin. 57. cap. 2. & 123. cap. 18.*

9. Tum vero, quia cum inſtitutio, in iure ſpirituali potiſſimum conſiſtat, ſicut & electio, vt puta, quæ plenum ius in beneficio transferat, vt infra dicetur, in laicum cadere non poteſt, *cap. ſacro ſancta, cap. Meſſana de elect. & electi poteſt*, vel alium ab Epiſcopo, qui ſicut antea diximus, omnes diœceſis Eccleſias, conſecrare debet, & conſecratas pariter conferre, hæc eſt enim conſecrationi dicta lex, vel potius innata, vt in poteſtate, & diſpenſatione Epiſcopi remaneant, *can. omnes Baſilicæ 16. quæſt. 7.*

10. Et tamen illud conſtat, præſentationem illam, commendationem, ſeu nominationem patronis, & fundatoribus, ab initio non competiiſſe, ipſumque ius patronatus, quod in ſolo Prælationis honore erat, antiquius eſſe, ipſa nominandi facultate, primum delata *d. nouella conſtitutione Iuſtiniani Imperatoris 57. cap. 2. & 123. cap. 18.* & ab Orientali Eccleſia ad Occidentalem tranſmiſſa *Concilij Toletani 9. cap. 2.* quod ex eo tempore, vbique locum habere cæpit, vt obſeruat, *Ioan. Boſquetus in notis ad Epiſt. Innocentij 3. 123. & 192. lib. 3. regeſto 15.*

Digitized by Google

§. TERTIVS.

De Prælationis honore.

1. *Prælationis honor in quibus conſiſtit.*
2. Nota ad cap. 148. lib. 1. capitul. Car. Magni.
3. *Gelaſij Papæ reformatio habita in patronis.*
4. *Quid ſit proceſſionis aditus, & quomodo intelligendus.*
5. *Per proceſſionem, plerique præſentationem ſignificari putant.*
6. Canon Frigentius & can. piæ mentis 16. quæſt. 7. *ſua naturali ſententia redditi.*
7. *Temporibus Gelaſij Papæ, non erat locus præſentationi patronorum.*
8. *Varij cœtus Chriſtianorum, diuiſi, & ſeparati, in proceſsionibus Eccleſiaſticis.*
9. *Vnde peculiaris commemoratio patroni, in precibus in Eccleſia effundendis.*
10. Nota ad d. Canones frigentius & piæ mentis.
11. *Quid ſit proceſſionis honos, in* cap. nobis de iure patron.
12. *Varia ſignificatio honoris in proceſsionibus exhibiti.*

1. SEcundus honos patrono debitus, in eo maximè conſiſtit, vt in Eccleſia, ſiue cœtibus Chriſtianorum in ea conuocatis, primum & illuſtriorem locum obtineat, in proceſſionibus, ſiue priuatim, ſiue publicè indictis, cæteros præcedat, prior aqua benedicta aſpergatur, thuris ſuffitu excipiatur, priori eulogia, ſiue panis benedictus offeratur, & alia ſimilia deferantur de quibus pluribus egit, *Claudius Mareſchallus Aduocatus Pariſienſis in tractatu iuris honorifici.*

2. Et de his interpretari poſſumus, *cap. 148. capitul. Car. Magni lib. 1. vt Epiſcopi prouideant, quem honorem presbiteri, pro Eccleſiis ſuis, ſenioribus tribuant*, ſeniorum enim appellatione, plerumque in capitularibus, patroni Eccleſiarum, ſiue domini veniunt, qui & celtiſmo noſtro vulgari appellantur, *ſeigneurs*, & hic quidem honor patrono debetur, etiamſi nulla ſtipulatione ſibi cauerit, vt decretum narrat Chopinus in gratiam Vidi Chauuignei alias *Chauuigni* Baronis Caſtri Radulphi, & monaſterij Dolenſis fundatoris, contra eiuſdem abbatem *lib. 1. de ſacr. polit. tit. 4. num. 14.*

3. Et hæc quidem iura, quia patroni, inſolentius ſibi adrogabant, ideo Gelaſius Papa *in can. piæ mentis, & can. frigentius 16. quæſt. 7.* eis omnia illa iura ademit, ſolumque proceſſionis aditum, qui Chriſtianis omnibus, in commune debetur reſeruauit, vt ipſe teſtatur *in dd. can.* hoc eſt facultatem prodeundi in Eccleſiam, vel cum cæteris Chriſtianis, dum Eccleſia, cum Hymnis, & Canticis publicè procedit, vel conuentibus Chriſtianorum, in Eccleſia haberi ſolitis intereſſendi.

4. Sic enim interpretari licet, proceſſionis vocabulum, *in can. presbiteri 24. diſtinct. & can. præcepta de conſecrat. diſtinct.* 1. vt is ſit *dd. can.* ſenſus, poſt fundationem Eccleſiæ auctoritate ordinaria confirmatam, licere patrono, in Eccleſiam ſuam publicè conuenire, & cum omnibus Chriſtianis, quod aliàs non liceret, vt ſupra oſtendimus, *in cap. 2. de eccleſ. fundat. parte 1. §. 1. de Oratoriis priuatis*, & patet *ex d. can. præcepta de conſecrat. diſtinct.* 1. *& can. Luminoſo 18. quæſt. 2.*

5. Hoc tamen obſeruandum eſt, quod plures iuris Pontificij interpretes, atque etiam *gloſſa, in dd. can.* per proceſſionis aditum, ipſum ius præſentandi, & nominandi clericum, intelligendum aſſerant, ad eum errorem inducti, quod ſæpius, verbum illud *proceſsio*, ſiue proceſſus, promotionem ad dignitates ſignificet, vt *in lege 41. dig. de donat. inter vir. & vx.* vbi dicitur *vxorem viro ad proceſsus donare poſſe*, atque etiam, vt adnotauit *Seruius, ad primum Æneides*, vbi Pompeium, Cæſaris proceſſionibus inuidere dixit.

6. Verum *in dd. can.* verbum illud *proceſsionis aditus*, hanc ſignificationem admittere non poteſt, cum in iis Gelaſius, proceſſionis aditum, Chriſtianis omnibus, in commune deberi aſſerat, quod huiuſmodi præſentationi patrono debitæ, conuenire non poteſt,

Digitized by Google

cum in iure ſpeciali conſiſtat, ſoli patrono, & fundatori conceſſo, in cuius ſocietatem, & participationem, nemo alius admitti poteſt.

7. Verius igitur eſt, & temporibus Gelaſij Papæ conuenientius, dicere præſentandi facultatem, in vſu non fuiſſe, nec à patronis exerceri ſolitam, poſterioribus tantum temporibus, & conſtitutionibus præmiſſis, in ſuperiori §. inductam, vt hoc munere, ſimul & honore, tardiores alioquin, fidelium animi, ad fundationes Eccleſiarum excitarentur, vt innuere videtur, *Ioannes Boſquetus, in notis ad Epiſtolam Innoc. III. 123. & 192. lib. 3. reg. 15.*

8. Huius itaque nominis, communi appellatione ſeruata, *ex dd. can.* patet ante Gelaſium Papam, proceſſiones, ſiue litanias, ſic enim appellabantur, communes non fuiſſe, nec enim in illis fideles miſcebantur, ſed in varios cœtus diſtinguebantur, ita vt alia eſſet litania, ſiue proceſſio clericorum, alia monachorum, alia viduarum, alia infantium, alia puerorum, vt patet *ex epiſt. 29. Greg. Magni lib. 11. & ex d. can. presbyteri diſt. 24. & can. præcepta de conſecrat. diſt. 1.*

9. Et ea ratione ſubnixi patroni, & fundatores, ſibi propriam litaniam reſeruabant, cuius fortaſſe exemplo inualuit, vt in precibus publicis, peculiaris, & ſpecifica fieret commemoratio patronorum, & fundatorum Eccleſiæ, quod patroni ſæpius à Rectoribus parœciarum in id officium exequendum tardis, & negligentibus decretis curiæ Pariſienſis, exhibendum obtinuerunt, relatis ab eodem *Mareſchallo in d. tractatu iuris honorifici paſſim, & ad calcem operis.*

10. Cum igitur Gelaſius Papa, proceſſiones illas, maioris vnionis, inter fideles excitandæ gratia, in commune reduxiſſet, ad exemplum illius, quæ multitudinis credentium, cor vnum effecerat, *Act. cap.* 4. poſtquam fundationes, & dotationes Eccleſiarum, decreto ordinariorum approbatæ ſunt, ſolus, patronis, cum cæteris omnibus, communis aditus, ad eas datus eſt, ad quas ante conſecrationem, nec patronis, nec cæteris aliis, in participationem diuinorum miſteriorum, occurrere datum erat.

11. Verum Alexander III. vt legitur *in cap. nobis de iure patron. in 2. complat. decret.* licet in Gregoriana Clementi III. tribuatur, proceſſionis honorem, fundatoribus ſeruari iuſſit, ad quod *cap. Panormitanus* proceſſionis honorem, ita interpretatur, vt patrono Eccleſiam adeunti clericos proceſſionis honorem exhibere, hoc eſt proceſſionaliter, occurrere debere ſtatuerit, quem ſequuntur *Ant. de Butrio, in tract. de iure patron. ad capit. nobis de iure patron. Caſar. Lambertinus, in eodem tractatu quæſt. 1. numero 7. & ſeq.*

12. Sed tamen illud ita obſeruatur, ſi ea ſit patroni qualitas, & conditio, quæ maiori honore excipienda ſit, vt puta Rex, Princeps, Dux, & alij eminentioris conditionis, viri, quod in Eccleſia ſancti Marci Venetiarum obſeruari teſtantur, *ibidem Panormit.* & prædicti interpretes, dum duci, qui patronus eſt Eccleſiæ, Primicerium cum capitulo, proceſſionaliter occurrere ſolere contendit, in aliis enim inferioris notæ viris, proceſſionis honorem interpretantur, vt prior procedat patronus, & cæteris præire datum ſit.

§. QVARTVS.

De onere à Patronis ſubeundo.

1. *Quid ſit præceptum tutelæ, ſiue defenſionis Eccleſiæ.*
2. *Origo Aduocatorum, & defenſorum, cuiuſque Eccleſiæ, & vt cuſtodia Eccleſiæ patronis credita.*
3. *Differentia inter Patronos, & Aduocatos quoſlibet.*
4. *Quomodo apud Græcos, plebei, ſenatores patronos ſibi aſſumebant.*
5. *Ius illud Romam inuectum, ſed cum benigniori conditione.*
6. *Patroni quandoque occaſione cuſtodiæ, dotem Eccleſiæ, ſuæ adminiſtrationi creditam voluere.*
7. *Sed & eius prætextu bona clericorum diripiebant.*
8. *Patronus vacantis Eccleſiæ fructus ſibi retinere non poteſt.*
9. *Confirmatio Regaliæ temporalis, conſtitutionibus Pontificiis.*

Digitized by Google

10. *Improbatur apud nos, vſurpatio patronorum, in fructibus vacantium Eccleſiarum facta.*
11. *Dux Niuernenſis ſubmotus à perceptione fructuum prioratus Beatæ Mariæ Caritatis ſuper Ligerim vacantis, ratione iuris patronatus etiam ſequeſtri nomine.*
12. *Quinam patronorum tutelæ, & cuſtodiæ effectus.*
13. *Patronus poteſt conqueri, de mala Clerici adminiſtratione.*

1. HOnori patronis exhibendo, ſuccedit onus ipſiſmet impoſitum, illud autem potiſſimum conſiſtit, in defenſione, & tuitione Eccleſiæ, & bonorum eidem annexorum, ac etiam miniſtrorum in ea famulantium, quæ præceptum de tutela appellatur, apud veteres formularum ſcriptores, & *in notis Sirmundi ad Goffridi Vindocinenſis epiſtolas lib. 1. epiſt. 2.* vbi refert præceptum de tutela monaſterij Vindocinenſis, à Goffrido Vindocinenſi comite ſuſcepta, tanquam ipſius Eccleſiæ fundatore, & patrono.

2. Cum enim primitus in Eccleſia, aduocati, & defenſores, incolarum cuiuſque ciuitatis ſuffragio electi, ſingulis Eccleſiis præficerentur, vt notat *Balſamon ad can. 48. Concilij Carthaginenſis*, patroni in Eccleſiis ſibi ſubditis, iure fundationis & titulo, patrocinium illud ſibi adrogauerunt, vnde ſæpius patroni, aduocati, & defenſores appellantur, ipſumque ius patronatus aduocatia, *cap. præterea cap. cum autem, de iure patron. capit. quia eod. tit.*

3. Et vero qui in aliis Eccleſiis, Oeconomi, Vicedomini, Cuſtodes, & Gardiam habentes dicebantur; de quibus omnibus ſufficienter actum eſt, *ſupra in verbo cum ſuo reditu cap.* ● in Eccleſiis patronatui ſubmiſſis, patroni appellati ſunt, & ſub eo ſolo nomine, parem omnibus aliis poteſtatem exercebant, hac differentia tantum admiſſa, quod patroni, aduocati, & defenſores nati dicerentur, alij vero electionis ſuffragio crearentur.

4. Et eorum quidem patronorum, aduocatorum, ſeu defenſorum, antiquiora quædam veſtigia patent, & à noſtris non omnino aliena, in eo quod iure veteri obſeruatum fuiſſe docet, *Dion. Halicarnaſſeus, lib 11. antiquit. Roman.* primum apud Græcos, quo plebeis licebat patricios, & ſenatores ſibi patronos adſciſcere, quaſi tutores, & defenſores.

5. Sed cum durioribus conditionibus, & operis grauioribus, clientes premerent patroni, illud ius quidem, ſed cum benigniori obſeruatione, ſiue interpretatione laxiori, & leniori conditione, in ſuam ciuitatem Romulus aduexit, vt pleraque alia Græcorum iura, vt teſtatur *ibidem Dion. Halicarnaſſ.* & ex eo obſeruat, *Deſiderius Heraldus Aduocatus Pariſienſis lib. 2. de auct. rer. iud. cap. 5.*

6. Et quemadmodum Græci, ſuperbè clientibus vtebantur, ita patroni ſub prætextu, & colore iuris patronatus, plura ſibi adrogabant; primum enim dotem ipſius Eccleſiæ, ab Epiſcoporum adminiſtratione ſubtrahentes, ſuæ ordinationi, & diſpenſationi credebant, quod multis Conciliis damnatum habemus, *Tolet. 3. cap. 9. Vormat. cap. 6. & 55. Valent. can. 9. Meld. cap. 41. Bracar. can. 6. relato in can. ſi quis de conſecrat. diſtinct. 1. cap. præterea 4. & 23. de iure patron. can. nouerint 10. quaſt. 1.*

7. Sed & in ſuos vſus, conuertebant patroni, ſub defenſionis prætextu, & colore, & bona Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum clericorum, tum viuentium, tum morientium quandoque diripiebant, ſolo aduocatiæ, vel Caſtellaniæ titulo ſuffulti, quas in feudum perpetuum recognoſcebant Eccleſiæ, tanquam dominæ ſuæ, quam tamen ab iiſdem, in veram ſeruitutem redactam agnoſcimus, de cuius direptionibus, maxime in Eccleſia Cameracenſi, graſſantis abuſibus, queritur Boet. Epo *in tract. reg ſiue iure princip. in beneſ. num. 258. & ſeq.*

8. Secundo, tempore vacantis Eccleſiæ, ſub eadem iuris patronatus occaſione, fructus ſuos facere præſumebant, quod pariter reprobatum eſt *cap. generali de elect. in 6.* ex quo patet Gregorium X. in Concilio generali Lugdunenſi, eorum audaciam, & effrænem impetum condemnauiſſe, qui ſub prætextu Regaliæ, Cuſtodiæ, ſiue Gardiæ, Aduocationis, ſeu defenſionis, fructus vacantium Eccleſiarum, de nouo vſurpare tentabant.

9. Et ex eo capitulo plures, quia ſolos de nouo vſurpantes, condemnans ſummus Pontifex, eos tueri, & defendere videbatur, qui inueterata conſuetudine innixi, vacantium Eccleſiarum fructus percipiebant, Regaliæ noſtræ temporalis, confirmationem aſſumunt,

cuius iure Reges noſtri vtentes, vacantium Epiſcopatuum fructus percipiunt, donec nouus Epiſcopus, fidelitatis ſacramentum exhibuerit, quod autem in noſtris regibus, generalis Concilij auctoritate confirmatum eſt, in cæteris condemnatum colligimus.

10. Quod & pariter improbari contigit, nouiſſimis hiſce diebus decreto prætorianorum Iudicum, in publicis cauſarum actionibus pro lato die 30. Auguſti ann. 1646. in quæſtione quæ vertebatur circa poſſeſſionem Prioratus Beatæ Mariæ de Caritate ſuper Ligerim, inter Ludouicum Alphonſum *Dupleſsis* eminentiſſimum Cardinalem, & Archiepiſcopum Lugdunenſem, cui aderat *Angelus de Maſſac*, & dominum *Deslandes Paien*, in ſupremo Galliarum ſenatu, & in deaurata decuria ſenatorem, cuius patrocinium ſuſceperat *Claudius Galterus.*

11. Cum enim, Auguſtiſſimus Dux Mantuanus & Niuernenſis, iure patronatus, quod ſibi in eodem prioratu, competere probauerat, ex veteribus fundationis fœdis & monumentis (quorum teſtis eſt ſcientiſſimus, & oculatiſsimiles *Vidus Conchilius, in poſthumis reformat eccleſ. & libert. tractatibus*) fructus vacantis Eccleſiæ, ad ſe pertinere contenderet, ſaltem vt tanquam honorarius ſequeſter regeret, victorique reſtitueret, eiuſque contentionis, & intercesſionis gratia ſupplicem libellum obtuliſſet, cuius defenſio incumbebat, *Ægidio Lelaudier de Grois* eodem ſenatuſconſulto, quo in dicto prioratu, ipſe dominus *Deslandes*, conſeruatus eſt, Dux Niuernenſis à ſua ſupplicatione ſubmotus eſt,

12. Ius itaque patronatus, in ſola tuitione, & defenſione verſatur, quæ quidem velut tutoris defenſio, ex qua nomen ſuum ſortitur, cum præceptum de tutela appellari diximus, in principio huius §. ipſi Eccleſiæ vtilis, non grauis eſſe debet, vt patet ex præcepti de tutela Abbatiæ Vindocinenſis formula, à Sirmundo relata in *notis ad Goffridi epiſt. 2. lib.* 1. adeo vt nihil ex bonis patronatæ Eccleſiæ, attingere debeat, vt mox dicetur.

13. Huius autem tuitionis, & defenſionis iure, quemadmodum patronus, iure ciuili in libertum, & manumiſſum, libertate donata abutentem, querelam inſtituere poteſt, ſi libertatis immemor, ſeruilis ingenij nequitiam receperit *lege 3. cod. de lib. & eor. lib.* ſic & iure canonico receptum eſt, vt patronus aduerſus clericum, ſi bona Eccleſiæ dilapidet aut negligat, apud Epiſcopum quæri poſsit *can. filiis 16. quæſt. 7.*

---

§. QVINTVS.

De vtilitate, & commodo, ex iure patronatus deſcendente.

1. *Ordo & progreſſus materiæ, & cum ſuperiori connexio.*
2. *Licet patrono fundationis tempore, ſibi quædam retinere, modo Epiſcopi conſenſus acceſſerit.*
3. *In traditionibus rerum quæcumque pacta adiici poſſunt.*
4. *Nemo priuata auctoritate rem conſecrare poteſt, vel conſecratæ onera imponere.*
5. *Idem obſeruatum iure veteri Pontificio Romanorum.*
6. *Quæ ex iure patronatus deſcendunt, alia ipſo iure naſcuntur, & quę.*
7. *Patronus oneribus extraordinariis Eccleſiam grauare non poteſt.*
8. *Quid fodrum, quid albergariæ, quid regium, in* cap. præterea de iure Patronatus.
9. *Exhibitio patroni pauperis effecti, venit ex iure patronatus, nedum interpoſita cautione.*
10. *Exemplum iuris illius traditur à Vido Conchilio.*

1. NVnc agendum de commodo, & vtilitate, ex iure patronatus profluente, oneri, & incommodo, ſecundum naturam cuiuſque rei ſuccedente, imo & honori, nam vt in iure ciuili, non tantum honos patrono, ſiue manumiſſori, à libertis debetur, ſed etiam operæ, ſiue officiales, ſiue fabriles, quæ in vtilitate potiſsimum conſiſtunt, ſi tempore manumiſsionis, ſtipulatione ſibi cauerit, *l. 1. & 22. dig. de oper. lib.*

2. Sic

Digitized by Google

2. Sic in iure canonico, quædam commoda, ex bonis eccleſiæ, patronus ſibi ſtipulari poteſt, puta cenſum, ſingulis annis præſtandum, & alias indictiones extraordinarias, ſi modo ſtipulationi, ea de cauſa habitæ, Epiſcopus conſenſum accommodauerit, eaque tempore fundationis interuenerit, namque vlteriori tempore, non poteſt vlla onera imponere, quæ vocantur ſuperindicta in *can. generaliter* §. *placet 16. quæſt.* 1. quæ omnia pluribus probant, & confirmant, doctores, & inter plures *Rochus Curtius in tract. de iure patron. in verbo & vtile Cæſar Lambertinus ibidem quæſt. 3. art. 16. & quæſt. 11. art. 2. Boet. Epo in tract. de reg. & iure princip. in beneſic. num. 295. & ſeq.*

3. Et quamuis, vt dicitur in iure ciuili, traditionibus rerum profanarum, quæcumque pacta adiici poſſint, & adiecta ſeruari debeant, *lege 48. dig. de pact.* quod ſimiliter in rebus eccleſiaſticis obſeruandum reſcripſit Zeno Imperator, *in lege 15. cod. de ſacroſ. eccleſ.* tamen illud certum eſt, priuatam patroni conuentionem, qua in dotanda eccleſia, ſibi quædam commoda retinuerit, non valere, nec fundatori ius quodlibet adquirere.

4. Verum enim, qua ratione, ſola patroni voluntas, cui ordinarij, dotationem, vel fundationem eccleſiæ approbantis, auctoritas non acceſſerit, ipſum ius patronatus, conſtituere non poteſt, vel dotem conſecrare, vel diuinis miſteriis dedicare, adeo vt, profanus locus remaneat, vt probauimus ad verba definitionis *cum ſuo reditu cap. 2. de eccleſ. fundat. & dote*, ſic quod non valet in principali, nec in acceſſionibus, puta iuris patronatus conſtitutione, effectum ſuum ſortiri poteſt.

5. Sed & illud pariter obſeruatum, iure veteri Pontificio Romanorum, tradit Iacobus Gutherius, in ſenatu Pariſienſi patronus, *lib. 3. de vet. iure pontificio cap.* 11. quo cautum fuerat, ne quid ſacrum fieret, niſi à populo lege curiata, vel lege regia lata, à principe fuiſſet conſecratum, cui accedit quod dicitur, *in §. nullius inſtit. de rer. diuiſ.* res ſacras intelligi, quæ rectè per Pontifices, Deo conſecratæ ſunt.

6. Verum eorum, quæ ad ipſum patronum, ſiue fundatorem Eccleſiæ ſpectant, & pertinent, alia ipſo iure, & ex ipſius iuris patronatus natura veniunt, alia non niſi ex conuentione, ſiue ſtipulatione, tempore fundationis habita, inter priora nominatur, honos patrono exhibendus, facultas nominandi clericum, & alimenta vergenti ad inopiam debita, ea enim, etiam citra vllam conuentionem debentur, *cap. nobis 15. de iure patron. apud Greg. can. quæcumque 30. 16. quæſt. 7. gloſſa in can. pia mentis 16. quæſt. 7.* & maxime honos patrono debitus, vt habetur in perſcriptis Neuſtriæ conſuetudinibus *art. 142.*

7. Vltra autem hæc iura, nulla alia patrono debentur, niſi nominatim ſtipulatione, conſenſu Epiſcopi, & auctoritate approbata ſibi cauerit, vt dicitur in *cap. 3. de iure patron. apud Greg.* quod plenius refertur in *cap. 29. in prima collect. decretal. eod. tit.* in quo Lucius III. Pontifex maximus prohibet patronis, ne ſub prætextu iuris patronatus, inſtituant, vel deſtituant clericos ordinatos, quod & prohibetur *cap. 4. eiuſdem tituli,* eoſque extraordinariis collectis onerent puta fodro, & aliis ſimilibus.

8. Eſt autem fodrum, vt aliis placet, annonæ militares, vel vt aliis propius inſpicientibus, pabulum equorum, quod celtiſmo noſtro dicitur *foarre* alij annuas collectas interpretantur, vt videre eſt apud *Ant. Auguſtinum in notis ad primam collect. decretal. tit. de iure patron. Annonium. lib 5. cap. 3. de geſtis Francorum. Sirmundum ad capit. Car. Calui*, item nec Albergariis grauare poſſunt, quæ & ſunt alimenta, militibus iure hoſpitij præſtanda, vt hic interpretatur *Hoſtienſis in ſumma*, nec etiam regiis tributis, & ſimilibus *Boet. Epo in tract. de reg. & iure princip. in beneſ. num. 23. & ſeq.* vbi illud regium explicat.

9. Sola igitur vtilitas, & commodum, quod ex iure patronatus venit, in ſubſidium ipſius patroni, eſt exhibitio pauperis effecti, *d. cap. quicumque 16. quæſt. 7.* ad exemplum eius, quod iure ciuili obſeruabatur introducta, quo libertus, iure manumiſſionis tenetur patrono alimenta præſtare, *leg. 5. §. vlt. dig. de agnoſc. & al. lib. Rochus Curtius in tract. de iure patrono in verbo vtile.*

10. Et ea ratione euenit, vt cum quidam ſucceſſor Franciſci Raulini, Philippi Probi Ducis Heduorum Cancellarij, nec-non præbendarum, Eccleſiæ Beatæ Mariæ Auguſtodunenſis fundatoris, ad inopiam delapſus fuiſſet Diuionenſis ſenatus placito quod refertur à *Vido Conchilio in hiſtoria Niuernenſium*, ſine die & conſule vnius præbendæ reditus, alimentorum ſubſidio addictus eſt, ſecundum *d. cap. nobis de iure patronat. & can. quicumque 16. quæſt. 7.* ſæpius prædicandam diſpoſitionem.

Digitized by Google

§. SEXTVS.

Quibus modis, ius patronus adquiritur.

1. *Quibus modis, ius patronatus adquiritur.*
2. *Pluribus competere poteſt ius patronatus, & quot modis.*
3. *Quibus modis in concordiam adducendi plures patroni.*
4. *Ius patronatus fundatori, non aliàs competit, niſi in inſtrumento fundationis, ſibi retinuerit.*
5. *Sola deſtinatio nec ſeruitutem, nec ius patronatus conſtituere poteſt.*
6. *Longo tempore adquiritur ius patronatus.*
7. *Quæ differentia inter poſſeſſionem, & proprietatem iuris patronatus.*
8. *Vtrum priuilegio Apoſtolico, adquiri poſſit ius patronatus.*
9. *Quæ, iure patronatus conſtituto, naturaliter veniant.*
10. *Quibus modis ius patronatus amittitur, aut interquieſcit.*
11. *Probatur excommunicatione patroni, interquieſcere ius patronatus.*
12. *Item patrono nouæ ſectæ adhærente.*
13. *An relicta hæreſi, ius patronatus reſtituatur.*
14. *Maioris & Regij conſeſſus decretum prioris diſpoſitionis rigorem temperans.*

1. IVs autem patronatus, tribus potiſſimum modis adquiritur, fundatione, ſi quis fundum, ſiue ſolum, ædificandæ Eccleſiæ tradiderit, ædificatione, ſi ipſemet in alieno fundo ædificauerit, dotatione, ſi ædificatæ ab alio, dotem nouam aſſignauerit, aut veterem auxerit, *cap. 2. de iure patron.* vnde quidam hunc verſum compoſuerunt *patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus,*
quæ autem in dotanda, fundanda, vel ædificanda eccleſia, obſeruari debeant expoſuimus ad verba definitionis *cum ſuo reditu cap. 2. de eccl. ſ. fundat. & dote.*

2. Et quidem ex præmiſſis patet, plures patronos eſſe poſſe, vnius eiuſdemque eccleſiæ, non tantum pluribus, vni fundatori ſuccedentibus, ſed etiam ab initio, altero ædificante eccleſiam, altero dotem conſtituente, aut veterem augente, quo caſu, omnibus in ſolidum, ius patronatus debetur, eſt enim ex ſua natura indiuiduum, ſicut quælibet aliæ ſeruitutes, *l. 17. dig. de ſeruit. Rochus Curtius in tract. de iure patron. in verbo ius numero* 11.

3. Et ex eo eſt, quod omnes heredes, conuenire debent, in vnum clericum Epiſcopo nominandum, *cap. 1. 2 & 3. de iure patron.* alioquin præfertur, quem maior pars nominauerit *d. cap. 3.* quæſit autem maior pars, & an reſpectu minoris, vel totius congregationis dici debeat, tractat *ibidem Rochus Curtius in verbis ipſe vel is à quo cauſam habuit num. 6.* ſed & contentionis vitandæ cauſa, conueniri poteſt, vt alternis vicibus præſentatio habeatur *Clementina plures in verbis alternis vicibus de iure patron.*

4. Nec tamen omnibus fundatoribus, vel ædificantibus eccleſiam, ius patronatus debetur, cum enim ſit quędam ſeruitus, eccleſiæ libertati impoſita, vt pluribus probare tentat *Carol. Molin. in comment. ad reg. de infirm. & alibi paſſim*, non debetur, niſi tempore fundationis, aut dotationis, illud ius, ſibi nominatim ſtipulatus fuerit fundator eccleſiæ, eique ſtipulanti conſenſum, & auctoritatem accommodauerit Epiſcopus.

5. Et quemadmodum ſola reſeruatio, vel deſtinatio patrisfamilias, ſeruitutem conſtituere non poteſt, niſi vt cauetur *lege municipali Pariſienſium nouiſſima, art. 216.* in ſcriptis mandata ſit hæc deſtinatio, ita neceſſe eſt, vt inſtrumentum dotationis cauſa confectum reſeruationis iuris patronatus mentionem habeat, vt cautum eſt à Patribus Concilij Tridentini in *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 9.* ipſius abbatis Panormitani poſthabita ſententia in *cap. ſignificauit de teſt. in principio*, vbi patrono, ſiue fundatori Eccleſiæ, iura patronatus, ipſo fundationis iure, & titulo, deberi affirmat, niſi illud, ſpeciali conuentione remiſerit.

Digitized by Google

6. Rectè autem diximus, tribus potiſſimum modis adquiri, ius patronatus, quia, & aliis modis adquiri poteſt, puta immemoriali poſſeſſione, ſi quis tempore, memoriam hominum excedente, præſentandi iure vſus fuerit, non tantum in Eccleſia, iuri patronatus ſubdita, contra primæuum patronum, & fundatorem, vt docet *Couarruu. ad cap. poſſeſſor de reg. iur. in 6. parte.* 2 §. 10. ſed etiam in quacumque eccleſia, licet ab initio libera fuerit, diuturno enim illo tempore, quaſi poſſeſſio iuris patronatus adquiritur, in *cap. querelam de elect. & el. poteſt.* licet quælibet aliæ ſeruitutes, longo tempore adquiri non poſſint.

7. Cum vero agitur de iure patronatus, hæc diſtinctio maxime habenda eſt, vt ſi, de poſſeſſorio tantum, quæſtio ſit, vltimus beneficij ſtatus attendi ſufficiat, *gloſſa in cap. cum eccleſia ſutrina in verbo vltimo de cauſ. poſſeſſ. & propr.* ſi vero de petitorio controuerſia ſit, vltimo ſtatui beneficij, duæ, vel plures præcedentes vacationes, memoriam hominum excedentes, adiungi debent, in quibus, idem vſus iuris patronatus fuerit, *d. cap. cum eccleſia ſutrina de cauſ. poſſeſſ. & propr. Ioſias Beraldus ad art.* 74. *conſuetudinis Normanniæ.*

8. Nec non etiam priuilegio, adquiri poteſt ius patronatus, à ſummo Pontifice conceſſo videlicet (non ab inferiori antiſtite) propter plenitudinem poteſtatis, in quam aſſumptus eſt, & qua in adminiſtratione eccleſiæ, & bonorum eccleſiaſticorum vtens, de iure ſupra ius diſpenſare ſolet, *cap. propoſuit de conceſſ. præb.* licet illud apud nos, non vſquequaque ſeruetur, tanquam ordinariorum liberæ diſpoſitioni, & collationi contrarium, cui nulli obices, adiici poſſunt, niſi in ipſo fundationis actu, & inſtrumento dati ſint, vt ſupra oſtendimus.

9. Verum iure patronatus, altero ex his modis conſtituto, ſingulæ eius partes ordinariæ, & vulgares veniunt, veluti facultas nominandi clericum, honos patrono exhibendus, & alimenta vergenti ad inopiam debita, & ad patronum, quamuis in ſtipulationem deductæ non ſint, ſpectant, & pertinent, vt ſupra probauimus, *ex gloſſa in can. piæ mentis* 16. *quæſt.* 7. ea ratione, qua venditionem naturaliter ſequitur euictio, non vero quælibet aliæ, præſtationes extraordinariæ, quæ nominatim in ſtipulatum deduci debent, vt de officialibus, & fabrilibus operis dici ſolet, *lege* 1. *dig. de op. lib.*

10. Quamuis autem altero, ex his tribus modis, conſtitutum ſit ius patronatus, quandoque tamen interquieſcit, nec datur locus præſentationi, veluti ſi patronus, in hæreſim delapſus ſit, & apoſtaſiam, vel aliquo excommunicationis laqueo, irretitus fuerit, quamdiu enim, excommunicationis, apoſtaſiæ, vel hereſeos vinculis innodatur, non poteſt exercere ea, quæ ſunt iuris patronatus, veluti clericum epiſcopo inſtituendum præſentare, quod ex gratia, & beneficio eccleſiæ, conſequutus eſt, in quam qui committit, beneficio frui non meretur, argumento *legis vlt. cod. de iure delib.*

11. Namque illud in ſpecie patroni, maiore excommunicationis nota aduſti aliàs decreuit ſenatus, anno 1534. in cauſa quæ vertebatur, inter Ludouicum Seguierium, ſenatorem Pariſienſem, & Franciſcum Michaelem, vt ex collectione decretorum, cura & ſtudio, d. Longolij, curiæ Pariſienſis ſupremę ſenatoris facta, refert Ioannes Tournetius, Aduocatus Pariſienſis, in ſua compilatione beneficiaria, *litt. P. num.* 29.

12. Sed & nouiſſimè, in publicis cauſarum actionibus, die 6. Februarij, anni 1648. cauſam dicentibus Guilelmo Adamo pro appellante, Claudio Roberto pro Epiſcopo Carnotenſi, liti adſiſtente, Ludouico *Dubois* pro intimato, in præſentatione habita ab eo, qui nouæ ſectæ adhęrebat, qua neglecta Carnotenſis Epiſcopus, beneficium pleno iure contulerat, inualidam enim, & nullam, ipſius patroni querelam, diiudicauit ſenatus, tamdiuque facultate nominandi, vel præſentandi priuandum, donec eccleſiæ gremio, vel ipſe vel ſucceſſores eius redderentur, facultate illa, nequaquam exſpirante ſed veluti interquieſcente.

13. Et tamen aliàs, iuris canonici interpretes, & inter eos *Cæſar Lambertinus in tractatu iuris patronatus quæſt.* 8. *& art.* 2. *num.* 9. probauerunt patronum, hæreſim profitentem, ipſo facto, patronatus iure omnino excidere, ipaſmque Eccleſiam, adeo liberam effici, vt nec Eccleſiæ reddito patrono, reſtitui debeat, aliud enim iure noſtro ſeruatur, cum ipſum ius patronatus laicum, in patrimonio conſiſtat, cuius commodo, nequaquam priuari debet patronus, vel quilibet alius, propter immutatæ religionis crimem, vt patet ex ipſis, pacificationum edictis Regiis.

14. Quin & illud effecit, vt Rex Chriſtianiſſimus, pro tribunali ſedens in maiori conceſſu, decreti curiæ Pariſienſis ſupra laudati ſanctionem, quodammodo remiſerit iis, qui nouæ ſectæ adhærebant, namque poſteriori decreto, die 8. Iulij, anni 1651. pronunciato edixit, liberum fore patronis, nouæ ſectæ adhærentibus, procuratores demandare catholicos, quorum mandatum, omnibus notum fieret, & viciniotis iuriſdictionis Regię actis,

Digitized by Google

& ſcriniis inſinuaretur, vt ex eo, vacatione occurrente procuratores, idoneum clericum inſtituendum Epiſcopo præſentarent, ſaluo tamen iure, reuocandæ procurationis, modo alteri, legitime adſcriberetur, & præmiſſa forma, nota fieret reuocatio.

---

§. SEPTIMVS.

De diuiſione Patronorum, & variis differentiis.

1. *Ius patronatus triplex, Eccleſiaſticum, laicum, & mixtum.*
2. *Vnde ius patronatus nomen, & ſpeciem mutuetur.*
3. *Cuius ſpeciei ſit ius patronatus Academiæ Pariſienſi competens.*
4. *Tentatur eſſe laicum, & probatur decreto curiæ.*
5. *Probatur numquam definiuiſſe ſenatum de ea quæſtione.*
6. *Probatur eſſe Eccleſiaſticum, auctoritate gloſſæ pragm. ſanct. & exemplis.*
7. *Quod tempus patrono detur, ad præſentandum.*
8. *Ratio diuerſitatis in tempore ſtatuendo.*
9. *Quis præferendus, in duobus nominatis à patrono.*
10. *Patronus Eccleſiaſticus incapacem præſentans, cadit iure pro hac vice, non vero laicus.*
11. *An ſummus Pontifex, vel legatus, conferre poſſit ſpreto patrono Eccleſiaſtico.*
12. *Nec Legatus, nec S. P. poteſt conferre, ſpreto patrono laico, ne quidem ex cauſa permutationis.*
13. *Quid dicendum de permutatione, ſpreto patrono facta.*
14. *Iure noſtro non valet derogatio, iuri patronatus laici.*
15. *Quę ſunt regulę iuris patronatus mixti.*
16. *Probatur quæcumque priuilegia, iuri patronatus queſita, in eo locum habere.*

1. PAtronorum autem, alij ſunt Eccleſiaſtici, alij laici, qui & iuri patronatus, nomen ſuum indiderunt, vt aliud ſit laicum, aliud Eccleſiaſticum, quibus doctores addunt, tertiam quamdam, iuris patronatus ſpeciem, quod mixtum appellatur, partim laicum, partim Eccleſiaſticum, ſed vt huic diuiſioni, lux quædam fiat, ſciendum eſt, alios iuri patronatus, à perſonis, quibus competit, nomen imponere, vt quod Eccleſiæ, ſiue clerico debeatur, Eccleſiaſticum, quod laicus obtineat, laicum, & quod coniunctum laico, & Eccleſiaſtico debetur, mixtum appelletur.

2. Sed verius eſt, illud ius, non à perſonis, ſed rebus, quarum ratione debetur, denominationem ſortiri, eodem modo, quo ſeruitutes reales, & prædiales, in iure ciuili, vrbanæ, aut ruſticæ dicuntur, à prædiis, quibus debentur, adeo vt, quod ratione Eccleſiæ debetur, eccleſiaſticum, quod ratione patrimonij, laicum appelletur, quod tum ratione eccleſiæ, tum ratione patrimonij competit, mixtum eſſe dicatur.

3. Et ex ea denominandi ratione, nata eſt quæſtio illa celebris, & aliàs in foro agitata, cuius naturæ, & conditionis æſtimari debeat, ius patronatus, Academiæ Pariſienſi competens, in Eccleſiis parochialibus, ſancti Andreæ ab Arcubus, ſancti Germani Veteris, ſanctorum Coſmæ & Damiani, in ipſa Lutetia, quod poſſidere dicitur, ex permutatione habita, cum regularibus ſancti Germani Pratenſis, quibus, ratione eccleſiæ, adquiſitum erat.

4. Sed & illud plerique, poſt illuſtrem diſputationem, in publicis cauſarum actionibus, in auditorio ſenatus Pariſienſis habitam, iuri patronatus laico, redditum voluere, decreto anni 1586. die 22. Auguſti quod refertur, in collectione actionum Foreſium à dom. Seruino Aduocato Regio habitarum, qui tunc præſentati ab Academia Pariſienſi partes tuebatur, contra Ant. Oiſellium, qui reſignatarij in curia Romana, defenſioni

aderat, cuius & actio tipis edita iungenda, qua contendebat, ius patronatus, Academiæ Pariſienſi quæſitum, in parochiali eccleſia ſanctorum Coſmæ & Damiani, eſſe eccleſiaſticum, quo preto & neglecto, in curia Romana reſignatio peragi potuerat.

5. Verum nec adhuc curia Pariſienſis, definitiuo iudicio, dubiæ quæſtioni clauum refixit, namque amplius deliberandum edixit præmiſſo decreto, licet propter violentam, continuanda ſucceſſionis in beneficio, per fraudulentam, & diutius occultatam reſignationem, vindicias candidato Academico addixerit, vt in altero decreto, anni 1570. die 18. Aprilis perorantibus Choarto & Thorodeo, quamuis *Renatus Chopinus lib. 3. de Domanio tit. 24. num. 12.* ex temporali iudicio, vltimam deciſionem additam referat, decreto anni 1573. de die 5. Septembris, in fauorem Academiæ Pariſienſis, cui facultas nominandi, intra quatuor menſes, ad ſacellum vacaturum in æde parochiali, ſancti Andreæ ab Arcubus, adiudicata refertur, ſeruato tamen veteri capellano, in ſua pacifica poſſeſſione, cuiùs cum nihil intereſſet, quid de nouo fieret, augurari licet, decreto conſenſum accommodaſſe.

6. Namque Gloſſator pragmaticæ ſanctionis *tit. de collat. §. item quod ad dictas in verbo nominare*, concludere videtur, Academiam Pariſienſem, potius eccleſiaſticum quam laicum corpus reputari, & eadem ratione, eam *gloſſator in d. tit. de collat. §. ſtatuit in verbo præſentatio*, atque etiam *Probus in addit. ad dictum locum, & in tit. de elect. cap. licet § quod ſi quis in verbo fabrica, & ibidem Probus addit.* 1. docent vnanimes, ius patronatus Beguinis, & Procuratoribus fabricarum eccleſiaſticarum adquiſitum, eccleſiaſticum cenſeri, dubitat tamen *Couarruuias pract. quæſt. cap. 36.* num ius patronatus, confraternitatibus delatum, ſit laicum, vel eccleſiaſticum, & probare videtur eccleſiaſticum cenſeri ſi in eccleſia, ſtationem habeant confraternitates, verum in eo definit, iurepatronatus laici vti, & ita apud Hiſpanos ſeruari, his tamen omnibus miſſis, ius patronatus Academiæ Pariſienſi adquiſitum, potius videtur eccleſiaſticum, quam laicum, maxime ſi originem ſpectemus.

7. Inter eas autem iuris patronatus ſpecies, plures differentia conſtitui poſſunt, quarum prima eſt, in tempore, ſingulis patronis attributo, intra quod, clericum nominare poſſint, patronis enim eccleſiaſticis, ſex menſes conceduntur, laicis quatuor tantum, *cap. eam te, & cap. cum propter de iure patronatus*, quæ tamen differentiæ, perſcriptis Neuſtriæ moribus excluditur, vt patet ex ſpeciali *tit. de iure patronatus art. 1. aliàs 69.* cuius diſpoſitione vtrique patrono, & laico, & eccleſiaſtico, ſex menſes, nominationi faciendæ præſcripti ſunt.

8. Et tamen hanc differentiæ rationem, iure canonico ſtatutam, obſeruare poſſumus ex eo quod, eccleſiaſtico patrono, variare non licet, cum variatio, & illuſio, in perſonis eccleſiaſticis, maxime ſint vitandæ *cap. 1. de renunciat. in Clem.* & ideo plenioris deliberationis gratia, tempus producitur, vt interim inquirat, in mores præſenrandi clerici, laico autem patrono variare licet, & ex eo coarctatur tempus nominandi, ne diutius in incerto beneficia maneant, & ex ea differentiæ ratione, duæ aliæ profluunt differentiæ, ſecunda & tertia.

9. Secunda igitur eſt, quod in duobus, ab eccleſiaſtico patrono præſentatis clericis, primo exhibitus collatori, potiori iure vtitur, *cap. cum autem de iure patron.* cum in præſentatione, ſeu nominatione duorum, à patrono laico habita, facultas detur Epiſcopo eligendi, quem voluerit, *d. cap. cum autem*, vel ſaltem poſteriori loco nominatus, præferri debeat.

10. Tertia eſt, quod patronus eccleſiaſticus, incapacem, & indignum nominando, alium ſubrogare non poteſt digniorem, ſed hac vice, præſentandi facultate priuatur, plenumque ius conferendi, & liberum, ad Epiſcopum deuoluitur, *cap. cum in cunctis de elect. & el. poteſt.* patronus autem laicus, præſentationem incapacis, digniori nominatione, emendare poteſt.

11. Præter ſuperiores differentias, hæc addenda eſt, quod ſummus Pontifex, & Legatus à latere, ſpreto patrono eccleſiaſtico, conferre poſſunt beneficia, iuri patronatus ſubdita, *cap. cum dilectus de iure patron.* cum patroni eccleſiaſtici perſona, ipſumque ius patronatus eccleſiaſticum, & ſpirituale ſit, & illorum omnimodæ iuriſdictioni ſubiiciatur.

12. At vero neglecto patrono laico neuter beneficium conferre poteſt, nequidem ex cauſa neceſſaria, veluti permutationis, vt aliàs decreuit ſenatus 21. Februarij anni 1602. & teſtatur *Ludouicus Seruinus in actionibus forenſibus*, quamuis in patronis eccleſiaſticis, conferendi, vel præſentandi neceſſitas, id effecerit, vt etiam irrequiſitis, ad collationem procedere poſſint ordinarii, quo iure vtimur in Gallia vt paſſim teſtatur *Molinæus ad regu-*

lam de infirmis num. 40. *& ad regulam de public. num.* 184. *& in notis ad cap. quæſitum* 5. *in gloſſa verbi epiſcopus, ibi auctoritate propria de rer. permut. & ad cap. vnicum in gloſſa conferantur, ibi Concilium Turonenſe eod. tit. in Clement.*

13. Quamuis enim ius canonicum, in ſummo Pontifice, facultatem iuri patronatus derogandi, approbauerit, propter plenitudinem poteſtatis, illi attributam, qua de iure ſupra ius diſpenſare ſolet, *cap.* 4. *de conceſſ. preb.* cum hac tamem diſtinctione, vt in iure patronatus laico, ſpecialis derogatio neceſsaria ſit, in eccleſiaſtico, ſola generalis ſufficiat, vt habetur in *deciſ. Rotæ, & apud Rochum Curtium, & alios auctores iuris patronatus.*

14. Illud tamen, Galliæ noſtræ moribus obſeruatur, vt non valeat iſta derogatio, cum ius patronatus laicum, mere ſit temporale, & in patrimonio conſiſtens, ſicut &, de in feudum datis decimis dictum eſt, cuius diſpenſandi, vel diſponendi, ſummus Pontifex, facultatem non habet, ne in meſsem alienam, falcem ſuam mittere videatur, quod multis ſupremæ curiæ placitis, comprobatum eſse obſeruat, *ſcholiaſtes D. Louetij litt. P, numero* 25. quod pariter obſeruari docet in Hiſpania *Couarrunias pract. quæſtion. capite* 36.

15. Cæterum in mixto iure patronatus, illud obſeruandum eſt, participem habere naturam vtriuſque, & ſecundum illam, regi, & æſtimari, cuius plenius, & pingnius eſt beneficium, itaque tempus ſex menſium, à iure patronatus eccleſiaſtico mutuatur, *gloſſa in cap. vnico §. verum de iure patron. in* 6. ſicut à communione iuris patronatus laici, id accipit vt neque ſummus Pontifex, neque Legatus à latere, ipſi poſſit derogare.

16. Hæc enim natura eſt communionis, vt quod in altero optimum eſt, id in cæteras partes ſeſe diffundat, vt in iure ciuili obſeruatur, dum maior, propter communionem negotii, cum minore contracti, reſtituitur, vel vtitur beneficio pupillaris ætaris, vt conſtat *ex lege ſi communem dig. quemadmodum ſeruit. amitt.* & aliàs pluribus confirmauimus *ad verba definitionis quædam cap.* 3. *de prohib. benef. vnione num.* 19. & 20.

---

§. OCTAVVS.

De penſionibus Eccleſiaſticis, & earum origine.

1. *Penſio Eccleſiaſtica definitur, & ordo huius diſputationis redditur.*
2. *Penſionum Eccleſiaſticarum origo inquiritur.*
3. *Vſus penſionum iure veteri, & earum exempla.*
4. *Aliud exemplum penſionis Eccleſiaſticę refertur.*
5. *Querela circa frequentiorem penſionum vſum.*

1. ALterum onus eccleſiis, ſiue beneficiis, vel perſonis eccleſiaſticis, impoſitum eſt, penſio eccleſiaſtica, quæ miſſis pluribus aliis definiendi modis, *ab Hieronimo Gigante, & Paulo Romano in tract. de penſ. eccleſ.* traditis, definiri poteſt, *moderata quadam beneficij delibatio, auctoritate ſuperioris, ad tempus, ex cauſa, alicui aſsignata*, cuius definitionis ſingula verba, breuiter percurrendo, ipſius penſionis eccleſiaſticæ naturam explicare, facile erit.

2. Si modo præmiſerimus, antiquum fuiſſe in eccleſia, penſionis vſum, ſed longe alium fuiſſe, ab eo, qui nunc inualuit, quod vt pateat manifeſtius, ſciendum eſt, primitus, totam penſionum eccleſiaſticarum creationem, à ſuperiore, & modum, & rationem habuiſſe, nec priuata conuentione, conſtitui potuiſſe, ſola & vnica ſuperioris voluntate, hoc onus pro libito, beneficiis imponenre.

3. Sic enim referente *Theodoro Balſamone ad nomocanonem Photij & ſynodum Epheſinam*, cum Euſtatius Epiſcopus Pamphiliæ, ætate, & morbis grauis, & impeditus, multis ſuſpiriis impetraſſet, vt Epiſcopale munus, & officium, ei abdicare liceret, ætatis ratione perpenſa, nec non laborum, quos eccleſię fouendę occaſione ſubierat, & Epiſcopale nomen, & dignitatem retinere, certamque ex fructibus Epiſcopatus penſionem, ſingulis annis pręſtandam delibare datum eſt.

4. Sic Calchedonenſis Synodi Patres, Maximum in Dumui vicem, & Anthiochenæ

Eccleſię præfecturam, ſubeligentes Dumno diurnum victum, ex reditibus eiuſdem Eccleſię, ſubminiſtrari iuſſerunt, vt legitur in *Calchedonenſis ſynodi Act.* 80. & eodem ſpectat, quod refertur *eiuſdem ſynodi Act.* 12. Calchedonenſis Synodi Patres Stephanum, & Baſſianum, qui per ſordes, & ambitum, ad Epheſinam Eccleſiam electi fuerant, ab eadem ſubmouiſſe, ſingulis, annuos ducentos ſolidos, quaſi repulſæ ſolatium, & in vitæ ſubſidium aſſignanres.

5. Sed cum parciſſime, apud veteres Eccleſiæ Patres, nec niſi cauſis legitime perpenſis, penſionis Eccleſiaſticæ onus indiceretur, Eccleſiaſticorum ambitio, & auaritia, in frequentiorem, imo & quotidianum vſum inuexit, qui ab Eccleſiâ potius toleratur, quam permittitur, & quamuis penſionum abuſui, conniuere videatur Eccleſia, certis tamen regulis, laxiorem vſum cohibuit, ſingulis definitionis verbis exponendum, vt mox propoſuimus.

---

§. NONVS.

In quibus conſiſtere poſſit penſio.

1. *Quid delibationis verbum in definitione penſionis Eccleſiaſticæ.*
2. *Penſio non poteſt inhærere titulo beneficij.*
3. *Nec in quota fructuum beneficij reſidere.*
4. *Penſio in certa pecuniæ quantitate annuatim perſoluenda conſtitui debet.*

1. PRimum igitur penſio Eccleſiaſtica, dicitur *delibatio beneficij*, vt legatum dicitur, delibatio hæreditatis, *lege legatum* 116. *de leg.* 1. quia quemadmodum legatum, quid detrahit ex eo, quod vniuerſum foret heredis, ita beneficiario ad quem alias, omne emolumentum beneficij pertineret, ex regulis iuris canonici, vt *beneficia ſine diminutione conferantur*, penſionis creatio, partem aliquam abſtrahit, ſaltem fructuum.

2. Nec tamen putes, cum dicitur penſionem, eſſe beneficij delibationem, illud onus, titulo beneficij imponi poſſe, tunc enim ſcinderetur beneficium, contrà Turonenſis Concilij, ſub Alexandro Tertio habiti ſanctionem, vt patet ex epiſtolis Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi, ad eumdem Pontificem, & ſermone ab eo habito, in ea ſynodo, cui & ipſe interfuit, quo cautum eſt, vt vni ſacerdoti, vnum ſacerdotium, ſiue beneficium conferatur, nec inter plures ſcindi poſſit, *capit. maioribus capit. cum non ignores de præbendis.*

3. Nec tantum illud eueniret, ſi titulo beneficij inſideret, illud onus penſionis, ſed etiam, ſi in quota fructuum, cum enim definierimus beneficium, *militiam quamdam cum ſuo reditu*, huic militię reditum, ita annexum probauimus, vt inuicem ſeparari non poſſint, nec minus, reprobatur ſectio beneficiorum in reditu, quam in titulo, vt ſupra diximus, ad verba definitionis noſtræ *cum ſuo reditu*, quod & manifeſtius indicat particula definitionis *ſuo*.

4. Penſio itaque, conſtitui debet, in certa pecunię quantitate, ſingulis annis pręſtanda, non in certa, aut quota parte fructuum, vt probat *Hieronimus Gigas in tract. de penſ. eccleſ. quæſt.* 8. quidquid in contrarium teneet *Carolus Molinæus ad reg. de public. reſignat. num.* 278, nec minus tamen dicitur penſio, delibatio beneficij, eadem ratione, qua legatum definitur, delibatio hereditatis, quamuis pecunia, aut res aliena legata ſit, quæ extra corpus hereditatis eſſe dicuntur.

---

§. DECIMVS.

De modo penſionis.

1. *Penſionis moderatio ad exemplum falcidiæ reducta.*
2. *Penſio ad tertiam partem fructuum reducenda.*

Digitized by Google

3. *Moderatio penſionis Eccleſiaſticæ, quo iure inducta.*
4. *Si penſio exceſſerit, etiam conquerente reſignatario, reduci non debet.*
5. *Penſio beneficiis curam animarum habentibus impoſita, reprobatur.*
6. *Ratio improbandę penſionis, beneficiis curatis impoſitæ.*
7. *Nec tamen in iis conſtituta penſio, viuente aut conquerente reſignatario, reduci poteſt, aut extingui.*

1. NEc vero immoderata eſſe debet, hæc delibatio, per penſionem inducta, quod prænotatur his verbis definitionis, *moderata* quemadmodum enim, laxiorem legandi facultatem, lege 12. tabularum conceſſam (ad cuius exemplum, penſionis vſum, ab initio reduximus) lex falcidia cohibuit, ne hæres ob nullum, aut minimum lucrum, hereditatem abnueret, ita penſionum, libertas nimia, ſuis terminis, & finibus fuit coarctanda, cum ambitio vel auaritia clericorum, fines nullos faceret, vnde ceſſante reditu, & beneficio, ſæpius deficiebat officium.

2. Vt igitur huic incommodo, medela quædam daretur, ſtatutum eſt, penſionem Eccleſiaſticam, tertiam partem fructuum beneficij, nec poſſe, nec debere excedere, non vt in ea parte conſiſtat, vt ſuprà admonuimus, ſed in quantitate pecuniæ, eam partem adæquante, & hæc eſt, communis opinio doctorum, qui de ea materia tractatum habuerunt, Pauli Romani, Caſſialupi, Gigantis, & Delphinatis.

3. Et hæc quidem moderatio, licet in vniuerſum, & iure communi recepta ſit, apud nos tamen, iure ſpeciali, & proprio eſt confirmata, nempe conſtitutione *Caroli VI.* quæ refertur in collatione conſtitutionum regiarum, namque Reges noſtri, tanquam diſciplinæ, exterioris Eccleſiaſticæ, ſupremi moderatores, & arbitri, id ſemper curæ habuerunt, vt diuinorum officiorum miniſtris, ſua merces plenior, & integrior ſeruaretur.

4. Verum illud ita inductum eſt, vt ſi mutua, & reciproca contrahentium ſtipulatione, producta ſit, vltra metas, & ad maiorem quantitatem, penſionis creatio, nec etiam, reſignatario conquerente, reduci poſſit, propter fidem mutuo datam, cui ſtare conueniens eſt, inquit, *Vlpianus in lege 1. dig. de pactis*, quod pluribus curię Pariſienſis placitis, comprobatum eſſe refert, *Iulianus Brodæus ad d. Louetium littera P, numero trigeſimo.*

5. Nec vero in eo, differentia conſtituenda eſt, inter beneficia, curam animarum habentia, & ſimplicia, in vtriſque enim, fidem ſeruari, ęque neceſſe eſt, licet penſionis, in beneficiis curam animarum habentibus, veluti parochialibus Eccleſiis, conſtitutę, ſtrictiorem interpretationem, admittant, & vetera curię placita, penſiones eis impoſitas, improbauerunt, vt refert *Annæus Robertus lib. 1. rer. iud. cap. 7.* & pluribus probatum habemus, in *nouiſſimo commentario ad collectionem lib. eccleſ. Gall. Petri Pithæi art. 50.*

6. Et eo maxime id ſtatutum, quod cum in illis beneficiis inſtituti, totum clericorum officium, impleant, quod in tribus potiſſimum conſiſtit, Euangelij doctrina, Sacramentorum adminiſtratione, & Miſſarum celebratione, iniquum eſſe videatur, vt ex ipſis reditibus, & fructibus, huic miniſterio deputatis, pars quędam auferatur ab illis, qui in vinea Domini, nullo modo operantes, tota die ſtant otioſi, contra Euangelij doctrinam, quę ignauos vetat laborantium alimenta ſubripere, ſed eos Deum, ex præcepto Apoſtoli ſtatuit, temporalia metere, qui ſeminant ſpiritualia.

7. Verum contrarius ab eo vſus inualuit, & placuit, propter fidem, à reſignatario datam, penſionis creationem valere, ſuumque debere ſortiri effectum, etiamſi vltra tertiam partem fructuum, conſtituta ſit, nec reſcindi poſſe, vel remedio appellationis tanquam ab abuſu, ne in crimem læſæ fidei incidat reſignatarius, quod maximè, ab Eccleſiaſticis perſonis, alienum eſſe debet, vt ſupra confirmauimus, *ex d. Clement. vnica de renunciat.* idque ſimiliter placitis curię Pariſienſis firmatum tradidere, idem *Brodæus litt. P, num. 32. & Rob. lib. 1. rer. iud. cap. 7.*

§. VNDECIMVS.

Quis creare poſſit penſionem.

1. *Penſio conſtitui non poteſt, niſi ſuperioris auctoritate interueniente.*
2. *Solus S. P. penſionem conſtituere poteſt.*
3. *Penſionis conſtitutio, ſimoniæ labem redolet.*
4. *Licet penſio, priuata auctoritate conſtitui non poſſit, eadem tamen interueniente remitti poteſt.*
5. *Ratio differentiæ ſtatuitur.*

1. SVccedit in definitione, auctoritas conſtituentis penſionem, vel conſtitutam approbantis, his verbis expreſſa *auctoritate ſuperioris*, nec enim ſola priuatorum cautione, vel conuentione conſtitui poteſt, cum enim hæc penſionis, ſiue alterius oneris, vel cenſus, Eccleſiaſticis bonis impoſitio, ſit quædam alienationis ſpecies, vel diſtrahendi modus neglecta ſuperioris auctoritate, conſiſtere non poteſt, *can. Abbatibus* 12. *quæſt.* 2. vt de alienationibus rerum eccleſiaſticarum diximus ſupra.

2. Hæc autem differentia inter penſionis creationem, & alterius oneris quamlibet impoſitionem, conſtituenda eſt, quod cum, quilibet alij cenſus, vel onera, Epiſcopi, vel alterius ordinarij confirmationem ſolam exigant, vt abunde tractatum eſt, de iure patronatus ſupra, vt de cæteris alienationum ſpeciebus, in verbo definitionis *cum ſuo reditu cap.* 3. ipſa penſionis conſtitutio, ſummi Pontificis auctoritate comprobari debet, *cap. niſi eſſent de prab.*

3. Cum enim quælibet penſionis retentio, quamdam ſimoniæ labem ferat, & ſit quodammodo ſacris canonibus aduerſa, qui vetant in collationibus, diminutionem beneficiorum fieri, *cap. conſtitutus de rellig. dom. cap. vnico vt eccleſ. benef. ſine diminut. conf.* quod pariter, de omnibus pactionibus circa beneficia, dicitur, *in cap. conſtitutus cap. propterea de tranſact.* ſolus ſummus Pontifex, labem illam, ſiue notam, & maculam abſtergere poteſt, *Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſſ. num.* 105. *Gigas de penſ. eccleſiaſt. quæſt.* 4.

4. Nec tamen illud, ſicut in conſtituenda, ita in remittenda penſione, dicendum eſt, neceſſariam eſſe, ſummi Pontificis auctoritatem, licet enim iure Ciuili, & Pontificio receptum ſit, vt vnum quodque, eodem modo diſſoluatur, quo colligatum eſt, *cap. omnis res de reg. iur. in* 6. *lege* 35. *dig. de reg. iur.* tamen illud ſeruari non poteſt, in remiſſione penſionis Eccleſiaſticæ.

5. Verum enim, cum penſio Eccleſiaſtica, ſit quædam ſeruitutis ſpecies, libertati Eccleſiaſticæ impoſita, ſicut ius patronatus, ideo liberandæ Eccleſiæ gratia, (cuius libertas potiſſimum ſpectanda) vtrumque onus, priuata pactione remitti poteſt, quemadmodum in iure ciuili, licet ſeruitutes, longo tempore adquiri non poſſint, non vtendo tamen per tempus, amittuntur, vt notat *Hieron. Gigas in tract. penſ. & Ioann. Delphinas in floribus iuris patronatus penſ. & permut.*

§. DVODECIMVS.

Quibus modis finiatur penſio.

1. *Penſionis retentio, vſusfructus conſtitutioni comparatur.*
2. *Penſio non vacat morte, ſicut beneficium.*
3. *Penſiones congruæ, beneficiis annumerantur, & vacant vt beneficia.*
4. *Portionis congruæ taxatio, conſtitutionibus Regiis, & placitis curiæ data.*
5. *Quæ in portionem congruam, imputari debeant.*
6. *Probatur minutas, & virides decimas, imputari debere.*

Digitized by Google

7. *Exponitur ſimilitudo penſionis, & falcidiæ in detractione.*
8. *Penſio ſola morte penſionarij, ſiue eius cui debetur, extinguitur.*
9. *Similitudo penſionis, & vſusfructus.*
10. *Differentia inter beneficia ſimplicia, & curam animarum habentia.*
11. *Penſio immoderata beneficiis ſimplicibus impoſita, reduci poteſt ad legitimum modum, ſi morte vacauerit beneficium.*
12. *Penſio, beneficiis curatis impoſita, morte grauati extinguitur.*
13. *Illud inductum, fauore adminiſtrationis curæ animarum.*
14. *Confirmatur vſus ille decretis curiæ Pariſienſis, etiam in Neuſtria.*

1. PRæterea, ex his definitionis verbis *ad tempus*, patet penſionis indictionem, non poſſe eſſe perpetuam, ſed ad tempus præſtari, vnde Doctores illam vſufructui comparauere, cuius ne inutilis foret proprietas, abſcedente vſufructu, retentio perpetua eſſe non debet, ſed morte fructuarij extinguitur, *§. finitur inſtitut. de vſufructu & habit. lege antiquitas cod. de vſufr.* ita etiam penſio, morte creditoris, ſiue illius, in cuius gratiam eſt conſtituta, extinguitur.

2. Nec enim morte penſio vacare dicitur, quemadmodum beneficium, vt ab alio obtineri poſſit, nec extincta vllatenus reuiuiſcit, quod ita notum eſſe ait *Ioannes Coraſius de re ſacerd. parte 1. cap.* 4. vt probatione non indigeat, & vna hæc eſt, ex illis rationibus, quibus probauimus ſupra penſiones, beneficiis non eſſe annumerandas, in *cap. 4. de benef. diuiſ. ad verbum definitionis militia.*

3. Sunt tamen quædam penſiones, quæ & perpetuæ ſunt, & ſicut beneficia, vacare intelliguntur, & vacantia conferri poſſunt, puta illæ, quæ vicariis perpetuis, de quibus ſuprà diximus, aſſignantur, & vocatæ ſunt, portiones congruæ, quaſi ſuſtentatio congrua, clerico debita, vt dicitur in *Clement. 1. de iure patron.* ex qua patet congruam dici, ex qua, & iura Epiſcopalia ſoluere, & ſuſtentationem congruam, habere licet *Rebuff. in tract. congruæ port. paſſim & vbique.*

4. Sed & hæc portio congrua, iure noſtro Gallico, diuerſam habuit taxationem, primum enim conſtitutione Caroli IX. Francorum Regis, ad 120. libras, omni onere liberas, reducebatur, inde variis curię placitis, ad 150. primum producta, deinde ad 200. & tandem mercium omnium pretiis excreſcentibus, ſubſtractis vbique vitæ ſubſidiis, ad 300. portionis congruæ aſſignatio excreuit, vt obſeruat *ſcholiaſtes D. Louetij litt. D, num. 8. & 60.* & pluribus patet in *addition. ad quaſt. D. Lepreſtre ſenatoris Pariſienſis* 14. *centuriæ prima nec non etiam in poſteriori volumine collectionis rerum ad Clerum Gallicanum pertinentium tit. 7.*

5. Nec tamen in eam quantitatem, oblationes, à parœcianis præſtitæ, neque aliæ quælibet quotidianę obuentiones, imo nec nouales decimæ, imputari debent, nec cætera quę interiorum Eccleſiæ fructuum, & redituum nomine veniunt, celtiſmo noſtro *le dedans de l'Egliſe*, ſed fructus beneficiorum ordinarij, quos alij barbaro vocabulo, groſſos fructus appellant, *les gros fruicts*, qui veniunt in portatis, vt dicitur in *regulis Cancellariæ Romanæ, & obſeruat Franciſcus Grimaldus patronus fiſci Andenſis in tractatu decim. lib. 2. capit. 8. numero 29.*

6. Sed tamen portioni congruæ, curia Pariſienſis, nuperrime, ſenatuſconſulto 3. Decembris anni 1648. in pomeridianis ſeſſionibus habito, perorantibus Germano *Billard*, pro appellante Claudio Roberto, & Claudio *Pucelle*, pro intimatis, minutiores, virideſque decimas, quaſi non inſolitas, nec aduentitias, annumerauit, propterea quod, maiorum decimarum, partem facere viderentur, & ex corpore beneficij extrahi, non aliunde obuenire.

7. Nec ab eo longe abſcedit, quod ſeruatur in falcidia, ad cuius ſimilitudinem, penſionum detractionem reduximus, ſecundum *Rebuff. doctrinam in tractatu port. congr.* in quam nihil imputatur, niſi quod iure hereditario capitur, nec vero, quod ex alia cauſa, *lege in quartam dig. ad leg. falcid. lege iubemus cod. ad ſenat. Treb. idem Brodæus ad D. Louet. litt. D. numero 6.*

8. Eſt & alia, penſionis Eccleſiaſticæ, & vſufructus ſimilitudo, nempe in eo, quod ſicut vſusfructus, ſola morte fructuarij finitur, nec etiam eius, qui vſufructu grauatur, aut morte, aut mutatione, per alienationem ab eo factam, interueniente, quæ ſolet rem transferre cum cauſa ſua, *lege alienatio 67. dig. de contrab. empt.* ita eius, qui penſionis conſtitutioni conſenſit, aut eius ſolutione grauatur, neque morte adueniente, neque eiuratione beneficij, penſio extinguitur.

Digitized by Google

9. Eſt enim penſio, ſicut vſusfructus, ius in re, licet perſonale ſit, ſoli reſignanti debitum, qualitas beneficio inhærens, eique quodammodo inſidens, ſeruitus impoſita, vt teſtatur Franciſcus Duarenus Bituricenſis Academiæ decus eximium *lib. 6. de ſacr. eccleſ. miniſt.* *cap.* 4. onus reale, ſecundum Hieronimi Gigantis ſententiam, in *tract. penſ. quæſt.* 39. §. 5. & ſecundum interpretationem Caroli Oiſellij *in tract. expunct.* huic penſionum materiæ conuenientem, ipſa, oneribus realibus, ſiue prædialibus comparatur, quæ dum viuit is, cui debetur, in quemcumque ſucceſſorem tranſit.

10. Et tamen maxima, habenda diſtinctio, inter eum, qui ius habet, à conſtituente penſionem, eiuratione in fauorem facta, ſiue reſignatarium, & eum, qui huius morte vacans beneficium obtinet, quem vulgo appellamus *vn obituaire*, nec-non etiam, inter beneficia, curam animarum habentia, & ſimplicia, nec enim pari fauore, & gratia, quælibet beneficia fouemus, & amplectimur.

11. Et quidem, in ſimplicibus beneficiis, penſio ſemel conſtituta, auctoritate ſummi Pontificis, quaſi beneficiis inhærens qualitas, in quemlibet ſucceſſorem tranſmittitur, ſiue ius habeat à conſtituente, ſiue alio quouis modo ſucceſſerit, adeo tamen, vt is, qui morte vacans obtinet beneficium, immoderatæ penſionis, ad legitimum modum, facile reductionem obtineat.

12. Si vero, beneficiis curam animarum habentibus, penſio inhæreat, ſolum ſucceſſorem, eiuratione in fauorem habita, beneficium obtinentem, onerat penſionis conſtitutio, non vero quemlibet alium, beneficium curam animarum habens, morte conſtituentis vacuum, adſequentem, ad quem beneficium, omni penſionis onere liberum, tranſmittitur.

13. Et illud quidem, fauore parochialis adminiſtrationis, & curæ animarum (quæ ars artium eſſe dicitur in *cap. penult. de æt. & qual.*) introductum eſt, ſicut alia pleraque, in iure canonico, ne ſub prætextu, non ſufficientis reditus, ſalus animarum, cuius præcipua ratio haberi debet, aliquod diſpendium patiatur, cuius diſtinctionis, ampliorem tractatum videre eſt, apud *Brodaum ad D. Louet. litt. D, num.* 8. *&* 60.

14. Sed & ea penſionis, beneficiis, curam animarum habentibus impoſitæ, remiſſio, tanto fauore excipienda viſa eſt, vt quamuis moribus Neuſtriæ, ſeruanda diceretur, continuatio penſionis, beneficiis etiam curatis impoſita, quamdiu penſionis creditor ſupereſſet, tamen curia Pariſienſis, lites beneficiarias, penſionis iiſdem beneficiis impoſitæ, ſoluendæ cauſa motas, licet à ſupremo Neuſtriæ ſenatu euocatas, & ad ſuum remiſſas, diiudicans, penſiones remittere non dubitauit, & eos, qui morte vacantia beneficia obtinuerant, exonerare, pluribus decretis relatis *à ſcholiaſte D. Louetij litt. P, num.* 30.

§. DECIMVS-TERTIVS.

De cauſis conſtituendæ penſionis.

1. *Penſio non poteſt conſtitui ſine cauſa.*
2. *Prima cauſa conſtituendæ penſionis, reſignationis fauor.*
3. *Secunda cauſa eſt æqualitas permutationis, cuius æquitas defenditur.*
4. Nota ad capit. ad quæſtiones de rer. permutat.
5. *Tertia cauſa penſionis, eſt finiendæ litis occaſio.*
6. *Lis colluſoria, non poteſt eſſe cauſa, retinendæ penſionis.*
7. *Pacis inter clericos firmandæ commendatio.*
8. *Varia penſionis, etiam ex legitima cauſa indictæ, odia.*

1. PRæterea, in conſtituenda penſione obſeruandum eſt, cauſam ſubeſſe debere, propter quam penſio indicatur, quod exprimunt verba definitionis *ex cauſa*, cum enim penſionis impoſitio (ſicut hypotheca) ſit quædam ſpecies alienationis, & beneficij partem delibando, quodammodo ipſum diminuat, ideo, non niſi ob cauſas, in iure approbatas, creari poteſt, ſicut nec alienatio fieri, vt ſupra diximus, ad verba definitionis noſtrę beneficiariæ *cum ſuo reditu cap.* 3.

Digitized by Google

2. Tres vero in iure numerantur, penſionis conſtituendæ, cauſæ legitimæ, prima eſt fauor reſignationis, ne enim grauius diſpendium patiatur reſignans, ne omnimodo eiurato beneficio, vnde alimenta percipiebat, vitæ fouendæ neceſſaria ſubtrahantur, licet reſignanti, retinere penſionem, eiurato beneficio imponendam, & ex eiuſdem fructibus, ſingulis aninis percipiendam.

3. Secunda eſt, æqualitatis ratio, in permutatione beneficiorum, quæ huius tractatus, lex eſſe debet præcipua, cum enim pinguius beneficium, cum tenui, & exiguo permutandum eſt, inæqualitas redituum, iſta penſionis retributione, adæquari poteſt, namque penſio Eccleſiaſtica, vt pluribus probat *Boet. Epo ad cap. cum olim de rer. permut. num.* 98. non eſt quid valde alienum à beneficio, cum ſpiritualem, quodammodo naturam induat, in cuius compenſationem, accedere poteſt.

4. Verum alia eſt, inæqualitatis compenſandæ ratio, in *cap. ad quæſtiones de rer. permut.* ex quo patet, in permutatione duarum Eccleſiarum, quarum inæquales ſunt reditus, quod excedit in altera, certa pecuniæ quantitate compenſari poſſe, citra metum ſimoniæ, ſi modo, permutatio redituum, ſeparatim, ab ipſa Eccleſiarum permutatione contrahatur, ſpiritalis ad ſpiritale, & temporalis ad temporale, & ſic explicat *d. cap. Boetius Epo ibidem num.* 100.

5. Tertia eſt finiendæ litis occaſio, cuius exemplum exſtat, *in cap. niſi eſſent de preb. & apud Arnulphum Lexouienſem ad Alex. III. epiſt.* 65. modo controuerſia, vel quæſtio, circa beneficium mota, ſit legitima, & vera, nec per colluſionem intendatur, *cap.* 3. *de colluſ. deteg.* de quibus omnibus, conſtituendæ penſionis cauſis, adeundus *Germanus Forgetius Ebroicenſis patronus in tract. de penſ. eccleſ. nec-non comment. nouiſſimus ad collectionem lib. eccleſ. Gall. Petri Pithæi art.* 50.

6. Et ex eo inferunt, iuris canonici interpretes, nequidem à ſummo Pontifice, conſtitui poſſe penſionem, in gratiam illius, qui nullum ius habebat in beneficio, ita vt, ſi colludente, vel conniuente eo, qui beneficio intitulatus eſt, penſio fuiſſet impoſita, appellationi nihilominus tanquam ab abuſu ſubiaceret, illius remedio, vbique reſcindenda, vt notat *Carol. Molin. ad reg. de infirm. reſign. num.* 277. quod pluribus ſenatuſconſultis tum curiæ Pariſienſis tum Rothomagenſis confirmat.

7. Debet itaque concordiæ ſtudio, & pacis inter clericos firmandæ cauſa, ipſa penſio conſtitui, cum enim clerici, de ſorte Domini ſint, vt ſonat ipſorum nomen, maxime in eo debent illi accedere, qui præ cæteris, pacis titulo gaudet honorari, extra illas igitur cauſas, conſtituta penſio, minime eſt ſeruanda, odia enim reſtringi, ſicut fauores conuenit ampliari, ait *Bonifacius in reg.* 15. *de reg. iur. in* 6. quarum etiam intra prædictas cauſas, conſtitutionem inſectatur, *Vidus Conchilius in poſthumis reformationis Eccleſiaſticæ memorialibus pag.* 71. *&* 72. *& in tract. lib. Eccleſ. Gall. pag.* 35. *& ſeq.*

8. Et illud maxime ſeruari debet, cum ſecundum *Pauli Romani ſententiam, in tract. de penſ. eccleſ.* laudati ab ipſo *Gigante quæſt.* 96. penſio, etiam ex legitima cauſa inducta, ſit beneficium abſque ordinis obligatione, mera gratia in debitum reputata, præmium ſine opere, ſeges ſine vomere, meſſis ſine ſemine, merces ſine cuſtodia, & per penſionis huiuſmodi retentionem, (quod durum eſt ait ille) medulla tritici pinguior, adeps frumenti opimus, lac de ouibus purius ſubſtrahatur, vt vere dici poſſit quod aliàs cecinit Virgilius:

Hic alienus oues cuſtos, bis mulget in hora.
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

---

§. DECIMVS QVARTVS.

Cuinam aſſignari debeat penſio.

1. *Ordo & progreſſus huius diſputationis, & cum præcedenti connexio.*
2. *Solis Clericis penſiones aſſignari poſſunt, vt & beneficia.*
3. *Exemplum penſionis infanti conceſſæ, cum diſpenſatione.*
4. *Penſio matrimonio penſionarij, ſiue creditoris extinguitur.*
5. *Stipendia laicis conceſſa ab Eccleſia, non ſunt penſionum numero.*

Digitized by Google

1. SVperſunt ea verba definitionis *alicui aſsignata*, circa quæ, inquiri ſolet, quinam penſionum, capaces eſſe poſſint, & quibuſnam aſſignari, cuius tamen deciſio, pendere videtur, à ſuperiori, & in præcedenti §. agitata, & ab ea, quodammodo præiudicium accipere, cum dixerimus penſiones Eccleſiaſticas, tribus tantum prædictis cauſis, conſtitui poſſe, fauore ceſſionis beneficij, æqualitatis inducendæ cauſa, in permutatione, & pacis ſtabiliendæ occaſione.

2. Nam cum ſingulæ, & præmiſſæ conſtituendæ penſionis cauſæ, titulum beneficij, ſaltem coloratum exhibeant, cuius ſolos clericos capaces infrà diximus, *in verbo definitionis noſtræ beneficiaria clerico*, ſequitur, penſionum Eccleſiaſticarum eos ſolos capaces eſſe, qui Eccleſiaſticæ militiæ, nomen dederunt, & Clericali tonſura ſaltem initiati fuerunt.

3. Et ex eo eſt quod *Hieronimus Gigas in tract. penſ. eccleſ. quæſt.* 13. *num.* 4. refert ſe vidiſſe, ac perlegiſſe litteras Apoſtolicas, à Clemente VII. S. P. emiſſas, quibus penſionem Eccleſiaſticam, in fauorem infantis creauerat, diſpenſatione facta cum eo, vt ante infantiæ exceſſum, clericali tonſura donaretur, nec ante tonſuræ collationem, penſionem perciperet, quod vix tamen, apud nos admitteretur, niſi cum illuſtri perſona, gratia facienda eſſet.

4. Nec non etiam ad illud accedit, ſolos Clericos, penſionis Eccleſiaſticæ capaces eſſe, quod ſupra diximus *ad verba militia cap. 4. de diuiſione beneficiorum* §. 31. penſionem Eccleſiaſticam, ſicut beneficium, per contractum matrimonij extingui, ſi modo clericis, loco beneficij aſſignetur, quæ ſola, penſionis Eccleſiaſticæ, nomen meretur, non quælibet aliæ, quæ ſtipendij, aut prębendæ cauſa tribuuntur.

5. Nec enim illæ penſiones, quæ laicis, ſtipendij cauſa inferri ſolent, à ſummo Pontifice, de quibus *idem Gigas quæſt.* 54. penſionum Eccleſiaſticarum nomine veniunt, ſicut nec præbendæ, iiſdem aſſignatæ, in gratiam obſequij, & famulatus, in Eccleſia exhibiti, beneficiorum, aut penſionum Eccleſiaſticarum nomine continentur, vt ſupra ibidem adnotauimus, & infrà *ad verba definitionis clerico*.

---

§. DECIMVS-QVINTVS.

De iure deportus, ſiue annui.

1. *Quid ſit deportus in beneficiis curam animarum habentibus.*
2. *Iuris deportus perceptio, canonicis regulis aduerſatur.*
3. Car. Molin. *improbat deportus indictionem.*
4. *Iuris deportus defenſio, auctoritate innititur.*
5. *Item defenditur rationibus, & argumentis.*
6. *Quid deportus, & Guardia in Neuſtriæ prouincia.*
7. *Quid apud Andes, & Cænomanos.*
8. *Iuris deportus in feudalibus, & beneficialibus collatio.*
9. *Quibus competit ius deportus.*
10. *Inueteratæ conſuetudines approbantur.*
11. *Iuris deportus, in tota Neuſtriæ prouincia vſus.*
12. *Quis vſus in aliis prouinciis.*
13. *Quibus caſibus ceſſet, & finiatur.*
14. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis.*

1. EST & aliud beneficiis Eccleſiaſticis, ac præcipuè curam animarum habentibus, onus impoſitum, quod vulgo ius deportus, ſiue annuum vocant, *droict de deport ſur les Cures*, de quo quædam aliàs præmiſimus & cuius auctoritate ſubnixi, quidam Epiſcopi Galliæ, & Archidiaconi, fructus vacantium Eccleſiarum parochialium ſibi adrogant, propter diuinum, quod in illis celebrari curant, officium.

2. Et quidem huius iuris, nulla certa origo tradi poteſt, cum potius ex conſuetudine, quam ex iure deſcendat, imo ipſum ius canonicum, huius oneris indictioni, obſtare vide-

Digitized by Google

tur, in *cap. cum vos de off. iud. ordin.* in quo ſtatuit Alexander III. Eccleſiæ Paſtore viduatæ ita ſuccurrendum eſſe, vt interim œconomus inſtituatur, qui & vacantis Eccleſiæ fructus percipiat, eoſdemque futuro ſucceſſori reſeruet.

3. Et ex eo concludit *Carolus Molinæus ad d. capit. in verbo reſeruare*, omnes fructuum beneficij reſeruationes, quæ archidiaconi, aut alterius cuiuſlibet lucro cedunt, tanquam in abuſum deflectentes conſuetudines omnimodo reſecandas, & in 7. *parte ſtili parlamenti arreſt.* 108. *in verbo deport*, ait *illud ius abuſiuum, & prorſus abolendum.*

4. Nec tamen ſuis momentis, & rationibus caret, iuris deportus defenſio, cum dicere poſſimus, illud ius conceſſum fuiſſe archidiaconis, propter cuſtodiam quam iure communi, in vacantibus curiis exercent, vt patet *ex cap. 51. de appellat. cap. cum veniſſent de inſtit. can. ſi in plebibus diſtinct. 63.*

5. Quamuis enim in patronis, œconomis, vicedominis, & aliis, cuſtodiam gratuitam eſſe debere, probauerimus ſupra, dum de iure patronatus ageremus, quia tamen archidiaconorum cura, non tantum verſatur circa temporalia, ſed etiam, ſpiritalem continet adminiſtrationem, cuius præmiſſi ſunt incapaces, rectè & illud inductum eſt, vt qui ſeminat ſpiritualia, metat & ſecundum Apoſtolum temporalia.

6. Sic in tota Neuſtriæ prouincia, Regi Chriſtianiſſimo, propter cuſtodiam, quam in minoribus, & pupillis exercere ſolet, rerum feudalium fructus cedunt, pupilli ſubſidio, neceſſariis abunde ſubminiſtratis, adeo vt, ſi pupillis ius patronatus debeatur, & durante cuſtodia, beneficia vacauerint, præſentandi facultas Regi adquiratur, in vim cuſtodiæ, ſicut quilibet alij fructus, qua ratione *Ioſias Beraldus ad art.* 218. *conſuetudinis Normanniæ*, ius gardię, in ſocietatem iuris deportus vocat.

7. Sic in Audium, & Cœnomanorum perſcriptis moribus, vaſallo in minori ætate conſtituto, patronus, in feudalibus patrimoniis cuſtodiam ſuſcipit, vſque dum tutoris perſona, ipſi fuerit electa, qui auctore iudice demandatus, admittitur pupilli nomine in clientem, ab ipſo patrono cui, fructuum prioris anni duæ partes, iure deportus, vt habent illæ conſuetudinem, lucro cedunt, *le dit ſeigneur aura le deport, ſur les choſes hommagées du mineur, qui eſt à dire les vrais fruicts, d'vne année*, ſic enim habet, *Conſuetudo Andenſis art.* 107. *& Cœnomanorum art.* 119.

8. Et ex eo eſt quod *Franciſcus Raguellus, Anteceſſor Bituricenſis primarius, in indice Regaliorum* huicce iuri deportus, patrono debito à cliente, moribus Cœnomanorum, & Andenſium, illud rectè ſubiungit, quo archidiaconi, & Epiſcopi quidam Galliæ noſtræ, vtuntur, cum in libris feudorum, ipſa feuda, beneficiorum nomine appellentur, & militiæ nomen, quod beneficiis, in principio huius tractatus accommodauimus, ſit & ipſis feudis commune.

9. Rectè itaque diximus, quibuſdam Galliæ Epiſcopis, & archidiaconis deberi ius deportus, nec enim omnibus competit, ſed illis tantum, qui inueterata conſuetudine, omnem hominum memoriam excedente, innitantur, quales Epiſcopi, & archidiaconi Neuſtrię, Pariſienſes, Carnutenſes, Sueſſionenſes, Cœnomani, & alij, qui iiſdem conſuetudinibus vtuntur, quarum probandarum cauſa, plura Curiæ Pariſienſis decreta refert idem *Raguellus in indice in verbo deport.*

10. Et hæ quidem conſuetudines, licet Baſileenſi ſynodo, pragmatica ſanctione, & Aurelianenſi edicto reprobatæ ſint, poſterioribus tamen conſtitutionibus Regiis, confirmatæ ſunt, *Blæſenſi art.* 51. *Melodunenſi art.* 27. *itemque Concilij Tridentini ſanctione*, huiuſmodi inueteratas conſuetudines approbante, in variis articulis.

11. Illud tamen circa huius iuris, ſiue deportus vſum, obſeruandum eſt, in tota Neuſtriæ prouincia, locum habere, quocumque tempore, & caſu vacua ſit Eccleſia, & viduata paſtore, ſiue morte, ſiue reſignatione, ſiue litigio, vt obſeruat *Germanus Forgetius in tract. rer. & perſ. eccleſiaſt. cap.* 41. vnde *gloſſa pragmaticæ ſanctionis tit. de annatis in verbo deportuum*, ait vulgare nomen eſſe Normanniæ.

12. In aliis vero prouinciis, in quibus locum habet, vel certo anni tempore, vt in Pariſienſi diœceſi, à Paſchate, ad feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, vel duobus tantum caſibus, Archidiaconi, aut Epiſcopi, eodem iure vtuntur, nempe litis morę, inter duos Clericos, ius in eadem Eccleſia vindicantes, vel eo caſu, quo in parochiali Eccleſia inſtitutus, ad Sacerdotij ordinem, per incuriam, promoueri ceſſauerit.

13. Ceſſat itaque huius iuris indictio, altero litigantium, ſententiam vindiciarum obtinente, vnique fiducia beneficij, auctore prętore demandata, aliàs dicimus *la recreance adiugée*, vel eius promotione ad ſacerdotium, qui ceſſauerat hunc ordinem adipiſci, vt obſeruat *ſcholiaſtes dom. Leuetij litt. D. num.* 63.

Digitized by Google

14. Namque conſtat, ſenatum Pariſienſem, in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Veromanduorum recitatis, decreuiſſe, in omnibus curiis tum ſæcularibus, tum regularibus vacantibus, ius deportus competere Archidiaconis Sueſſionenſibus, quocumque caſu, mortis videlicet, reſignationis ſimplicis, & litigij, ſolo caſu reſignationis in fauorem, eique proxime accedentis permutationis excepto, perorantibus Ludouico *Dubois*, pro regularibus monaſterij Brenenſis, prouocantibus tanquam ab abuſu, à commiſſione iure deportus conceſſa, curiæ regularis, & Florentij *Parmentier*, Archidiaconis Sueſſion. patrocinium præbente, decreto die 17. Decembris, anni 1652. pronuntiato, ex ſuffragio Hieronimi Bignonij, Aduocati Regij

§. DECIMVS-SEXTVS.

De Annatis, ſiue Annalibus.

1. *Annatarum exactio condemnatur.*
2. *Annatarum origo, & progreſſus.*
3. *Annatarum abrogatio Regum noſtrorum conſtitutionibus.*
4. *Quæ compoſitio, in locum annatarum ſucceſſerit.*
5. *Improbatur compoſitio concordatis inducta.*
6. *Probatur communium ſeruitiorum præſtatio.*

1. NEc tamen quælibet annua, iure Pontificio introducta, iiſdem regulis ſuſtinentur, nec enim Annuorum, ſiue Annalium, vt dicitur in *extrauaganti ſuſcepti de elect. & el. poteſt.* aliàs barbaro vocabulo, Annatarum *les Annates* apud nos ſemper, & vbique comprobata fuit exactio.

2. Namque earum occaſione, cum primum ſummi Pontifices, in ſubſidium belli, aduerſus fidei hoſtes ſuſcipiendi, beneficiorum vacantium fructus, primo anno percipiendos, tanquam onus extraordinarium, ſibi reſeruaſſent, ita excreuit earum exactio, vt perceptione allectus, *Ioannes 22. d. extrauaganti ſuſcepti*, ad quaſlibet alias Eccleſiæ neceſſitates produxerit.

3. Et tandem cum Bonifacius IX. in ordinarium vectigal reduxiſſet, id cauſam dedit, Baſileenſis Synodi Patribus, earum exactionem, penitus abrogandi, quod pragmatica ſanctione, apud nos habita, confirmatum eſt, ſanctiſſimi Ludouici IX. & Caroli VI. Regum noſtrorum, veſtigiis inhærendo, qui ſuis temporibus, Annatarum acerbæ, & inſolitæ collectioni, maxime obſtiterant, vt patet *ex pragm. ſanct. D. Ludouici & conſtitutionibus eiuſdem Caroli VI. quæ referuntur in volumine probat. ad lib. eccleſ. gall. itemque ex diſputatione Nicolai de Clamengiis Theologi Pariſienſis coæui de Annatis non ſoluendis.*

4. Verum ſolemni, inter Franciſcum I. & Leonem X. conuentione habita, repetitis ſæpius, ob annatarum exactionem, Gallicanæ Eccleſiæ querelis, quodammodo ſatisfactum fuiſſe, inclamatum eſt, cum ordinarium, inſolenſque vectigal, in leuiorem vt vocant compoſitionem, tranſiiſſet, ſingulis, Cancellariæ Romanæ inſeruientibus miniſtris, quaſi mercedis ratione perſoluendam.

5. Nec tamen, vt pluribus viſum eſt, hoc leniori remedio, morbo, aut incommodo, ex annatarum collectione naſcenti, occurri potuit, aut mederi, vel clades Eccleſiæ data reparari, cum eidem exactioni, alio tamen nomine, & colore quæſito, continuandæ locus ſupereſſet, ſed tantum pudori, velamen obductum eſt, & lenioris compoſitionis verbo, triſtitia exactionis mitigata.

6. Verumtamen, quidquid præmiſerimus, de annatarum condemnatione, eo dictum velim, ne quid antiquitatis, & contentionum, hac de re in hoc regno Franciæ, variis ex cauſis habitatum, penitus ignoretur, quibus tandem, conuentione Bononienſi, pacem fœliciſſime datam agnoſcimus, nec enim omnium, quæ ſedi Apoſtolicæ ex fructibus vacantium beneficiorum, in ſubſidium inferri conſueuerunt, condemnari debet præſtatio, nec præcipuè ea, quæ vulgo, communium ſeruitiorum nomine effertur, quod S. P. & ſacro

Digitized by Google

Cardinalium Collegio, pariter, & in communi exhiberi ſoleant, de quorum defenſione adeundus breuiſſimus *tractatus Antonij Maſſa Galleſij de annatis ad Carolum Cardinalem Borromaum.*

§. DECIMVS-SEPTIMVS.

De præſtationibus, introitus nomine faciendis.

1. *Nihil introitus nomine præſtandum, à nouis canonicis.*
2. *Eccleſia Carnutenſis defenditur conſuetudo ab Yuone.*
3. *Probatur præſtatio minutorum ſeruitiorum, officialibus curia Romana.*
4. *Probantur varia collationes, in pios vſus facienda.*
5. *Probatur collatio fructuum vacantis prabenda, in religioſas domos, exemplo, & auctoritate.*
6. *Alterum eius collationis exemplum, ſubminiſtratur.*
7. *Item probatur collatio, eorumdem fructuum, in fabricam Eccleſia.*
8. *Item & ea, qua nominibus perſoluendis inſumitur.*
9. *Iis qui in poſſeſſionem beneficiorum inducunt, quid præſtari poteſt.*
10. *Quid Cathedraticum, ſiue introniſticum, in maioribus beneficiis.*
11. *Quid aditiale, in minoribus Clericis, in poſſeſſionem inducendis.*
12. *De ſportulis perſoluendis ab iis, qui ad militias promouentur.*

1. NEc minus reprobantur apud nos, quæcumque obuentiones, quæ à nouis canonicis præſtari ſolent, dum in fratres, & canonicos admittuntur, quod temporibus ſuis, ſe contradicente, & perſequente, pro conſuetudine antiqua, in Eccleſia Carnutenſi obſeruatum teſtatur Yuo, eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, à Decano, Cantore aliiſque miniſtris Eccleſiæ, in admiſſione canonicorum & fratrum.

2. Verum enim in *epiſt.* 133. conquerenti ea de re, Albanenſium Epiſcopo, Eccleſiæ Romanæ Legato, reſpondet in hæc verba *eos, Romana Eccleſia conſuetudine, ſe ſe deffendere, in qua dicunt cubicularios, & miniſtros ſacri Palatij, multa exigere, à conſecratis Epiſcopis, vel Abbatibus, qua oblationis, vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus, nec cartha, gratis ibi, vt aiunt habeatur.*

3. Sed enim gratuita eſſe debet hæc admiſſio, alioquin, ſimoniæ labe non caret, vt aiunt Tridentini Patres *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 14. nec debuit, more veteri, in Eccleſia Romana obſeruari ſolito palliari, cui multa debentur, quamuis alteri exhiberi non ſoleant, propter ſupremæ ſedis dignitatem, & eorum, qui ipſi famulantur, & aſſident honorem, & ſummam, qua illos proſequi debemus dilectionem, qui matri Eccleſiæ famulatum præſtant, & obſequium, quibus, nec modica illa merces, denegari debuit, quæ vulgo minutorum ſeruitiorum nomine appellatur, in quorum defenſionem videndus, idem *tractatus Antonij Maſſa de annatis.*

4. Nec tamen eadem ſanctione reprobantur, quæ in pios vſus, veluti fabricæ oneribus ſuſtinendis, vel alendis pauperibus, quorum ratione, tertiam, vel quartam, fructuum cuiuſque beneficij, partem inſumendam diximus, vel in religioſas domos inferuntur, qua de cauſa ſupra admonuimus, Epiſcopum centeſimam, vel quinquageſimam partem, bonorum matricis Eccleſiæ, donare poſſe, vt patet *ex capit. Apoſtolica de donat. capit. Paſtoralis de his qua fiunt à pral. ſine conſ. cap. can. ſi Epiſcopus, & ſequent.* 12. *quaſtione* 2.

5. Verum enim, huius poſterioris collationis, exemplum exſtat, in *Epiſt.* 286. *eiuſdem Yuonis* qui dum regularem, & deuotam familiam, vellet aggregare, in ſuburbio Carnotenſi, regularibus, & monachis, in Eccleſia ſancti Ioannis Valeacenſis, ea de cauſa conuocatis, præter alios plures reditus, eidem familiæ annexos, ſtipendia præbendæ, cuiuſque fratris, decedentis in maiore Eccleſia Carnotenſi, ad ſuſtentationem ſuperaddidit, ſiue fructus,

Digitized by Google

fructus, per integrum annum percipiendos addixit, ea conditione, vt ſingulis diebus miſſam, pro anima defuncti celebrarent.

6. Sic etiam apud *Renatum Chopinum lib. 3. de ſacr. polit. tit. 3. num.* 4. animaduertere eſt, canonicos regulares, ſancti Victoris in ſuburbio Pariſienſi, vnius præbendæ, morte deceſſoris vacuatæ, in maiori Eccleſia Pariſienſi, nec non in Eccleſiis ſancti Marcelli, ſancti Germani Altiſſiodorenſis, in vrbe Pariſienſi, & aliis, fructus ſuos facere, & lucrari per annum integrum, à morte deceſſoris numerandum, quod & pleriſque aliis religioſis domibus, indultum habemus, in pluribus Galliæ noſtræ capitulis Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum.

7. Sed & illud obſeruandum eſt, plerumque in prædictis Eccleſiis, reditus præbendarum vacantium, primo quoque anno percipiendos, reparationi ædificiorum deputari, vt ſuprà diximus, inſumendos ab eo, quem diximus operariæ præfici, qui apud nos appellatur *maiſtre de l'œuure*, qui & aliquando, meram laici perſonam ſuſtinet, vt & œconomus, de quo ſuprà diſſeruimus.

8. Verum & aliquando, huiuſmodi fructus, Eccleſiæ nominibus perſoluendis, impendi ſolent, vnde Honorius III. in *cap. tua nos de verb. ſignif.* Tullenſi Epiſcopo conceſſerat, vt beneficiorum, ſuæ diœceſis vacantium, fructus per biennium retinere poſſet, vt ex eorum collectione, æri alieno, quo Tullenſis Eccleſia, nimium premebatur, ſatisfieret, quod & probatur in *cap. ſi tibi conceſſo de præb. in* 6. & in eas cauſas, fructuum beneficij vacantis collationes, à nouis canonicis factas, decretis curiæ Pariſienſis, approbatas teſtatur *Chop. lib.* 1. *de ſacr. polit. tit.* 8. *num.* 14.

9. Nec minori plauſu, excipienda fuit, illa conſuetudo, quâ ſolent clerici, in poſſeſſionem admiſſi, Archidiacono (cuius officium eſt beneficiatos, in corpoream, & realem poſſeſſionem Eccleſiarum, inducere, *cap.* 1. 7. *&* 9. *de off. archid.*) vel aliis, eos in poſſeſſionem intromittentibus, aliquid ſalarij nomine, vel potius honorarij ratione, elargiri, ſi modo aliquis labor, & opera interuenerit, vt ſupra obſeruauimus, *ad verba definitionis cæleſtis cap.* 2. *num.* 23.

10. Et quidem illa quaſi mercedis ſpecies, in epiſcopis, & maioribus prælatis, cathedraticum, aliàs introniaſticum, apud *Iuſtin. nou* 123. *& Iul. Anteceſſ. nou.* 115. appellatur, ab honore cathedræ, in quam, poſſeſſionis adipiſcendæ cauſa mittuntur, longe diſtans ab ea præſtatione, quam à ſingulis preſbiteris, epiſcopo exſolui debere, diximus ſupra *ad verba cum ſuo reditu cap.* 12. *parte* 3. *in quibus ſubiiciantur Eccleſiæ* §. 1.

11. In minoribus vero beneficiis, ἐμφανιστικὸν, ἐμβατικὸν, aliàs aditiale, quod aditus, ſiue ingreſſus gratia præſtetur, veluti, quod Archidiacono Senonenſi, præſtari ſolitum aſſerit *Chop. lib.* 1. *de ſacr. polit. tit.* 8. *num.* 15. *lib.* 1. *monaſticon. tit.* 3. *num.* 20. de quo in *cap. dilecto de offic. archid. & alibi paſſim.*

12. Et quidem merito, ea iura præſtantur, cum initio huius tractatus, beneficia, diximus, eſſe militias, in multis armatis, & palatinis, vel forenſibus ſimiles, ad quas nemo, promoueri poterat, apud Romanos, niſi ſportulas, pro introitu, ipſis intromittentibus præſtitiſſet, vt patet *ex lege penult.* §. *penult. & vlt. de leg.* 3. *l.* 11. *cod. de prox. ſacr. ſcrin. & apud Plin. lib.* 10. *epiſt.* 116. *&* 117.

---

§. DECIMVS-OCTAVVS.

De iure Regio oblatorum in Abbatias immittendorum.

1. *Ordo & ſeries huius diſputationis, & cum ſuperioribus connexio.*
2. *Probatur ius Regium oblatorum in Abbatias immittendorum.*
3. *Quinam dicantur Clerici laici, canonici milites, donati, vel condonati.*
4. *Probatur decreto Curiæ nullo voto aſtringi.*
5. *Ius oblatorum emittendorum eſt pars domanij Regij.*
6. *Laudatur lex Piſiſtrati de militibus obtruncatis è publico nutriendis.*
7. *Hoſpitale trecentorum excæcatorum Pariſius fundatum.*
8. *Item inceptum hoſpitale Vinceſtriæ in fauorem obtruncatorum militum.*
9. *Conſuetudinis veteris oblatorum nutriendorum in Abbatias immittendorum veſtigia.*

10. *Item & iuris Regij, emittendi domicellas in Abbatias monialium.*

11. *Quanam Abbatiæ aut prioratus oblatorum onere grauari poſſunt.*

1. DIximus initio huius tractatus, cognationem quamdam ineſſe, inter militiam cœleſtem & ſæcularem, armatam & inermem, ſed in eo potiſſimum, hæc affinitas verſatur, quod altera, alterius auxilio, eſſe debeat, cœleſtis, ſiue eccleſiaſtica, armatę ſubuenire, in compenſationem laborum, à militibus, plerumque ſuſceptorum, in tutelam, & defenſionem eccleſiæ.

2. Eſt itaque, illud onus, beneficiis, & perſonis eccleſiaſticis impoſitum, vel ſaltem abbatiis, & prioratibus conuentualibus, vt veteranis militibus, qui propter vulnera, in bello accepta, artificio corporis, victum ſibi, ſuppeditare non poſſunt, neceſſaria, fouendæ vitæ ſubminiſtrent, illi milites, vulgo apud nos oblati, ſiue monachi laici appellantur, *oblats ou moines-laics.*

3. Nec tamen, confundendi cum illis, qui clerici laici, canonici milites, oblati, donati, vel condonati dicebantur, qui dum ſæculares eſſent, nec etiam habitum deponentes, ſe ſuaque eccleſiæ deuouebant, vt cum clericis, vel monachis, communem vitam agerent, vt obſeruat *Panormit. conſil. 202. Ferrerius ad quæſt. 6. Ioan. Durantij, & Innocentius Cironius ad Honorij III. compilationem decretalium cap. 4. tit. de prebend. in verbo quidam laici clerici.*

4. Verum tamen nullo voto aſtringebantur, ſed quandocumque & ſæculum repetere, & ad nuptialia vota properare poterant, vt nouiſſime decreuit ſenatus die 30. Aug. anni 1653. in cauſa cuiuſdam cognominati *Courtois*, oblati Præmonſtratenſis, in monaſterio Brenenſi, hunc enim immutata conditione, nubere potuiſſe pronunciatum eſt, perorantibus *Iacobo Montolonio, & Leonorio Lhoſte*, & ſuffragante *Hieronimo Bignonio* Aduocato Regio.

5. Hæc autem facultas, milites nutriendos, abbatibus emittendi, competit Regibus Franciæ, ratione domanij ſui, vt teſtatur *Chop. lib. 3. de dom. tit. 28.* vel potius iuris patronatus, Gardiæ, vel Cuſtodiæ, quo ſpecialius cæteris omnibus, in ſingulis regni ſui abbatiis, ac pleriſque prioratibus conuentualibus, perfruuntur, quo iure licet, egentes, atque inualidos milites, nutriendos ſufficere.

6. Et ex eadem, ęquitatis ratione prodierat, quod apud Athenienſes, lege à Piſiſtrato lata, quæ refertur à *Plutarcho in vita Solonis*, ſancitum eſt, vt milites, in bello, pro republica ſuſcepto detruncati, pecuniis publicis ſuſtinerentur, nec tantum illi, ſed & liberi eorum, vt teſtatur *Thucidides lib. 2. belli Peloponeſiaci.*

7. Quod & apud nos ſeruatum, pariter teſtatur, celebre illud hoſpitale à Diuo Ludouico, Francorum Rege fundatum, & dotatum, in hac vrbe Pariſienſi, in gratiam militum, in expeditione Saracenica excæcatorum, vt in hanc recepti domum, & hoſpitale, vitæ ſubſidia, è publico haberent, quod hodiè, trecentorum excæcatorum ſubuentioni deputatum habemus, vulgo appellatur *l'Hoſpital des Quinze-vingts.*

8. Et illud ipſum in gratiam cæterorum militum, in bello detruncatorum, Ludouicus XIII. proaui veſtigiis adhærens, renouare tentauerat, dum hoſpitale regium, in caſtello Vinceſtriæ, prope Pariſios, à fundamentis excitans, in hanc domum, milites detruncatos, amendari iuſſerat, pecuniis publicis nutriendos, quod vtique, ad exitum perduxiſſet, niſi exortum fatale bellũ, & ipſa mors preueniens, conſummationis gloriam auertiſſet.

9. Verum oblatorum, ſiue monachorum laicorum, in abbatias emittendorum, veterem morem obſeruat, *Vidus Conchilius in hiſtoria Niuernenſium*, vbi refert, vetus ſanatuſconſultum, anni 1274. in Vigilia Purificatæ Virginis pronunciatum, quod pariter, & in ipſis terminis exſcribitur à *Stephano Paſcaſio lib. 3. obſeruat. Gall. cap.* 34. ex quo illius iuris antiquiſſima prodeunt veſtigia.

10. Sed & illud probatur, in ſingulis monialium clauſtris, ſiue Abbatiis, puellam nobilem, in monialem conſecrandam, poſſe delegare, ſicque moniales de Cuſſiaco, recuſantes, quamdam domicellam, quę à Rege Chriſtianiſſimo, oblata fuerat, in monialem adſcribere, eodem ſenatuſconſulto, illam admittere condemnatas fuiſſe, quod & refertur, in *parte 7. ſtili Parlam. art. 26.* licet *D. Louetius in ſuis ſchedis litt. O. num.* 17. illud ipſum ſenatuſconſultum referens, contra religioſos de Cuſſiaco, pronunciatum aſſerat.

11. Quod tamen non fuit, diutius ſeruatum, in monialibus, ſed tantum in abbatiis regularium, deinceps locum habuit, ac etiam in Conuentualibus Prioratibus, ſi modo Duces, vel Comites fundatores agnoſcant, & in illis Rex Galliç nominationis, ac præſentationis iure potiatur, vt obſeruat *ibidem Louetius cum ſcholiaſte, & Dadinus ab Altaſerra in tract. de Duc. & Com. lib. 1. cap. 11. de iure veteranum militem offerendi in alimentarium*, vbi

Digitized by Google

obſeruat, & illud ius, competiiſſe ducibus, & comitibus, ex eo quod abbatiæ quæ eos fundatores habuerunt, cum eo iure, in ditionem regiam peruenerunt, cæteris liberis remanentibus.

---

§. DECIMVS-NONVS.

De Decimarum ſubuentione, & caritatiuo ſubſidio; ab Eccleſia regi præſtando.

1. *Eccleſia regiis neceſſitatibus, & publicis ſubuenire debet.*
2. *Rationes, quibus probatur, hæc ſubueniendi neceſſitas.*
3. *Altera ratio ſubminiſtratur.*
4. *Item tertia ratio additur.*
5. *Reges noſtri ius habent exigendi hoc ſubſidium, ſupremo iure, nullius exſpectato conſenſu.*
6. *Vſus benignior huius collationis indicendæ, à regibus ſeruatus.*
7. *Refellitur admonitio, moderni ſcriptoris, Regi habita, circa conferendi neceſſitatem.*
8. *Rationes, & argumenta, refutationis referuntur.*
9. *Idem dicendum de decimarum ſubuentione, & de caritatiuo ſubſidio Epiſcopis debito.*
10. *Subuentio decimarum, quamuis caritatiua, in inuitos neceſſaria redditur.*
11. *Ordo, & progreſſus materiæ, & connexio cum præcedentibus.*

1. RESTAT vt dicamus de decimarum ſubuentione, ſiue caritatiuo ſubſidio, ab Eccleſia Regi præſtando, & primum conſtat Eccleſiam, cum ſit pars, vel præcipua regni Gallici, & vt ait *Optatus Mileuitanus lib. de ſciſmate Donatiſtarum cum ipſa ſit in republica, & imperio, nec res publica, ſit in Eccleſia*, vt & ipſe innuit *Balduinus ad eum locum* Regiis, & publicis neceſſitatibus, ſubuenire debere, itaque cum bellorum, vel interiorum, vel exteriorum clades ingruunt, vel alia eminent pericula, quibus propellendis, & longius amouendis, priuatæ principum facultates, vel publicæ, aliaque, à plebeis, vel nobilibus præſtita auxilia, non ſufficiunt, tunc ab Eccleſiaſticis, & clero Gallicano, extraordinarium ſubſidium, principes noſtri, poſſunt expetere.

2. Nec aliud æquius admitti poſſit, cum enim omnes, priuatorum facultates, antequam Eccleſiæ quærerentur, huic ſubſidio addictæ eſſent, non potuere quocumque titulo, in Eccleſiam, quæ aliàs adquirendi incapax erat, tranſmitti, niſi ſub onere collationis, rei adquiſitæ innato, & adhærenti, cum regula in vtroque iure ſit comprobata alienationem, rem transferre cum ſuâ cauſâ, *lege alienatio 67. dig. de contrah. empt. cap. ex litteris de pign. cap. paſtoralis de decimis.*

3. Et quamuis principes noſtri, benignius cum Eccleſia agentes, ſuis edictis, vel reſcriptis, adquirendi copiam fecerint, non potuit, hæc facultas concedi, in damnum, & præiudicium priuatorum, qui libertate pleniori Eccleſiæ indulta, prægrauarentur, quam nec principes conceſſiſſe intelliguntur, ſicut nec cætera alia priuilegia, in ſuam, & ſubditorum necem, nec concedere potuerint, quippe cum ſubſidij, ab Eccleſia regibus præſtandi onus, ſuperioris dominij, ſit pars præcipua, quod coronæ Regiæ ita cohæret, vt nec à ſe principes, abalienare poſſint.

4. Et certe cum per tuitionem, & defenſionem, à Regibus noſtris ſuſceptam, priuatorum omnium, non tantum plebeiorum, aut nobilium, ſed etiam, totius cleri Gallicani res, & facultates, in tuto conſtituantur, omnes pariter, non ſolum defenſori, gratiam referre, ſed etiam defenſionis, aut ſuſceptæ, aut ſuſcipiendæ, impenſas reſarcire debent, eadem ratione, qua cum iactis in mare mercibus, nauis ſalua permanſerit, & eorum quorum merces periere & quorum nauis exoneratione ſaluæ factæ ſunt, commune damnum eſt, ab omnibus pariter reſtituendum, *toto titulo digeſtorum ad legem rhodiam de iactu.*

5. Ex his itaque patet, quam verum ſit quod dictum eſt, Eccleſiam, publicis regni ne-

Digitized by Google

neceſſitatibus, conferre debere, ſed obſeruandum, eam collationem, ab ipſis Regibus, pro libito, & arbitrio, nec vllius exſpectato conſenſu, aut voluntate, vel etiam inconſulto ſummo Pontifice, indici poſſe, cum in temporalibus, nullum ſuperiorem agnoſcant, quod & ipſi Romani Pontifices probauere, pluribus reſcriptis, Regibus Franciæ in id emiſſis, & maximo Bonifacius VIII. in Bullato diplomate, Philippo Pulchro Regi Francorum inſcripto, quod refertur *in 2. volumine probationum ad libert. Eccleſ. Gall. cap. 39. num. 10. & ſeq.*

6. Verum alia, & mitiori ratione, vſi ſunt Reges noſtri, in ea decimarum ſiue ſubuentionum Eccleſiaſticarum indictione, nec enim, niſi conuocatis Gallicanę Eccleſię, comitiis, vel etiam, ſingulis ordinibus aſſentientibus, decimarum collectio indicta fuit, vnde in veteribus Gallicanæ Eccleſiæ ſchedis, ſæpius appellatur, ſubſidium caritatiuum, donum gratuitum, conceſſio liberalis, & aliis nominibus, quę pleniorem, donantis libertatem ſapiunt, & quamuis Reges noſtros, vere legibus ſolutos dixerimus, tamen ſæpius, & maxime in Eccleſiaſticis negotiis, legibus ſe ſubmiſſos, profiteri gloriantur, vt aiunt Imperat. in *leg. 4. cod. de leg.*

7. Et ex ea vtendi ratione vſque dum à Regibus noſtris, in decimarum collectione ſeruata, concludi poteſt, quam vana, & inutilis fuerit cuiuſdam noui ſcriptoris, Regi noſtro Chriſtianiſſimo, facta admonitio, qua probare intendit, vrgentibus vndique, bellorum calamitatibus, atque etiam, quibuslibet auxiliis ſubſtractis, poſſe quartam partem, redituum cuiuſcumque beneficij, publicis neceſſitatibus, pro libito inſumendam delibare.

8. Nec enim longiori, & faſtidioſo ſermone, ius certum & quæſitum Regi Chriſtianiſſimo, aſſerere debuerat, vt noua monſtra, ſibi debellanda fingeret, ſed potius præſentire RegemChriſtianiſſimum, Adeodatum, D. Ludouici pronepotem, eiuſque veſtigiis firmiter adhærentem, hanc, in decimarum, & Eccleſiaſticarum ſubuentionum collectione, ab anterioribus Regibus, relligioſiſſime cuſtoditam rationem, nec debere, nec velle interuertere.

9. Et quamuis ea decimarum, vel alterius ſubſidij indictio, doni gratuitui, vel caritatiui, titulo ſuperbiat, idem tamen de ea dicendum eſt, quod probauimus, *ad eadem verba definitionis cum ſuo reditu cap. 2. tertia parte §. 6. de caritatiuo ſubſidio Epiſcopis debito.* licet enim, ab initio, precibus impetrandum, atque etiam, poſtulandum dixerimus, tamen, aduerſus renitentes, ius ordinarię poteſtatis, exercendum eſſe probauimus ibidem.

10. Sed enim illud pariter, in caritatiuo ſubſidio, ab Eccleſia Gallicana Regi noſtro Chriſtianiſſimo pręſtando, obſeruandum eſt, cuius indicendi libertatem, tametſi Reges noſtri, iuri ſuo renunciantes, totius cleri Gallicani ordinibus remiſerint, nihilominus, aduerſus reluctantes, iure ſuperioris dominij, agere poſſunt, atque etiam inuitos, & renitentes, fructuum, & redituum capione mulctare, & ad ſolutionem cogere vt patet, ex *pluribus articulis eiuſdem capitis 39. probationum ad lib. eccleſ. gall.*

11. Sed & alia pleraque onera, Eccleſiaſticis bonis innata, nec impoſita, veluti alimenta pauperum, fabricę, ſiue refectionum onera ſuſtinenda, quorum ratione, Eccleſiaſtici reditus, primum in quatuor, deinde in tres portiones diuiſi ſunt: ſed de his antea diſſeruimus *ad eadem verba definitionis cum ſuo reditu cap. 1. de orig. bon. eccleſ. & eorumd. diſpenſat.*

PARS SECVNDA.

De immunitatibus Eccleſiarum, & earum origine.

1. *Ordo, & ſucceſſio huius tractatus.*
2. *Quid ſit immunitas Eccleſiaſtica.*
3. *Quot immunitatum Eccleſiaſticarum ſpecies.*
4. *Origo immunitatum Eccleſiaſticarum, & veſtigia apud Ægiptios.*
5. *Aliud exemplum in captiuitate Babilonica.*
6. *Reſtitutio immunitatum Eccleſiaſticarum, à Conſtantino, & aliis Principibus facta.*

Digitized by Google

7. *Munificentia Regum Franciæ, in immunitatibus Eccleſiæ concedendis.*
8. *Progreſſus, & ſeries huius diſputationis.*

1. TRactatui, ſiue diſputationi onerum, Eccleſiæ, vel bonis Eccleſiaſticis impoſitorum, ſuccedit immunitas, eiſdem Eccleſiis, vel bonis Eccleſiaſticis conceſſa, eo ordine, quo apud Gregorium, & Bonifacium, prius agitur de cenſibus, quam de immunitatibus Eccleſiarum, & rectè, namque immunitas, præſuponit onus, & officium, vnde & in pandectarum ſerie, titulo de muneribus & honoribus, ſubiiciuntur tituli, de vacatione munerum, & de iure immunitatis.

2. Eſt enim immunitas, vel vt aliis placet emunitas, & præcipuis formularum ſcriptoribus, ſi nominis ſonum ſpectemus, quaſi priuatio muneris, oneris vacatio, ſtatus extra munera, definitur autem à *Goffrido Tranenſi in ſumma tituli de immun. apud Greg. libertas qua Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel rebus ad eas pertinentibus debetur.*

3. Et quidem, ex ea definitione, tres immunitatis ſpecies, conſtituere licet, nempe, quæ ipſis Eccleſiis, ſiue ædificiis, diuino cultui conſecratis, quæ Eccleſiaſticis perſonis, & quæ rebus, ſiue prædiis, ad ſingulas Eccleſias pertinentibus debentur, de quibus ſuo ordine dicemus.

4. Sed prius prænotandum, immunitatum Eccleſiaſticarum antiquiſſimam eſſe originem, cuius tum in lege veteri, tum apud gentes, veſtigia patent, teſtante *Moiſe Geneſeos cap.* 4. Patriarcham Ioſephum dum crudelis, & memoranda fames, Ægyptum, vicinaſque regiones vexaret, egeſtati publicæ, ita ſubueniſſe, vt erogatis, in ſingulos frumentis, poſſeſſiones omnes, fiſco adiiceret, exceptis ſacerdotum prædiis, quæ & eis ſalua permanſere, & tamen cibaria, ex horreis publicis exhibita fuere.

5. Sed & *Eſdra lib.* 4. *cap.* 4. & 7. *lib.* 3. *cap.* 8. alia, & apertiora, immunitatum exempla habentur, patet enim, ex dictis locis, Artaxercem Perſarum Regem, publico edicto ſanxiſſe, ne Sacerdotibus, Leuitis, Cantoribus, Ianitoribus, Nathinæis, cęteriſque miniſtris domus Dei, vllum vectigal, vel aliud quoduis tributum, imponeretur, ſolis Sacerdotibus, in captiuitate libertis permanentibus.

6. Verum cum ad gentes, traducta eſt Dei Eccleſia, diu ſolis perſecutionibus exultans, immunitatum priuilegiis, ſpoliata permanſit, donec Conſtantinus Imperator, pace Eccleſiæ reddita, cæterique Chriſtiani Principes, eam, non ſolum collatis prædiis, verum etiam priuilegiis, & immunitatibus, certatim, & quaſi ex æmulatione ditauerunt.

7. Sed tamen, cum eorum liberalitas, anguſtius coarctata, ad ſolam, perſonalium munerum, immunitatem extenderetur, vt patet ex codice Theodoſiano & Iuſtinianeo, Chriſtianiſſimorum Regum Franciæ, munificentiâ, eo producta eſt, vt in infinitum excreuerit, quod patebit euidentius, ex variarum immunitatum, Eccleſiis Galliæ indultarum, formulis, quæ exſtant, tum apud *Marculfum monachum in formulis lib.* 1. *cap* 3. & *Flodoardum in chronico Remenſis Eccleſiæ, tum apud Aubertum Miræum in Codice piarum donationum.*

8. Diuiſionem itaque, immunitatum Eccleſiaſticarum, inſequentibus, ante omnia, explicanda venit, ea immunitatis ſpecies, quæ Eccleſiis, id eſt templis, & cœmiteriis adhæret, quamuis enim, perſonæ, rebus ipſis præferri ſoleant, tamen illud certum eſt, clericis, & quibuſlibet perſonis Eccleſiaſticis, ex eo tantum, immunitatum priuilegia concedi, quod diuinis officiis, & miniſteriis, in Eccleſiis celebrandis inſtent, & continuam operam exhibeant.

---

§. PRIMVS.

Placita in Eccleſia haberi non debere.

1. *In Eccleſia placita haberi non debere patet.*
2. *Quid mallus, & iudex publicus, in veteribus formulis.*
3. *Iuliani Apoſtatæ teſtimonium, in id laudatum.*

Digitized by Google

4. *Quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ, in Eccleſia exerceri poſſunt.*
5. *Exemplum manumiſſionis, in Eccleſia celebratæ.*
6. *Vt manumiſsiones, ita & doctorum promotiones, in Eccleſiis habentur.*

1. ET primum, in eo conſiſtit immunitas Eccleſiæ, vt nemo iudex publicus, id eſt ſæcularis, vt obſeruatur in *notis ad Marculſum cap.* 3. iuriſdictionem, in ea exerceat *cap. 3. & 5. de immun. eccleſ. & in capit. Car. Magn. lib.* 4. *cap.* 28. vbi dicitur *mallus tamen, neque in Eccleſia, neque in atrio, eius habeatur.*

2. Sed enim eo nomine, vt obſeruat *Clariſsimus Marculſi interpres ad veteres formulas cap.* 2. *& Sirmundus ad capit. Car. Calui pag.* 10. *Hincmarus epiſtol. cap.* 15. ſignificatur locus, vbi placita, ſiue iudicia ſæcularia habebantur, quod alibi manifeſtius, *Car. Magnus aperuit. lib.* 5. *capitul. cap.* 91. his verbis, *præcipimus, vt in Eccleſiis, aut in domibus Eccleſiarum, vel in atriis, placita ſæcularia, minime, fiant.*

3. Et ad id referri poſſit, quod tradit *Sozomenus lib.* 5. *hiſt. Eccleſ. cap.* 15. Iulianum Imperatorem, Chriſtianæ religionis ſimiam, Arſacio, Galatiæ pſeudo Pontifici mandaſſe, vt præſidibus prouinciæ, cum ſtipatu templum ingredi, non permitteret, imo & faſces deponi iuberet, *mox enim*, inquit, *vt delubrum venerint, perinde ſunt atque priuati.*

4. Quamuis autem, iuriſdictio contentioſa, quæ ſine ſtrepitu non procedit, in Eccleſiis, & ædibus ſacris, exerceri non poſſit, non idem dicendum eſt, de iuriſdictione voluntaria, argumento *cap.* 1. *de feriis lege actus cod. eod.* veluti graduum collatione, *Clement.* 2. *de magiſtris*, & manumiſſione *lege* 1. *cod. de his qui in Eccleſ. manum. inſtit. tit. de libert. in princip.*

5. Et huius quidem, manumiſſionis exemplum exſtat, in *Annalibus Eccleſiæ Aurelianenſis à Carolo Sauſſeio collectis lib.* 9. *num.* 6. vbi exſtat inſcriptio, maiori Eccleſiæ Aurelianenſi appoſita, qua conſtat, Letbertum quemdam ex beneficio ſanctæ Crucis præſente Ioanne Epiſcopo Aurelianenſi teſte ſancta Eccleſia per Albertum ſanctæ Crucis caſatum fuiſſe manumiſſum.

6. Sed & doctorum promotiones, quaſi quædam manumiſſionis ſpecies, iiſdem fere ſolemnibus peragendæ fuerunt, vt obſeruat Edmundus Merillius in obſeruationibus iuris ciuilis, & à Cancellario maioris Eccleſiæ ſiue ſcholaſtico alias ſcholarcha in ipſis Eccleſiæ aditis interioribus celebrari poſſunt *Clement.* 2. *de magiſtris.*

---

§. SECVNDVS.

In Eccleſiis hoſpitia, conuentus, & nundinas haberi non debere.

1. *In Eccleſia Agapæ haberi non debent.*
2. *Probatur Agapas, in domibus priuatis haberi debere.*
3. *In Eccleſia hoſpitia haberi non debent.*
4. *Mercatores ab Eccleſia expellendi.*
5. Nota ad Theodulphi Aurel. Epiſcopi ſynod. epiſt. cap. 8.
6. *An confratriæ. probentur in Eccleſia.*

1. ET ex eo etiam fluxit, quod in Eccleſiis hoſpitia, conuentus, nundinæ, celebrari prohibentur *tota diſtinctione* 42. imo nec Agapæ ipſę, in Eccleſiis exhiberi debent, licet ſint conuiuia, ex dilectione nomen ſortita, primiſque Eccleſię temporibus cognita, & obſeruata, vt pauperum inopię ſubueniretur, & fraterna inter fideles charitas firmaretur, de quibus ſupra *ad eadem verba definitionis cum ſuo reditu cap.* 1. *de origine bon. Eccleſ. & diſpenſat.*

2. Verum enim, in priuatis ædibus, celebrari debuerunt, illud pręcipiente *Laodicena Synod can.* 28. *& can.* 30. *Carthaginenſis ſynodi tertiæ, quibus iungenda nota Seuerini Binij ad vtramque nec non Apoſtolo* 1. *ad Corinthios cap.* 11. *his verbis numquid, non habetis domos, ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis, Balſamon ad ſextæ ſynodi in Trullo can.* 74.

Digitized by Google

3. Et inde eſt, quod nec hoſpitia, in Eccleſiis exhiberi debent, ſed propè Eccleſias, maxime, ſi aſſiduæ peregrinationi inſeruiant, & propterea diximus ſupra, patronum Eccleſiam, quamuis à ſe dotatam, non poſſe onerare, Albergariis, quas diximus eſſe, hoſpitia militibus præſtita, nec nundinæ celebrari, cum ipſe Dominus, adhuc in terra conuerſans, ementes, & vendentes, etiam à limine Eccleſiæ eiecerit.

4. Cum enim eccleſia, ſiue templum Dei, ſit domus Orationis, illud prædicante Chriſto in Euangelio, nihil in ea, niſi aut orando, aut ſacrificia exhibendo, peragi debet, ne aliud agentes, in maledictionem incidant, à Deo, in illos pronunciatam, ibidem, qui domum orationis, ſpeluncam, latronum effecere.

5. Sed & ea interminatione, Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, ſynodalis epiſtolæ, quam diœceſis ſuæ preſbiteris inſcripſit, *cap.* 8. vetat, ne in eccleſiis, meſſes, ſupellex ruſtica, fœnum, & alia ſimilia congerantur, ne forte milites, occaſione lucri, in eccleſias Dei irrumpant, omni loci religione neglecta, vt pleriſque, his temporibus contigit.

6. Sed & quæri poteſt, an liceat fraternitates, & ſodalitates, aliàs dicimus confratrias, in eccleſia congregare, quidni vero, modo à conuiuiis abſtineant, tripudiis, & ſaltationibus, in eccleſiis exhiberi ſolitis, vt enim obſeruat doctiſſimus *Præſes Aruernenſis Ioan. Sauaro. in tract. de confratern. & ſodal.* quamuis Patres Eccleſiæ, eas non omnino improbauerint, ab earum tamen cœtibus, & congregationibus, malos vſus eliminare ſtuduerunt, quibus congruit, *Concilium Mediolan. tert. parte ſub finem relatum in 3. tom. Concil. ſecunda parte edit. Biniana.*

---

§. TERTIVS.

De iure aſili & refugij Eccleſiæ, & cœmiteriis debito.

1. *Ius aſili, & refugij, Eccleſiarum venerationi debitum.*
2. *Statuæ Principum, noxiis refugium præbebant.*
3. *Eccleſia domus communis, ex qua nemo extrahi debet.*
4. *Iure veteri, nullus dabatur ingreſſus Eccleſiarum noxiis.*
5. *Aliud iure nouo, & quare fugientibus, in Eccleſias datur ingreſſus.*
6. *Quibus denegetur ius aſili & refugij.*
7. *Cœmiteria, & porticus Eccleſiarum, gaudent iure aſili.*
8. *Quæ ſit ambitus extra Eccleſiam, aſili iure gaudentis, definitio.*
9. *Quodnam fuerit ſignum refugij, & aſili in Cœmiteriis.*

1. ALtera immunitas Eccleſiarum, in eo conſiſtit, vt quicumque etiam crimine nocuus, ad Eccleſiam confugerit, perſecutionis vitandæ gratia, vel pœnæ fugiendæ, ab ea extrahi non debeat, *cap. inter alia 6. de immun. eccleſ. can. definiuit 17. quæſt. 4. can. id conſtituimus eadem cauſa, & quæſt.* niſi cautione præſtita, miniſtris Eccleſiæ, de impunitate rei, *d. cap. inter alia de immun. eccl.*

2. Et huius quidem iuris ſanctio, exemplo legum Romanarum eſt ſtabilita, quibus noxiis, non tantum templa, vel delubra, ſed etiam ſtatuæ principum, non tantum liberis hominibus, ſed etiam ſeruis, dominorum ſæuitiam fugientibus, certum, & tutum præbebant refugium, *lege 2. de his qui ſunt ſui vel al. iur. lege 1. dig. de offic. præf. vrb. lege 2. cod. de his qui ad eccleſ. confug. lege 4. cod. theod. eod. tit.*

3. Et rectè illud ſancitum, nam cum Eccleſiæ, & templa, fidelium domus communes eſſe debeant, illud prædicante Chriſto, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, nemo ex eis, per vim auelli poteſt, cum iure ciuili ſancitum ſit in *lege* 103. *de reg. iur.* neminem de domo ſua extrahi debere, quæ vnicuique, tutiſſimum refugium, & receptaculum dicitur, à iureconſulto in *lege* 18. *dig. de in ius voc.*

4. Sed & in eo iure aſili, & auxilio refugij, reis, & nocentibus præſtito, indulgentiorem factam agnouimus Eccleſiam, & à priori ſeueritate receſſiſſe, conſtat enim, primis

Digitized by Google

naſcentis Eccleſiæ temporibus, imo & adoleſcentis, non modo reis, nullum præſtitiſſe refugium, ſed etiam, omnem Eccleſiarum aditum recluſiſſe, qua ratione pœnitentes, referunt Tertullianus, & alij, liminibus Eccleſiarum affixos, preſbiteris ingreſſuris Eccleſiam, aduolutos, & caris Dei adgeniculatos, nec prius, in Eccleſiam admiſſos, quam peracta, ſolemni pœnitentia, aditum meruiſſent.

5. Sed tandem illud immutatum eſt, & quodammodo temperatum, primum quidem in fauorem Iudæorum, & aliorum quorumcumque infidelium, Chriſtianæ fidei amplectendæ occaſione, ad Eccleſias confugientium, quos religionis propagandæ ſtudium, intra Eccleſiarum ſepta, facile recepit, & loci religione defendit, deinde ad cæteros omnes, nocentes eſt productum, vt pluribus egit *Petrus Sardus in libro ſingulari de iure aſilorum, & Riterſuſius in ſimili tractatu.*

6. Quod tamen, non vſquequaque obſeruari, tradit *Lucius III. Pontifex maximus in capit. inter alia 6. de immun. eccleſ.* vbi latronibus publicis, & nocturnis agrorum depopulatoribus, virginum raptoribus, adulteris, & aliis paris notæ viris, Eccleſiarum omnes aditus occludit, ne Eccleſiæ, quas domos orationis eſſe decet, ſpeluncæ latronum efficiantur, eaque ratione *Car. Molin. in notis ad can. de Raptoribus 36. quæſt.* 1. impunitatis laxiorem obſeruantiam in aſilis cohibuit, vt raptoribus virginum adimeret.

7. Nec tantum immunitas illa, Eccleſiis conceſſa eſt, ſed etiam ad cœmiteria, hortos, porticus, Eccleſiæ adiacentes, vt notat *Theodorus Balſamon ad can. 76. ſextæ ſynodi in Trullo*, certumque terræ ambitum, extra Eccleſiam porrigitur, *can. ſicut antiquitas can. definiuit 17. quæſt. 4. Boet. Epo ad cap. 5. de iure immunit. in quæſt. eccleſ.*

8. Sed & hic terræ ambitus, definitur 40. paſſibus, in maioribus eccleſiis, vel vt notat *gloſſa ad d. can. ſicut antiquitas* 60. & 30. paſſibus, in minori Eccleſia, qui crucium ſigno, per girum erectarum, claudebatur, cuius & definitionis varietas, notatur ab *Anton. Auguſtino lib 2. emendat. Grat. dialogo* 17.

9. Nec alia ratione, ſepulcrorum ambitus, inſcriptionibus fronti adhibitis patebat, quarum formulas refert, *Iacobus Gutherius lib.* 3. *de iure manium cap.* 4. intra quos limites, vtrobique, tuta erat perſecutionis euaſio, teſte *Anonimo de miraculis ſancti Benedicti lib.* 4. *bibliothecæ Floriacenſis* his verbis: *denique cruces aliquantulum excelſas, per girum cœmiterij poſuerunt, quas nemo, ſuum perſequens inimicum, tranſgredi audeat.*

§. QVARTVS.

De prohibita ſepultura in Eccleſiis.

1. *Martirum reliquiæ in Eccleſias aſportari ſolitæ, & inde martiria dicta.*
2. *Vnde martiribus datum, vt in Eccleſiis ſepelirentur, cæteris vero denegatum.*
3. *Veteribus Eccleſiæ decretis ſancitum, ne mortui in Eccleſias inferrentur.*
4. *Exemplum huius prohibitionis, à Vido Conchilio relatum.*
5. *Ratio prohibitionis in Eccleſia ſepeliendi.*
6. *Prohibitio ſepeliendi in Eccleſiis, ad quos non extendatur.*
7. *Vnde mos inhumandi in Eccleſiis inuectus.*
8. *Non omnibus paſſim, hæc libertas concedenda, ſed ex gratia Epiſcopi.*
9. *Prohibitionem ſepeliendi in Eccleſiis, probauit curia Pariſienſis.*

1. ERat olim & hæc immunitas Eccleſiarum, vt nullus, intra earum ſepta, ſepeliri poſſet, cum enim pacatis, Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, intra ciuitates, Eccleſiæ ædificari cæpiſſent, in earum intimos ſinus, ſanctorum quidem martirum reliquiæ, quæ in criptis, & cœmiteriis iacebant, aſportari conſueuere, vnde & ipſæ Eccleſię, ſæpius martiria appellantur, vt in *can. neminem, can. ſanctorum diſtinct.* 70. celtiſmo noſtro Gallico *Martrois.*

2. Et illud quidem, conceſſum ipſis habemus, in pręmium certaminis, pro Chriſto ſuſcepti, ſicut olim apud Romanos, his, qui propter patriam occubuere, intra mœnia

mœnia ciuitatis, ſepeliri dabatur, ſed tunc, quod ſanctorum corporibus datum eſt, cæteris omnimodo eſt denegatum, vt videre eſt in *lege 2. cod. de ſacroſ. eccleſ. itemque in can. nullus can. præcipiendum 13. quæſt. 2.* quod ab *Yuone parte 3. cap. 222. Vaſenſi Concilio à Burchardo lib. 2. cap. 15. Hannetenſi* tribuitur.

3. Verum omiſſis, his leuioribus diſputandi occaſionibus, conſtat, veteribus Eccleſiæ decretis, ſancitum eſſe, ne mortui, in eccleſias inducerentur, ſepulturæ gratia, vnde Gregorius Magnus in *regiſtro lib. 1. epiſt. 52. lib. 22. epiſt. 9. lib. 7. epiſt. 71. lib. 8. epiſt. 68. & alibi paſſim*, ædificandarum Eccleſiarum facultatem, ita demum petentibus annuiſſe dicitur, ſi nullum humanum corpus, ibi fuiſſet conditum.

4. Sed & illud, longo, poſt Diui Gregorij tempora, interuallo, obſeruauit *Vidus Conchilius in hiſtoria Niuernenſium*, dum anno 1160. Vvilelmum 40. Niuernenſium Comitem decedentem, in capitulo Abbatię ſancti Germani, in vrbe Altiſſiodorenſi, teſtatur fuiſſe ſepulturæ demandatum, cum *ab antiquo*, inquit, *receptum eſſet, ne vlla corpora in eccleſiis, ſepultura iacerent, ſecundum præceptum*, inquit, *d. cap. 11. 16. quæſt. 2.*

5. Et quidem illud, ita in Gallia obſeruari vidimus, non tantum ex ſuperiori exemplo, & teſtimonio, Vidi Conchilij, ſed etiam, ex eo, quod tradit *Yuo Carnotenſis Epiſcopus parte 3. decreti cap 2.* nec alia ratione, quam eâ, quâ cautum habemus, vetitum lege 12. tabularum, ne intra mœnia ciuitatis mortui, aut ſepelirentur, aut comburerentur, primum ſalubritatis fouendæ occaſione, ſed poſtea, maioris venerationis inducendæ intuitu.

6. Verum vt hæc prohibitio, iure ciuili ſancita, ad Reges, cæteroſque dignitate præcellentes, non extendebatur, ita Eccleſiæ decreta, nec ad eoſdem Reges, Epiſcopos, Abbates, pluresque alios, dignitatum infulis conſpicuos, imo etiam, ad ipſos Eccleſiarum patronos, & fundatores, porrecta fuere, vt ipſe innuit *Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in d. ſynodali epiſtola cap. 9.*

7. Et hæc quidem ratio, vt huiuſmodi perſonis morientibus, ad eccleſias viam aperuit, ita cæteris Chriſtianis, primum zelus, deinde ambitio, Eccleſiæ valuas reſerauit, adeo vt omnibus inhumandis, ad Eccleſias pateret aditus, quod & *D. Ambroſius teſtatur ſermone 44.* his verbis, *ideo enim, hoc à maioribus prouiſum eſt, vt ſanctorum oſſibus, noſtra ſociemus corpora, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat.*

8. Quod tamen ita introductum eſt in Eccleſia, vt ſingulis pro libito, ſepulturæ intra eccleſias eligendæ, libertas omnimoda non daretur, ſed Epiſcopi, in maiori eccleſia, & Rectoris parœciæ in minori partes eſſent, vnicuique, ſecundum, vel dignitatem, vel vitæ commendationem, ſepulturæ locum ſtatuendi, vt conſtat ex *conſtitutionibus Riculfi Epiſcopi Sueſſionenſis cap. 18.* quæ exſtant ad calcem operum Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, *itemque ex Prouinciali ſynodo Remenſi anno 1583. conuocata.*

9. Sed & illius ſynodi decretum, his temporibus renouatum vidimus, & quodammodo approbatum, cum enim Siluanectenſis Epiſcopus, ſynodali epiſtola, compreſbiteris ſuis mandaſſet, ne intra Eccleſiarum cæpta, ſine iuſſu, vel litteris commendatitiis, defunctorum corpora inferrent, quæ appellationi tanquam ab abuſu, locum dederat, cauſa, in publico ſenatus auditorio peracta, Audemarus Talæus, fiſci patronus, publicæ, & Eccleſiaſticę diſciplinæ vindex, Siluanectenſis Epiſcopi partibus adhæſit, ſubnixus dictę Remenſis ſynodi decreto, ſed tandem ſenatus, cauſam in conſilium remiſit, decreto in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Siluanectenſi recitatis pronunciato, die 8. Martij, anni 1650.

---

§. QVINTVS.

De vacatione munerum.

1. *Ordo, & progreſſus huius diſputationis ſtatuitur.*
2. *Variæ munerum diuiſiones, & ſpecies.*
3. *Ab omnibus perſonalibus muneribus, Clerici immunes facti.*
4. *Quarum perſonarum Clerici defenſionem, & tuitionem ſuſcipere debeant.*
5. *A vilibus & damnoſis muneribus eximuntur.*

6. *Ab extraordinariis olim, non eximebantur, & quæ illa ſint.*
7. *Clerici ab inſtructione viarum, & reparatione pontium, immunitatem non habent.*

1. AB ea immunitatis ratione, quæ Eccleſiis ipſis competit, tranſeundum ad eas, quę perſonis Eccleſiaſticis, vel rebus, ad eos, ratione Eccleſiæ, & beneficij pertinentibus indulgentur, ab Eccleſiis, ad ſacerdotes, quæ quidem immunitates, variis modis ſpectantur, prout munera, quibus ſubiiciuntur, vel à quibus vacationem meruerint clerici, varie ſpectantur.

2. Verum enim, alia ſunt mere perſonalia, quæ perſonam clericorum, ſolummodo, ſine vllo patrimonij diſpendio afficiunt, à perſonis alia, cum patrimonij diſpendio ſuſtinentur, alia cum honore, alia cum dedecore, alia ordinaria, alia extraordinaria: ſecundo alia realia, quæ ipſis rebus adhærent, & poſſeſſionibus, ſiue prædiis, vnde patrimonialia, & prædialia appellantur, quia ipſos, prædiorum poſſeſſores onerant, alia mixta, quæ perſonis, ratione rerum, ſiue poſſeſſionum imponuntur.

3. His ita præmiſſis certum eſt, clericos, ab omnibus perſonalibus muneribus, immunes factos, conſtitutionibus *Conſtantini Imperatoris in lege* 1. *&* 2. *cod. de epiſc. & cler. & Iuſtiniani in lege generaliter cod. eod. tit.* quæ tranſlata à Gratiano, in *can. generaliter* 16. *quæſt.* 1. quia cum Chriſti milites dicantur, & eorum militia cœleſtis, vt aliàs probauimus non decet eos, ſæcularibus negotiis implicari.

4. Et ex eo eſt quod *Diuus Cyprianus in epiſtola* 66. inuehitur, in Victorem quemdam, qui decedens, Geminium Fauſtum preſbiterum, teſtamento ſuo, tutorem nominauerat, licet antiqui canones, clericos viduarum, orphanorum, cæterarumque miſerabilium perſonarum, defenſionem ac tuitionem ſuſcipere mandauerint de quibus fuſius ſupra diſſeruimus *ad verba definitionis cœleſtis cap.* 1. §. 12.

5. Nec vero intereſt, vtrum ea munera, vel cum diſpendio patrimonij, vel ſola, & vnica ſubeuntis induſtria, ſuſtineri poſſint, nec etiam, cum honore, an cum dedecore, à quibus, potiori iure & ratione, vtrimque eximuntur clerici, ne aut clericalis ordo dedecoretur, ſuſceptione illorum munerum, aut patrimonij diſpendium patiantur clerici *Nou. Iuſtiniani* 131. *cap.* 5.

6. Verum & aliàs, & ſupradictis conſtitutionibus, ab extraordinariis, non omnino eximebantur clerici, imo hiſce muneribus aſtrictos voluere Impp. Valent. & Theod. veluti Angariis, & Parangariis tempore belli, *lege neminem cod. de ſacroſ. Eccleſ* inſtructioni, & reparationi viarum, pontium, portuumque inſtaurationi, *lege* 4. *cod. eod. tit.* reparationi, & cuſtodiæ murorum & portarum ciuitatis, *cap. peruenit. de immun. Eccleſ.* quamuis & illud antiqui putauerint, ciuitatem diligentius cuſtodiri, Sacerdotum religione, quam ipſo murorum ambitu, qua ratione, ab eo onere, liberos voluerunt.

7. Hoc tamen notandum, Car. Magnum, cæteroſque Gallorum Reges, ab omnibus extraordinariis muneribus, clericos exemiſſe, excepta ſola pontium, viarum, aut murorum vrbis reparatione, vt patet ex *cap. Car. Magn. lib.* 6. *cap.* 101. nec non ex conſtitutione Friderici II. Imperatoris relata *lib.* 5. *epiſt. Petri De Vineis eiuſdem Cancellarij epiſt.* 6. quod & apud nos ſeruatur, vt patet ex *Roberto lib.* 2. *rer. ind. cap.* 3. *Ferrerio ad Guid. Pap. deciſ.* 7. *Simonem Oliuæum lib.* 1. *deciſ. cap.* 18. *& collectione rerum & negotiorum ad clerum Gallicanum pertinentium tomo* 4. *tit.* 24. *& ſequentibus.*

---

§. SEXTVS.

An immunes Clerici à muneribus patrimoniorum.

1. *Clerici onera prædialia ſuſtinere debent.*
2. *Manſus in dotem datus, debet immunis eſſe, ab omni ſeruitio.*
3. *Probatur Concilij Vormatienſis auctoritate.*
4. *Quid ſeniorum appellatione ſignificetur.*

Digitized by Google

5. *Prædia ex antiqua dotatione, Eccleſiæ parochiali aſſignata, eximuntur à decimarum præſtatione.*
6. *Quæ extra manſum poſſident clerici, cenſuum præſtationi ſubiiciuntur.*
7. *Clerici nouos cenſus, & ſuperindicta, præſtare non tenentur.*

1. QVod vero ſpectat, ad munera patrimonialia, ſiue mixta, certum eſt clericos, prędiorum poſſeſſores, veteres cenſus, & indictiones, quæ à *Conſtantino in lege 3. cod. de epiſc. & cler.* iuga appellantur, ſuſtinere debere, ſiue fiſco, ſiue priuatis inferri debeant, *lege 15. cod. eod. tit.* cum enim alienatio, transferre ſoleat rem, cum cauſa ſua, vt probatur in *lege alienatio 67. dig. de contrah. empt. cap. ex litteris de pign. cap. paſtoralis de decimis* quęcumque etiam titulo fundationis, in eccleſiam conferuntur prædia, cum oneribus prædialibus, eis impoſitis tranſeunt.

2. Si modo exceperis, manſum integrum, iure fundationis concedendum, de quo ſupra diximus, *ad verba definitionis cum ſuo reditu cap. 2. de eccleſ. fundat. & dote*, is enim, liber ab omnibus oneribus, tradi debet, quod manifeſtius ſtatuit *Car. Mag. lib. 1. capit. cap. 91. vt vnicuique eccleſia, vnus manſus integer, abſque vllo ſeruitio attribuatur, & presbiteri in eis conſtituti, non de decimis, neque de oblationibus, non de domibus, neque atriis, vel hortis, iuxta eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo, ſeruitium aliquod faciant, præter eccleſiaſticum, & ſi aliquid amplius habuerint, inde ſenioribus, ſuis, debitum ſeruitium impendant.*

3. Quod & iiſdem fere verbis confirmat Gratianus in *can. ſancitum 23. quæſt.* 8. ex Concilio Vormatienſi, vbi quod in textu canonis legitur *inde maioribus ſuis debitum ſeruitium impendant* notæ, ad illum textum additę, *ſenioribus* legendum eſſe obſeruant, vt in *d. Concilio Vormatienſi cap.* 50. *& capitularium loco prædicto* vnde ſumptus eſt *d. can. ſancitum.*

4. Seniorum autem, vel maiorum appellatione, domini deſignantur, vt in *Epiſtola Gerberti* 54. & 58. & alibi paſſim in *cap. Car. Magni* celtiſmo noſtro dicimus *ſeigneurs*, quod pariter confirmatur, *can. conuenior, can. tributum, cauſa 23. quæſt.* 8. & ea ratione interpretandum diximus vocabulum ſeniorum in *lib. 1. capit. cap. 48. vt Epiſcopi prouideant, quem honorem presbiteri, ſenioribus tribuant*, vt inde pateat clericos, de eo, quod extra manſum poſſident, dominis ſuis, & honorem, & ſeruitium debitum, impendere debere.

5. Sed & illud, adeo verum eſt, vt in parochialibus eccleſiis, ſtatutum ſit, prædictum manſum, aliàs dicimis *l'ancien domaine des Cures*, nec etiam decimarum, ſiue eccleſiaſticarum, ſiue in feudum datarum, præſtationi ſubeſſe, vt pluribus decretis, probauit ſenatus Pariſienſis altero die 3. Martij, anni 1648. prolato in fauorem, Rectoris parochialis Eccleſiæ *de Velluis*, in diœceſi Senonenſi, contra maiorum decimarum, in dicta parœcia poſſeſſores, à quarum prętatione, prædia ad rectorem, ex antiqua fundatione pertinentia, libera dicta ſunt.

6. Quidquid igitur clerici, extra prædictum manſum poſſident, non tantum, decimarum exſoluendarum obligationi ſubmittitur, ſed etiam, quorumlibet aliorum cenſuum vel indictionum, & ſic interpretanda ea verba Concilij Vormatienſis, *etſi quid amplius habuerint, inde ſenioribus, debitum ſeruitium impendant*; vt de cenſibus, & indictionibus exſoluendis, intelligantur, modo veteres ſint, & ſub ipſa traditione impoſiti.

7. Ex his itaque conſtat, nouos cenſus, vel ſuperindicta, idiotiſmo noſtro Gallico *ſurcens*, præſtare clericos non teneri, *can. generaliter* §. *placet 16. quæſt.* 1 cum enim diximus beneficia cœleſtes militias, non decet prædia, vſibus cœleſtium ſecretorum dedicata, ſordidorum & inſolitorum munerum, fæce vexari, *lege placet cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quod ſequentia verba eiuſdem legis, ſatis indicant *niſi extraordinarium, ſuperindictumue flagitetur.*

---

§. SEPTIMVS.

De Priuilegiis Eccleſiæ conceſſis.

1. *Eccleſia vtitur iure minorum.*
2. *Namque leſa reſtituitur ſicut minor.*
3. *Quæ præſcriptio opponi poſſit Eccleſię.*
4. *Mobilia Clericorum, an pignori capi poſſint.*

5. *Quæ quotidiano vſui inſeruiunt, pignori capi non poſſunt.*
6. *Fructus beneficiorum, debentur officium implenti.*
7. *Supra trientem, pignori capi non poſſunt.*
8. *Idem de commodis, militiarum palatinarum, aut forenſium.*

1. ADdo & duo priuilegia, Eccleſiis conceſſa, quia, & aliquando priuilegij nomen, idem ſonat, atque immunitas & exemptio, vt in *notis ad Marculſi formulas:* Primum eſt, quod Eccleſia minoris priuilegio, vel reipublicæ iure gaudeat, *cap. auditis de in integr. reſtit. & ibi gloſſa & Panormit.* ſi quidem ex Optato Mileuitano diximus *eccleſiam eſſe in republica.*

2. Sed enim, reſtituitur ſicut minor, *d. cap. auditis de integr. reſtit.* etiam aduerſus Eccleſiam, ſicut minor læſus, aduerſus minorem, eſt enim Prælatus Eccleſiæ, ſicut tutor, minoris tuitioni demandatus, quo, dum orbata fuerit, præſcriptioni, non eſt obnoxia *cap. 1. de reb. eccleſ. non alien. in 6. cap. de quarta de præſcript.*

3. Et in ea quidem, præſcriptionis materia, longe maior eſt fauor Eccleſiæ, quam minoris, ſola enim, 40. annorum præſcriptio, currit aduerſus Eccleſiam, *d. cap. de quarta de præſcript.* imo Eccleſia Romana, eo gaudet priuilegio, vt ſola præſcriptione centenaria, ſiue ſæculari excludatur, *d. cap. ad audientiam de præſcript.*

4. Alterum priuilegium Eccleſiæ eſt, quod bona clericorum mobilia, indiſtinctè olim, pignori capi non poterant, eodem priuilegio munita, atque ipſorum perſonæ, quorum conditionem, iure noſtro ſequuntur, quod quidem ſancitum eſt, conſtitutione Philippi Pulchri anni 1302. ſed illud ipſum, conſtitutione Aurelianenſi, nec-non Blæſenſi, eſt paululum immutatum, quibus, mobilia clericorum, pignori capi poſſe decretum eſt.

5. Sed tamen, excipienda ſunt illa, quæ quotidiano vſui, & miniſterio diuino inſeruiunt, veluti libri, veſtes, calices, & ſimilia, quæ quidem exceptio, latius ſe extendit, quam ea, quæ habetur in conſtitutione, & ad omnia, quotidiano vſui, & domeſtico neceſſaria, porrigitur, vt obſeruat *Vidus Conchilius quæſt. 193. & Bertrandus Argentræus conſuet. Aremoricorum* §. 44. *Col. 172. & 173.*

6. Nec tantum illa, clericorum mobilia, pignori non ſubiiciuntur, ſed nec reditus, aut fructus beneficiorum, ſaltem ſupra trientem, cum enim beneficium, eiuſque reditus, dari dicantur propter officium, *cap. finali de reſcript. in 6.* ita ſunt officio, vel miniſterio annexi, vt ab eo, ſeparari non poſſint, nec alteri addici, niſi qui officium impleuerit vt ſuprà admonuimus *ad verba definitionis cum ſuo reditu in principio.*

7. Et ex eo eſt, quod ſi reditus beneficij, pignori capiantur, duo trientes liberi manere debeant, beneficiario, vt diurnis & diuinis ſatisfaciat officiis, & victui ſuo ſubueniat, ſolo triente, pignori remanente obnoxio, quod non tantum iure canonico, ſed etiam, variis curiæ placitis deciſum eſt, quod tamen, in diſtributionibus quotidianis, indiſtinctè obſeruatur, vt ex nulla parte pignori capi poſſint.

8. Verum, vt quædam ineſt ſocietas, inter militiam noſtram beneficiariam, & Eccleſiaſticam, palatinam, & forenſem, idem obſeruatur in commodis, & annonis, quæ comitibus, aut forenſibus, aut palatinis, pro iniuncto miniſterio, præſtari ſolent, quæ vltra eamdem portionem, in cauſam iudicati, cadere non poſſunt, licet iure ciuili, ne pro vlla quidem parte, in cauſam iudicati, pignori capi poſſent, *lege ſtipendia cod. de execut. rei. iud lege commoda dig. de re iud.*

Digitized by Google

AD VOCABVLVM CLERICO.

Solis Clericis deberi beneficia.

1. *Ordo, & progreſſus huius tractatus.*
2. *Quidam Clericos à ſorte dictos voluere.*
3. *Damnatur ſententia eorum, qui Clericorum nomen, à ſorte deducunt.*
4. *Clericorum nomen, à portione, & hereditate deductum probatur.*
5. Notatur Seuerus Sulpitius à Bellarmino.
6. *Probatur à Diuo Hieronimo, Clericorum nomen deduci ab hereditate.*
7. *Quinam ſunt Clerici, & variorum ordinum diſtinctio, & gradus.*
8. *Controuerſia Theologorum, & Canoniſtarum, in computatione graduum Clericalium.*
9. *Probatur opinio canoniſtarum.*
10. *Militiæ quælibet, ſolis militibus debentur.*
11. *Per gradus ad militias aſcenſio explicatur.*
12. *Probatur ſolis Clericis deberi beneficia.*
13. *Mox ordinando, non poteſt conferri beneficium.*
14. *In militia Eccleſiaſtica, confirmatur aſcenſio per gradus.*
15. *Probatur decretum Zozimi Papæ, à Rabano Mauro.*
16. *Clerici ordinandi non ſunt abſolute, ſed relatiue ad Eccleſiam*
17. *Titulorum aſſignatio, ſiue in Eccleſia, ſiue in patrimonio exponitur.*
18. *Titulorum militarium, & beneficiorum collatio.*
19. *In quo, titulorum militarium qualitas, & conditio.*
20. *Vtrum coniugati, poſſint obtinere beneficia.*
21. *Probatur coniugatos, ſimplicia obtinere poſſe.*
22. Nota ad cap. 1. 2. & 3. de coniug. in prima compilat. decret. & cap. 2. in quinta.
23. *Vtrum præbendæ laicis aſſignatæ, beneficiorum nomine veniant.*
24. *Qui præbendam habent à canonicatu ſeiunctam, quid conſequantur.*
25. *Quid conſtituat, plenum ius canonicatus.*
26. *Laici, Eccleſiaſticarum adminiſtrationum quæ quid in ſe ſpirituale continent, ſunt incapaces.*

Digitized by Google

27. *Non ſunt incapaces earumdem, ſi in merè temporalibus conſiſtant.*
28. *Reges noſtri in quibuſdam Eccleſiis canonicatum obtinent.*
29. *Reges noſtri regiam, & ſacerdotalem poteſtatem ſimul induunt.*
30. *Priuilegium Regibus noſtris conceſſum non eſt trahendum ad conſequentias.*
31. *Canonicatus & præbendæ fundationis Regię, ſunt quodammodo temporales.*
32. *Solis tamen Clericis conferri poſſunt.*
33. *Emendatus Regum II. ſtirpis peior vſus, in beneficiorum diſpenſatione.*
34. *Probatur reformatio diſpenſationis beneficiorum, variis auctoritatibus, & exemplis.*

1. IN exponenda definitione beneficij, quam præmiſimus, cuiuſque ſingulis partibus, & verbis, totam beneficiariam naturam accommodare noſtri eſt inſtituti, explicanda veniunt ea verba quæ clerico, militiam cœleſtem, concedendam eſſe demonſtrant, & in primis expendenda, ea verba *Clerico*, circa quæ exquirendum primum venit, quid ſit clericus.

2. Et quidem, ſi nominis ſonum attendamus, & in ipſo cortice hæreamus, alij dictos voluere clericos, à Græco verbo κλῆρος, id eſt ſorte, quaſi ſorte electi ſint, ratione habita eius electionis, quæ Diuum Mathiam, in Collegium Apoſtolorum adſcripſit, *Actorum cap.* 11. quod confirmat *can. cleros diſtinct.* 21. *& ibi gloſſa in verbo primum.*

3. Sed tamen illud, nec facile probarem, auctoritate Diui Hieronimi adductus, in *can. non ſtatim, can. exemplo 26. quæſt.* 2. vbi ſortibus, in clericorum electionibus adhibitis, vel minimam commendationem denegat, ne quod diuino afflante ſpiritu, cuius gratiam, præmiſſa oratione, obtinere meruerant Apoſtoli, in electione Diui Mathiæ ſucceſſit, ad cæteras clericorum ordinationes, producatur, ſicuti nec iure ciuili producitur, quod ſingulari iure obtinet, *lege* 14. *dig. de leg.* maxime, *cum ſors, & vrna, mores non diſcernant*, auctore Tacito.

4. Verum lubentius, denomiationem clerici deducerem, ab eodem verba κλῆρος. prout hereditatem, ſiue portionem ſignificat, quia in clerum aſſumptis, ſolus Deus, hereditas, & portio eſſe debeat (*cui enim non ſufficeret, cuius poſſeſsio, totum deſiderium explere debet*) quaſi Leuitis ſucceſſerint, quibus in diuiſione terræ promiſſæ, nulla fuerat pars aſſignata.

5. Et ex eo, occaſionem arripit, *Seuerus Sulpitius lib.* 1. *Hiſtoriæ ſacræ*, inuehendi, in clericos ſibi coætaneos, *qui Leuitici* inquit *præcepti, non modo immemores, ſed etiam ignari, inhiant poſſeſsionibus, auro incubant, prædia excolunt, omnibus denique, ſæcularibus negociationibus, ſtudent,* quod tamen reprehenditur à Cardinali Belarmino in *lib. de ſcript. eccleſ. ad annum* 410. *in Seuero Sulpitio*, & tanquam ſuſpectum adnotatur.

6. Sed & ad illud appoſitè, *Diuus Hieronimus epiſtola ad Nepotianum* exclamat *clericus, qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ, interpretetur primum ſuum vocabulum, & nominis definitione prolata, imitetur eſſe quod dicitur, ſi enim κλῆρος, Græce, Latine ſors appellatur, propterea clerici dicuntur, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars clericorum eſt, & qui ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt ipſe poſsideat dominum, vel ipſe poſsideatur à Domino.*

7. Præmiſſa igitur nominis explicatione, tranſeundum eſt ad ipſius rei definitionem, quæ traditur in *can. cleros verſ. generaliter diſt.* 21. his verbis *clerici nuncupantur omnes, qui in Eccleſia Dei deſeruiunt*, vel vt ait Conſtantinus in *lege* 2. *cod. Theod. de epiſc. & cler. qui Diuino cultui, miniſteria religionis impendunt*, quorum nouen gradus, & nomina, referuntur in *d. can. cleros diſt.* 21. Oſtiarius, Spalmſta, Lector, Exorciſta, Acolithus, Subdiaconus, Diaconus, Preſbiter, Epiſcopus.

8. Et in ea quidem, graduum clerîcalium diuiſione, maxima eſt controuerſia, inter iuris canonici interpretes, & ſacræ Theologiæ Doctores, quorum hi, nouen clericatus gradus, totidem Eccleſiæ triumphantis Hierarchiis, accommodatos eſſe contendunt, ſecundum *d. can. cleros diſt.* 21. *cap. contingat de æt. & qual. præfic. can. epiſcopus & ſequent. diſt.* 74. primam tonſuram, & Epiſcopatum, tanquam fundamentum, & apicem ordinum Eccleſiaſticorum, adiicientes.

9. Verum illi, ſeptem tantum, totidem militantis Eccleſiæ Sacramentis, adæquatos eſſe ſtatuunt, & à ſuperioribus, & prædicto numero, primam tonſuram, & Epiſcopatum

Digitized by Google

excludunt, quorum rationes inuicem oppoſitas, diffuſius refert & explicat, *Bartholomæus Piſanus in ſumma in verbo ordo, & Albertus Trotius in tractatu de perfecto clerico lib.* 1. *cap.* 2. quas longiori ſermone diſcutere, noſtri non eſt inſtituti.

10. Cum igitur, initio huius tractatus dixerimus, beneficium eſſe militiam, ex eo ſequitur, ſolis militibus, id eſt clericis, concedi oportere (ſic enim appellantur *in can. ſi officia & ſequenti diſtinct.* 59.) eadem ratione qua militiæ, ſiue armatæ, ſiue palatinæ, vel etiam forenſes, illis ſolis conferri poſſunt, qui in altera, ſtipendia meruerint, & militauerint.

11. Namque vt ait Imperator Honorius in *lege vlt. cod. de tiron. non patimur quemquam, celſiorem gradum obtinere, niſi cui. & laborum aſſiduitas, & ſtipendiorum prolixitas, ſuffragantur*, ex quibus patet, non tantum dignitates illis, qui ſunt in numerum relati, vel ex corpore deferri, ſed etiam ſcanſilem eſſe, quaſi per gradus, ad dignitates adcenſionem, ab inferioribus, ad ſuperiores, *lege honor* §. *gerendorum lege vt gradatim dig. de mun. & hon.*

12. Sed & illud obſeruatur, in militia cœleſti, ſiue beneficiaria, vt patet *ex d. can.* primum enim beneficia, ſolis clericis deferri conſtat, *cap.* 2. *de inſtit. capit. ex litteris de tranſact. cap. cum adeo de reſcript.* cum enim beneficia, ſiue reditus Eccleſiaſtici, ei portioni decimarum annumerentur, quæ ſolis Leuitis, ex veteri lege debebatur, quæque Dominica dicebatur, iis ſolis conferri poſſunt, quorum Deus eſt, hereditas, & portio.

13. Et quidem, illud adeo verum eſt, vt in regulam tranſierit, & inde firmiſſime decretum ſit, ei, qui mox promouendus eſt, & clericali tonſura donandus, beneficium conferri non poſſe, cum nondum clericus cenſeatur, quemadmodum miles, inter Tirones receptus, non fruitur priuilegiis militiæ, donec in numerum relatus ſit, *lege ex eo dig. de teſtam. milit.* nec ea conualeſcere poteſt collatio, per ordinem, mox ſuſceptum ab eo, cui confertur beneficium, cum non conualeſcat tractu temporis, quod ab initio non valuit *regula non firmatur de reg. iur. in* 6.

14. Secundùm vero, patet ex eo, quod decreto Zozimi Papæ, ſtatutum fuerit, vt nullus clericus, ad maiores ordines promoueretur, antequam in minoribus, debitum miniſterium præſtitiſſet, *can. ſi officia, & ſequenti diſtinct.* 59. *& can. qui Eccleſiaſticis diſt.* 36. & per id tempus permanſiſſet, quod eodem decreto præfinitum fuerat, cuius fragmentum refertur, in *can. in ſingulis diſt.* 77. ſed integrum habetur, *tomo* 1. *Conciliorum parte* 1. *Biniana editionis pag.* 711.

15. Sed & in huius epiſtolæ, ſiue decreti Zozimi Papæ expoſitione, totus eſt *Rabanus Maurus Meguntinenſis Archiepiſcopus lib.* 1. *inſtitutionis clericorum cap.* 13. vbi refert, promouendum ad maiores ordines, inter Lectores, ſiue Exorciſtas, per quinque annos, ſeruitium exhibere debuiſſe, inter Acolithos, & Subdiaconos, quatuor annis integris, ſtipendia meruiſſe, deinde ad Diaconatus ordinem accedere, in cuius officio exhibendo, dum quinque annos expleuerit, ad Preſbiteratus ordinem, promoueri poteſt.

16. Sed & quod diximus, beneficia, ſolis clericis, eſſe conferenda, manifeſtius patet, ex eo quod nullus ab initio, ordinari poſſet in clericum, quin ſtatim in ipſa ordinatione, alicui Eccleſiæ adſcriberetur, nec ipſæ Eccleſiæ conferebantur, niſi in ipſa ad ordines promotione, erat enim quædam neceſſaria, & perpetua, inter clericum, & Eccleſiam correlatio, nec clericus abſolute ordinabatur, ſed relatiue ad Eccleſiam, cui intitulari clericum, neceſſe erat, *can. neminem diſtinct.* 70. illud in ipſa & ſub ipſa ordinatione, clara & altiori voce, proclamante Archidiacono *talem eligimus in Lectorem, vel ſubdiaconum ad titulum ſancta Mariæ, vt patet in notatis ad eumdem canonem.*

17. Et ex eo inductum eſt, vt in qua Eccleſia, fuerat intitulatus clericus, in ea perpetuo perſeueraret, nec ad aliam, diuertendi animo, tranſire poſſet, *d. can. neminem, & can. ſanctorum diſtinct.* 70. in quorum priori, verbum *τίτλος*, male acceptum ab intepretibus, pro poſſeſſione, ſiue fundo, titulorum, clericis aſſignatorum in patrimonio, vſum inuexit, qui ab Alexandro III. in Concilio Lateranenſi comprobatus, apud nos receptus eſt, *Aurelianenſis edicti art.* 12. cum aliàs clerici, in ſolis Eccleſiis intitularentur, vt conſtat, ex veteribus Eccleſiæ decretis.

18. At vero in ea, titulorum clericalium aſſignatione, ſiue in Eccleſiis, ſiue in patrimonio facta, maxime apparet ea, quam ab initio ineſſe diximus, inter armatam, & cœleſtem militiam, veluti quædam affinitas, nec enim milites, ſine titulis admitti poterant, illud teſtante *Diuo Petro Chriſologo ſermone* 90. his verbis *quis ſine titulo, militem ſe auſus eſt profiteri, quis ſine dignitatis inſulis, nomen dignitatis inuadit.*

19. Verum, militarium titulorum, hæc erat natura, & ſocietas cum Eccleſiaſticis, & beneficiariis, vt quod diximus, de clericis, eorumque ſtatione, & perſeuerantia Ec-

Digitized by Google

cleſiæ debita, idem in militibus profanis ſeruaretur; qui ſuis numeris, & cohorti, titulorum vicem habentibus, ita aſtricti erant, vt ab illis, ad alios facile tranſire non poſſent, *lege 4. cod. de offic. mag. milit. lege vlt. cod. Theod. de re milit.* nec duabus ſimul militiis, ſiue titulis immiſceri, id prohibente Iuſtiniano Imperatore, *lege 5. cod. qui milit. poſſunt lib.* 12. ſic nec clerici duobus titulis inſeruire, ex conſilio Placentiæ habito temporibus Vrbani II. relato *in d. can. ſanctorum diſtinct.* 70.

20. At vero illud adeo conſtat, beneficia ſolis clericis, conferri poſſe, vt hodie, certi, & indubitati iuris ſit, per contractum matrimonij, vacare beneficia, quæ, nec clerici coniugati obtinere, nec adepta retinere poſſunt, vt conſtat *ex cap. diuerſis, & cap. 7. de cler. coniug.* vt aliàs fuſius, *& ad verba definitionis noſtræ conceſſa, probabimus in cap. 1. quibus modis beneficia vacare ſoleant vel amitti §. 3. de vacat. ex quaſi delicto, & ſeq.*

21. Et rectè hodiè, illud ius obtinere diximus, cum certum ſit, iure veteri, aliud ſeruatum, vel potius toleratum in Eccleſia, vt patet ex *cap. 2. & 3. de cler. coniug. in prima coll. decret.* in quibus Alexander III. cuius auctoritate, proceſſit hæc collectio, in minoribus ordinibus conſtitutos clericos, poſt contractum matrimonij ſimplicia beneficia, retinere paſſus eſt, quaſi quædam præſtimonia, vel præbendas laicas.

22. Sed & illud ita inuitus, & reluctans conceſſit vt in *capit. 1. eiuſdem tituli & collectionis* eoſdem clericos, ad Eccleſiaſtica, ſi quæ habent beneficia, relinquenda, vxoreſque retinendas, Eccleſiaſtica diſtrictione, compellendos eſſe diſpoſuerit, quod pariter ab Honorio III. in *cap. 2. eod. in 5. compil. decret.* ab Innocentio Cironio nuper edita, ſancitum eſt, vbi hanc licentiam, ſuperioribus temporibus inuectam, prauæ terræ conſuetudinem appellat, ad quod idem Cironius in notis *d. cap. 1. d.* collectionis in concordiam adducere tentat, cum hoc quintę compilationis capitulo, diſtinguendo ius vetus, à iure nouo, & inde regulam confirmat, ſolis clericis, beneficia adſcribi debere, cui & ſtandum eſt.

23. Nec enim, beneficiorum numero ſunt adſcribenda, quæ certis quibuſdam perſonis, nullo Clericatus honore decoratis, ſed laicis, ratione officij, in Eccleſia exhibiti, tanquam ſuſcepti oneris mercedes erogantur, veluti quæ Sindico, Æditius, Simphoniacis pueris, Cantoribus, Oeconomis, Bidellis, ſiue Maſſariis, & aliis huiuſcemodi perſonis exhibentur, quæ nec clericatus honore inſigniti, nec illis perpetuo, ſiue ad vitam, inferri neceſſe eſt, quod tamen, beneficiorum naturæ conueniens eſt, vt *infra dicetur in verbo ad vitam*, ſed quamdiu, in eodem permanſerint miniſterio.

24. Sed & illud patet euidentius, ex *cap. quia nonnullis de magiſt. itemque ex lectura Bernardi Compoſtellani ad cap. cum Marcus Ferrarienſis de conſtit. apud Greg.* vbi refert, in Eccleſia Compoſtellana, & ſancti Martini Turonenſis, laicis nobilibus, paupertatis ſubleuandæ gratia, præbendas aſſignari ſolitas, quæ præbendæ laicæ appellentur, à *Dadino Altaſerra in tract. de Duc. & Comit. Prouinc. lib. 1. cap. 11.* nec tamen inde, canonicos appellari, cum nec ſtallum in choro, nec vocem in capitulo habeant, quæ iura, cum ſint mere ſpiritualia, in laicos cadere non poſſunt.

25. Verum ex huiuſmodi aſſignatione, fructus, & prouentus, ipſi canonicatui addictos, conſequuntur, imo etiam quotidianas diſtributiones percipiunt, quæ omnia, præbendarum nomine veniunt, & in mere temporalibus conſiſtunt, & ideo, aliquid in ſe continent, à canonicatu ſeparatum, vt videre eſt, *in cap. dilecto. de preb. apud Greg. & in gloſſa ad cap. cum Marcus Ferrarienſis de conſtit. in verbo receperunt*, ex quo concludi poteſt, neminem, plenum ius canonicatus, videri aſſequutum, antequam præbendam obtinuerit, cum canonicatu coniunctam, quorum vnio, plenum ius beneficij conficiunt, ſiue militiam, cum ſuo reditu, ſecundum prædicta definitionis verba, componunt.

26. Nec tantum beneficiorum, laici ſunt incapaces, ſed etiam, Eccleſiaſticarum quarumlibet adminiſtrationum, vt dicitur *capit. ſane de cler. coniug.* nec enim aut vicarij Epiſcoporum, aut Officiales eſſe poſſunt, vt ibidem aſſerit Panormitanus, & pluribus probare tentat argumentis, ſibi inuicem oppoſitis, & in vtramque partem, *Ioan. Bordenauius in tract. qui inſcribitur ſtilus, & forma eccleſiaſt. iuriſdict. cap. 1.* quibus tandem inſiſtit, & adhæret communi illi opinioni, & ſententiæ, quæ laicos, ab eccleſiaſticis adminiſtrationibus penitus excludit, ſi modo aliquid, ſpirituale in ſe contineant, vt ſæpius euenit.

27. Nec enim, earum ſunt incapaces adminiſtrationum, quæ licet Eccleſiæ inſeruiant, in mere temporalibus conſiſtunt, veluti hoſpitalium adminiſtrationes, redituum Eccleſiaſticorum diſpenſationes, fabricæ, vel vt vulgari celtiſmo dicitur, operarum præfecturæ, modo beneficiis non cohæreant, illæ enim, cum in perpetuum non conferantur, nec ad vitam, imo poſſint quandoque, ab inſtitutis reuocari, beneficiorum numero adſcribi non poſſunt, vt antea oſtendimus in *cap. 4. de diuiſione beneficiorum ad verba militia,* & infra

Digitized by Google

& infra patebit manifeſtius, dum ea definitionis verba *ad vitam* expoſituri ſumus.

28. Et vero, ab his quæ diximus, laicos beneficiorum incapaces eſſe, dimouere non poteſt, quod Chriſtianiſſimi Reges Franciæ, in pluribus, regni ſui Cathedralibus Eccleſiis, in canonicos, & in fratres adſcribantur, veluti in maiori Eccleſia Andegauenſi, Cœnomanenſi, ſancti Martini Turonenſis, ſancti Hilarij Pictauienſis, & aliis ſimilibus, quod adeo verum eſt, vt antiquioribus, Eccleſiæ ſcriniis demandatum videre ſit, Reges Franciæ, maiores illas ædes adeuntes, canonicorum veſtibus indutos prodiiſſe, publicis ſodalium conuentibus interfuiſſe, nec-non quotidianas diſtributiones percepiſſe, tanti erat, regios faſces, diuino cultui & Eccleſiarum venerationi ſubmittere.

29. Verum enim, vt notat Ioannes Monachus, quamuis Regibus Franciæ, infenſiſſimus hoſtis, cum Bonifacij VIII. Cancellarius fuerit, *in additionibus, & gloſſa ad cap. 2. de præb. in 6.* nec Reges Franciæ, meram laici perſonam ſuſtinent, cum ſacro Chriſmate, cœlitus demiſſo inuncti, Domini noſtri corporis, in die Chriſmationis, ſiue ſacræ vnctionis, ſub vtraque ſpecie participes facti, regiam poteſtatem, cum Sacerdotali dignitate, quodammodo coniunctam habeant, vt pluribus probat *Franciſcus Grimaldus Curiæ Andenſis patronus in tract. Regiæ & Sacerdotalis poteſtatis paſſim & vbique.*

30. Neque etiam, quod Regibus Franciæ, pontificia auctoritate indultum, alij voluere, propter ſummam, quam Apoſtolicæ ſedi, obedientiam exhibuerunt, nec-non pietatem, & reuerentiam, quæ Chriſtianiſſimorum nomen, & titulum meruerunt, ad cæteros, nulla ſimili ratione ſuadente, producendum fuit, imo hæc exceptio, firmat regulam, in cæteris caſibus non exceptis, eamque potiſſimum, laicos omnes, beneficiorum incapaces eſſe.

31. Quamuis enim, beneficia Eccleſiarum, quæ fundatores, aut dotatores, Reges noſtros agnoſcunt, canonicatus & præbendæ, Sacrorum, nec-non Regiorum Sacellorum dignitates, & cæteræ adminiſtrationes, earumdem Eccleſiarum, ſecundum Caroli Molinæi mentem, quam expreſſit *in commentariis ad regulam de infirmis num.* 436. *& ſequenti*, profanam potius, ac temporalem naturam exhibeant, quam ſpiritualem, aut Eccleſiaſticam, adeo vt, aſſeruerit ibidem Molinæus, in illis ſimoniam non facile admitti.

32. Illud tamen conſtat, quia Reges noſtri, fundationibus ſuis, eam dixiſſe legem intelliguntur, vt clericis tantum, & Eccleſiaſticis perſonis, huiuſmodi beneficia concederentur, illud etiam placuiſſe, ſolis clericis conferri poſſe, ſicut & cætera Eccleſiaſtica beneficia, eamque legem, à fundationis origine, & principio, ad hanc vſque ætatem, religioſiſſime cuſtoditam vidimus, vt & ibidem obſeruauerat Car. Molin.

33. Verum enim, cum Reges noſtri, diutius proſpicerent, quanta reipublicæ Chriſtianæ, nec-non Regiæ adminiſtrationi, incommoda, ex eo prodiiſſent, quod regni proceres, licet laici, & profani, à ſecundæ ſtirpis Regibus, Abbatiis, & aliis maioribus beneficiis, pleno iure inueſtiebantur, vt illis, tanquam propriis patrimoniis vterentur, tandem Carolus ſimplex, coacto Concilio, diuitias Pontificum ſacras eſſe conſtituit, eaſque profanis vſibus eximens, clericali ordini, in perpetuum, addictos eſſe voluit.

34. Illud namque teſtatur, *Paulus Æmilius lib. 3 de geſtis Francorum*, quod & *lib.* 5. eiuſdem hiſtoriæ repetiit, vbi Robertum, Francorum Regem, hunc prauum morem, quo laici, beneficiis donabantur, ſoluiſſe refert, & Henricum eius ſucceſſorem, paternæ ſanctitatis æmulum fuiſſe, quod & pluribus probat *Fileſacus in comment. de ſacrilegio laico ſiue querela Eccleſiæ veteris, & Boet. Epo in tract. de reg. ſiue iure principum in beneficiis num.* 249. *& ſequent.* adeo vt illud immotum permanſerit, ſolos clericos, beneficiis initiandos eſſe.

Digitized by Google

AD VOCABVLVM IDONEO.

CAPVT PRIMVM.

De qualitatibus Ordinandis, vel beneficiandis neceſſariis.

1. *Beneficia idoneis Clericis conferenda.*
2. *Scrutinium in collatione beneficiorum, vt & in ordinatione.*
3. *Quid ſit apud nos viſa, & quis vſus.*
4. *Probationis vſus, in militia armata receptus.*
5. *Qualitates neceſſariæ ordinandis, & beneficiandis.*
6. *Agendum de qualitatibus tempore collationis neceſſariis.*
7. *Capacitas beneficiandorum, quando ſpectanda, & diſſidium circa hanc quæſtionem.*
8. Conciliantur cap. ei cui prouideri de præb. in 6. & cap. ſi eo tempore de reſcript. eod.
9. *Qualitates beneficiandis neceſſariæ, tempore vacationis adeſſe debent, vel ſaltem collationis.*
10. *Qualitas neceſſaria quamuis ſuperuenerit, collationem non adiuuat.*
11. *In quibus, beneficiandorum qualitates conſiſtant.*
12. *Qualitates ordinandis neceſſariæ, vel ſunt generales, vel ſpeciales.*
13. *Generales enumerantur, & ſimul definiuntur.*
14. *Speciales conditiones ad ſuas ſpecies reducuntur.*

1. NON tantum beneficia Clericis conferri neceſſe eſt, vt oſtendimus in ſuperiori capite, ſed etiam idoneis ſunt concedenda, quod probant præmiſſa, definitionis noſtræ beneficiariæ verba *idoneo*, quemadmodum enim, non omnes in clericos ordinari poſſunt, ita nec beneficiis affici, quod patebit ex ſequentibus.

2. Et ex eo eſt, quod vt eorum, qui ad ordines, promoueri deſiderabant, fiebat quædam præuia probatio, quæ ſcrutinium appellatur, de qua in *titulo decretal. de ſcrut. in ord. fac.* ſic in eorum, quibus beneficia conferri debebant, mores, & qualitates, fit quædam, ab ordinariis collatoribus inquiſitio.

3 Sed enim, cum ſummo Pontifici, beneficiandorum in partibus, vel extra curiam, mores, & qualitates, innoteſcere non poſſint, in executione mandatorum Apoſtolico-

rum, ſolet vltima reſcripti clauſula, ordinariis demandari inquiſitio, his verbis *committatur ordinario in forma dignum antiqua*, eoque actu clauditur, qui apud nos communi nomine, *viſa*, appellatur, eſtque ordinandi, vel beneficiandi morum, qualitatum, atque titulorum, exacta diſquiſitio, quæ ſeriò, & diligenter, ab ordinariis peragi mandatur, *art. 14. & 15. edicti Melodunenſis & Blaſenſis art. 2. & ſeq.*

4. Hæc autem inquiſitio, non tantum in militia cœleſti, ſiue beneficiaria obſeruari ſolet, ſed etiam locum habet, in armata, vt conſtat ex *lege prima cod. qui milit. poſſunt, vel non lib. 12. ſi militiæ, nomen dare vultis, offerte vos his, qui probandi ius habent*, cuius & probationis auctoritatem ſibi reſeruauit, Zeno Imperator in *lege neminem cod. de re milit. cod. lib. 12.* veteri illa conſuetudine, penitus antiquata, quæ magiſtris militum, hanc probandi licentiam tribuebat.

5. Sunt itaque, quædam, ſiue ordinandis clericis, ſiue ad beneficia promouendis, conditiones neceſſariæ, & qualitates: ſecundum varios, beneficiorum gradus, & differentias, quibus intitulari debent, in ipſa ordinatione, vt dicitur in *can. ſanctorum, & can. neminem diſtinct.* 70. de quibus agitur, in *tit. de æt. & qual. & ord. præf. apud Greg.* & quæ manifeſtius patent, ex inſcriptione eiuſdem tituli, in quarta compilatione decretalium, quæ eſt *de qualitate ordinandorum præficiendorum & ordinantium.*

6. Dum autem, de hiſce qualitatibus agimus, non de his, quæ ad beneficia promotis, ſiue iam ordinatis, accedere debent, vel ſubſequi, ſermo eſt habendus, de quibus agitur in *titulo de vita & hon. cler. apud Greg. & Bonifac.* & diffuſe tractauimus *ad verba definitionis cœleſtis in priori capite*, dum militiam beneficiariam, ideo cœleſtem appellari diximus, quod ab omni negotiatione, aliena eſſe debeat, ſed de his nobis eſt differendum, quæ ipſam promotionem, ſiue collationem, præcedere debent, vel ſaltem concomitari, ipſique naſcenti adeſſe.

7. Verum id nobis agendum, & hoc loco diſcutendum venit, ſemotis longe & poſthabitis, variis interpretum iuris canonici diſſidiis, & altercationibus, circa *capit. ei cui prouideri de præb. in 6. & cap. ſi eo tempore de reſcript. eod.* inuicem pugnantem interpretationem conciliandam, in eo, vtrum beneficiandorum qualitas, vel vt aiunt noſtrates, capacitas, ſpectari debeat, tempore datæ reſcripti Apoſtolici, vel tempore vacationis beneficij, & collationis, vel vtroque tempore, de qua *gloſſa pragm. ſanct. §. quod ſi quis in verbo vacationis de collat. & ibi Probus in addit. num. 1. & ex propoſito Leobinus Dallerius profeſſor Aurelianenſis in diſſertatione de mandatis Apoſtolicis.*

8. Namque ibidem *dd. cap.* aduerſantes diſpoſitiones, ita conciliant, vt quando agitur de ſubreptione, aut obreptione, facta ſummo Pontifici, in ſupplicatione litterarum, oratore, aut verum ſubticente, aut falſum aſſerente, tempus datæ reſcripti, attendi debeat: ſecundum *d. cap. ſi eo tempore de reſcript. in 6.* mentem, & intellectum, vbi vero ceſſat ſubreptio, ſed ſola attenditur qualitas, aut capacitas collatarij, tempus vacationis, omnimodo ſpectari debeat, ex *d. cap. ei cui prouideri de præb. in 6.*

9. Verum enim, omiſſis leuioribus hiſce, diſputandi occaſionibus, certum eſt huiuſmodi qualitates, aptitudines, ſiue capacitates, eo ſpectandas eſſe, vt ei, qui beneficio honoratur, adeſſe debeant, tempore vacationis beneficij, vel ſaltem collationis, vt notat *gloſſa prag. ſanct. & Probus loco ſupra dicto Panorm. in cap. cum in cunctis §. inferiora de elect. num. 10. in fine & 11.*

10. Et quemadmodum diximus, in *ſuperiori capite ad verba definitionis clerico* ſuperuenientem clericatum, collationem laico factam nequaquam corroborare poſſe, ſic nec capacitas, aut qualitas, beneficiis afficiendo neceſſaria, collationi habitæ ſuperueniens, eamdem confirmat, ab initio inualidam, ſecundum regulam, in vtroque iure vulgatam, vt pluribus probat *D. Louetius & eius ſcholiaſtes litt. b. num. 4. & 6.*

11. Itaque qualitates beneficiandis neceſſariæ, his tribus, vt plurium conditionibus includuntur, relatis in *cap. cum in cunctis in principio de elect. & el. poteſt. cap. 4. de æt. & qual. præf. cap. 29. de præb.* ætatis ſcilicet maturitate, grauitate morum, & plenitudine ſcientiæ, quæ tria, cuilibet beneficiando, vel ordinando, vel abundantius, vel remiſſius adeſſe debent, ſecundum beneficiorum gradum, & ordinem, vt infra dicetur.

12. Verum enim illud, in primis ſciendum eſt, qualitates illas deſiderari, vel ratione ordinis, vel ratione dignitatis, aut beneficij, cui præficiendi ſunt clerici, & ex eo conſtat, alias eſſe generales, ſiue quibuſcumque, & quælibet beneficia adipiſci volentibus, ineſſe debere, alias ſpeciales, præcipuas, & aliquod beneficij genus obtinendum contendentibus, neceſſarias.

13. Ecce enim, quicumque ad beneficia promoueri deſiderat, debet ſaltem prima

Digitized by Google

tonſura inſigniri, debet eſſe ſeptennio maior, non clericus peregrinus, legitimæ & liberæ conditionis, non curialis, non obligatus ad ratiocinia, non corpore vitiatus, non bigamus, non irregularis, at denique ſcientia prædictus, nec litterarum cognitione vacuus, & in his omnibus, generales beneficiandorum conditiones, & qualitates conſiſtunt.

14. At ſi beneficium curam animarum habens, alicui ſit conferendum, ſupradictis qualitatibus, & illæ debent inſuper addi, vt in ea conditione ſit, & ætate, vt intra annum, vel ſecundum communem computandi rationem, biennium, ad ſacerdotij ordinem promoueri poſſit. Si beneficium, lege fundationis ſacerdotibus addictum, tempore collationis, ad preſbiteratus ordinem debet eſſe promotus. Si ſit regulare beneficium monaſticam vitam profiteri debet. Si canonicatus in Eccleſia cathedrali, ex regula Concellariæ Romanæ 17. decimum quartum annum attigiſſe debet. Si præbenda Theologalis, ex lege conuentionis inter Franciſcum I. & Leonem X. habitæ, Theologo conferri debet. Si beneficium curam animarum habens in villa murata, ex eadem conuentione, ſoli graduato concedendum, adeo vt; plures aliæ conditiones addi poſſint, ex variis cauſarum figuris deſcendentes.

§. PRIMVS.

De Tonſura Clericali.

1. *Prima qualitas beneficiandis neceſſaria, eſt tonſura, & vnde impoſita.*
2. *Vnde tonſura caracteriſtica dicitur & Clericatura.*
3. *Prima tonſura, eſt ianua cæterorum ordinum.*
4. *Gradatio miniſterij, in ſingulis ordinibus exhibendi, abrogata.*
5. *Nemo ad maiores ordines promoueri poteſt, neglecta prima tonſura.*
6. *Tonſuræ Clericalis ſuſceptæ probatio, debet fieri per litteras ordinarij.*
7. *Tonſura, à proprio Epiſcopo conferri debet.*
8. *Quis proprius Epiſcopus dicitur.*
9. *Quando ab alieno Epiſcopo conferri poſſit tonſura.*
10. *Quid litteræ commendatitiæ, & dimiſſoriæ.*
11. *Quis effectus earumdem, & edendarum neceſſitas.*

1. PRima igitur qualitas, ad beneficia promouendis neceſſaria, eſt clericalis tonſura, quam ex inſtituto Eccleſiæ, omnibus clericis deferre præſcriptum eſt, in memoriam illius coronæ, quæ patienti Chriſto impoſita eſt, & in ſignum regni, quod in Chriſto exſpectare debent, *can. duo ſunt* 12. *quæſt.* 1. nec-non in memoriam, & exhibitionem illius, quam D. Petrus detulit, dum caput ipſius, tanquam Nazaræi cuiuſdam, in ludibrium & in formam coronæ, attonſum eſt, vt refert *Petrus Blaſenſis ſermone in Iob. capit.* 7. vnde & à pluribus, clericalis tonſura, memorialis corona appellatur.

2. Et hæc quidem tonſura, caracteriſtica dicitur à Petro Blæſenſi, eo quod, clericatus caracterem, ſola imprimat, de qua notat *Theodorus Balſomon ad can.* 33. *ſextæ ſynodi in Trullo*, quod ſimul atque tonſuræ caracterem, quis à manu proprij Antiſtitis acceperit, pro clerico habetur, vnde in ſynodo prouinciali Bituricenſi, clericalis tonſura, clericatura appellatur, quæ licet inter ordines non cenſeatur, vt ſupra diximus *ad verba clerico*, tamen ſignum Sacramentale dicitur, ſiue ordinis in *gloſſa can. Cleros in verbo Pſalmiſta diſtinctione* 21.

3. Sed & illud, adeo verum eſt, vt nemo clericus cenſeatur, antequam, clericali tonſura donatus fuerit, licet ad maiores ordines, promotum ſe aliàs probauerit, cum enim clericalis tonſura ſit quaſi ianua, ſubſequentium ordinum, qui ea neglecta, ad alios ſe promoueri curauit, furtiue, & quaſi per ſaltum promotus dicitur, non per oſtium, ſed per poſticum, in ouile ingreſſus, quæ promotio condemnatur *toto titulo de cler. per ſaltum prom. Rebuff. in forma litt. tonſuræ.*

4. Quamuis enim, inueteratus ſit, priſcus ille Eccleſiæ ritus, quo decreto Zozimi

Digitized by Google

Papæ, ad ordines promouendi, in ſingulis gradatim, per tempus legitimum, miniſterium exhibere debebant, nec ad altiores promoueri poterant, niſi in inferioribus, debitum obſequium præſtitiſſent, vt habetur in *can. ſi officia & ſeq. diſtinct.* 59. *& obſeruat. Rabanus Maurus Moguntinenſis Archiepiſcopus lib.* 1. *de inſtit. cler. cap.* 31. quod & in militia armata, obtinere probauimus, *ad verba definitionis clerici.*

5. Nec tamen dubitandum, neminem maiores Eccleſiæ ordines, adipiſci poſſe, neglectis, vel omiſſis inferioribus, ac potiſſimum tonſuræ clericalis gradu, quæ cum ſit, veluti primum, cæterorum omnium fundamentum, ſuppleri non poteſt, vel inſuper haberi, alioquin, totum corruet, quod huic fundamento, non inſederit ædificium.

6. Sed & tonſuræ, à clerico ſuſceptæ, in omni contentione beneficiaria, legitimæ probationes edendæ ſunt, & vt dicitur in *lege ſi qua cod. de epiſc. & cler.* per litteras teſtimoniales, ab Epiſcopo, vel loci ordinario emiſſas, quod pariter probatur *art.* 55. *edicti Molinenſis*, & confirmatur à *Vido Papæo quæſt.* 182. *Boerio quæſt.* 171. nec eas probationes ſuppleri, ſuperiorum ordinum, veluti presbiteratus, probatione legitime facta, teſtantur, ibidem & *Rebuffus in forma litt. tonſ. & Tournetius in collectione decretorum beneficiariorum litt. T. numero* 16.

7. Verùm illud obſeruandum eſt, tonſuram clericalem, à proprio Epiſcopo, ſiue diœceſano, conferri debere, *capit. cum nullus de temp. ordinat. in* 6. alioquin nullam eſſe, cum enim ordinum collatio, ſit iuriſdictionis, ſaltem voluntariæ, in ſibi ſubditos exerceri debet, vt cura paſtoralis, ſiue regimem animarum, ſed tamen vbicumque, & etiam extra diœceſim, vt notat *Reb. in forma litt. tonſura.*

8. Proprius autem Epiſcopus, in *capit.* ſicut proprius ſacerdos, in *d. cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* dicitur vel ratione originis, vel domicilij, vel beneficij, quod tamen poſterius, in tonſura admitti non poteſt, ſed in cæteris aliis ordinibus, cum primùm, tonſura clericalis, vacuo ab omni munere, aut beneficio donari debeat, nec beneficium conferri poſſit, niſi ſaltem, prima tonſura inſignito.

9. Sed & aliquando, ab alieno Epiſcopo conferri poteſt, & donari tonſura clericalis, vt & alij quilibet ſacri ordinis, puta ſi à proprio Epiſcopo, ordinandus commendetur, litteris in id emiſſis, quæ ex eo. 10. Commendatitiæ dicuntur, ſiue dimiſſoriæ, quod proprius Epiſcopus, ordinandum, rite laudatum, & commendatum dimittat, ad quemlibet alium Epiſcopum, modo catholicum, & communionem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ obtinentem, vt dimiſſo ordines conferat.

11. Sed & illarum litterarum fauore, & auxilio ſuſtinentur, collati ordinis teſtimoniales litteræ, ab alieno Epiſcopo emiſſæ, quaſi proprij Epiſcopi, teſtimonium ordinandus meruiſſet, quarum omnium litterarum formulas, tradit *Rebuff. in praxi tit. de litt. Tonſ. & dimiſſ.* quæ non minus, & ex neceſſitate edendę ſunt, quam collatæ tonſuræ, probatoria inſtrumenta exhiberi, cum ſolo dimiſſoriarum litterarum fulcimento ſuſtineantur.

---

§. SECVNDVS.

De ætate beneficiandorum, & ordinandorum.

1. *In beneficiandis, & ordinandis, ætatis maturitas requiritur.*
2. *Tonſuræ clericalis ſuſcipiendæ, ætas eſt ſeptem annorum.*
3. *Beneficiis ſimplicibus obtinendis, ſola ætas ſeptem annorum ſufficit.*
4. *Non obſtante Concilij Tridentini ſanctione, quæ in eo non ſeruatur in Gallia.*
5. *Quæ ſunt generalis obſeruantiæ, & patriæ, non poſſunt contraria ſanctione tolli.*
6. *Præbendæ Cathedralium Eccleſiarum, puberibus, & collegiatarum decennio maioribus conferri debent.*
7. *Regula Cancellariæ Romanæ* 17. *decretis Curiæ approbata.*
8. *Rationes quibus defenditur hæc regula, in præbendis Cathedralium.*

9. *Canonici cathedralium, ſunt quodammodo in dignitate.*
10. *Canonici cathedralium, dicuntur Cardinales.*
11. *Canonici cathedralium, fratres ab Epiſcopis vocantur.*
12. *Dignitates conferri non poſſunt, niſi maiori quatuordecim annis.*
13. *An Rex conferens iure regaliæ, præbendam cathedralis Eccleſiæ, puberi conferre teneatur.*
14. *Rationes quibus ſuſtinetur, negatiua ſententia.*
15. *Probatur affirmatiua ſententia, quæ Regem obſeruationi dictæ regulæ alligat.*
16. *Probatur Regem noſtrum, Regulis Cancellariæ, quæ ex iure naturali profluunt, ligari.*
17. *Canonicus nondum Subdiaconus, non fruitur iure ſuffragij.*
18. *Iure ciuili minores 25. annis, non poſſunt ad decurionatum promoueri.*
19. *Beneficiandorum ętas, numeranda ab ordine, beneficiis adſcripto.*
20. *Singulis minoribus ordinibus, ętas ſeptem annorum ſufficit.*
21. *Ætas maioribus ordinibus preſcripta, ſecundum varia tempora.*
22. *Quid Iuſtinianus, & poſteriores conſtitutiones ſanxerint.*
23. *Sanctio Concilij Tridentini, confirmata Blæſenſi conſtitutione.*
24. *In beneficiis curam animarum habentibus, ætas 25. annorum requiritur.*
25. *Quę interpretatio* cap. licet canon de elect. in 6.
26. *Quę ętas in perſonatibus & dignitatibus obtinendis.*
27. *Quæ requiratur ętas, in regularibus beneficiis.*
28. *Quę in commendandis beneficiis regularibus.*
29. *Quę in beneficiis curam animarum habentibus ętas.*
30. *Vbi ex lege requiritur ordo, ſufficit beneficiandum in ea ętate eſſe, vt intra annum promoueri poſſit.*
31. *Quandoque fit productio temporis, & quibus caſibus.*
32. *Si ex fundatione requiratur ordo, debet adeſſe tempore collationis.*
33. Cap. ei cui de præb. in 6. & cap. ſi eo tempore de reſcript. *in concordiam adducuntur.*
34. *Quæ ætas in militia armata, & forenſi, requiratur.*
35. *Quæ in palatina pariter ętas requiratur.*

1. PRimum igitur, ætatis maturitas, ſiue in ordinibus Eccleſiaſticis, ſiue in beneficiis, & dignitatibus requiritur *d. cap. cum in cunctis de elect. & el. poteſt cap. 4. de æt. & qual. & d. cap. 29. de præb.* idque ex pręſcripto *D. Pauli ad Thimotheum cap. 5.* dicentis *nemini cito manum impoſueris*, & mente *can. quid eſt diſtinct.* 78. vbi immature ordinans, dicitur communicare, peccatis alienis, à quibus Regius Pſalmiſta Deum rogabat vt ſibi parceret *Pſalmo* 18.

2. Verum ea ætas, diuerſa fuit, ſecundum variorum ordinum aſſumptionem, vel beneficiorum collationem, licet enim iure canonico, ætas certa, tonſuræ ordini non ſit præfinita, nec etiam Concilio Tridentino, tamen illud certum eſſe debet, ſufficere ei, qui clericali tonſura, initiari deſiderat, infantiam exceſſiſſe, hoc eſt, ſeptennio maiorem, eſſe, *cap. finali de temp. ordinat. in 6. & ibi gloſſa in verbo infanti can. de his diſtinct. 28. can. in ſingulis, & ſeq. diſtinct.* 77.

3. Et ex eo ſequitur ſimplicibus beneficiis, neque dignitatem, neque curam animarum habentibus, adipiſcendis, veluti Capellaniis, Prioratibus ſimplicibus, & cæteris huiuſcemodi beneficiis, quæ ſolum, clericalis tonſuræ gradum exigunt, eamdem ſeptennij ætatem ſufficere, cum nemo ordinari poſſit, niſi in Eccleſia, vt ſupra diximus ex *can. ſanctorum diſt. 70. gloſſa in can. pueri 1. quæſt. 1. & cap. ſuper inordininata in verbo pueri de præb. & cap. ſi eo tempore de reſcript. in 6. in verbo ætatem.*

4. Et illud quidem, ita inualuit, & confirmatum eſt, iure apud nos obſeruato,

Digitized by Google

vt ampliori probatione non indigeat, quamuis ex *Concil. Tridentino ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.* conſtet, nullum, vel prima tonſura inſignitum, vel in minoribus ordinibus conſtitutum, ante decimum quartum annum, beneficium obtinere, quod obſeruatur, in iis regionibus, in quibus Concilium Tridentinum, in viridi, & ſtrictiori obſeruantia permanſit.

5. Namque apud nos, beneficiandorum ætas, generali, tum regni, tum vniuerſæ & antiquioris Eccleſiæ vſu præſcripta, & communi obſeruatione approbata vlterius produci non potuit, reclamantibus etiamnum, ſingulis regni ordinibus, quod adeo verum eſt, vt quamuis prouinciali Synodo Turonenſi, anni 1518. ſancitum fuiſſet, vt nemo, in canonicum & fratrem admitteretur, niſi 22. ætatis annum attigiſſet, tamen decreto Curiæ Pariſienſis, die 19. Maij anni 1616. pronunciato perorantibus Pouſſetio, & Mauguinio, longior ætas remiſſa eſt, Iacobo *Drugeon*, prouocanti à decreto Capituli Cœnomanenſis, quo poſtulanti, in Canonicum, & in fratrem admitti, prætextu minoris ætatis, quamuis ſupra pubertatis annos, repulſam fecerat.

6. Nec tamen in quæſtione ætatis, ſimplicibus beneficiis neceſſaria, admiſcendæ ſunt, præbendæ cathedralium Eccleſiarum, & collegiatarum, vt patet ex regula Cancellariæ Romanæ 17. apud nos vſquequaque obſeruata, & variis curiæ Pariſienſis decretis confirmata, vt obſeruat *D. Louetius in poſthuma decretorum collectione, nec non eius ſcholiaſtes in additionibus litt. E. num. 2. & D. Lepreſtre in quæſt. iur. in ſecunda centuria cap. 75. & in additionibus.*

7. Namque huiuſmodi præbendæ, ita conferri debent, vt nimirum cathedralis Eccleſiæ, puberi, & 14. annorum maiori committantur, collegiatæ vero Eccleſię canonicatus & prębendę, decimum annum agenti conferantur, ita vt, vtrumque tempus, expleuerint, in iis enim annus cęptus non habetur pro completo, vt obſeruat *gloſſa d. regulæ 17.* quæ Alphonſi Soto Hiſpani nomine prodiit, vt obſeruat *Ioan. à Chokier in ſcholiis,* & tamen apud nos, maximæ eſt auctoritatis.

8. Cum enim in huiuſmodi Eccleſias, & maxime cathedrales recepti, ſint etiam quodammodo admiſſi, & vocati in conſilium, & ſenatum Epiſcoporum, vt illis continuo adſideant, & adminiſtrandæ Eccleſiæ operam pręſtent, *toto tit. de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap.* huius eſſe debent ætatis, quæ iudicij maturitatem admittat, vt teſtatur *d. gloſſa d. regulæ 17. & ibi Ioan. à Chokier canonicus Leodienſis.*

9. Et illud maxime inductum, ex eo quod, præbendę cathedralium Eccleſiarum, dignitatem quamdam in ſe habeant, vt conſtat ex *cap. ſtatutum 11. de reſcript. in 6.* ex quo patet, reſcripta ſummorum Pontificum, canonicis cathedralium Eccleſiarum, demandari ſolere, quæ non niſi dignitate conſpicuis emittuntur, vt colligitur ex *d. capit.* & pleriſque aliis capitulorum inſcriptionibus.

10. Sed & illud, ex eo natum eſt, quod canonici cathedralium Eccleſiarum, Cardinales Pręſbiteri olim appellabantur, de quibus *Duarenus lib. 1. de ſacr. Eccleſ. miniſt. capit. 13.* interpretatur quod dicitur in *cap. 2. de off. Archipresb.* de Sacerdotibus Cardinalibus, vt & *Vidus Conchilius in poſthumis memorialibus reformationis pag. 23. & tract. lib. Eccleſ. Gall. pag. 79.* quod etiam hodie obſeruari in Eccleſia Rauennatenſi, & Compoſtellana, refert *Innocentius Cironius in paratitlis decretalium tit. de cler. non reſid.*

11. Sed quod maximam dignitatem habet, illud conſtat, canonicos Cathedralium Eccleſiarum, ſæpius ab Epiſcopis fratres appellatos, ſicuti Epiſcopi à ſummo Pontifice, eodem nomine appellantur, vt pluribus teſtatur epiſtolis *Yuo Epiſcopus Carnotenſis* quaſi eiuſdem corporis membra, & communis adminiſtrationis coadiutores, quæ propterea, ad eos, vacante ſede recurrit, vt infra dicemus.

12. Verum enim, dignitates, vel liberas à cura animarum, minori 14. annis, conferri non poſſe, conſtat ex *cap. indecorum de æt. & qualit.* namque vt habetur in *d. cap.* indecorum videtur, & minus conueniens, regimini Eccleſiarum, præficere eos, qui ſe ipſos, non nouerint gubernare, ex quo concludi poteſt, & præbendas cathedralium Eccleſiarum, puberibus conferri debere, quamuis ius canonicum, non vſquequaque minores admittat.

13. Ad hæc quæri ſolet, vtrum Rex Chriſtianiſſimus, iure regaliæ vacantes præbendas Eccleſiæ cathedralis, impuberi conferre poſſit, & ad hanc quæſtionem, *Arnulphus Ruſæus in tract. regal. priuileg. 24. & Probus in ſuplem. quæſt. 55. in princip.* reſpondendo, aſſerunt, Regem Galliæ, iure regaliæ conferentem, nequaquam Cancellariæ Romanæ regularum, obſeruatione ligari.

14. Namque illud ibidem probant, regaliæ priuilegium ipſi coronæ Regiæ coæuum

Digitized by Google

omnibus Cancellariæ Romanæ regulis, antiquius eſſe, ex quo & illud concludunt, Regem noſtrum, Eccleſiæ cathedralis præbendas, impuberi conferre poſſe, illudque ſupremæ curiæ Pariſienſis, placito confirmatum fuiſſe contendit *Rufaus ibidem* cuius auctoris fide, & ſenatuſconſulti auctoritate, adducti *Carolus de Graſſalio lib. 2. Reg. Franciæ iure* 1. *&* *Rebuffus in tract. de pacif. poſeſſ. num.* 178. *&* 179. & cæteri deinceps iuris canonici interpretes, qui de regaliorum materia tractatum habuerunt, tanquam ſequaces adhæſerunt.

15. Sed tandem Deſiderius Heraldus Patronus Pariſienſis, atque vnus è Conſultiſſimis *lib. 2. rerum iud. cap.* 19. huic diſſidio lucem, & concordiam attulit, quam ex ipſis, curiæ actis eruit, collatione enim facta, ſenatuſconſulti, à Ruſæo Laudati, cum illis quæ habentur in ſcriniis curiæ, & in ipſiſſimis verbis retulit, iudicatum contendit, ipſo Procuratore Regio intercedente, nec Regem ipſum Chriſtianiſſimum, præbendam Eccleſiæ cathedralis, iure regaliæ vacantem, impuberi conferre poſſe, quod nemo antea animaduerterat.

16. Nec vero regiam dedecet, liberamque conferendi poteſtatem, iis regulis coarctari, quę, non tam ex canonici iuris riuis deſcendunt, quam ex ipſius naturæ fontibus defluunt, quæ nec ipſa patitur quemquam, ante ętatis maturitatem, tanquam ſenatorem, Epiſcopis aſſidere, ipſique conſilium præbere, quod imbecillis ætas, vix admittit, quę ratio, nos impulit, vt pleraſque alias, Cancellariæ Romanę regulas, naturali ratione innitentes, admiſerimus, quamuis ipſis Curiæ ſcriniis demandatæ non fuerint.

17. Et quamuis puberes, in canonicos cathedralis Eccleſiæ, & decimum ætatis annum expleti, in collegiata Eccleſia, admitti poſſint, tamen illud certum eſt antequam, ad ſubdiaconatus ordinem, promoti ſint, neque ſtallum in choro, neque vocem in capitulo habere, licet omnes, prębendę aſſignatos prouentus percipiant, *cap. 2. de æt. & qual. ordin. in Clem.*

18. Nec ab his longius abfuerit, quod iure ciuili, obſeruatum agnoſcimus, minores 25. annis, ad decurionatum promotos, iure ſuffragij non frui, licet ſportulas, decurionibus aſſignatas percipiant, *lege 6.* §. 5. *de decur.* & hęc de beneficiis ſimplicibus ſufficiant, ſiue quoad ordinem ipſis annexum, ſiue quoad ætatem, adipiſcendis neceſſariam.

19. Verum vt aliàs pręnotauimus, cum ſub ipſis, naſcentis Eccleſię temporibus, vel ſaltem adoleſcentis, & maxime Concilio Calchedonenſi, nemo ad ordines promoueri poſſet, niſi ſtatim, alicui Eccleſiæ adſcriberetur, beneficiandorum ętas, numerabatur ab ordine, ſingulis beneficiis præfinito, beneficiorum enim, alia erant maiora, alia minora, *capit. maioribus de præb.* alia maioribus, alia minoribus clericis erant addicta, alia Pſalmiſtis, vel Lectoribus, alia Acolithis, alia Oſtiariis, alia Subdiaconis, alia Diaconis, Preſbiteris alia, vt notat *Nicolaus Meſtraus in tract. de bonis, & poſeſſ. Eccleſ. cap.* 8. vnde originem ducit beneficiorum, quæ vulgo dicuntur ſimplicis tonſuræ.

20. Nunc igitur ab ætate, ſingulis ordinibus definita, totam beneficiandorum ætatis materiam, perſcrutari licet, cum enim de ætate, clericalis tonſuræ adeptioni neceſſaria, mox egerimus, inde patet, quænam, minoribus ordinibus, ætas ſufficiat, eadem enim eſt præfinita omnibus, ac tonſuræ clericali, à *Ioanne Andrea & Cardinali Zabarella in gloſſa ad capit. vlt. de æt. & qualit. in Clement.* licet quidam, Acolithi ordinem, anno tantum 12. deferri poſſe contendant, ſupereſt igitur, vt ætatem maioribus ordinibus neceſſariam, inquiramus.

21. Et hæc quidem varia fuit, ſecundum variorum temporum conſtitutiones, tum ciuiles, tum canonicas, primum enim, Concilio Tolerano 2. definitum fuit, vt qui vigeſimum ætatis annum attigiſſet, Subdiaconus, qui 25. Diaconus ordinaretur, *can. de his diſtinct.* 28. & Neocæſarienſi Concilio, vt nemo, ad preſbiteratus ordinem promoueretur, niſi qui trigeſimum ętatis annum attigiſſet, *can. presbiter diſtinct.* 78. vbi hęc ratio ſubiicitur, quod ea ætate Chriſtus, à Ioanne Baptiſatus, primum Prędicare cœpiſſet, quod munus eſt Sacerdotum prędicipuum, *can. adiicimus 16. quæſt.* 1.

22. Et quidem illud tempus 25. annorum *nouella Iuſtiniani* 123. *cap.* 13. in Subdiacono pariter, & Diacono receptum, in preſbitero, ad 35. annum productum eſt, ſed rurſus immutatum *Sexta Synodi in Trullo cap.* 15. *Iulian. Anteceſſoris Nou.* 16. *&* 75. & tandem *Clement. vlt. de æt. & qual.* quę generaliter ſtatuit, Subdiaconatus ordini 18. annum Diaconatui 20. & Preſbiteratui 25.

23. Sed tandem, ſacris ordinibus, certum præfiniuere tempus, *Concilij Tridentini Patres ſeſſ. 23. de reformat. cap.* 12. in Subdiaconatu 22. annum, in Diaconatu 23. & in Preſbite-

ratu

ratu 25. annum ſtatuentes, quod & tandem apud nos, *Blesensi constitutione firmatum eſt art. 29. quæ constitutionis. Aurelianensis art. 12.* in eo temperat, quod in preſbitero, annum 30. exigeret.

24. His ita definitis ſciendum eſt, vnicuique beneficio, id tempus præfiniendum, quod ipſe ordo, huic beneficio indictus exigit, ecce enim in omnibus beneficiis, curam animarum habentibus, quia preſbiteratus ordo neceſſarius eſt, qui illis inueſtiri deſiderat, debet 25. ætatis annum attigiſſe, *cap. cum in cunctis* §. *inferiora de elect.* quod *Concilio Tridentino confirmatum eſt ſeſſ. 24. de reformat. cap. 12.*

25. Sed & illud, hanc interpretationem recipit, vt promouendus in ea ſit conditione, vt ſtatim poſt collationem, ad preſbiteratus ordinem admitti poſſit, quod ex decretali epiſtola Bonifacij VIII. relata in *cap. licet canon de elect. in 6.* hanc interpretationem recipit, vt intra annum, ad ſacerdotij ordinem promoueatur, qui ſecundum *gloſſam d. c. in verbo annum* à die pacificæ poſſeſſionis, computari debet, eaque interpretatio, apud nos recepta eſt, ex qua annus ille, ad biennium produci meruit.

26. In beneficiis vero, perſonatum, vel dignitatem ſine cura animarum ſuſtinentibus, quia ſaltem ſubdiaconis conferri debent, ætas 22. annorum requiritur, ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de reformat. cap. 12.* licet ex *cap. indecorum 4. de æt. & qual.* ætas, 14. annorum ſufficeret, quod Concilij Tridentini ſanctione immutatum eſt, & apud nos, & vbique ſeruatur.

27. Sic in regularibus beneficiis, non tantum, ipſa profeſſio monaſtica, neceſſaria eſt, vel ex diſpenſatione ſummi Pontificis, animus profitendi, ad effectum reductus, (ex quo huiuſmodi prouiſiones, pro cupiente profiteri appellari ſolent) ſed etiam ætas viginti annorum requiritur, ſi nullam annexam habeant curam animarum, quod raro euenit, & viginti quinque annorum, ſi curam animarum in ſe habeant *Clem. 1.* §. *caterum de ſtatu monach.*

28. Et quamuis, in commendam obtineri poſſint, maxime, ſi commendari ſolita ſint, quod vtique fieri debet, ſi à monaſteriis, & Abbatiis dependeant, quamuis cura, conuentu, & ordine careant, tamen minori 14. annis, conferri non poſſunt, quia olim, ea ætate, profeſſio monaſtica emitti ſolebat, *cap. 1. & 2. de reg.* quæ vtique neceſſaria, ea beneficia, in regulam obtinentibus, quam vbique, commenda imitatur, vt duobus ſolemnibus decretis, indicatum refert, *D. Lepreſtre in quæſt. iuris centuria 2. cap.* 74. in quæſtione poſſeſſorij, prioratus ſancti Leonardi, dependentis ab Abbatia de Rota, & alterius, qui dicebatur *de Louans*, ab Abbatia, & monaſterio Cormeriaceno.

29. Sed & in illis beneficiis, quæ certum clericatus ordinem, annexum habent, illud prænotandum eſt, differentiam eſſe, inter ea, quæ vel ex lege, ſiue ex præſcriptis ſacrorum Canonum, certi ordinis poſtulant promotionem, & illa quæ ex lege conuentionis, in ipſa fundatione, vel dotatione habitæ, ordinem exigunt, aliàs dicunt, ex præſcripto fundatoris.

30. Namque in priori caſu, ſufficit promouendum, in ea ætate eſſe, vt intra annum à die pacificæ poſſeſſionis numerandum, vt ſupra adnotauimus, ad ordinem iure præfinitum, promoueri poſſit, *cap. ſi pro clericis 8. de præb. in 6. cap. 2. de inſtit. in 6. cap. licet canon de elect. eod. & ibi gloſſa in verbo annum*, verba enim legis, ſiue decreti, laxiorem interpretationem accipiunt, & in iis, quodammodo iuriſdictio temperanda, vt in pluribus iuris articulis probari poteſt.

31. Sed & illud, adeo verum eſt, vt aliquando, ſtudiorum cauſa, tempus legitimum producatur, *capit. cum ex eo de elect. in 6.* eaque interpretatio, ſiue legitimi temporis productio admittitur, plerumque à Magiſtratibus, cum legum, & ſacrorum Canonum interpretes, & quaſi viuæ voces, & oracula conſtituantur, maxime in ſupremis curiis, vt eas ſuppleant, emendent, vel reſtituant, prout æquitas ſuggerit.

32. At in poſteriori caſu, ſi lege fundationis, & dotationis, conditio ordinis dicta fuerit, tempore collationis, ætas, & conditio ordinis adeſſe debent, nec ſuperuenientia ordinis, collationem, eo ipſo nullam, confirmare poteſt, fundatoris enim leges, licet ab initio priuatæ habeantur, poſtquam auctoritate, & decreto Epiſcopi firmatæ ſunt, publici iuris auctoritatem obtinent, cui, nulla interpretatione benigniori, derogari poteſt.

33. Et ea ratione, in concordiam adduci debent, *cap. ei cui de præb. in 6. & cap. ſi eo tempore de reſcript. eod.* quæ alias inter ſe, omnimode pugnare videbantur, nec-non varia curiæ Pariſienſis placita, circa ætatem beneficiis, curam animarum habentibus neceſſa-

Digitized by Google

tiam, prolata, quæque referuntur apud *Louetium litt. b. num.* 4.

34. Et quidem, quod obſeruari diximus, in militia cœleſti, ſiue beneficiaria, circa ætatem, beneficiis quibuſcumque obtinendis neceſſariam, locum habere conſtat, etiam in militia armata, palatina, & forenſi, nec enim vllus, ad militiam caſtrenſem admittebatur, niſi 17. ætatis annum attigiſſet, quod Gracchi lege præceptum eſt vt refert *Plutarchus in eius vita.*

35. Nec etiam ad honores, vel dignitates, puta decurionum, minores 25. annis, euehi poterant, vt patet ex *lege* 8. *dig. de mun. & hon.* quod enim ſupra diximus, minorem 25. annis, ad decurionatum promotum, iure ſuffragij carere, & probauimus *lege* 6. *de decur.* id reſcripto principis, veniam ætatis concedente factum erat, cuius exceptio regulam ipſam confirmat.

---

§. TERTIVS.

De Clericis peregrinis non ordinandis, vel beneficiandis.

1. *Ordo, & ſucceſſio tractatus.*
2. *Olim peregrini, extra diœceſim, nec ordinari, nec beneficiari poterant.*
3. *Commendati ab Epiſcopo, vbicumque ordinari, & beneficiari poterant.*
4. *Quis ſit commendatitiarum, & dimiſſoriarum litterarum, effectus.*
5. *Nota ad* can. 1. diſtinct. 70. *in decretis Gratiani.*
6. *Iure noſtro, perigrini non poßunt in hoc regno beneficiis donari, ſine venia principis.*
7. *Probatur æquitas iuris noſtri, exteros à beneficiis excludentis.*
8. *Incolæ Comitatus Burgundiæ, exteri habiti decreto ſenatus Diuionenſis.*
9. *Rationes adduntur, quibus ius Galliæ defendatur.*
10. *Regula Cancellariç Romanæ de idiomate.*

1. SEcundum, in beneficiandis, vel ordinandis clericis requiritur, morum grauitas, ex *d. capit. cum in cunctis in principio de elect. cap. 4. de æt. & qual.* quæ & honeſtas appellatur, in *cap. 29. de præb.* & in his potiſſimum conſiſtit, origine, conditione, ſtatu, & qualitate, quæ ſequentis diſputationis materiam præſtabunt, & primum de origine, dicendum nobis incumbit.

2. Ex eo enim quod diximus, beneficia, ſolis clericis eſſe concedenda, ſequitur, eaſdem qualitates, ordinandis, & beneficiandis clericis, eſſe neceſſarias, itaque quemadmodum, clerici peregrini, extra diœceſim ſuam, nequaquam ordinari poterant, abſque dimiſſoriis *toto titulo de cler. peregr. tota diſtinct.* 71. ſic nec beneficiis, aut Eccleſiis, extra diœceſim ſuam, poterant adſcribi.

3. Verum aliud admittebatur, ſi ab Epiſcopo diœceſano, & ordinario commendarentur, vt teſtatur *Balſamon ad canonem* 13. *Neocæſarienſis ſynodi*, & pluribus probat Alexander III. *epiſt.* 19. quæ cum cæteris, eiuſdem Pontificis epiſtolis, Petri Cellenſis Abbatis epiſtolis, à Iacobo Sirmundo collectis, annexç ſunt, eiuſdem ſtudio & cura.

4. Sed & ea commendatio, fiebat litteris, ab Epiſcopo diœceſano, cuicumque alteri Epiſcopo emiſſis, quæ ex eo, commendatitiæ appellantur, alias dimiſſoriç, apud eundem Alexandrum III. quarum fauore, ſubnixi peregrini, & peregrinantes clerici non tantum extra diœceſim, ſed etiam extra regionem ſuam, intitulari poterant, licet veteres interpretes exiſtimauerint, neminem extra ciuitatem ſuam, poſſe intitulari.

5. Et ad eam quidem ſententiam, ſiue errorem inducti ſunt, propter auctoritatem, tum *legis in eccleſiis cod. de epiſc. & cler. tum Calchedonenſis ſynodi can.* 6. qui refertur à Gratiano in *can.* 1. *diſtinct.* 70. in quo illa verba, quç de titulis clericorum habentur, *ciuitatis ſuæ* contra mentem ſynodi, ad ſuam opinionem, & ſententiam coarctantes, neminem extra ciuitatem ſuam, transferri voluere, vnde in nouiſſimis editionibus, auctoritate Gregorij XIII. peractis, illud verbum *ſuæ*, ſcrupuloſius quam par eſſet, à Romanis emendatoribus expunctum eſt.

Digitized by Google

6. Illud tamen ius, in hoc regno ſeruatur, inductum conſtitutionibus Regiis, tum antiquis, tum recentionibus, ac præcipue edicto Caroli VII. annj 1421. à ſenatu Pictauis ſedente approbato, 10. Aprilis eiuſdem anni, ne beneficia, in hoc regno Galliæ deſeruiri ſolita, exteræ regionis incolis conferantur, abſque venia principis ſiue reſcripto, quo incolatus priuilegia concedantur, celtiſmo noſtro Gallico dicimus *lettres de naturalité* quarum exempla plura exſtant in *collectione probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap.* 30.

7. Sed enim apud nos, in conſuetudinem abiit, & veluti legem regni patriam, variis edictis Regum noſtrorum firmatam, maxime vero ſupra laudato, Caroli ſeptimi edicto, vt alienigenæ in hoc regno, abſque venia principis, beneficiis Eccleſiaſticis donari non poſſint, teſte *gloſſa pragm. ſanct. in præmio in verbo exterorum Carol. Degraſſalio in Reg. Franciæ lib.* 2. *iure* 8. *Ioanne Feraldo in priuilegiis liliorum Franciæ priuileg.* 9. *Renato Chopino lib.* 1. *de dom. tit.* 11. *Ioanne Dayma in prœmio concord. fol.* 71. *recto col.* 1.

8. Verum illud eò proceſſit, vt etiam incolæ Comitatus Burgundiæ, quamuis neutralitas, inter eos, & Ducatus Burgundiæ prouinciales, omnimoda vigeret, nec ideo minus exteri reputati fuerint, & beneficiorum in Ducatu deſeruiri ſolitorum, incapaces pronunciati, decreto Diuionenſis ſenatus 7. Nou. anni 1599. ita vt adminiſtrationi ſupereſſe non poſſint, donec à Rege, tanti beneficij gratiam meruerint, ipſaque actis, ſenatus Diuionenſis credita fuerit de quo teſtatur *Paulus Dumay ſenator Diuionenſis in notis ad epiſt.* 18. *Innoc. III. lib.* 13.

9. Nec vero inconſulto, aut ſine iuſta ratione, illud ſtatutum eſt, & maxime, ne occaſio detur exteris, ſecretiora regni arcana detegendi, prouincialibus ſuis, in regni necem, & imperij, vel etiam ex eo, quod extraneus, populorum regimini demandatus, minus aptus exſtat, & idoneus, curæ animarum exercendæ, vel aliis functionibus obeundis, quæ cœleſtis, & ſpiritalis adminiſtrationis, partes eſſe noſcuntur.

10. Sed & ea ratio, forte occaſionem dedit, inducendæ regulæ Cancellariæ Romanæ, quæ numero 19. de Idiomate, vulgo appellatur, qua prouiſiones Pontificiæ, beneficiorum curam animarum habentium, nullæ, & ſubreptitiæ habentur, niſi indigenis, & loci idioma apprimè callentibus, concedantur, quod cum apud nos, ad quælibet beneficia productum ſit, vt notat *Ioan. A Chokier ad gloſſam d. regulæ Alphonſi Sotto num.* 15.

---

§. QVARTVS.

De filiis Preſbiterorum, & aliis non ordinandis, vel beneficiandis.

1. *Illegitimi neque ordinari, neque beneficiari poſſunt.*
2. *Iure ciuili ſpurius, ad decurionatum promoueri poteſt, vt & iure Gallico.*
3. *Decurionatus, & monachalis profeſſio, natalium maculas abluit.*
4. *Lege Moſaica, ſpurij ad Sacerdotium promoueri non poterant.*
5. Nota ad textus Deuteronomii de ſpuriis ab eccleſia arcendis.
6. *Quibus rationibus defenditur prohibitio ſpurios ordinandi.*
7. *Alteram rationem ſubminiſtrat Arnulphus Lexouienſis.*
8. *Filij Sacerdotum legitimi, paternis beneficiis, inueſtiri non poſſunt.*
9. *Exemplum in id ab Arnulpho ſubminiſtratum.*
10. *Apud Iudæos, & Armenios, nemo niſi de Gente leuitica, promouebatur ad Sacerdotium.*
11. *Succeſſionis in Epiſcopalibus ſedibus, plura exempla.*
12. *Filij ſacerdotum legitimi, quando paternis beneficiis donari poſſunt.*
13. *Reſignatio facta beneficij paterni extraneo, qui illud filio dimiſerit non valet.*
14. *Parentes beneficia filiorum cedentium, aut decedentium obtinere poſſunt.*

Digitized by Google

1. PEregrinis ſuccedunt, qui legitimæ non ſunt conditionis, de quibus in *titulo decretalium de filiis presbit. ordin. vel non*, licet enim titulus, eo quo conceptus eſt modo, de filiis presbiterorum tantum, ſtatuere videatur, ad omnes tamen, ex quacumque illegitima coniunctione natos, producenda eſt eius diſpoſitio, vt conſtat ex *cap. 5. de ſeruis non ordin. cap. per venerabilem qui filij ſint leg.*

2. Quamuis & aliud, iure ciuili receptum ſit, ſpurios, decuriones creari poſſe, non exſtantibus legitimis, quod patet ex *lege 3. §. ſpurios lege 6. dig. de decur.* & pariter noſtro iure Gallico obſeruari, tradit *Ioan. Bacquetius lib. de iure ſpuriorum cap. 2. num. 5.* quidquid in contrarium tenet *Simon Oliuaus Senator Tholoſanus, & expatronus fiſci in actionibus forenſibus actione 12.*

3. Namque illud, adeo verum eſt, vt in iure ciuili, curiæ datio, vel ad decurionatus ordinem promotio, eſſet quædam, illegitimæ conditionis purgatio, ſicut monachalis profeſſio, in iure canonico, natalium maculas abluit, *cap. 1. diſtinct. 56. cap. 1. de filiis presbit.* quod & ipſe probat *Renatus Chopinus lib. 1. de ſacr. polit. tit. 3.*

4. Verum aliud ſeruari iure canonico conſtat in beneficiis aſſequendis, ex eo quod ſtatutum eſt *Deuteronomij cap. 23 non ingredietur manzer, vel de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini, ad decimam generationem*, vel vt alibi dicitur, *non ingredietur ſpurius, congregationem Iehonæ*, & aliis pleriſque locis.

5. Sed enim in illis locis, interpretes per hæc verba *Eccleſiam Domini, congregationem Iehonæ*, ſacerdotium intellexerunt, & ſacrum miniſterium, cum iuſtum non foret, vt propter paternum crimen, ſpurij à communi congregatione Iſraelitarum, & à ſocietate fidelium excluderentur, quod æquitatis ratio pati non poterat, quemquam alieno odio prægrauari *l. 33. §. 1. cod. de ineff. teſt. cap. 22. de reg. iur. in 6.*

6. Cum vero à ſacerdotum manibus, vel leuiſſimæ ſordes abeſſe debeant, ſicut in veteri lege, ab ipſis victimis, quæ Deo offerebantur, *Leuitici cap. 9. & 22. Deuteronomij cap. 15. & 17.* merito, à ſacerdotiis remouendi fuerunt ſpurij, & Eccleſiaſticis beneficiis excludendi, cum terræ, ſiue ſordium filij dicantur, paſſim & vbique.

7. Illud namque eò proceſſit, tum propter maculam, natalibus eorum inhærentem, tum propterea quod, in illis paterni criminis, exempla metuantur, qua ratione, in vlciſcendis læſæ maieſtatis criminibus, pœna ad filios quamuis innocentes progreditur, in *lege quiſquis §. 1. cod. ad leg. Iuliam mai.* quod & ipſe probat, *Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus epiſtola ad Albinum & Theobinum 67.* iis verbis *ne ſpurcitiæ ſoboles ſanctuarium domini, exemplo paternæ prauitatis inceſtet.*

8. Nec tantum, filij preſbiterorum illegitimi, vel in ſacerdotio procreati, vel extra ſacerdotium, ex quacumque illegitima coniunctione, à beneficiis, vel ſacris miniſteriis arcentur, ſed etiam liberi, ex iuſto matrimonio, ante ordines ſuſcepto, ſcilicet, ab illis dignitatibus in quibus parentes miniſtrauerunt, quod patet ex *capit. 2. & 3. de filiis presbit. apud Greg.* ne ſanctuarium domini, contra ſacrorum ſtatuta canonum, iure hereditario, poſſideri videatur *cap. 15. de iure patron.*

9. Et ex eo eſt, quod idem Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus, ad prædictos Albinum & Theobinum reſcribens Robertum quemdam, ab Eccleſia *de Cormolem*, in qua pater adſcriptus fuerat, ſubmouendum aſſeruit, *neque enim*, inquit, *expedit, prouinciæ noſtræ, in qua quotidie, impudicitia, tam impudenter conualeſcit, filios ſacerdotum, paternis altaribus adhiberi.*

10. Et tamen apud Iudæos, illud iuris inualuerat, vt nemo in ſacerdotium admitteretur, niſi ex tribu Leuitica, & ex ſanguine ſacerdotum, originem haberet, cuius iuris obſeruationem, in Eccleſiam Armeniæ inductam, ſynodi ſextæ Patres condemnauerunt, vt notat *Theodorus Balſamon ad can. 33. eiuſdem ſynodi*, cui accedit quod *Tridentini Patres in ſeſſ. 25 de reformat. cap. 15.* interdixerunt filiis ſacerdotum, non tantum ſimul beneficia, etiam diſſimilia adſequi, in Eccleſiis, in quibus Patres obtinent, ſed etiam ſucceſſiue, adeo vt iniunxerint, obtinentibus, eiurare, & cedere beneficiis.

11. Et quamquam *Claudius Robertus auctor Galliæ Chriſtianæ in Archiepiſcopis Bituricenſibus, & in Simplicio decimo quinto Archipræſule*, quem Eulodij prædeceſſoris filium, & Palladij, eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi generum, fuiſſe teſtatur, ſucceſſionem referat multiplicem, Galliæ noſtræ, aliorumque Epiſcoporum, propter vtilem, & maxime laudandam, Eccleſiæ caritatem inductam, tandem in eo definit, vt contra Eccleſiæ decreta, ſacerdotum filij, nec debeant, nec poſſint admitti.

12. Sed & illud quidem adeo verum eſt, filios ſacerdotum, ex legitimo matrimonio, ante ſacerdotium ſuſceptos, à ſolis paternis beneficiis ſubmoueri, vt non tantum quibuſ-

Digitized by Google

cumque aliis, nullo aduerſante obice, poſſint inueſtiri, vt ait *Innoc. III. in Concilio generali Lateranenſi parte vlt. cap.* 14. ſed etiam, vt paternæ ſucceſſionis, per mediam extranei perſonam, qui iiſdem beneficiis intitulatus fuerit, vitio quodammodo purgato, eadem filij ſacerdotum beneficia obtinere poſſint, licet per interpoſitionem perſonæ, legibus quodammodo illuſum videatur.

13. Et ex eo etiam illud eſt, quod *Ioannes Papo in collectione decretorum curiæ lib.* 2. *tit.* 4. *art.* 1. obſeruauerit, longius reiiciendam, ſucceſſionem filij legitimi, in beneficio paterno, quamuis mediante extranei perſona contingentem, ſi reſignationem patris, extraneo factam, mox ſubſequuta ſit, ſucceſſio filij, vbi & illud ſubiicit, in *art.* 2. non tantum filios remouendos, à beneficiis paternis, ſed etiam nepotes, ab auitinis, quod decreto ſenatus Tholoſani confirmatum refert ibidem.

14. Quamuis autem, filij ſacerdotum legitimi, vel nepotes, beneficia paterna, vel auitina, immediate obtinere non poſſint, tamen Cardinalium, ad Concilium Tridentinum ſtatuta congregatio decreuit, Patres ipſos beneficia, quæ à filiis occupata fuerint, immediate, & ab ipſiſmet obtinere poſſe, omni ſucceſſionis colore ſubmoto, propter turbatum, & interuerſum, mortalitatis ordinem, qui omnem aucupandæ, & captandæ ſucceſſionis, ſpem ſubmouet.

---

§. QVINTVS.

De ſeruis, non ordinandis, vel beneficiandis.

1. *Serui non ordinandi, & quibus ex cauſis.*
2. *In promotione ſeruorum ad ordines, expreſſa voluntas manumittentis domini requirebatur.*
3. *Vel tacita, patientis ad ordines promoueri.*
4. Nota ad can. Apoſtolorum 82.
5. *Serui milites effecti, liberi fiunt.*
6. *Quando locum habere cæpit, prohibitio ſeruorum ordinandorum.*
7. *Quid ſit in veteribus formulis, præceptum* Clericatus.
8. *Qua de cauſa, nemo ad ordines promouebatur, niſi ex licentia principis.*

1. QVemadmodum, qui non ſunt legitimæ conditionis, ad dignitates Eccleſiaſtica, promoueri non poſſunt, ſic nec illi, qui ſeruilis exiſtunt, ſiue nullius, cum in vtroque iure, ſerui pro nullis habeantur, vt qui Deum patrem cient, vel ſecundum *D. Hieronimum in epiſt. ad Nepotianum*, domini partes ſunt, & hereditas, alterius poteſtati ſubiiciantur, vel ab alio poſſideantur.

2. Et ex eo eſt, quod cum dominus, ſeruum ſuum ordinari volebat, iuſtam in domino impertiebatur libertatem, nulla operarum, niſi ſpiritualium retentione adiecta *cap.* 4. *& 6. de ſeruis non ordinandis*, cuius manumiſſionis, exempla extant, apud *Diuum Paulinum in epiſt. ad Amandum* 2. *& apud Radulphum Fornerium lib. 6. rerum quotidianarum cap.* 3. vbi ex veteribus ſcedis, monaſterij, D. Maximini prope Aureliam, huius manumiſſionis, antiquius exemplum profert.

3. Sed & cum dominus ſciens, ſeruum ad ordines promoueri patiebatur, nec in ſeruitutem repetebat, liber fiebat, ex præſumpta domini voluntate, eodem modo, quo iure ciuili, cum dominus ſeruum, etiam ſine libertate, heredem inſtituebat, §. 2. *inſtit. quib. ex cauſ. manum. licet* quod tamen iure veteri, & *can. Apoſtolorum* 82 non obtinebat, vbi expreſſa voluntas domini, ad libertatem ſeruum perducentis, deſiderabatur.

4. Sed & illud poſtea, immutatum agnouimus, hodie enim, ſtatim atque ſeruus, ſciente domino, atque conſentiente, in clerum admiſſus eſt, à ſeruitute, tranſit in libertatem, *can. ſi ſeruus* 20. *diſtinct.* 54. *& Nou. Iuſtin.* 123. *cap.* 17 quod enim dictum eſt à domino, neminem duobus dominis ſeruire poſſe, accommodari poſſit miniſtris Eccleſiæ, alterius poteſtati non ſubiiciendis, quod & à perſonis, ad res tranſlatum, in *capit. vlt. de*

Digitized by Google

reg. iur. apud Greg. vbi indignum dicitur, vt quis pro ſpiritualibus, facere homagium compellatur.

5. Sed quod diximus, de militia cœleſti, & Eccleſiaſtica, idem obſeruari debet, in militia caſtrenſi, forenſi, vel palatina, licet enim in iure ciuili, ſerui militiæ armatæ, forenſi, vel palatinæ, dari non poſſent, *lege 6. cod. qui milit. poſſ. lib. 12.* tamen, ſi ſciente domino, nec contradicente, ſeruus militiæ adſcriptus fuerit, iuſtam ex eo conſequebatur libertatem, *lege 7. cod. eod. tit.*

6. Et hæc quidem prohibitio, ſeruorum ordinandorum, vel ad beneficia Eccleſiaſtica promouendorum, in ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis ſtabilita, *can. ſcilicet Apoſtolorum 82.* induƈta, ac demum obfirmata, tamdiu locum habuit, quoad vſque dura ſeruitus, libertati obſtitit, cuius veſtigia patent, in *capit. Caroli Magni lib. 1. cap. 57. & 88.* & alibi paſſim, apud priſcos, & probos auƈtores.

7. Verum illud, ita ſtriƈtè & religioſè, temporibus illis ſeruabatur, vt etiam liberi homines, ſine venia principis, in clerum admitti non poſſent, vt videre eſt apud *Marculfum monachum lib. 1. formul. cap. 19. & in notis*, vbi hanc ordinandi licentiam, à principibus indultam, præceptum clericatus appellat.

8. Et illud quidem, ita ſtatutum, ait *Carolus Magnus lib. 1. cap. 120. quod multi*, inquit, *non tam deuotionis cauſa, quam regalis funƈtionis fugiendæ occaſione, Dei ſeruitio ſe committebant, vel etiam à propinquis, qui res illorum concupiſcebant circumuenti*, quod pariter, iure ciuili cautum erat, *lege 2. cod. qui milit. poſſ. lib. 12.* vbi Imperatores, in fraudem ciuilium munerum, militiæ nomen dare, prohibuerunt.

---

§. SEXTVS.

De Curialibus, adſcriptitiis, & obligatis ad ratiocinia, non ordinandis, vel beneficiandis.

1. *Curiales, adſcriptitij, & obligati ad ratiocina, non ordinandi.*
2. *Plures vt munera euitarent, Eccleſiaſticis ordinibus ſeſe mancipabant.*
3. *Id pati non debuit Eccleſia, in ſui dedecus, & reipublicæ diſpendium.*
4. *Debita obſequia vel Eccleſiæ, vel Imperio, non ſe ſe inuicem impediant.*
5. *In ordinibus Eccleſiaſticis, & beneficiis, vel leuis vmbra ſeruitutis, ſubeſſe non debet.*
6. *Id ſeruatur in præceptoriarum Melitenſium diſpenſatione.*

1. SEruis inde, adiungendi ſunt curiales, adſcriptitij, & publicis rationibus addiƈti, vt patet ex rubricis *de oblig. ad ratiocin. non ordin.* de quibus meminere, *Marculfus in formulis & Flodoardus lib. 2. hiſtor. Remenſis, cap. 5.* vbi refert, Synodo Remenſi, ſub Sonatio Epiſcopo, in qua plures Galliæ Epiſcopi conuenerant, cautum fuiſſe, *ne quos publicus cenſus ſpeƈtat, ſine permiſſu principis, vel iudicis, ſe ad religionem ſociare audeant.*

2. Sed enim cum grauia, & dura eſſent, curialium munera, ita vt aliquando, pœnæ nomine, reis iniunƈta fuerint, vel etiam ipſis Chriſtianis, ab Eccleſiæ perſecutoribus, vt teſtantur *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, nec-non Antonius Gallonus congregationis oratorij presbiter lib. de cruciatibus Martyrum*, ideo multi, vt iis muneribus, ſe ſubriperent, patrimonio renunciantes, (quæ erat pœna deſertionis, legibus conſtituta) ſeſe in clerum conferebant, quod Eccleſiæ dedecori, & fiſci diſpendio vertebatur.

3. Et ob eam rationem, pati non debuerat Eccleſia, cum enim, ipſa ſit in imperio, vt ait *Optatus Mileuitanus lib. 3. de ſciſm. donat.* altera, alterius auxilio, potius eſſe debuit, ſibique inuicem opem præſtare, quam eius euaſionis ſuſtinendæ occaſione, alteri ſcilicet imperio detrimentum non leue inferre, contra communem, vtriuſque iuris regulam, quæ diƈtat, alteri per alterum, iniquam conditionem, inferri non debere, *lege non debet dig. de reg. iur. gloſſa in cap. vel non eſt de temp. ordinat. & in cap. quam ſit in verbo commode de eleƈt. in 6.*

Digitized by Google

4. Verum enim, licet à Deo optimo maximo, id habeamus, vt per ſacramentum Baptiſmatis, quaſi geniti infantes, renaſcamur Eccleſiæ, eamdemque matrem, agnoſcere debeamus, vel ſpiritali quadam, in ipſo baptiſmatis ſacramento, cognatione interueniente, toto *titulo de cognat. ſpirit.* id etiam habemus, vt ſimul patriæ nati legitimis principibus ſubiiciamur quibus & obſequia præſtare debemus, vel ipſo teſte Apoſtolo cuius auctoritatem reclamat, *ibidem Optatus.*

5. Ex ſuperioribus itaque illud patet, quod quilibet, vel ſtatus diminutionem paſſus, vel natalium vitio laborans, vel plenioris, & integrioris libertatis, non vtens priuilegio, vel ære publico aſtrictus, nec ad ordines, nec ad beneficia Eccleſiaſtica, promoueri poteſt, ipſâ Eccleſiâ, poſtquam chriſtianorum principum beneficio, ſuæ primæuæ libertati eſt reſtituta, in ordinibus, vel beneficiis Eccleſiaſticis diſpenſandis, vel leuioris ſeruitutis, & publicæ addictionis, vmbram fugiente.

6. Sed & illud, in Melitenſium militum Religioſo ordine, obſeruari docet *Renatus Chopinus lib. 3. de ſacr. polit. tit. 3. num.* 11. ibi enim teſtatur, ex variis, huius ordinis decretis, ſtatutum prodiiſſe, vt ipſis militibus, qui ærarij Melitenſis, debitores exiſterent, vacantes præceptoriæ, nequaquam commendarentur, donec reliqua ordini perſoluiſſent, vel etiam præceptoribus, pinguiores regendæ crederentur.

---

§. SEPTIMVS.

De corpore vitiatis, non ordinandis, vel beneficiis honorandis.

1. *Corpore vitiati, ordinari non poßunt, vel beneficiari, & quæ materiæ connexio.*
2. *Corporis defectus attenditur, ſecundum ordinum diſtinctionem.*
3. *An idem in beneficiis vel maioribus vel minoribus.*
4. *Exploditur hæc diſtinctiò à Tridentinis Patribus.*
5. *Probatur vitiatos corpore, ordinari non debere, ex veteri teſtamento.*
6. *Rationes huius prohibitionis afferuntur.*
7. *Probatur teſtimonio profanorum, & Gentilium.*
8. *Probatur argumento Augurum, & auium, quæ augurando inſeruiebant.*

1. PRæterea ad morum grauitatem ſpectat, venuſta corporis compoſitio, quia vt notat *gloſſa in capit. cum in cunctis in verbo morum grauitas de elect. incompoſitio corporis, inæqualitatem indicat mentis*, cuius probandi cauſa, recurrit ad *diſtinctionem* 41. *in fine*, itaque, qui corporis aliquod vitium patitur, ordinari non poteſt, vel ad beneficia promoueri, *toto tit. de corp. vit. ordin. vel non, tota diſtinct.* 49.

2. Sed tamen illud, ita obſeruatur ſi modo, tale ſit vitium, quod vel ordinum executioni, vel miniſterio, cui clericus adſcriptus eſt, exhibendo officiat, in quo, diſtinctionem faciendam eſſe voluere interpretes, inter minores ordines, & maiores, qui ſacri dicuntur, inter eos, qui ſoli labiorum obſequio addicuntur, & eos, qui officium aliquod, & diuinum miniſterium in Eccleſia præſtant, puta Subdiaconorum, Diaconorum, & Presbiterorum, quorum officium, in iis potiſſimum conſiſtit, Euangelij doctrina, Sacramentorum adminiſtratione, & Miſſarum celebratione.

3. Et ex ea differentia naſcitur, ſecundum illorum opinionem, quod in ſimplicibus beneficiis, vt & in minoribus ordinibus, iis beneficiis aſſequendis, ſolummodo neceſſariis, corporis defectus, non ita attendatur, atque in beneficiis, quæ maiorum ordinum in ſe habent annexam promotionem, ſicut, & ex ea ordinum diſtinctione, natum diximus ſupra in §. 2. *huius capitis*, vt diuerſa ætas, minor, & prouectior, in beneficiis adquirendis, deſideraretur.

4. Sed & ea diſtinctio, licet à nonnullis recepta, à pluribus exploſa eſt, idque iuſta ratione, cum nullus, ad minores ordines, admitti debeat, niſi ſub ſpe, futuræ promotionis ad maiores, *cumque hinc, ad altiores gradus, & ſacratiſsima miniſteria, ſit ingreſſus nemo iis initiari debet, quem non ſcientiæ ſpes, maioribus ordinibus dignum oſtendat*, aiunt, *Tridentini Patres in ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 11.

Digitized by Google

5. At vero quod diximus, corpore vitiatos, ordinari non poſſe, primum ſtatutum eſt, *Leuitici cap.* 21 *qui maculam habuerit, non offeret panes Deo, nec ad miniſterium eius accedet* quod ſimiliter *lib.* 2. *Regum* adagiali ſacro relato *à Martino Delrio in adagiis ſacris* confirmatur, *idcirco dicitur Prouerbio, cæcus, & claudus, non intrabunt, in templum Domini*, quod eadem ratione, intelligendum eſt, de ſacerdotio, vt ſuprà de ſpuriis arcendis diximus, in §. 4. *huius capitis*.

6. Et id maxime, & ea ratione conſtitutum erat, quod vt mox præmiſimus, vitia corporis, plerumque vitiis animi ſocientur, vt pluribus explicatur *diſtinct.* 41. *&* 44. *in fine, & à Theodoreto in Leuiticum quæſt.* 30. & ex eo eſt, quod Philo Iudæus aſſerit, Moiſem diuinæ legis conditorem, dum ſpadones, templum Domini ingredi prohibuit, per ſterilitatem corporis ſapientiæ defectum adnotare voluiſſe.

7. Sed & illud addi poteſt, quod *Seneca lib.* 4. *controuerſiarum controu.* 2. in vtramque partem diſputat, vtrum Metellus, cui dum Palladium, à templo Veſtæ ardente, eripere vellet, vis ignis, oculos excæcauerat, à ſacerdotio remouendus eſſet, quod probare contendit, exemplo, ab ipſis victimis petito, quæ integræ eſſe debebant *ſi hoc enim*, inquit, *notatur in victimis, quanto magis in ſacerdotibus.*

8. Et huic rationi accedere videtur, quod notat *Plutarchus in problemate* 72. dum cauſam inquirit, propter quam Augures, ſi vel leuiſſimum vlcus habuiſſent, ab augurandi officio arcebantur, nec enim aues vlceratas, adhibere fas erat, ſi enim oblationum vitia, Deum offendunt, quanto magis miniſtrorum, & offerentium ſordes, & vitia, cum in ſpiritu magis, quam in holocauſtis, ſibi ſacrificandum voluerit.

§. OCTAVVS.

De bigamis, non ordinandis, vel beneficiandis.

1. *Bigami non ordinandi, & quæ ſucceſſio materiæ.*
2. *Cuius temporis, bigamia ſpectari debeat, in prohibitione.*
3. *Quid ſit bigamia, & quæ eius variæ ſpecies.*
4. *Cur improbatur bigamia, iure ſacro, in promotione ad ordines.*
5. *Iure veteris, & noui teſtamenti, prohibitio bigamorum ordinandorum firmata.*
6. *Idem ſeruatum temporibus Apoſtolorum.*
7. *Exemplum D. Thomæ, Zuzanem ordinantis, vnius vxoris virum.*
8. *Exempla profanarum gentium, hanc legem obſeruantium.*
9. *Bigamia, irregularitatem quamdam inducit.*
10. *A promouendis, omnis macula vel leuis abeſſe debet.*
11. *Difficiliores adquirendi, quam conſeruandi beneficij conditiones.*
12. *Probatur decreto Curiæ Pariſienſis.*

1. SEd & clericis ordinandis, & ad beneficia Eccleſiaſtica promouendis, non leuem obicem iniicit, bigamia, de qua *toto de big. non ordin.* quia morum grauitatem, quam in clericorum promotionibus, neceſſariam eſſe diximus, quodammodo lædit bigamia, quæ animum, qui alias firmus, & conſtans eſſe debet, maxime in Eccleſiaſticis, in plures impellit, quod Eccleſiæ dedecori verteretur, argumento *Clem.* 1. *de renunciat.*

2. Sic autem intelligenda eſt bigamia, vt præteriti temporis, aut futuri ratio habeatur, non præſentis, aut ſub ipſa ordinatione contractæ, aut permanentis bigamiæ, vt innuere videtur, *canon propoſuiſti verſ. ſed fortaſſe* 82. *diſtinct.* nec enim hic diſſerendum, de clericis coniugatis, cum diffuſius de his egerimus, in *verbo definitionis cæleſtis* §. 21. *& in ſuperiori capite in verbo clerico.*

3. Eſt igitur bigamus, qui vel carnem ſuam, diuiſit in duas, vel legitimo matrimonio, vel qualibet alia, illegitima coniunctione copulatas, vel qui eam duxit, quæ pariter carnem

Digitized by Google

nem ſuam, diuiſit in plures, & ea quidem definitione, plures bigamiæ ſpecies, quæ in libris iuris canonici diſperſæ, quaſi in vnum corpus conferuntur, & vnam ſedem accipiunt.

4. Sed enim cum matrimonium, ſit veluti quædam vmbra, & ſignum, vnionis Chriſti, & Eccleſiæ, quæ vna eſt, vni Chriſto coniuncta, *cap. debitam de bigam, non ord.* per hanc vnionem, debet vnum fieri, quod in plura non diuidatur, per alterum, & ſubſequens matrimonium; *can. acutius diſtinct.* 26.

5. Et illud quidem quod bigami, ab Eccleſiaſticis ordinibus, & miniſteriis arceantur, primum conſtitutum eſt, *can. Apoſtol.* 17. iuxta illud, quod cautum fuerat, *Leuitici cap.* 21. *ſacerdotes mei, non plus nubent*, ratione quadam habita, militantis Eccleſiæ, ad triumphantem, in qua nemo amplius nubit, ſed omnes ſequuntur agnum, quocumque ierit, & recte, cum eorum, qui de ſorte Domini ſunt, ſiue clericorum, teſte Apoſtolo conuerſatio in cœlis eſſe debeat.

6. Nec ab eo plurimum diſtat, quod idem *Apoſtolus ad Titum & Thimotheum* reſcribens ait, Epiſcopum, vnius vxoris debere eſſe virum, nec etiam, quod notat *epiſt.* 1. *ad Thimotheum cap.* 5. illis ipſis temporibus quibus fœminæ in ſubſidium clericorum, puta in diſtributionem alimentorum, pauperibus Eccleſiæ præbendam, præficiebantur, quod Laodicena ſynodo vetitum fuit, Diaconiſſam viduam, vnius viri vxorem, deligendam eſſe.

7. Et ex eodem fonte, manaſſe videtur, quod refert *Abdias Babilonius lib. 9. hiſt. Apoſtolicæ*, Zuzanem quemdam à D. Thoma Apoſtolo, Diaconatus ordinem, & Leuiticam benedictionem, his rationibus impetraſſe, quod Manazaram vnicam duxiſſet, à cuius conſortio, voto caſtitatis ſeruandæ, inter eos emiſſo, abſtinuerat, & inde diuus Hieronimus concludit, in hæc verba, exclamans contra Iouinianum, *quam ſancta bigamia hinc oſtenditur bigamus in clerum eligi non poteſt.*

8. Verum enim, & illud merito ſtatutum, cum videre liceat, apud eos, qui aliqua religione, licet falſa ducebantur, ſacedotes, vnius vxoris viros delectos fuiſſe, ſic Hierophanta apud Athenienſes electus, ab vnicæ vxoris conſortio abſtrahitur, & æternæ caſtitati addicitur, ſic Flammea, alias Flaminica, apud Romanos, vnius viri vxor aſſumitur, vt notat *Seruius ad 4. Æneidos*, vbi & illud probat, Flamini, vnicam vxorem, habere licere.

9. Sed ſemotis exemplis, & pluribus, quæ in iure canonico, huius prohibitionis, ſubminiſtrantur rationibus, huic ſoli, ſtandum eſſe cenſeo, quod bigamia, quamdam in ſe irregularitatem contineat, *cap. 6. de big. non ordin.* & in iure canonico, aliunde conſtet, in clerum admittendo, vel ad beneficia promouendo, quantumlibet leuem irregularitatem, obeſſe *capit. omnipotens de accuſat. capit. vlt. de teſt.*

10. Sed enim ab eo, qui ad ordines Eccleſiaſticos promoueri deſiderat, omnis macula abeſſe debet, vt ſupra probauimus, ratione habita ad ipſas victimas, quamuis iam promotum, ſuperueniens macula, ſuſcepto ordine, vel adepto beneficio, ſpoliare non ſoleat, ſed vel executionem, ſuſcepti ordinis ſuſpendat, vel irregularem factum, pœnitentiæ ſubeundæ addicat, *d. cap. 6. de big. non ord.*

11. Verum enim, difficiliores exiſtunt, adquirendi, quam conſeruandi conditiones, vt pluribus exemplis in iure probatur, quæ breuitatis amplectandæ cauſa omitto, vt in hac ſola probatione deſinam, quam induxit ſenatus Pariſienſis decreto die iouis 14. Decembris, anni 1647. prolato, in cauſa à Claudio Galtero, nec-non Claudio *Pucelle*, in publicis cauſarum actionibus perorata, ratione poſeſſionis, Theologalis præbendæ, Cathedralis Eccleſiæ Bellouacenſis, inter quemdam cognominatum *Sainct-Simon*, & alterum cui nomen *Bauledet*, iuxta doctrinam *Car. Molinei ad reg. de infirm. num.* 397.

12. Namque decreuit ſenatus in reatu conſtitutum, & damnatum, quamuis, à decretoria ſententia, prouocauerit, pendente appellatione, beneficium vacans, tanquam graduatum, ex gratia concordatorum, & poſtulare, & impetrare non poſſe, quamuis ſuſcepto ſemel ordine, vel adquiſito beneficio, accuſatio, vacationi locum, præbere non ſoleat, & condemnatus pendente appellatione, beneficium, in fauorem alicuius eiurare poſſit, vt pluribus curiæ decretis comprobatum eſt, & aliàs probauimus *ad verba definitionis cæleſtis cap. 2. de ſimonia.*

Digitized by Google

§. NONVS.

De ſcientia ordinandis, vel beneficiandis neceſſaria.

1. *Illiterati non ordinandi, nec beneficiandi.*
2. *Ordo & ſeries, propoſitæ diſputationis:*
3. *Probatur neceſſitas ſcientiæ in ordinando.*
4. *Minor ſcientia, deſideratur in minoribus ordinibus.*
5. *In maioribus ordinibus maior exigitur.*
6. *Quæ in beneficiis, curam animarum habentibus.*
7. *Probatur pluribus rationibus, in parochiis regendis, ſummam ſcientiam deſiderari.*
8. *In parochiis villæ muratæ, ſcientiæ, requiritur gradus adiectio.*
9. *Quibus præmiis, inuitentur clerici, ad ſcientiam ſibi procurandam.*
10. *Vnde inſtitutio ſcholarum in Epiſcopiis, & Plebaniis.*
11. *Vnde inſtitutio, Theologalis præbendæ.*
12. *Quid ſeruetur apud nos, circa præbendæ Theologalis vſum.*
13. *Præbenda Theologalis, ſubiacet nominationibus academiarum.*
14. *In quibus Eccleſiis, locum habeat aſſignatio, præbendę Theologalis.*
15. *Doctor Theologus etiam abſens fructus prębendę percipit.*
16. *Prębenda Theologalis, nullo penſionis onere, grauari poteſt.*

1. EXpoſitis corporis vitiis, quæ ordinandis, vel beneficiandis clericis, obeſſe ſolent, ſubiicienda ſunt animi vitia, quorum maximum, & præcipuum, ſolumque iure Pontificio adnotatum, eſt ignorantia, quæ talis eſt, vt promouendum, ſiue ad ordines, ſiue ad beneficia repellat, *can. illiteratos, diſt. 36. can. præcipimus* 34. *diſtinct. cap. fin. de temp. ordin. in 6.*

2. At enim, cum initio huius diſputationis, quæ de qualitatibus clericorum, eſt inſtituta, dixerimus, eas potiſſimum conſiſtere, in maturitate ætatis, morum grauitate, & ſcientia, *cap. cum in cunctis de elect. in princ. cap. 4. de æt. & qualit.* ſuperioribus huius diſputationis articulis, priores duæ qualitates, ſatis ſuperque patent, adeo vt, id vnum diſcutiendum veniat, de ſcientia, in præficiendis, & ordinandis requiſita.

3. Et hæc quidem ſcientia, ita neceſſaria eſt, vt qui fuerit ſcientia vacuus, à ſacerdotio, & beneficio penitus excludatur, *cap. vlt. de æt. & qual. cap. 53. de elect. & elect. pot.* hanc pœnam, ignaris, & imperitis, Deo pronunciante, *Oſeæ cap. 4. quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*

4. Verum hæc ſcientia, varia fuit, ſecundum varios gradus, & ordines, & dignitates, quibus clerici præficiuntur, in minoribus enim ordinibus, ſola adeſſe debet, litterarum peritia, vt explicat *gloſſa in can. illiteratos*, & eorum notio, quæ cuique ordini incumbunt, de quibus agitur in *can. perlectis 25. diſtinct.*

5. In maioribus autem ordinibus, puta Subdiaconatus, Diaconatus, & Preſbiteratus, maior ſcientia neceſſaria eſt, cum in his potiſſimum conſiſtat, & verſetur illorum miniſterium, Euangelij doctrina, ſacramentorum adminiſtratione, & Miſſarum celebratione, vt mox diximus, quæ ſine vtriuſque teſtamenti notitia, ſacræ Theologiæ doctrina, & iuris canonici peritia, expediri non poſſunt, vt enim dicitur in *cap. 2. Malachiæ Propheta labia ſacerdotis, cuſtodient ſcientiam, & legem requirent, ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

6. Quod ſi ordini ſacro, annexum ſit beneficium, curam animarum habens, ſublimis ſcientia requiritur, propterea quod, ars artium ſit regimem animarum, cui Præfectus eſt ſacerdos, beneficium poſſidens cum cura animarum, *capit. penult. de æt. & qual.* in iis enim, quæ ſunt artis, & induſtriæ, non ſolum, præpoſiti perſona electa eſt, ſed & exactiori diligentia, & perfectiori ſcientia, vel rerum cognitione, expedienda ſunt, quæ & maiorem notitiam exigunt.

Digitized by Google

7. Verum enim, cum Parochus, vel Plebanus, Præpoſitus ſit, quaſi dux eorum, qui ſunt in parochia, cum ſit ſecundum Malachiam Prophetam, *Angelus Domini exercituum*, ſcientiarum ſplendore, præfulgere debet, & ſicut illa nubes ignea, quæ populo per deſertum peragranti, viam pandebat, prælucere debet, ne ſi ignorantiæ tenebris cæcutiat, cum ſequacibus, ſecundum toties publicatas, in Euangelio interminationes, & repetitas in *d. cap. penult. de æt. & qualit.* in foueam miſerrime incidat.

8. Et ex eo fluxit, quod in *pragmatica ſanctione* §. *in eccleſiis tit. de collat. & in concord.* §. *ſtatuimus eod. tit.* ſancitum eſt, vt in villis muratis, nemo ad beneficium, curam animarum habens promoueatur, niſi qui aliquo gradu in academia celebri adepto, ſit decoratus, quod iure noſtro ſpeciali, inductum eſt, vt id in aperto eſſet, non tantum in iis, ſcientiam exigi, ſed etiam legitimas probationes, ab academiis reportatas.

9. Nec vero clericis, defuere ſua præmia, quibus ardentius, ad ſtudia prouocarentur, vt ex iis ſcientiam, ſibi neceſſariam procurarent, namque beneficiorum omnium tertia pars, tum iure pragmaticæ ſanctionis, tum lege conuentionis, inter Leonem X. & Franciſcum I. habitæ, graduaris, academiarum alumnis, in præmium eſt aſſignata, vt infra dicemus ad verba *canonica inſtitutione.*

10. Quinimo, vt facilius clerici, ſtudiis vacantes, ab errorum, & ignorantiæ vitiis, ſeſe eximere poſſent, primum inſtitutæ ſcholæ puerorum, in ſingulis monaſteriis, & Epiſcopiis, vbi Pſalmos, Cantus, compotum, & grammaticam, edocebantur, vt conſtat ex *cap. Car. Magni lib.* 1. *art.* 72. imo etiam, in ſingulis plebaniis, vt paret ex *cap.* 3. *de vit. & hon. cler.* in ſingulis villis, & vicis, ex præcepto *Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi in ſynodali epiſtola ad compresbiteros cap.* 20. nec tantum in gratiam puerorum, ſed & adoleſcentiorum, ſcholas inſtitutas habemus, in *Concilio Aquiſgranenſi* 1. *cap.* 135.

11. Ac tandem, cum maxime reipublicæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ intereſſet, cathedralium Eccleſiarum canonicos, vel ex quorum gremio, Epiſcopi eligerentur, vt patet, ex pluribus decretalibus epiſtolis, vel qui Epiſcopis, tanquam ſenatores adſidebant, iuris canonici, atque etiam, ſacræ Theologiæ præceptis imbui, ideo Alexander III. in Lateranenſi Concilio conſtituit, vt in vnaquaque, cathedrali Eccleſia, Doctori Theologo, præbenda aſſignaretur qui eiuſdem Eccleſiæ canonicos, atque etiam quoſcumque clericos, ſacram Theologiam edoceret.

12. Et illud primum, in hoc regno obſeruatum, teſtatur idem Alexander in *cap. vnico de mag. in* 2. *compilatione decretalium*, quæ eius auctoritate proceſſit, quod inde apud nos ita inualuit, vt conuentione habita inter Franciſcum I. & Leonem X. confirmata ſit, hæc præbendæ Theologalis aſſignatio, quæ nemini, niſi ſacræ Theologiæ gradus laurea inſignito, conferri poſſet, vt probat *Nicolaus Rebbius Canonicus Inſulenſis in tractatu de præbenda Theologali.*

13. Quod eò proceſſit, vt graduatorum nominationi, & collationi neceſſariæ, ſubiacere præbendam Theologalem, iudicauerit ſenatus Pariſienſis, in cauſa, 17. Februarij, anni 1642. in publicis cauſarum actionibus perorata, circa præbendæ Theologalis vacationem, in Eccleſia cathedrali Bellouacenſi, quę Doctori, Academiæ Pariſienſis, nec-non nominato, & antiquiori graduato, addicta eſt, adeo vt omnis, eligendi ſpes, ordinario collatori, in menſibus, graduatis nominatis aſſignatis, prærepta fuerit.

14. Sed & illud notandum eſt, quod cum ab initio, & ipſius Lateranenſis Concilij ſanctione, præbendæ Theologalis aſſignatio, ad ſolas Eccleſias Cathedrales, traducta fuiſſet, & ad collegiatas Eccleſias, *Aurelianenſis edicti art.* 8. & 9. porrectam fuiſſe, quod tamen *conſtitutionis Blæſenſis art.* 33. paulùlum immutatum eſt, & ad eas Eccleſias, quæ decem prębendas, vltra dignitatem numerare poſſent, coarctatum.

15. Verum vt facilius, vacaret iniuncto muneri, Doctor Theologus, nec ab edocendis canonicis, & prædicatione verbi Diuini, vel neceſſitate rei familiaris, & anguſtia abſtraheretur, illud primum ſancitum eſt, vt omnes fructus præbendæ, etiam abſens conſequeretur, modo lectioni, vel prædicationi vacaret, vt habemus in *Concil. Lateran. ſub Leone X. Tridentino ſeſſ.* 5. *cap.* 1. *de reformat.* etiam ſi, ſtatuto ſpeciali Eccleſiæ, reſidendi neceſſitas, confirmata fuiſſet, *Rebuff. in concord. tit. de coll. Ioan. Papo in collectione decretorum lib.* 1. *tit.* 3.

16. Secundo illud ſtatutum habemus, functionis Theologalis fouendæ gratia, præbendam Doctori Theologo aſſignatam, nullo penſionis onere, grauari poſſe, quaſi alimentorum gratia aſſignata ſit, quæ nullam, diminutionem, pati debent, vel etiam tranſactione interpoſita, vt patet ex *lege* 8. *dig. de tranſact.* quod pluribus, curiæ Pariſienſis decretis firmatum refert, *D. Louet. & eius ſcholiaſtes in addit. litt. P. num.* 46.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

De diſpenſationibus Eccleſiaſticis.

1. *Ordo & ſeries huius diſputationis, & ſuperiori connexio.*
2. *Quid apud iuris ciuilis auctores legibus ſoluere, gratiam, vel veniam dare; & ſimilia.*
3. *Quid legibus ſolutum Imperatorem ſignificet.*
4. *Quid ætatis gratiam facere denotet.*
5. *Diſpenſationis vocabulum iis omnibus reſpondet.*
6. *Diſpenſatio vt iure Pontificio ſonat, definitur.*
7. *Vnde diſpenſatio relaxatio iuris dicitur.*
8. *Quid in iure, ſummum ius, ſummam iniuriam dici.*
9. *Principibus, vt & iuriſprudentibus, data poteſtas mitigandi iuris.*
10. *Eius temperamenti plura exempla.*
11. *Eadem poteſtas ſummo Pontifici conceſſa.*
12. *Ea mitigatio fit per diſpenſationes Pontificias.*
13. *Aduerſus ius naturale, diſpenſare non poteſt S. P.*
14. *Quando diſpenſare poſſit, aduerſus ius naturale.*
15. *Quando diſpenſare poſſit, aduerſus ius nouæ legis.*
16. *Non poteſt diſpenſari aduerſus ea, quæ à Prophetis, Apoſtolis, & Euangeliſtis tradita ſunt.*
17. *Sed neque à quatuor generalibus Conciliis.*
18. *Summus Pontifex, præcipuè diſpenſat de iure poſitiuo.*
19. *Summus Pontifex non poteſt diſpenſare, niſi cauſa cognita.*
20. *Præclarum Innocentij IV. reſponſum expenditur.*
21. *Diui Bernardi conſideratio de diſpenſationibus Eccleſiaſticis.*
22. *Summus Pontifex, aduerſus fundationes priuatorum, diſpenſare non poteſt.*
23. *Vbi diſpenſat aduerſus fundationes, fit locus appellationi tanquam ab abuſu.*
24. *Sed nec aduerſus concordata diſpenſare poteſt.*
25. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis.*
26. *Epiſcopi à natalium defectu diſpenſare poſſunt.*
27. *Item ſtudentibus promouendi gratiam faciunt.*
28. *Item & reſidendi neceſſitate ſtudioſos liberant.*
29. *Reſidendi gratia fit illis, qui ſunt in comitatu Epiſcopi.*
30. *Ea gratia locum habet, quamuis reſidentia, ſpeciali ſtatuto indicta ſit.*
31. *Probatur illud idem pluribus exemplis, & argumentis.*
32. *Probatur & ratione iuris.*
33. *A ſpeciali ſtatuto æque diſpenſari poteſt, ac generalibus decretis.*
34. *Epiſcopus gratiam facit clerico, pugnanti in duello.*
35. *Diſputatur an Epiſcopi, ad plura beneficia diſpenſare poſſint.*
36. *In id oppoſitio duorum textuum inuicem pugnantium.*
37. *Conciliandi ratio ad eoſdem textus.*
38. *Altera diſtinguendi, & conciliandi ratio probatur.*

Digitized by Google

39. *Hæc diſtinguendi ratio coincidit cum ſuperiori.*
40. *Inferiores Prælati diſpenſant in caſibus iure expreſſis.*
41. *Nullibi diſpenſandum, nec à quocumque, niſi perpenſa cauſa.*
42. *Nota ad differentiam diſpenſationum Apoſtolicarum, & inferiorum Prælatorum.*
43. *Improbatur hæc differentia, quæ cauſæ cognitionem ab Apoſtolicis diſpenſationibus excludit.*
44. Nota ad cap. 5. ſeſſ. 22. de reformat. in Concil. Trid.
45. *Quænam diſpenſandi cauſæ, in iure Pontificio.*
46. *Probatur diſpenſandum eſſe temporis intuitu.*
47. *In id Innocentij III. decretum in* cap. 3. de conſ. & affin.
48. *Perſonæ merita plerumque diſpenſationi locum faciunt.*
49. *Plura exempla huius diſpenſandi rationis ſubminiſtrantur.*
50. *Non ſolius perſonæ fauor attendendus, ſed & Eccleſiæ.*
51. *Item pietatis intuitus, locum præſtat diſpenſationi.*
52. *Qui vim ſibi inferentem interemit, non eget diſpenſatione.*
53. *Neceſſitas locum facit diſpenſationi.*
54. *Eiuſdem diſpenſandi cauſæ, plura dantur exempla.*
55. *Publica vtilitas locum præbet diſpenſationi, & in id exempla.*
56. *Probatur vtraque cauſa, neceſſitatis, & publicæ vtilitatis.*
57. *Probatur auctoritate Diui Bernardi.*
58. *Rei euentus, & aliquando diſpenſationi cauſam præbet, & in id exempla.*
59. *Quinam diſpenſationum Eccleſiaſticarum effectus.*
60. *Quoſnam fructus, diſpenſati à reſidentia lucrentur.*
61. *Abſentes ſtudiorum cauſa, quos fructus percipiant.*
62. *Quæ conditiones abſentibus ſtudiorum cauſa, fructuum lucrum inferant.*
63. *Vſus Eccleſiæ Spirenſis, & aliarum Germaniæ.*
64. *Probari debet aſſiduitas continua, teſtimonio profeſſorum.*
65. *Abſentes ſtudiorum cauſa, non egent gratia ſuperioris.*
66. *Sola iuris, aut capituli licentia, illis ſufficit.*
67. *Poſtulatio quædam diſpenſationis ſpecies, & quæ ſit.*
68. *Quid commendæ perpetuæ, vel temporales, & quomodo diſpenſationis locum habeant.*
69. *Commenda quædam diſpenſationis ſpecies.*
70. *Quam diſpenſationem commenda importet.*

1. LAte percurret hic tractatus, cum enim diſpenſationum materia generalis ſit, & ad omnes fere iuris articulos extendatur, ſingulis, huius diſputationis beneficiariæ partibus, ſubiici potuiſſet, verum cum in ſuperiori capite, ſpecialis diſputatio habita fuerit, de qualitatibus, ordinandis, & beneficiandis neceſſariis, quarum remiſſionem, plerumque facit diſpenſatio, non potuit commodius vlla ſubiici, quam quæ de diſpenſationibus Eccleſiaſticis tractare ſolet.

2. Diſpenſatio autem vox eſt Pontificij iuris, incognita iure ciuili, eo ſenſu, quo iure Pontificio accipitur, nam quod legibus ſoluere, dicunt iuris ciuilis auctores, vel gratiam, aut veniam iuris concedere, id diſpenſandi vocabulo ſignificatur iure Pontificio, verbo deſumpto à diſtributione, ex quo concludunt iuris canonici interpretes, diſpenſationem, eſſe potius actum iuſtitiæ, quam meræ gratiæ erogationem.

3. Verum enim, ſolemnibus iuris, lege Regia dictante, ſolutum eſſe Imperatorem ſcripſit Alexander Imperator in *lege 3. cod. de teſtam.* cui congruit, quod in *libris de bello Hiſpanico ſcripſit Appianus Alexander*, ſenatusconſultum fuiſſe factum, vt Tribuni plebis, legibus ſoluerent, Publium Cornelium Scipionem, qui per ætatem, conſul fieri non poterat.

Digitized by Google

4. Et eadem ratione *Capitolinus ſcribit*, ætatis gratiam fuiſſe factam, Marco Antonino Philoſopho, vt ad quæſturam promoueretur, ante annos, huic magiſtratui neceſſarios, & venia ætatis indulgeri dicitur, minoribus annis 25. cum poſt vicennium, obtinent rerum ſuarum adminiſtrationem, *lege 1. & lege de his cod. qui ven. at. impetr. lege 10. cod. de appell.*

5. Nunc ergo, quod legibus ſoluere, aut iuris gratiam facere, ſeu veniam concedere, dicunt iuris ciuilis auctores, id vocabulo diſpenſandi ſignificatur, apud Pontificij iuris interpretes, generali vocabulo, & cuilibet adminiſtrationi conuenienti, ad propriam gratiarum Apoſtolicarum diſtributionem accommodato, cum adeo diſpenſationum Eccleſiaſticarum, communis, & frequens vſus redditus fuerit, vt & communi vocabulo, debuerit explicari.

6. Sic autem definire ſolent, diſpenſationem Eccleſiaſticam *iuris communis relaxationem, cauſa cognita factam, ab eo, qui ius habet relaxandi,* ſic enim definitur à *gloſſa ad can. requiritis §. niſi rigor. 1. quæſt. 7.* quam ſequitur *Hoſtienſis in ſumma Durandus in ſpeculo tit. de diſpenſat. §. quid ſit diſpenſatio, & in tract. de modo gener. Concil. tit. de diſpenſat. Panormit. ad cap. 2. de ſchiſm.* cæterique deinceps interpretes iuris Pontificij.

7. Et vero vt ipſius definitionis extricatione, ſecundum propoſitum nobis ordinem, in pluribus huius diſputationis articulis, naturam diſpenſationum eruamus, primum dicitur *relaxatio iuris communis*, quod vt generaliter ſpectatur, æquitati congruit, ita quandoque deflectit ab ea, propter circumſtantias, ex tempore, perſonarum conditione, locorum diuerſitate, atque aliis huiuſmodi circonſtantiis, naſcentes.

8. Et ex eo eſt, quod iam pridem ſcriptum eſt, ſummum ius, ſummam eſſe iniuriam, cuius temperandæ cauſa, non tantum magiſtratibus, data eſt poteſtas corrigendi, adiuuandi, & ſupplendi iuris, ex quo illa naſcitur iniuria *lege 7. dig. de iuſt. & iure*, ſed & iuriſprudentibus, ſcrutandi, & probandi ea, in quibus vtilitas publica, pugnat contra nimiam iuris ſubtilitatem, *lege ita vulneratus dig. ad leg. aquil.* vnde prodiit interpretatio prudentium, quæ propriam ſibi iuris ciuilis denominationem aſſumpſit, in *lege 2. §. his legibus 5. dig. de orig. iur.*

9. Verum vtrumque multo magis permitti debet, Principibus, quibus, leges adeo ſubiectas eſſe, ait *Iuſtin. Nou. 105. cap. 2.* vt eas & promulgare poſſint, & ab aliis promulgatas interpretari, *lege vlt. §. 1. cod. de leg.* vel adhibito æquitatis temperamento moderari, *leg. 1. eod. tit.* vel quibuſdam perſonis, gratiam earum facere, probatis quibuſdam negotiis, omiſſa legum ſolemnitate factis.

10. At vero eorum omnium, multa nobis in iure ſubminiſtrantur exempla, veluti cum probatur adoptio non iure facta, *lege 35. dig. de adopt.* de qua *Cuiac. lib. 7. obſeru. cap. 7. & in reſp. Papin. ad leg. 12. de iure patron.* aut ſtatus liberorum, ex nuptiis aduerſus legum præcepta contractis, deſcendentium, *lege 57. §. 1. dig. de ritu nupt.* cuius auctoritate, in ſimili negotio vtitur *Ioann. Sareſberienſis in epiſt. 89.* itemque ſubſtitutio puberi filio facta, *lege ex facto dig. de vulg.* vt & teſtamentum, quamuis ſolemnitates iuris defuerint, in *lege 12. dig. de iniuſto rupto & irr. fact. teſt.*

11. Et quemadmodum iure ciuili, ſumma eſt poteſtas Principis, cui quidquid placuit, legis habere vigorem dicitur, *leg. 1. dig. de conſtit. princip.* ita Pontificio iure, ſummo Pontifici, data eſt latiſſima poteſtas, cæteri præſules, vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ille vero, in plenitudinem poteſtatis *can. de cætero 2. quæſt. 6. cap. ad honorem in fine de auct. & vſu pallij.*

12. Et ex ea poteſtatis plenitudine, non tantum bonorum Eccleſiaſticorum, liberam diſpenſationem obtinet, *can. 1. diſtinct. 22.* ſed etiam de iure, ſupra ius diſpenſandi poteſtatem, *cap. propoſuit 4. de conceſſ. preb.* de numnis ad nomos, de rebus ad leges, eleganti, & congruè facta tranſlatione, & vt ait Gelaſius Papa in *can. Gelaſius 1. quæſt. 7.* leges Eccleſiaſticas temperat ſua auctoritate, quod cum facit, diſpenſationem, ſeu relaxationem iuris communis, tribuere dicitur.

13. Verum in ea re, diſtinctio facienda, inter ea, quæ naturali, ſiue diuino iure, & ea quæ Pontificio iure, quod poſitiuum appellant, introducta fuere, nam vt iuris ciuilis auctores tradunt ratione ciuili non poſſe dirimi, quod naturali iure inſtitutum eſt, *lege eas obligationes dig. de cap. minut.* ita Pontificij iuris auctoribus placuit, aduerſus id, quod naturali iure receptum fuit, nullam à ſummo Pontifice, indulgeri diſpenſationem.

14. Sed ſi forte duo mala occurrant, & ex illis vnum ſit neceſſario eligendum, vt alterum euitetur, tunc electionis faciendæ cauſa, diſpenſatio obtineri poteſt, à ſummo Pontifice, vt ſcripſit *Gratianus in principio diſtinct. 13. Yuo Carnotenſis in præfatione ad decretum, & in*

Digitized by Google

epiſt. 136. nec enim ſecundum communes iuris regulas, licet minus, vel leuius malum amplecti, vt deterius effugiamus, nec in eadem, nec in diuerſis perſonis, vt notat *Ant. Aug. in emendat. Grat. lib. 1. cap. 17. in principio*, vnde neceſſaria diſpenſatio, quæ iuris communis obligationem ſoluat.

15. Et ea ratione refert, Goffridus *Vindocinenſis Abbas in ſermone qui inſcribitur ad Calliſtum Papam qualiter diſpenſationes fieri debent*, Beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum, Iudæorum cæremoniis, paululum adhæſiſſe, ita Diuum Paulum Thimotheum poſt conuerſionem circumcidi curaſſe, & Petrum, quoſdam Gentilium iudaiſare cœpiſſe; vterque ſimulans ſe veteris legis præcepta ſeruare, ne qui fideles, ex Iudæis facti fuerant, ſuſceptam veritatis notitiam, ſcandaliſati negarent.

16. Nec magis indulgetur diſpenſatio, aduerſus ea, quæ à Prophetis, Euangeliſtis, aut Apoſtolis, cauta fuere, quia vt ait *Vrbanus in can. ſunt quidam 25 quæſt. 1.* ſummus Pontifex, ibi nouas leges condere debet, vbi Euangeliſtæ, aut Prophetæ, nihil dixerunt, alioquin errare conuincetur, non ſententiam dicere, ſi ea quæ docuerint, Prophetæ, Apoſtoli, vel Euangeliſtæ, deſtruat.

17. Sed neque aduerſus ea, quæ à quatuor Generalibus Conciliis, definita fuere, diſpenſari poſſe à ſummo Pontifice, ſcripſit *gloſſa ad canonem requiritis* §. *niſi rigor. 1. quæſt. 7.* ſubiecta ratione, petita ex *can. ſicut diſtinct. 15.* vbi dicitur, eadem veneratione proſequenda, huiuſmodi Concilia, qua proſequimur, ſacra Euangelia, itemque Prophetarum, & Apoſtolorum decreta.

18. A cæteris autem, iuris Pontificij partibus, quod poſitiuum vocant, diſpenſat S. P. vt ſcripſerunt *Innocent ad d. capit. cum monaſterium de ſtatu monach. & Panormit. ad capit. diuerſis de cler. non reſid.* maxime vero diſpenſat ab illis, quæ alij Pontifices conſtituerunt, quia vt ait *Alexander in cap. innotuit 20. de elect. apud Greg.* non potuerunt diſpenſandi facultatem adimere ſucceſſoribus ſuis, eadem poteſtate fungentibus, & generaliter, aduerſus ea, quæ poſitiuo iure, vt appellant, inducta fuere, diſpenſationis concedendæ, facultatem habet, ſummus Pontifex.

19. Nec tamen diſpenſatio, vel ſpecialis derogatio, à ſummo Pontifice conceſſa, admittitur aduerſus ea, quæ priuatorum fundationibus cauta fuerunt, poſtquam enim, vel ſummi Pontificis, vel ordinarij auctoritate probatæ fuerint, & confirmatæ, priuatorum fundationes, iuris publici vim, & auctoritatem obtinent, cui nullo modo derogari poteſt, vt patet ex *art. 40. libert. Eccleſ. Gall. qua Petrum Pithæum collectorem habent, & cap. 23. probationum ad eaſd. m num. 16. & 49.*

20. Sed & multo minus, diſpenſare poſſunt, aduerſus priuatorum fundationes, quam cæteris iuris poſitiui partibus, quibus ſummum Pontificem, derogare poſſe conſtat, vnde ſi ſummus Pontifex, legibus in fundatione dictis, aliquid detrahere voluerit, vel earum veniam dare, locus fiet appellationi tanquam ab abuſu, ab executione reſcripti Apoſtolici, cuius remedio, ſua fundationi reddetur auctoritas, illudque obſeruari ſolet, in ſupremis regni tribunalibus.

21. Sed nec concordatis, vel conuentionibus, inter ſummos Pontifices, & Reges noſtros habitis derogare poteſt, vt probatur *art. 57. collectionis libert. Petri Pithæi & num. 33. cap. 23. probat. ad eaſdem libertates*, quia vt notauit *Ioannes Dayma in comment. ad concord. tit. de elect. & reg. ad præl. nominat. fol 255. col. 2. & ſeq.* contractus vicem obtinent concordata, quorum pactionibus, principes, non leuiori vinculo colligantur, quam cæteri priuati, aut contrahentes, imo fortiori, vt probant doctores, argumento *legis donationes cod. de don. inter vir. & vx.*

22. Et ex eo eſt, quod cum Innocentius X. ſummus Pontifex, Ioanni *Degeſt* ſimplici clerico, cui aderat *Iacobus Montolonius*, Theologalem præbendam Eccleſiæ Tholoſonæ, ex reſignatione *N. Touſin* vltimi, & immediati poſſeſſoris pacifici conceſſiſſet, ea demum conditione, & venia vt intra annum, doctoratus gradum, in ſacra Theologia ſecundum legem concordatorum obtineret, & *Carolus Martellus*, cuius defenſionem ſubierat *Carolus Seuin*, eamdem præbendam obtinuiſſet, tanquam morte vltimi poſſeſſoris vacantem, & per incapacitatem Pontificij candidati, vtque titulum, & ius ſibi quæſitum obfirmaret, à reſcripti Pontificij executione, tanquam ab abuſu prouocaſſet, cauſâ in publico ſenatus auditorio peractâ, *Audemarus Taleus Martelli*, querelæ & prouocationi ſuffragium præſtitit, ex quo decreuit ſenatus die 27. Aprilis anni 1651. poteſtate abuſum ſummum Pontificem, dictumque Martellum, in poſſeſſione pacifica Theologalis præbendę, ſeruari iuſſit.

23. Sed & in illis omnibus, iuris poſitiui articulis, in quibus pleniſſima, diſpenſandi

Digitized by Google

facultas ſummo Pontifici, conceſſa eſſe intelligitur, obſeruandum eſt, non ea promiſcuè vti debere, ſed attentis ipſis, rerum, & perſonarum conditionibus, *cauſa cognita*, vt aiunt interpretes, & innuit noſtra definitio iiſdem verbis expreſſa, alioquin diſſipatio diceretur, non diſpenſatio, quæ iuri communi vulnus, ſine medela inferret, vt dicitur in *can. ipſa pietas 23. quæſt. 4. in fine.*

24. Sed enim in diſpenſatione, ſi ſolum nominis ſonum attendamus, nobis efficiet, vel diuerſa, vel diſcrete penſandum, dum diſpenſatio conceditur, quod probare videtur, clariſſimum ſedis Apoſtolicæ lumen, *Innocentius IV. in cap. quanto de iure iur.* dum Romanæ Aulæ ſectatoribus, poteſtatem Apoſtolicam, in diſpenſationibus, nimium efferentibus, reſpondet ſummum Pontificem, quælibet poſſe, claue tamen diſcretionis præcedente, & alteri, quæ poteſtatis dicitur, viam quodammodo pandente, & aperiente.

25. Nam & illud pluribus probat, & exequitur *Diuus Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium Papam cap.* 10. dum ſibimet interroganti, ita reſpondet, *quid, inquis, prohibes diſpenſare, non, ſed diſsipare, non ſum tam rudis, vt ignorem, vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem, denique quæritur, inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur, vbi neceſsitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt, vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt, vtilitas dico, communis, non propria, nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio eſt, ſed crudelis diſsipatio eſt.*

26. Cæterum & ipſi Epiſcopi diſpenſant, in ſua diœceſi, ſed in his tantum caſibus, qui ſpecialiter iure ſunt expreſſi, quia in partē tantum ſollicitudinis vocati, non in plenitudinem poteſtatis, atque ita, defectus natalium, gratiam faciunt, non omnibus, ſed illis tantum, qui ad minores ordines promouentur, quiue deſiderant, obtinere beneficia, quibus animarum cura non eſt annexa *cap. 1. de filiis presb. non ordin. in 6.*

27. Quin etiam illis, qui ſtudiis dant operam, concedunt veniam, promotionis ad ſacerdotium differendæ, vſque ad ſeptennium, licet beneficium habeant, cui ſacerdotalis caracter eſt neceſſarius, ſicuti ex eadem ſtudiorum cauſa, reſidendi neceſſitate liberant eos, quibus collata ſunt beneficia, curam animarum annexam habentia, *cap. cum ex eo 34. §. ſuper hoc de elect. in 6.*

28. Sed & ex aliis, pluribus cauſis, in iure probatis, eadem reſidendi neceſſitate abſoluunt, *capit. relatum 4. de cler. non reſid.* quod ita obtinet, in quibuſlibet Eccleſiis, licet ſtatuto reſidendi neceſſitas, ſit indicta, nam nec ſtatuta huiuſmodi obſtant, quin miniſterium præſtantes ſummo Pontifici, reſidendi neceſſitate ſoluantur, & fructus maiores, beneficiorum ſuorum percipiant, *cap. cum dilectus de cler. non reſid.*

29. Verum & illud, in gratiam eorum, qui ſunt in Epiſcopi comitatu, à ſenatu Pariſienſi iudicatum eſt, 18. Iunij anni 1587. decreto quod retulit *Ludouicus Charondas lib. 7. reſponſ. iuris cap.* 235. item & in gratiam abſentium propter ſtudia, abſque diſpenſatione, aut venia, anno 1583. contra canonicos ſancti Petri Laudunenſis, quamuis ſtatio, in talibus Eccleſiis, ſpeciali ſtatuto indicta, & confirmata fuiſſet.

30. Sic nec etiam ſpeciale ſtatutum, reſidentiam indicens, obeſſe poteſt, quin Epiſcopus, ex cauſa ſtudiorum, vel alia iure probata, reſidendi neceſſitate abſoluat, nec enim huiuſmodi ſtatutum, aut ſimile, ignorantiæ fundamentum eſſe poteſt, aut alterius defectus, excuſationem præbere, vt ſæpius admonuit Audemarus Talæus fiſci patronus, in præmittendis inquiſitionibus cauſarum in Triumuirali decuria, alias Parquetum vocant, & nuperrime, in cauſa *Ioannis Cramoiſi*, canonici Lucionenſis, cui reſidendi gratiam propter ſtudia Epiſcopus fecerat, contra canonicos eiuſdem Eccleſiæ, qui gratiæ, ſpeciale reſidendi ſtatutum opponebant.

31. Sicut enim illa diſpenſatio Epiſcopi, liberat ab illis, quæ generalibus Eccleſiæ decretis, ſunt requiſita, vt ſcripſit *Rebuff. de diſpenſat. ad plura benef. num. 30. & ſequenti*, veluti cum ex duobus beneficiis, vnum facit, *cap. ſicut vnire de exceſſ. præl.* contra id quod Toletano Concilio eſt prohibitum, in *cap. vnio* 10. *quæſt.* 3. aut cum beneficia, contra Turonenſe Concilium diuidit, *cap. vacante de præb.* & plura alia, contra iuris communis regulas exequitur.

32. Et ex eo etiam illud eſt, vt multo magis, diſpenſare poſſit ſummus Pontifex, vel etiam ordinarius à reſidendi neceſſitate, licet ſpeciali ſtatuto inducta ſit, quod vt ait *Panormitanus ad cap. cum dilectus de cler. non reſid.* diſponens de materia iuris communis, non obtinet in caſu, quod ipſum ius commune excipit.

33. Verum igitur, & illud ſequitur, abſentes ſtudiorum cauſa, non minus præſentes eſſe, in huiuſmodi ſtatutis ſpecialibus, quam in iure communi haberentur, cum nihil addant diſpoſitioni iuris communis, ſed tantum eius obſeruationem, ſpeciali ſtatuto inductam, firmiorem reddant, vnde non mirum, ſi idem ius obſeruetur, quod iure communi ſeruandum foret.

34. His

Digitized by Google

34. His adde gratiam in duello pugnanti clerico, recte indulgeri ab Epiſcopo, vt ſibi collata beneficia retineat, dummodo ex duello, mors, vel membrorum abſciſſio, ſequuta non fuerit, *cap. 1. de cler. pugn. in duello*, quibus addi poſſunt, plures alij caſus, quos colligunt *gloſſa ad can. requiritis §. niſi rigor. 1. quaſt. 7. Dur. in ſpeculo tit. de diſpenſat. §. de diſpenſat. Epiſcopi Angelus, & Silueſter in verbo diſpenſatio, & alij ſummarum auctores.*

35. Sed & inter eos caſus, illud quæri ſolet, vtrum Epiſcopi, ad plura beneficia diſpenſationem poſſint impertiri, cuius diſputationis arcem, conſtituerunt interpretes, in duobus textibus, qui ſibi inuicem, videntur aduerſari, ſcilicet, *can. ſanctorum diſtinct.* 70. qui deſumptus eſt, ex ſynodo Generali, Placentiæ habita, temporibus Vrbani II. S. P. & *cap. de multa de preb. in fine*, quod excerptum eſt, ex generali Lateranenſi Concilio, Innoc. III. temporibus congregato.

36. Namque in *dicto can. ſanctorum diſtinct.* 70. teſtatur Vrbanus, in diſpoſitione eſſe Epiſcopi, vnum diuerſis præficere eccleſiis, dictum vero *capit. de multa* generaliter ſtatuit, nullum pluribus, præfici poſſe eccleſiis, niſi ipſi, per ſedem Apoſtolicam diſpenſetur, quod pariter in Concilio Generali Lugdunenſi, temporibus Gregorij X. habito definitum eſt, vt patet ex *cap. ordinarij §. ſi vero de off. ordin. in 6.*

37. Verum vt huic diſſidio, concordiam afferant interpretes, alij aſſerunt *d. canoni ſanctorum*, & Placentinæ ſynodo, derogatum fuiſſe in hac parte, per poſterius Lateranenſe, & Lugdunenſe Concilium, alij vero, adhibendam diſtinctionem, inter ſimplicia beneficia, & ea, quæ dignitatem annexam habent, aut curam animarum, vt in ſimplicibus beneficiis cumulandis, Epiſcopi licite diſpenſare poſſint, in aliis vero, ſola ſedes Apoſtolica, veniam cumulandorum indulgere poſſit.

38. Et quidem illud pluribus tractat *Ioan. Quintinus in commentariis ad cap. de multa de preb. & dignit. in verbo per ſedem Apoſtolicam pag.* 51. eaque diſtinctio confirmatur, per *gloſſam capit. 6. de prebend. in 6. atque etiam per gloſſam cap. 1. de conſuet. eodem per Ioannem Andream, & gloſſam in capit. litteras de conceſſ. preb. gloſſam finalem in Clementina finali de preb.*

39. Sed ea diſtinctione admiſſa, fatendum eſt, per d. generale Concilium Lateranenſe, nouationem iuri veteri inductam fuiſſe, & detractum Placentinæ ſynodo, in *d. can. ſanctorum diſtinct.* 70. quæ diſpenſandi facultatem, etiam in pluribus beneficiis, curam animarum habentibus, vel dignitatem, Epiſcopis tribuebat, atque ita, hæc poſterior conciliandi ratio, in priorem recidere videtur.

40 Quin etiam inferiores prælati, veluti Abbates, perſonis ſibi ſubditis, plerumque indulgent diſpenſationes, in caſibus, quos ibidem Angelus, Silueſter, & Durandus collegerunt, nec tamen illi omnes, liberam habent diſpenſationis impertiendæ facultatem, ſed ita demum, ſi iuſta occurrat cauſa, quę illam tribuendam eſſe perſuadeat, de quo vos monet definitio præmiſſa, in verbis *cauſa cognita*, vt probauimus in ſummo Pontifice.

41. Verum enim, alia ratione procedens, diſſipatio erit, non diſpenſatio vt ſcribunt *Innocentius in cap. cum ad monaſterium de ſtatu monach. & Panormit. in cap. quia in tantum de preb.* ideoque is, cui diſpenſationis indulgendæ facultas competit, diſpenſare non debet, priuſquam cauſa diligenter examinata, attenderit, quid liceat, ſecundum æquitatem, quid ſecundum honeſtatem deceat, quidue ſecundum vtilitatem expediat, *cap. magna de voto, & voti redempt.*

42 Et in eo tamen, faciendam eſſe differentiam voluere, Romanæ Aulæ ſectatores, inter diſpenſationem, à ſummo Pontifice procedentem, & eam, quæ ab Epiſcopis locorumue ordinariis indulgetur, nam ſummum Pontificem; pro ea qua vtitur, de iure ſupra ius diſpenſandi facultate, *cap. propoſuit de conceſſ. preb* diſpenſationem etiam motu proprio, indulgere poſſe contendunt, nec diſpenſationem iuſtitiæ reſcriptum cenſeri, ſed meræ gratiæ quæ ab ipſo ſolo dependeat.

43. Nec enim rationem voluntatis ſuæ adnotari debere aſſerunt, ab eo, qui à nemine iudicari poteſt, *can. nemini 17. quæſt.* 4. vel ſi eam adnotare debeat, ſaltem nullam, in eam apud partes, quæſtionem fieri debere teſtantur, quod tamen apud nos, non vſquequaque admittitur, nec enim probantur diſpenſationes, niſi quæ, ad inſtantiam partis conceſſæ ſunt, vel ſi proprio motu procedant, non tamen indicta cauſa, vel ſaltem indiſcuſſa, diſpenſandi ratione, vt ſuprà admonuimus.

44. Et ad illud accedit *Tridentinæ ſynodi ſacra conſtitutio in ſeſſ.* 22. *de reformat. cap.* 5. vbi

Patres, diſpenſationum in partibus concedendarum, inquiſitionem, ipſis ordinariis, committendam eſſe voluere, verum etiam earum, quæ proprio motu procedunt, quarum cauſas, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati iudices, ſummarie, & extraiudicialiter, inquirere debent, num ſubreptionis, vel obreptionis vitio ſubiaceant, quidquid enim aliud iactatur, adulatorium eſt, vt nos admonuit *nouiſſimus commentarius ad collect. lib. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi art.* 42.

45. Sex autem cauſas, ex quibus dari ſolet diſpenſatio, enumerat *gloſſa ad can. requiritis* §. *niſi rigor.* 1. *quæſt.* 7. tempus, perſonam, pietatem, neceſſitatem, vtilitatem, & euentum rei, & primum temporis cauſa, diſpenſatio conceditur, quia vt ait, *can. vltimus diſtinct.* 14. multa, pro temporis neceſſitate, ſunt temperanda, cum temporis varietas, plerumque iuris varietatem expoſcat, quo caſu, tempori cedere, ſapientis eſſe, ait *Tullius lib.* 8. *epiſt. famil. epiſt.* 8.

46. Et ad illud recte, & eleganter dixit *Liuius lib.* 34. *Annalium leges ſunt mortales, & temporibus ipſis mutabiles, in pace latas, bellum abrogat, ſicut pax abrogat, in bello promulgatas, & vt in nauis adminiſtratione, alia in aduerſa tempeſtate, vſui ſunt, alia in ſecunda*, cum itaque Eccleſia, naui comparetur, cuius pars exterior, laicis remiſſa, nauis denominationem aſſumpſit, in eius adminiſtratione, vtræque leges ſunt accommodandæ.

47. Sed & huic concinit *Innocentius III. in cap. non debet* 34. *de conſang. & affinit. non debet*, inquit, *reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cum vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas, id expoſcit, quoniam ipſe Deus ex his quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo*, quod ſi pro temporis diuerſitate, leges prorſus abrogari conſueuerunt, multo magis derogari poterit illis, per diſpenſationem, alicui conceſſam, ratione temporis, *can. neceſſaria, & ſequenti* 1. *quæſtione* 7.

48 Sed & ſi nulla, temporis diuerſitas occurrat, perſonæ contemplatio, iuſtam diſpenſandi, occaſionem præſtare poteſt, nam vt in iure ciuili, Princeps alicui, ob meritum ſolet tribuere id, quod iure communi obtinere non potuiſſet, *lege* 1. *dig. de conſtit. princip.* ita iure Pontificio placuit, perſonis, vel generis nobilitate, vel eruditionis præſtantia enitentibus, quædam indulgeri, contra id, quod iure communi eſt conſtitutum.

49. Ecce enim nobilitatis fauor, & commendatio, diſpenſationis cauſam præſtare ſolet, cum aduerſus Concilij Lateranenſis decretum, plura poſſidere beneficia, ſublimibus perſonis, permittitur, *cap. de multa de præb.* vel cum in lege concordatorum Bononienſium, in fauorem eorumdem nobilium, tempus ſtudij quod ad minimum quiquenni ierat, ad triennium coarctatum eſt.

50. Verum circa hanc diſpenſandi rationem, illud prænotandum eſt, quamuis perſonarum fauor, plurima, contra iuris communis regulas, extorquere ſoleat, tamen gratiam perſonæ factam, non ſoli prodeſſe debere, ſed & Eccleſiæ vtilitati inſeruire, vt ſuperioribus exemplis patet, dum nobilibus, & ingenuis perſonis, ſtudij tempus, lege concordatorum coarctatum eſt, propter defenſionem, & tuitionem Eccleſiæ, à nobilibus firmius, & potentius ſuſcipiendam.

51. Sed & pietatis intuitus, iuſta eſt diſpenſationis tribuendæ occaſio, cum imperiti litterarum, vel corpore debiles, ad Clericatum per incuriam Epiſcoporum promoti, tolerantur, ne alioquin mendicare compellantur, *can. ſi qui* 1. *quæſt.* 7. vel cum Preſbitero, qui pugilem exhibuit, à quo alius fuit interemptus, ſummus Pontifex miſericordia motus, permittit beneficia ſibi collata retinere, *capit. ſecundo de Cleric. pugn. in duello.*

52. Sed tamen illud fruſtra quæreretur, in clerico, qui vim ſibi inferentem interemit, cum aliunde, ſuæ ſaluti conſulere non poſſet, nam poſt conſtitutionem, generalis Concilij Viennenſis, relatam in *cap. vnico de homicid. volunt. in Clement.* diſpenſationem obtinere non eſt neceſſe, quia cauetur ea lege, nullam irregularitatem, ea ratione perpetrari, nec tamen diſpenſationis, alius eſt effectus, quam ab irregularitate abſoluere, vt pluribus tractat *Durand. in ſpeculo parte* 1. *tit. de diſpenſatione.*

53. Pietati, ſiue miſericordiæ, ſuccedit neceſſitas, cui leges cedere ſcripſit *Appianus Alexander in lib. de bello Punico, lex enim temporis eſt, quæ naufragia iactu exonerat, & ruinis incendia opprimit*, ait, *Seneca* 4. *controuerſ. controu.* 4. illa igitur neceſſitas, iuſtam diſpenſationis concedendæ, occaſionem præſtat, *can. tali* 1. *quæſt.* 7.

54. Verum enim neceſſitatis contemplatione, datur Epiſcopo facultas derelinquendi

Digitized by Google

Epiſcopatum, quem obtinuit, vt ad alium, cui neceſſarius eſt, tranſmittatur, *can. mutationes* 7. *quæſt.* 1. neceſſitas id facit licitum, quod alioquin, iure communi, eſt interdictum, *cap.* 8. *de præb.* vnde Diuus Bernardus ibidem ait, *vbi neceſſitas vrget, excuſabilis eſt diſpenſatio.*

55. Nec vero Epiſcoporum tranſlatio, ſolius neceſſitatis intuitu, fieri dicitur, ſed etiam propter publicam vtilitatem, quæ & ipſa, neceſſitatem importat, vt conſtat, *ex d. can. mutationes* 1. *quæſt.* 7 nec eo ſolo exemplo probatur, propter publicam vtilitatem, indulgeri diſpenſationes, ſed etiam ex eo, quod ſcriptum eſt in *can. diſpenſationes in fine*, & *can. ſequenti* 1. *quæſt.* 7. propter vtilitatem Eccleſiæ, promoueri natos ex coniugio, inter raptorem & raptam contracto.

56. Nam & vtriuſque, neceſſitatis videlicet, & vtilitatis, eadem fere ſolet eſſe auctoritas, ad impetrandas contra ius commune diſpenſationes, cum eadem cauſa ſubſit vbique, & plerumque par vtriuſque ratio, vt conſtat, non tantum ex *d. can. mutationes*, ſed etiam ex *can. expoſuiſti* 33. *de præb. can. tali can. etſi* 1. *quæſt.* 7.

57. Verum enim, vtramque coniungit *Diuus Bernardus lib.* 3. *de conſideratione ad Eugenium Papam*, dum ait *cap.* 10. *vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt, vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis*, ſed id maxime notandum, quod ſubiicit ibidem D. Bernardus *vtilitas dico communis, non propria, nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſsipatio eſt.*

58. Sed & rei euentus, legitimam, diſpenſationis præbendæ, cauſam parit, vt id quod euenit, quodque factum eſt probetur, licet contra ius commune factum fuerit, exemplum præſtabit *can. exigunt* 1. *quæſt.* 7. in quo ſummus Pontifex non reſcindit, ſed auctoritate ſua confirmat, promotiones Epiſcoporum, qui ex laicorum ordine, ad Epiſcopatum, vno ſaltu peruenerant, quamuis id ius canonicum prohibeat, *can. monachos diſtinct.* 77. multa fieri prohibentur, quæ cum facta ſunt, obtinent roboris firmitatem, ait *Innocent. III. in cap. ad Apoſtolicam de regul. & tranſ. ad monaſt.*

59. Ex his igitur cauſis, diligenter inſpectis, & prius expunctis, indulgent diſpenſationem illi, quibus id iure permiſſum eſt, cuius diſpenſationis auctoritate ſubnixi, eodem iure fruuntur, ac illi, quibus iure communi eſt conſultum. Probatur exemplo eorum, quibus reſidendi gratia eſt facta, illi enim maiores beneficiorum fructus lucrantur, non minus quam reſidentes, dummodo ex cauſa probabili, eam obtinuerint facultatem, *cap.* 14. §. *vlt. de elect. in* 6.

60. Sed minores fructus, ad quos non pertinet diſpenſatio, minime conſequuntur, quia illos, præſentes tantum, & officio adſiſtentes, ſuis capiunt manibus, ob idque manuales appellantur *cap.* 16. *de verb. ſignif. & cap. vnico de cler. non reſid. in* 6. ideoque abſentibus, etiam ex cauſa iure probata, non præſtantur, vt conſtat exemplo eorum, qui miniſterium præſtantes, vel ſummo Pontifici, vel Epiſcopo, maiores fructus beneficiorum obtinent, non minus quam præſentes, minores vero non conſequuntur, *cap.* 14. *& ſequenti de cler. non reſid.*

61. His addendi, ſtudiorum cauſa profecti ad academias, quibus minores fructus denegantur, *cap.* 34. *de præb.* licet maiores conſequantur, ſtudiorum fauore, qui plurima extorſit, iure ciuili, quo receptum eſt, vt abſentes ſtudiorum cauſa, præſentium iure fruantur, *lege quæſitum* 78. *de leg.* 3. *lege ſeia* §. *Pamphila de inſtructo vel inſtrumen. leg.* etſi propter abſentiam, ſtudiorum cauſa deſcendentem, aliquod damnum paſſi fuerint, reſtitui poterunt in integrum *lege nec non* 26. *ex quib. cauſ. mai.*

62. At enim iure Pontificio, licet clerici, aſſidui eſſe debeant in Eccleſia, cui ſunt addicti, *can. conceſſo* 12. *quæſt.* 1. *can. generaliter* 16. *quæſt.* 1. ab aſſiduitate illa excuſantur, propter ſtudia quibus incumbunt, *cap relatum* 4. *de cler. non reſid cap. vlt. de mag.* dummodo ſtudeant in academia, vbi generale viget ſtudium, & ibi permaneant, ſtudiis nauantes operam, nam alio ſe tranſmittentes, aut diuagantes, eo iure vti non poſſunt, *cap.* 12. *de cler. non reſid.*

63. Et ex eo eſt, quod in pluribus Germaniæ Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, vſus ille inualuerit, ſtatutis earumdem Eccleſiarum obfirmatus, vt nouitij canonici, ſic enim appellantur, ſtudiis incumbentes, & operam daturi, in academias Galliæ celebres tranſmittantur, ibidem permanſuri per legitimum tempus, & cum eo rigore, vt abnoctare non ſit permiſſum.

64. Sed & continuæ, & permanentis aſſiduitatis, teſtes litteras, ab academia in qua ſtudiis vacauerint emiſſas, edere debent capitulo, dum ſtagio emanſo, præſentes ſe reddunt, ſtudiorum rationem reddituri, quod alias didici à canonico Spirenſi, ab academia

Digitized by Google

Bituricenſi, ad quam ſtudiorum cauſa, ex mandato capituli deuenerat, emigrante in ſuam prouinciam, & Eccleſiam.

65. Nec vero apud nos neceſſarium, vt abſentes ſtudiorum cauſa, petita S. P. vel Epiſcopi venia abfuerint, quam tamen exigunt, *cap. vlt. de mag. & cap. 4. de cler. non reſid.* ſicuti neceſſaria eſt, peregrinantibus, *can. non oportet diſtinct. 5. de conſecrat.* quibus dabantur commendatitiæ litteræ, alias formatæ, canonicæ, communicatoriæ, pacificæ, de quibus *Binius in notis ad vitam & decreta Sixti Pontificis, & Concil. Laod. can. 41. & 42. in tomo 1. Concil.* quæ eo magis neceſſariæ erant, quod voluntaria plerumque, & mere contingens erat peregrinandi occaſio.

66. Namque illud placuit, abſentibus ſtudiorum cauſa, ſufficere gratiam iure conceſſam, vel ſaltem à capitulo, vel collegio petitam licentiam, & ex ea, maiores beneficiorum fructus lucrari eos, qui ſtudiis dant operam, licet ſuperioris veniam non impetrauerint, quod *à gloſſa relatum ad cap. vlt. de mag. & Rebuff. in tractatu de diſpenſat.* confirmatum eſt à Senatu Pariſienſi, decreto quod retulit *Brodæus ad D. Louetium litt. A. num. 6.*

67. Sed & diſpenſationis quædam ſpecies, poſtulatio, quæ incapacibus, viam ad prælaturas pandit, eſt enim *poſtulatio perſonæ non idoneæ, ad dignitatem vacantem, ſuperiori facta præſentatio, vt tollat defectum, & cum poſtulato diſpenſet*, vnde & à *Goffrido Tranenſi in ſumma tit. de poſtulat. in decretal.* dicitur *gratiæ petitio* cum enim quis, eius eſt conditionis, & notæ, vt ad dignitatem Eccleſiaſticam, per viam ordinariam canonicæ inſtitutionis, euehi non poſſit, poſtulatione ſuperiori facta, admitti poteſt, vt patet ex *Rubrica & tit. per totum de poſtul. prel.*

68. Nec etiam omittenda, altera ratio, quæ incapaces, æque ac idoneos, ad dignitates Eccleſiaſticas, quodammodo intrudit, quæ eſt commenda, vel temporalis, vel perpetua, cum enim ab initio, idoneus, vel capax, regimini Eccleſiarum ſuſcipiendo, non ſe offerret, donec canonicæ collationi locus daretur, vacantem Eccleſiam idoneo clerico, regendam committebant ordinarij collatores, vel alij eorum locum ſubeuntes, vt capitulum ſede vacante, teſte *Panormitano in capit. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. Innon. num. 4.* eaque commenda ſex menſium curriculo claudebatur, *capit. nemo de elect. in 6.*

69. Sed quod introductum erat remedium, vt dignioris eligendi locus ſupereſſet, tandem peſſimæ corruptelæ locum præbuit, namque incapacibus, in perpetuam commendam, & cuſtodiam, Eccleſiæ regendæ, & adminiſtrandæ delatæ ſunt, de quibus infrà commodius dicturi ſumus in *proxima diſputatione ad verba definitionis beneficiariæ ad vitam concedendæ.*

70. Nec tamen illud omittendum, eam commendandi rationem, ita locum diſpenſationis ſubire, vt interim alia, non egeat fiduciarius perpetuus, maxime in iis, quæ ex beneficio commendato, proueniunt conditionibus, ſecus vero in iis, quæ ex ipſius fiduciarij perſona deſcendunt, in iis enim, noua diſpenſatione opus eſt, vt tollatur defectus, vt varie probant pragmatici, adeo vt reticentia illorum, ſubreptionem, & obreptionem inducere ſoleat.

Digitized by Google

AD VERBA
AD VITAM CONCEDENDA.

Perpetua debere eſſe beneficia, & ad vitam beneficiariorum, concedi oportere.

1. *Verba* ad vitam *ſignificare perpetua debere eſſe beneficia.*
2. *Vnde beneficia perpetua eſſe dicantur.*
3. *Feuda beneficia dicuntur, & perpetua ſunt.*
4. *Quid in codicillis Regiis militiarum, clauſula* tant qu'il nous plaira.
5. *Probatur in dote, & matrimonio, quamuis finiantur, eſſe perpetua.*
6. *Idem probatur in beneficiis, & ſimilitudo confirmatur.*
7. *Perpetua beneficiorum natura aſſeritur, & confirmatur.*
8. *Explicatur* can. ſanctorum diſtinct. 70.
9. *Vinculum ſpiritalis, & corporalis matrimonij confertur.*
10. *Eccleſiæ ſiue Cathedrales, ſiue quælibet aliæ, dicuntur vxores.*
11. *Probatur Euariſti epiſtolis, & Gelaſij II. SS. PP.*
12. *Quæ pœna transfugarum, & deſertorum clericorum.*
13. *Probatur pœna deſertorum, pluribus exemplis.*
14. *An qui perſecutionis cauſa, dimiſit Eccleſiam, ab eius vinculo ſoluatur.*
15. *Quid ſit incardinatio, & quantum differat ab intitulatione.*
16. *Origo commendarum, & temporalium, & perpetuarum inquiritur.*
17. *Commendæ temporalis natura explicatur.*
18. *Quo tempore claudatur, commenda temporalis.*
19. *Quæ natura hodiernæ, & perpetuæ commendæ.*
20. *Quæ incommoda, ex commendis perpetuis naſcantur.*
21. *Referuntur quædam, in condemnationem commendarum.*
22. *Quid Gallicana Eccleſia tentauerit, vt commendas euerteret.*
23. *Quæ ratio, commendarum perpetuarum vſum confirmet.*
24. *Vicariorum perpetuorum origo, in parochiis Benedictinorum.*
25. *Aliud obſeruatur in Præmonſtratenſibus, & cæteris D. Auguſtini regularibus.*
26. *Probatur differentia vtriuſque ordinis, Concilio Tridentino.*
27. *Præmonſtratenſium Prioratus ſunt manuales, & obedientiæ dicuntur.*

Digitized by Google

28. *Obedientiarum naturam, peruertere non poteſt ſummus Pontifex.*
29. *Probatur auctoritate & exemplo à Boëtio Epone relato.*
30. *Obedientiarum vſum & naturam, in Præmonſtratenſibus; firmarunt ſenatus Pariſienſis decreta.*
31. *Species decreti in id prolati proponitur.*
32. *Præmonſtratenſium Prioratus, non proprie beneficia.*
33. *Obedientiis Præmonſtratenſium, accedunt Præceptoriæ Melitenſium.*
34. *Præceptoriæ Melitenſes non ſunt perpetuæ, nec in titulum dantur.*
35. *Vnde denominatio commendarum, & commendatariorum Melitenſium.*
36. *Præceptoriæ Melitenſes, obedientię, item domus appellantur.*
37. *Tentatur Præfecturas, & Burſas ſcholaſticas, beneficia non eſſe.*
38. *Id firmatur ſenatuſconſulo curiæ Pariſienſis.*
39. *Quando Burſæ, & Præfecturæ ſcholaſticæ, beneficia cenſeantur.*
40. *Probatur decreto curiæ in capella Sagienſis collegij.*
41. *Vtrum adminiſtrationes Eccleſiaſticæ, ſint beneficia.*
42. *Diſtinctio perpetuarum, & temporalium adminiſtrationum probatur.*
43. *Tentatur verbis* ad vitam, *ſignificari ius beneficiorum vltra vitam non progredi.*
44. *Tentatur his verbis denotari, viuentibus beneficiariis auferri non poſſe beneficia.*
45. *Quid definitionis verba* concedenda *aut* conceſſa *denotent.*
46. *Status adquirendi beneficij, notat Clericum, debere eſſe idoneum.*
47. *Quid* concedendi *verbum ſignificet.*
48. Concedendi *verbum, conuenit collationi beneficiorum.*
49. *Conceſſionum ſiue collationum alię liberę, alię neceſſarię.*
50. *Conceſſionis nomen, conuenire diſpenſationibus probatur.*
51. *Separatur inſtitutionis nomen à collatione.*

1. SVCCEDVNT in definitione, verba illa *ad vitam concedenda*, quæ clerico beneficium, ſiue militiam cœleſtem, ad vitam concedendam eſſe demonſtrant, quæ nobis explicanda veniunt, & ex quibus patet illud præcipuum, beneficia ad certum tempus, conferri non poſſe, vt eo finito ab ipſis ordinatis, & intitulatis auferantur, ſed & in perpetuum conferri debere.

2. Et quidem illud ita inductum habemus, ſiue quod beneficiorum inſtitutiones, actus ſint legitimi, qui ſecundum vulgatam, in vtroque iure regulam, neque diem, neque conditionem recipere poſſunt, *lege actus dig. de reg. iur. cap. actus de reg. iur. in 6.* ſiue quod vt dicitur in *regula 16. eod. titulo*, beneficium principis decet eſſe manſurum, ita vt idem dicendum ſit, de reſcripto Apoſtolico, vel ordinarij collatoris, beneficium cónferente.

3. Et ex eo fluxit, vt feuda, quæ in libris feudorum, & beneficia & militiæ appellantur, perpetua dicantur, licet ad vitam concedi ſoleant, vt habetur in *iiſdem libris feudorum tit. quibus modis feudum amitt. in fine*, & militiæ, ſiue palatinæ, ſiue forenſes, & ad vitam militantium, & in perpetuum concedantur, nec enim, vt docet *Papinianus in lege iuriſperitos dig. de excuſat. tut. honos delatus, finem certi temporis, aut loci habere ſolet.*

4. Sed & illud apud nos, obſeruari manifeſtum eſt, licet enim Reges noſtri, militiarum codicillis Regiis, hanc clauſulam addere ſoleant, *tant qu'il nous plaira*, viuentibus tamen militibus, non ſolent auferri, & hæc clauſula, ad arbitrium ipſius principis, tanquam boni viri reducitur, vt ſæpius in iure iactatur, & explicat Abbas *Panormitanus ad capit. verum de foro compet. num. 6. & Ioannes Bodinus Andegauenſis lib. 4. republica cap. 4* quod & apud nos, iure communiter recepto obſeruatur.

5. Nec vero aliud ſonant, in ipſa definitione verba illa *ad vitam concedenda* quam in perpetuum conferenda eſſe beneficia, ſicut in *lege 1. dig. de iure dot.* cum dicitur, dotis cauſam eſſe perpetuam, eam loquendi formulam, ſic explicant iureconſulti, vt perpetuam

eſſe velint, quod eo voto confertur, vt ſemper maneat apud maritum, quamuis pluribus ex cauſis in iure probatis, à marito repeti poſſit, vxori reſtituenda, quæ licet ſæpius occurrant, non ideo minus, & dotis cauſa dicitur eſſe perpetua, & matrimonium à iureconſulto definitur, indiuiduæ vitæ ſocietas, propter ſolemne votum contrahentium.

6. Et eadem ratione, in beneficiis de quibus agimus, licet plures in iure canonico caſus enumerentur quibus vacare ſoleant, & amitti, de quibus infra, in verbis definitionis noſtræ *canonica inſtitutione conceſſa*, nec tamen perpetua eſſe deſinunt, quia & collatoris, & eius cui confertur, ea mens fuit, vt perpetuo maneret apud inſtitutum, ſicut & ipſorum fundatorum mens, & animus, vt perpetuo, per clericos Eccleſia regeretur, qua ratione, & perpetua dici poſſunt beneficia.

7. Nunc igitur præcipua beneficiorum natura hæc eſt, vt ſint perpetua, vt clericis in perpetuum, ſiue ad vitam, regenda committantur, *capit. vnico iuncta gloſſa in verbo perpetuis de cap. monach. in 6. can. præcepta diſtinct. 55. can. ſatis peruerſum diſtinct. 56. can. ſanctorum diſtinct. 70. capit. veniens de fil. presbit.* vbi ne quidem paternæ ſucceſſionis vitium, ordinationem, & beneficiariam inſtitutionem filij, à ſciente factam, quodammodo remoratur.

8. Sed & illud adeo verum eſt, perpetua eſſe debere beneficia, vt ex *d. can. ſanctorum* qui deſumptus eſt, ex ſynodo Placentiæ habita, temporibus Vrbani II. conſtet euidentius, nullum poſſe ordinari in clericum, quin ſtatim miniſterio alicuius Eccleſiæ deputetur, cui intitulari neceſſe eſt, vt in ea perpetuo perſeueret, ita vt ab illa, ad aliam emigrare non poſſit, quod pariter confirmauerunt *Tridentini Patres in ſeſſ. 23. de reformat. cap* 16.

9. Nec enim leuius eſt, imo fortius, vel ipſo *Lupo Ferrarienſi Abbate teſtante, in epiſt. 29.* inter clericum, & Eccleſiam cui addictus eſt, ſocietatis vinculum, quam inter coniuges, *capit. inter corporalia de tranſl. epiſcop.* quod pariter confirmat *Philippus Probus in additionibus ad Ioannis Monachi gloſſam vulgo auream dictam in capit. vlt. de procurat. in 6.* vbi quod dicitur in *d. capitulo* de matrimonio corporali, ad matrimonij ſpiritalis vinculum, ampliari poſſe teſtatur, *ibidem Probus.*

10. Et eo quidem vinculo, non ſolum alligantur Epiſcopi, cæterique maioribus Eccleſiis deputati, qui Eccleſias ſuas, tanquam vxores agnoſcunt, quæ & iiſdem mortuis viduatę dicuntur, *cap. ne pro defectu de elect. capit. quia ſæpe in verbo vacantibus eod. in 6.* ſed etiam cæteri, minoribus adſcripti miniſteriis Clerici, & Eccleſiis, *can. Apoſtolorum 15. can. non oportet can. ſi quis presbiter 7. quæſt.* 1. ita vt ipſi, ſuis Eccleſiis ſe ſubtrahere non poſſint.

11. Sed & illud Caliſtus Papa, epiſtola quam omnibus Galliarum Epiſcopis tranſmiſit, relata in *can. ſicut 7. quæſt.* 1. vt & Euariſtus in ſimili epiſtola, quam omnibus Epiſcopis inſcripſit, eiuſdem matrimonij corporalis exemplo comprobant, nec-non auctoritate Apoſtoli dicentis, Eccleſiam viuenti Epiſcopo, tanquam viro, & veluti lege maritali alligatam, quæ non niſi mortuo eodem ſoluitur, ita vt ſicut ad alium transferri non poteſt, ſic nec ipſe ad aliam tranſire valeat.

12. Verum enim, ſi quis clericus, temerario auſu, veterem Eccleſiam, ſeu ſponſam dimiſiſſet, vt nouæ adhæreret, non tantum, à nouæ Eccleſiæ miniſterio abſtrahebatur, vt patet ex *can. Apoſtolorum 15. Antiocheni Concilij can. 3. & 21. Nicæni cap.* 16. ſed etiam, ad priorem Eccleſiam redire, maioris excommunicationis incuſſo fulmine, compellebatur.

13. Et ob eam cauſam, Raguemodus Pariſienſis Epiſcopus, Theodulphum, eiuſdem Eccleſiæ Diaconum, ad Andegauenſem Eccleſiam tranſmigrantem, excommunicauit, donec prioris Eccleſiæ gremio redderetur, referente *Greg. Turonenſi lib. 1. hiſtor. cap.* 14. ita Frotarium, in Archiepiſcopum Burdegalenſem primum ordinatum, & licet à Normannis expulſus, in Archiepiſcopum Bituricenſem, Carolo Caluo Francorum Rege procurante, atque etiam auctoritate Ioannis VIII. ſummi Pontificis, promotus fuiſſet, ſynodi Trecenſis Patres depoſuerunt, teſte fideliſſimo illo rerum Gallicarum obſeruatore *Præſide Falcetio in Carolo Caluo.*

14. Quamuis enim, ipſius perſecuſſionis vitandæ occaſio, priorem Eccleſiam dimittendi, locum præſtet, ab ipſius vinculo nullatenus ſoluitur, qui dimiſit, vnde ne interim in vinea domini excolenda, Epiſcopus ſtet tota die otioſus, vacans Eccleſia ſolebat committi, ad tempus regenda, cui nullo modo intitulabatur, tranſlationis iure, ſiue in perpetuum, ſed tantum incardinabatur, vt loquuntur antiqui canones, & præſertim *can. fraternitatem diſtinct. 71. can. Paſtoralis 47. cauſa 7. quæſt. 1. can. finalis 21. quæſt.* 1.

15. Et certe vacantis Eccleſiæ, interim Cardinalis ſacerdos creabatur, Prioris Eccleſiæ

Digitized by Google

remanente titulo, & poſterioris tantum commenda, ſiue depoſitum credebatur, vt conſtat ex *can. qui plures 21. quæſt. 1.* vt pacatis temporibus, & quiete reddita, veteris Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſciperet, dimiſſa cuſtodia, ſiue commenda poſterioris Eccleſiæ, quam nec animo domini, nec mariti, amplecti debuit, ſed tantum cuſtodis, vel commendatarij.

16. Et inde commendarum, ipſorumque coadiutorum, atque œconomorum, plures originem deduxere, quam Leoni IV. ſummo Pontifici tribuit clariſſimus curiæ Pariſienſis ſenator *Arnulphus Ruſaus in tractatu de commendis*, ſed id intelligendum de perpetuis quæ tamen, contra mentem auctoris irrepſiſſe, animaduertit *Franciſcus Florens in tit. decretal. de tranſlat. epiſc. pag. 266. & ſequent.* nam temporalium, antiquiora prodeunt veſtigia, etiam à temporibus D. Greg. ex cuius epiſtolis, deſumpti ſupra laudati canones.

17. Verum enim quod ſummo Eccleſiæ commodo, & vtilitati, accommodatum fuerat remedium, ambitio & auaritia, in diſpendium eiuſdem induxerunt, tunc enim illa Eccleſiarum commendatio, depoſiti naturam redolens, temporaria, & quaſi precaria, concedentis voluntate contraria extinguebatur, nec vllum ius, in Eccleſia commendata, fiduciario adquirebat, ſed tantum quaſi procuratori, adminiſtrandi facultatem transferebat, cum neceſſitate reddendarum rationum, fructuumque futuro ſucceſſori reſeruandorum, *cap. 4. de off. iud. ordin.*

18. Sed & illud, in omnibus beneficiis obſeruabatur, veluti Epiſcopatibus, *can. obitum can. Catinenſis diſtinct. 61.* præbendis Cathedralium Eccleſiarum, *cap. 12. de accuſat.* Eccleſiis parochialibus, *cap. nemo de elect. in 6.* hac tamen differentia admiſſa, vt Eccleſiarum Cathedralium commenda, non niſi anni vnius lapſu exſpiraret, *cap. cum vos 4. de off. ordin.* Eccleſiarum vero parochialium, ſemeſtri tempore clauderetur, *d. capit. nemo 15. de elect. in 6.*

19. Nunc vero, & vt hodie obſeruatur, non tantum beneficiorum commendationes, ſiue fiduciæ, ſunt perpetuæ, fiduciariis in perpetuum, & ad vitam creditæ, & canonicum titulum imitantur, tranſlata in fiduciarium omni adminiſtratione, tum ſpiritali, tum temporali, ipſumque procuratorem, quaſi in re propria conſtituunt, ſed etiam immoderatus illarum vſus, Eccleſiæ ſtatutum omnino perturbauit, & ordinem peruertit.

20. Nec enim tantum, pluralitatem beneficiorum, Turonenſi & Lateranenſi Conciliis damnatam, hoc colore induxit, quod liceat, alteram Eccleſiam poſſidere in titulum, alteram in commendam, *d. can. qui plures 21. quæſt. 1.* ſed etiam, beneficiorum primæuum ſtatutum, ſacris Eccleſiæ canonibus obfirmatum in eo, vt certæ conditionis, qualitatis, & ordinis Clericis addicerentur, omni ex parte commutauit.

21. Verum enim hoc commento, regularia beneficia, ſecularibus commendantur, ſacerdotalia, ſimplicibus clericis, vt vere *Duarenus in tractatu de ſacris Eccleſ. miniſt. lib. 5. cap. 7.* fiduciarios beneficiorum, aliàs commendatarios, fucatos diſſipatores appellet, in quorum condemnationem, videndum, & diligenter excutiendum, quod habetur in *cap. 36. probat. ad lib. Eccleſ. Gall. art. 38. & notam ibi ſubiectam cum fragmento epiſtolæ Iacobi Picolominei Cardinalis Papienſis*, qui licet lateralis ſummi Pontificis, non potuit ſibi cohibere, quin fiduciarum vſum condemnaret.

22. Et ea de cauſa, tot tantæque Gallicanæ Eccleſiæ, querelæ ſubortæ ſunt, & Regibus noſtris factæ ſupplicationes, quibus commendarum vſum, totis viribus auellere conata eſt, quas quidem refert *Renatus Chop. in tract. monaſt. lib. 1. cap. 1. num. 14. & eiuſdem lib. 11. cap. 2. num. 3. & Vidus Conchilius in poſthuma reformat. & lib. Eccleſ. Gall. collectione*, ſed vterque id tantum habet, vt doleat non admiſſas, nec exauditas, Gallicanæ Eccleſiæ querelas.

23. Hæc itaque ſola ratio, hodiernum commendarum vſum, approbare poteſt, quod ſicut in iure ciuili, temporales filij non admittuntur, *lege quæſitum dig. de adopt.* ſic nec eccleſia temporales clericos, aut conductitios habere debeat, illi enim animo Domini non vtentes, nec diligentiſſimi Patrisfamilias curam adhibent, nec Paſtoris fidem dominico gregi impendunt, ſed tantum mercenarij, & conductitij incuriam, vt tanquam Virgiliani Paſtores, & alieni, oues bis in hora emulgeant, vnde ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

24. Et ex eo fluxit, quod cum in Lateranenſi Concilio, temporibus Alexandri III. habito, regulares ſancti Benedicti, parochialium eccleſiarum, ſuis monaſteriis vnitarum, regimem à ſe abdicaſſent, vt in illis ſæculares clericos, inſtituendos præſentarent, qui curam animarum, ab illis dimiſſam ſuſciperent, eodem Concilio, & poſterioribus pleriſque,

adempta

Digitized by Google

adempta eſt illis libertas, quâ abutentes, plerumque eiuſmodi clericos ad nutum amouebant, ſtatutumque, vt perpetua ipſis cura demandaretur, nec reuocari poſſent, niſi à diœceſanis Epiſcopis, cauſâ diligenter approbata, *cap. 3 de offic. ordin. cap. 1. & 2. de cap. monach. cap. vnico eod. in 6.* & exinde vicariorum perpetuorum nomen ſortiti ſunt.

25. Nec tamen idem obſeruatum fuit, in Præmonſtratenſibus, cæteriſque D. Auguſtini canonicis regularibus, quos ideo *gloſſa in d. cap. vnico de cap. monach. in 6.* excipit cum aliis regularibus, quos humiliatos appellat, quamuis enim Præmonſtratenſes, in prioratibus curam animarum habentibus, collegiis ſuis, & monaſteriis vnitis deputentur, vt ibi curam animarum exerceant, tamen conſtat, ex priuilegiis, huic ordini conceſſis, ad nutum ſuperiorum, libere poſſe reuocari.

26. Sed & illud adeo verum eſt, vt & in *Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 11. de regul.* comprobatum ſit, vbi id ſolum Epiſcopis, locorume ordinariis, indulgent Tridentini Patres, vt ad nutum amouibiles non deputentur, niſi eorum præuio examine, & ſcrutinio, in mores, & qualitates, ab ordinariis habito, propter curam animarum, & ſacramentorum adminiſtrationem, iiſdem demandatam, quarum ratione, Epiſcoporum iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni ſubſunt, vt dicitur in *d. cap. 11. Concilij Tridentini.*

27. Nec enim ea beneficia, perpetua ſunt, ſed manualia dicuntur, *à Rebuffo in praxi beneficiaria tit. de diſpenſat. cum reg. num. 41. & ſeq. & in tract. de pacif. poſſeſſ. num. 273.* quod de manu, in manum facillime tranſeant, & ab antiqui iuris obſeruatoribus, obedientiæ appellantur, atque etiam illi, qui deſeruiendis huiuſmodi beneficiis deputantur, obedientiarij, vt notat *Sirmundus ad epiſtolas Goffridi Vindocinenſis abbatis lib. 4. epiſt. epiſt. 7.* quam quidem loquendi formulam, vſurpauit ipſe *Innocentius III. in cap. cum ad monaſterium §. talis de ſtatu monach.* dum ait, *nemini obedientiam committi poſſe, perpetuo poſſidendam, quaſi in ſua ſibi vita locetur.*

28. Verum & illud obſeruandum eſt, quod in *d. cap. cum ad monaſterium & cap. porrecta de confirmat. vt. vel inut.* notat idem Innocentius, vt naturam, huiuſmodi beneficiorum confirmet, ne quidem S. P. auctoritate, obedientias, ſiue manualia beneficia, perpetua fieri poſſe, licet idem Pontifices ſummi, beneficia, quæ ex ſua natura perpetua ſunt, poſſint ad tempus conferre, vt patet ex *capit. ſi gratioſe de reſcript. in 6.* hæc enim huiuſmodi beneficiorum, ſiue obedientiarum natura, ſacris canonibus, nec non regulis monaſteriorum, & fundationibus obfirmata, quam nec ipſi conuellere poſſunt.

29. Nec vero illa prohibitio, ſacris Innocentij III. decretalibus epiſtolis indicta, abuſum obedientiarum, in perpetuum commendandarum, expungere potuit, adeo vt ſuis temporibus liberius graſſantem, queratur *Boetius Epo in tract. de reg. & iure princip. in benef. num.* 287. ſeque conſultum à quodam, fœditatem, & illiberalitatem harum conceſſionum indicaſſe, & admonuiſſe, in priſtinum vſum reuocandas, à ſuperioris voluntate, pendentem, ſed tamen ſequiorem vſum, commendarum temporalium, in perpetuas tranſitus inuexit.

30. Et tamen ille obedientiarum vſus, quamuis veteribus Eccleſiæ decretis inductus, à diœceſanis Epiſcopis, ægre receptus eſt, eorumque animum ita exacerbauit, in Præmonſtratenſes, vt Sagienſis Epiſcopus, conceſſionem obedientiæ, quæ vocabatur *du repos*, in ſua diœceſi deſeruiri ſolitæ, fratri *Iacobo Merigon*, religioſo Præmonſtratenſi, à ſuperioribus factam, totis viribus eneruare conatus ſit, vt eam perpetuam redderet.

31. Et eo quidem animo, motus Sagienſis Epiſcopus, cum à conceſſione obedientiæ, tanquam ab abuſu prouocaſſet, cauſâ in ſenatu Pariſienſi peroratâ, à ſolertiſſimo patrono Iacobo *Bataille*, qui Sagienſi Epiſcopo appellanti aderat, me vero priori & conuentui beatæ Mariæ Virginis de Silliaco, Præmonſtratenſis ordinis, patrocinium præbente, altera parte decreti, à ſenatu pronuntiati, die 7. Maij anni 1646. ipſe Sagienſis Epiſcopus, à petitione ſua, ſiue prouocatione ſubmotus eſt.

32. Nec tamen illud, quod obſeruari diximus, in Præmonſtratenſibus obedientiis, & aliis huiuſmodi, beneficiorum naturam, quam perpetuam eſſe debere oſtendimus, quodammodo impugnat, nec enim proprie ſunt beneficia, ſed meræ adminiſtrationes, regularibus creditæ, quarum tituli, perpetuo remanent penes ipſum collegium, ex regulis, & priuilegiis, ordini conceſſis, quæ videre eſt, in *collectione quæ ſub titulo Præmonſtratenſis bibliothecæ nouiſſime prodiit.*

33. Nec abs re fuerit, huiuſmodi beneficiis, commendas Melitenſes, ſiue Præceptorias ſubiungere, nec enim ſunt abſimiles, vt teſtatur Ioannes Quintinus ordini ſancti Ioannis Hieroſolimitani addictus miles, in commentariis quos edidit *ad capit. de multa de præb.*

Digitized by Google

imo vnam, eandemque naturam ſortiuntur, vt ipſemet docet, & vt infrà patebit euidentius.

34. Sed enim Pręceptorię, Baiuliæ, Prioratus, Caſtellaniæ, Hieroſolimitano ordini adſcriptæ (tot enim nominibus appellantur) militantibus in perpetuum, vel ad vitam conferuntur, ſed ad certum tempus, puta ad decem annos, vel aliud tempus, prout placuerit, magiſtro generali ordinis, vel conuentui, ex quorum voluntate, reuocari ſolent, & arbitrio.

35. Et ex eo eſt, quod illis milites, intitulari non dicuntur, ſicut alij quilibet clerici, ſed ipſis tantum commendantur, vel adminiſtrandæ creduntur, & ex eo commendarum, & milites commendatariorum nomen ſortiti ſunt, vulgari nomine, & frequentiori, *Commandeurs, Commanderies*, quibus dimiſſis, modo meliores reddiderint, aliæ, ex beneplacito magiſtri ordinis, & pinguiores vacantes ſubrogari poſſunt.

36. Quinimo idem *Quintinus in d. cap. de multa*, ex antiquioribus ordinis ſtatutis refert, Præceptorias Melitenſes, obedientias appellari, ſicut de Præmonſtratenſibus diximus, & ab *Innocent. III. S. P. in capit. cum deputati de iud.* quod plenius refertur in *cap. 1. ne cler. vel mon. in 3. compilat. decret.* Hieroſolimitanis militibus in Italia conſtitutis inſcripto, domus appellantur, ſicut in cæteris religioſis ordinibus, ex veteribus carthis, obſeruatum agnoſcimus, quarum titulus, & proprietas, penes ipſum collegium remanet.

37. Ad hæc quæri ſolet, vtrum Burſæ, vel Præfecturæ Scholaſticæ, quæ idiotiſmo noſtro Gallico, dicuntur *Bourſes ou Principautez de Colleges*, beneficiorum nomine veniant, & in perpetuum conferantur, ad quod reſponderi conſueuit, iure communi, neque beneficia æſtimari, neque in perpetuum conferri, vnde neque graduatis debentur, nec à ſummo Pontifice, in titulum conferri poſſunt, vt obſeruat *Rebuff. in tract. nominat. quaſt. 15. num. 20.*

38. Et quidem illud, ita verum eſſe teſtatur, *Renatus Chopinus lib. 1. de ſacr. polit tit. 5. num. 13.* vt ſenatuſconſulto Pariſienſi confirmatum probet, in cauſa quæ vertebatur, circa impetrationem, Præfecturæ collegij Burgundi, in academia Pariſienſi, quam vnus litigatorum *Gemelli* nomine, reſcripto in curia Romana emiſſo obtinuerat, tanquam vacans beneficium, à cuius executione, dum alter prouocaſſet, tanquam ab abuſu, iuſte prouocaſſe, pronunciauit ſenatus, die 21. Ianuarij anni 1562.

39 Attamen notat idem *Rebuffus in d. tractatu nominationum quaſt. 15. num. 21.* Burſas, ac Præfecturas collegiorum, dum in titulum conferuntur, clericali ordine inſignitis, beneficia cenſeri, & in perpetuum conferri, vt in Præfecturis & Eccleſiis Collegij ſancti Saluatoris, in ſuburbiis Montis-peſſulani, & ſanctæ Trinitatis Magalonenſis inſulæ, obſeruari docet idem Rebuffus.

40. Et ea de cauſa, hiſce poſtremis diebus, decreuit ſenatus Pariſienſis dum quæſtio verteretur, inter *Ioannem Duvallium* Preſbiterum, & capellanum in capella collegij Sagienſis ex permutatione canonica inſtitutum, cui *Ioannes Iſalli* patrocinium præbebat, prouocantem tanquam ab abuſu, ab impetratione eiuſdem capellæ, & *Michaelem Viel*, Preſbiterum, qui eamdem capellam, à Cancellario Vniuerſitatis Pariſienſis obtinuerat, cui & ipſe aderam, prædictum enim Duuallium, in poſſeſſione præmiſſæ capellæ, tanquam veri & formati beneficij, ſeruari iuſſit, decreto die 24. Aprilis anni 1651. pronunciato.

41. Succedit vt dicamus, de adminiſtrationibus Eccleſiaſticis, quarum aliæ perpetuæ ſunt, & beneficiis inſident, & cum illis vniuntur, & quodammodo intitulantur, ita vt, quaſi vnum corpus efficiant, vt in maioribus, & cathedralibus Eccleſiis, item in collegiatis Infirmarij, Cuſtodes, Oeconomi, Sacriſtæ, & aliæ ſimiles Eccleſiarum adminiſtrationes.

42. Verum enim illæ adminiſtrationes, cum canonicis in perpetuum conferuntur, eamdem naturam ſortiuntur, cum præbendis, quibus inſitæ ſunt, atque ita nihil vetat, beneficiis adnumerari, aliæ vero, ſunt adminiſtrationes mere temporales, quæ laicis vel etiam clericis, non in perpetuum, ſed ad tempus deferuntur, vt Operarij, Æditui *Maiſtres d'Geuures*, apud nos Matricularij *Marguilliers*, Sindici, & cæteræ aliæ adminiſtrationes, quæ nullo modo beneficiis conueniunt, cum ad vitam non concedantur, nec in perpetuum.

43. Non deſunt etiam, qui illis definitionis noſtræ verbis, *ad vitam concedenda*, illud, prænotari velint, ius, quo beneficiarij vtuntur in rebus Eccleſiaſticis, fructibuſque Eccleſiarum, ſicut nec quoslibet clericorum tractatus, circa res Eccleſiaſticas, vltra vitam eorum, progredi non poſſe, in quibus alij fructuariis, alij ſimplicibus vſuariis, beneficiarios aſſimilant, ſed de his fuſius egimus, *ad verba definitionis cum ſuo reditu, cap. 3. de iure quod in bonis Eccleſiaſticis, Eccleſia, vel perſonis Eccleſiaſticis competit,* vt nihil amplius deſiderari poſſit.

Digitized by Google

44 Sunt & alij, qui ex eo, quod beneficia ad vitam, & in perpetuum concedantur, concludi velint, non poſſe viuentibus, ac ſpirantibus beneficiatis, quemquam ſubſtitui, vel beneficia impetrari, aut concedi poſſe, antequam morte poſſeſſorum vacauerint, vt ſuprà de militiis Palatinis, & forenſibus diximus, ſed de his oportunius, *ad verba canonica inſtitutione conceſſa*, dum de beneficiorum impetratione eorumque cononica inſtitutione dicetur.

45. Reſtat, vt paululum inhæreamus, huic noſtræ definitionis particulæ, *concedenda* quæ collata, cum eiuſdem definitionis altero vocabulo *conceſſa*, quod ipſam definitionem claudit, nobis denotat, duplicem in beneficiis ſtatum conſiderari debere, adquirendi, & adquiſiti, prioribus enim verbis *concedenda*, quæ nunc explicanda veniunt, beneficij natura exponitur, in quantum clericis, eſt adipiſcendum beneficium, ſicut poſteriora definitionis verba, *conceſſa*, quæ poſtea explicabimus, nobis exhibent beneficium in ſtatu acquiſito.

46. Dum autem beneficium adquirendum dicimus, teſtamur clericum, qui beneficium vult adipiſci, eas debere in ſe habere qualitates, quas adquirendo beneficio neceſſarias eſſe diximus, de quibus ſatis ſuperque diſſeruimus *ad verba definitionis idoneo cap.* 1. *de qualitatibus ordinandis, vel beneficiandis neceſſariis*, iterumque probamus, collationibus beneficiorum, eas debere adeſſe conditiones, quæ canonicas efficiant, de quibus infra *ad verba canonica inſtitutione*, itaque ſolum id nobis ſupereſt, vt propoſito nobis ordini ſatisfacientes, conceſſionum naturam explicemus.

47. Concedendi autem verbum, generale eſt, & variam ſignificationem habet, apud criticos, ſeu nominales, quas omnes diſcutere, noſtri non eſt inſtituti, verum inter alias, hanc recipit, huic materiæ conuenientem, vt actionem liberioris voluntatis exercitam, denotet, *donari enim intelligitur. quod nullo cogente iure conceditur*, ait iureconſultus in *lege donari dig. de donat.*

48. Et illud maxime congruit, conceſſioni, ſiue collationi beneficiorum, quæ & libera, & ſpontanea eſſe debet, vt docet *Quintinus ad cap. de multa de præb.* dum beneficium generaliter ſumptum, definit, *id quod per actionem beneuolam, & ſpontaneam, datur alteri, & præſtatur vtiliter*, illæ enim ſunt præcipuæ, collationum conditiones, quæ donationis naturam ſapiunt, vt ſponte, & libere, ex integro & ſine vlla diminutione, gratis & abſque vlla mercedis pactione, peragantur.

49. Conceſſionum tamen, ſiue collationum, quædam ſunt quæ maiorem in ſe continent libertatem, aliæ vero quæ minorem, aliæ legibus, ſiue canonicis regulis alligantur, aliæ vero, ſummam redolent libertatem, nullis adſtrictæ legibus, aut ſacris conſtitutionibus, ex mera collatoris voluntate dependent, quæ in iure canonico diſpenſationes appellantur, de quibus in ſuperiori capite, & hæ propriam, ſibi conceſſionum denominationem vindicant.

50. Idem enim apud nos, conceſſionis, immunitatis, & priuilegij, nomen ſonat, quod patet ex ipſis militiarum Regiis codicillis, qui hanc vulgarem clauſulam continent, *aux libertez, conceſſions, priuileges & immunitez*, idque patet euidentius, ex ipſis iuris Pontificij fontibus, quæ enim, quodammodo ſunt neceſſariæ collationes, inſtitutiones dicuntur, de quibus in *tit. decret. de inſtit.* & ex ordine propoſito, commodius dicturi ſumus, *ad verba definitionis canonica inſtitutione.*

51. Sed hæ quæ liberiores ſunt, quæ nulla iuris canonici obſeruatione ligantur, conceſſiones appellantur, vt cum agitur, de præbendæ nondum vacantis conceſſione, in *rubricis de conceſſ. præb. & Eccleſ. nond. vac.* ſed & conceſſionis nomine, veniunt collationes, quæ inſtitutionibus oppoſitæ, ſummam in ſe continent libertatem, ſed de his omnibus infrà, & ſuo quoque ordine, plenius dicturi ſumus.

Digitized by Google

AD VERBA INSTITVTIONE.

De variis modis adquirendi beneficij.

1. *Ordo & ſeries huius tractatus, & cum præcedenti connexio.*
2. *Inſtitutio ſignificat inductionem in poſeſſionem.*
3. *Inſtitutionis ſic acceptæ nomen notatur, & traditur deſinitio.*
4. *Inſtitutio quomodo differat ab inueſtitura.*
5. *Probatur differentia iure canonico.*
6. *In beneficiis diſtinguitur cauſa poſeſſionis, & proprietatis.*
7. *Inueſtiturę deſinitio traditur.*
8. *Varię inueſtiturarum formæ, & modi.*
9. *Inueſtitura plerumque ſiebat per annulum, plerumque per virgam.*
10. *Inueſtiturarum defenſio proponitur.*
11. *Veſtigia inueſtiturarum moribus noſtris.*
12. *Per inueſtituram non transfertur poſeſſio, ſed per inſtitutionem.*
13. *Probatur differentia inter inſtitutionem, & inueſtituram.*
14. *Inſtitutio quemlibet titulum adquirendi beneficij continet.*
15. *Nuda traditio dominium non adquirit, in vtroque iure.*
16. *Beneficium abſque canonica inſtitutione adquiri non poteſt.*
17. *Varię inſtitutionum canonicarum ſpecies.*
18. *Inſtitutio generalem, & ſpecialem ſignificationem habet.*
19. *Proponitur ordo ſubſequentis diſputationis.*

1. IN ſuperiori capite, conceſſionum Eccleſiaſticarum, ſiue collationum, diximus alias eſſe liberas, quæ nullis iuris canonici vinculis aſtringuntur, alias eſſe neceſſarias, tum quod canonici iuris ſanctionibus reguntur, tum quod collatoris libertatem, quodammodo aſtringunt, & coarctant: de prioribus, quas diſpenſationes eſſe diximus, abunde diſceptatum eſt, in ſuperiori capite, *ad verba deſinitionis idoneo*, de neceſſariis nunc agendum, quæ generali inſtitutionis vocabulo, comprehenduntur.

2. Hæc enim inſtitutionis vox, ſiue nominis ſonum, ſiue veritatem attendamus, variam in ſe recipit ſignificationem, primum enim, veram, realem, ac corporalem, poſeſ-

Digitized by Google

ſionis beneficiariæ occupationem ſignificat, & ita dicitur *intus ſtatio* ſicut in iure ciuili poſſeſſio à poſitione pedum nomen habet *lege* 1. *dig. de adq. vel amitt. poſſ.*

3. Et de ea inſtitutionis ſpecie agitur *in rubrica & titulo de inſtit. apud Gregor.* ad quam Hoſtienſis reſpiciens inſtitutionem ſic acceptam definit *inductionem in corporalem poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem*, nec enim beneficia vere poſſideri intelliguntur, cum ſint ſpiritalia, ſed quaſi poſſideri, vt in iure ciuili res incorporeæ.

4. Nec tamen quidquid tentet *Hoſtienſis in ſumma tit. de inſtitut.* inſtitutio illa, ſiue inductio in poſſeſſionem, cum inueſtitura ipſius beneficij eſt confundenda, ea enim interuenit, inter vtramque differentia, quæ in iure ciuili animaduertitur, inter traditionem, ſiue proprietatis tranſlationem, aut dominij, & adquiſitionem poſſeſſionis.

5. Et illud patet, euidentius in libris feudorum *lib.* 1. *tit.* 1. §. *ſi vero Archiepiſcopus*, & *lib.* 4. *tit.* 15. vbi dicitur in feudis, quæ & beneficia appellari ſolent, adquirendis, inueſtituram præcedere, ſubſequi vero inductionem in poſſeſſionem, cui & conuenit § *finalis lib.* 2. *tit.* 7. vbi habetur eum qui inueſtituram fecerit, omnino teneri, poſſeſſionem transferre.

6. Quamuis enim beneficia ſint ſpiritalia, quamuis clericorum cœleſtis ſit militia, *can. Chriſtiani* 11. *quæſt.* 1. tamen in illis, quodammodo cauſa proprietatis, ſeparatur à cauſa poſſeſſionis, vt patet *ex rubricis de cauſ. poſſ. & propriet.* diſtinguitur, ſecundum interpretes iuris canonici, petitorium à poſſeſſorio, denique aliud eſt inueſtitura, aliud in poſſeſſionem inductio, ſiue inſtitutio, licet non ignorem vtrumque aliquando, inſtitutionis generali vocabulo appellari.

7. Inueſtitura itaque, eſt *translatio beneficij, ſymbolo interueniente facta*, videlicet per dationem libri, ſic enim Cancellarij inueſtituram fieri, docet *Innocentius III. lib.* 1. *epiſt epiſt.* 366. quod etiam in aliis beneficiis obtinere docet, *Yuo Carnot. epiſt.* 282. dum ait, per librum, Eccleſiam fratri Guilelmo Beccenſi Abbati, contuliſſe.

8. Sed & aliquando fiebat inueſtitura per annuli traditionem, cuius exempla exſtant in *capit.* 4. *de conceſſ. præb. & eccl. nond. vac. capit.* 3. *de his quæ fiunt à mai. parte capit capit. cum olim de ſent. & re iud. & apud Arnulphum Lexouienſem epiſt.* 20. & 21. quemadmodum olim hæres, & ſucceſſor, traditione annuli deſignabatur, vt obſeruat *Caſaubonus ad ſpartianum.*

9. Verum etiam inueſtitura fiebat per virgam, vt videre eſt apud *Sigebertum in chronico ad annum* 1067. Reges Angliæ, electos Eccleſiæ præſules, per virgam paſtoralem inueſtire ſolitos, quandoque per annulum, & virgam, *idem Sigebertus ad annum* 1111. Imperatores & Reges Francorum, Epiſcopatus, & Abbatias dediſſe, ipſamque Eccleſiaſticam inueſtituram, per virgam & annulum.

10. Et hunc quidem inueſtiendi modum, à Regibus noſtris obſeruatum, tanquam dominis poſſeſſionum, ipſis dignitatibus Eccleſiaſticis annexarum, deffendit *Goffridus Vindocinenſis Abbas in opuſculis tract.* 4. licet Vrbanus II. S. P. iiſdem temporibus, pluribus ſynodis, in id conuocatis, ac maxime in Claromontana ciuitate, in partibus Galliæ noſtræ, cui & Goffridus Abbas interfuerat, huiuſmodi inueſtituras, condemnare tentaſſet.

11. Sed & huius inueſtituræ ſolemnium, in profanis dominiorum adquiſitionibus, obſeruari ſolitorum, veſtigia quædam exſtant, in perſcriptis conſuetudinibus noſtris Gallicis, & maxime in *Laudunenſi art.* 126. vbi ſic habetur *veſture ſe fait par tradition d'vn petit baſton ou buchette*, & in *Inſulanenſi art.* 80. *par rain & baſton*, & pleriſque aliis.

12. Nec tamen per huiuſmodi inueſtituram, poſſeſſio beneficij adquiritur, ſed per inſtitutionem, ſiue inductionem in poſſeſſionem beneficij, quæ ipſius inueſtituræ, eſt veluti quædam executio, & officio ipſius Archidiaconi, iure communi incumbit, *cap. ad hæc cap. vt noſtrum de offic. archid.* cum inueſtitura, etiam laicis perſonis, puta Regibus noſtris, plerumque competat.

13. Et ea quidem differentia, inter inueſtituram, & inſtitutionem, probatur *cap.* 5. *de donat. apud Greg.* ſed clarius in *can. viſis* 16. *quæſt.* 2. vbi dicitur magis eſſe poſſeſſionem dare, quam inueſtituram concedere, tota enim rei vtilitas, verſatur in ipſa poſſeſſione, quæ per inſtitutionem adquiritur, non vero per inueſtituram, per quam, datur ſola diſpoſitio, & præparatio adquirendæ poſſeſſionis.

14. Hæc autem inſtitutionis denominatio, licet ſit iuris canonici, tamen noſtræ definitionis beneficiariæ verbis non conuenit, namque eſt alia, huius nominis vis, ac poteſtas, in eo vt quemlibet titulum, ſiue beneficij adquirendi modum, ſignificet, vel tradendi cauſam, & eo ſenſu dicitur in *cap.* 1. *de reg. iur. in* 6. beneficium Eccleſiaſticum, non

Digitized by Google

poſſe licite, ſine canonica inſtitutione obtineri, id eſt, canonico titulo non interueniente.

15. Nec enim ſola inductio, in realem, & corpoream poſſeſſionem, vel etiam inueſtitura, beneficium Eccleſiaſticum adquirit, aut tranſmittit, niſi præceſſerit titulus iuſtus, & canonicus, quemadmodum in iure ciuili, nuda traditio dominium transferre non poteſt, ſed ita, ſi iuſta cauſa præceſſerit, propterquam traditio ſequeretur, in *lege numquam nuda 31. dig. de adquir. rer. domin.*

16. Et certe, eadem eſt huius vocis ſignificatio, in *cap. cum ex iniuncto extra de hæret.* vbi habetur, tam inſtitutionem, quam deſtitutionem ſacerdotum, ad Epiſcopi officium pertinere, ſic in hac noſtra definitione, *beneficium ſiue cæleſtis militia canonica inſtitutione concedi dicitur*, id eſt titulo canonico interueniente obtineri.

17. At vero ſub eo inſtitutionis genere, plures ſpecies continentur, quæ ſparſim in iure canonico referuntur, & primùm occurrit electio, & ad eam confirmatio, quæ & aliquando, inſtitutionis nomine appellatur, poſtulatio, quæ ad electionem quodammodo accedit, Papæ prouiſio, ordinarij collatio, nominatio tum Regia, tum ſcholiaſtica, itemque patronorum præſentatio, & ad eam inſtitutio, ſiue admiſſio, aut approbatio à ſuperiore conceſſa, quæ ſpeciale nomen inſtitutionis ſibi aſſumit, vt infrà dicturi ſumus.

18. Eſt enim inſtitutio, vnum ex his iuris ciuilis, & canonici nominibus, quæ & generis, & ſpeciei nomen obtinent, vt adoptio, quæ diuiditur in adoptionem ſpecialiter ſumptam, & adrogationem, cognatio quæ cognationem, & agnationem, ſpecies habet, quod accidit penuria verborum, vt innuit iureconſultus in *lege 4. dig. de præſcript. verb.* plura enim ſunt negotia, quam vocabula, itaque ſingulæ canonicæ inſtitutionis ſpecies, breuiter pertractandæ ſunt.

19. Hic enim inſtitutionum canonicarum ſpecies percurrenti *ad hæc verba definitionis inſtitutione*, quæ nunc explicanda veniunt, mens, & animus in eo ſiſtitur, vt ex iis, quæ paſſim occurrunt, ad ſingularum explanationem, ea tantum, breui oratione delibem, quæ originem, & primam earum naturam explicent, cætera, quæ canonicam efficiunt, & iuris canonici regulis ſubiacere, euincunt, ad verba definitionis noſtræ *canonica*, quæ mox ſequentur reducturus, vt propoſito nobis ordini, ſemper ſuus locus illibatus ſeruetur.

---

§. PRIMVS.

De Electione.

1. *Origo electionum Eccleſiaſticarum traditur.*
2. *Confirmatur veteribus Eccleſiæ decretis.*
3. *Electionum traditio ab ipſis Apoſtolis, & exempla.*
4. *Quid χειροτονία, in Actis Apoſtolorum.*
5. *Quæ differentia inter χειροτονίας, & χειροθεσίας.*
6. *Confirmatur ius populi, in electionibus.*
7. *Confirmatur auctoritate Fulberti Carnotenſis Epiſcopi.*
8. *Quæ iura Regum noſtrorum in electionibus.*
9. *In quibus conſiſtant illa iura.*
10. *Prima electionis definitio proponitur.*
11. *Altera definitio traditur, & explicatur.*
12. *Poſtulatio, & tranſlatio, electionis nomine non continentur.*
13. *Poſtulationis, & tranſlationis, definitio traditur.*
14. *Remiſſio diſcuſſionis ſolemnium in electionibus, ad verba definitionis* Canonica.

1. PRima igitur, inter varias inſtitutionis ſpecies, nobis occurrit, electio, quæ antiquiſſimus, & vſitatiſſimus in Eccleſia conferendi modus, cum enim vt diximus ſupra, nemo ordinaretur abſolute, ſed relatiue ad Eccleſiam, ad titulum ciuitatis, vel

Digitized by Google

pagi, in martyrio, vel monaſterio, *can. neminem*, *can. ſanctorum diſtinct.* 70. per publicæ electionis modum, fiebat hæc ordinatio.

2. Et ex eo eſt, quod in ordine Romano facta fuerit mentio, veteris, & antiquioris formulæ, ſic conceptæ *eligimus te lectorem, vel ſubdiaconum, ad titulum ſanctæ Mariæ* cuius veſtigium exſtat, in *d. can. neminem diſtinct.* 70. in his verbis, *niſi mereatur publicæ ordinationis vocabulum*, id enim adnotarunt *Romani emendatores ad d. can. neminem diſtinct.* 70.

3. Huius autem ordinationis exemplum, ipſi Apoſtoli tradiderunt, poſterioribus ſæculis obſeruandum, dum *Act. cap.* 1. Diuum Mathiam, electionis ſuffragio, in ſacrum Collegium adſcripſerunt, & *cap.* 6. dum ſeptem diaconos, qui menſis præeſſent, communi conſenſu elegerunt, *cap.* 14. dum in ſingulis ciuitatibus, preſbiteros præfecerunt Paulus & Barnabas, qui curam animarum haberent.

4. Nam & huius vocationis ſiue inſtitutionis canonicæ formam, denotant ea verba, quibus vſus eſt D. Lucas χειροτονήσαντες, quæ electionem, per elationem manuum à plebe factam, ſignificant, quæ tunc erat eligendi forma, & ratio, dum ſpiritu ſancto cunctorum vota impellente, conſenſus indices manus, ſimul attollebant, & quaſi probandi cauſa applaudebant.

5. Hic enim ſumma eſt adhibenda differentia, inter χειροθεσίαν, id eſt manuum impoſitionem, ſiue conſecrationem, quæ à ſolis Apoſtolis fiebat, & hodie ab ipſis Epiſcopis, eorum ſucceſſoribus, & χειροτονίαν, quæ ipſam conſecrationem, præcedere debuit, vt confirmationem ipſa electio, vt mox dicemus, ſed in eo potiſſimum, vt prior functionem ordinis, & exercendi facultatem inferat, poſterior vero, ſegregationem quamdam perſonæ, & functionis concedendæ diſpoſitionem, & veluti præparationem quamdam.

6. Hoc autem ius populi in electionibus, diu comprobauit Eccleſia, vt videre eſt apud diuum *Cyprianum epiſt.* 68. *ad clerum, & plebes in Hiſpania commorantes*, vbi ex diuina auctoritate, & inſtitutione Apoſtolica, deſcendere ait, vt ſacerdos præſente plebe, ſub omnium oculis deligatur, quod & ibidem confirmat antiquitatis Eccleſiaſticæ curioſus inquiſitor *Iacobus Pamelius*.

7. Sed & illud confirmat, *Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſt.* 8. dum Franconem, Decanum Pariſienſis Eccleſiæ, Fulconi Epiſcopo, Canonice ſubrogatum, aſſerit, *eligente clero, ſuffragante populo, donante Rege, Senonenſi Archiepiſcopo approbante, conſecratio habita fuiſſet*.

8. Et ex eo patent iura, quæ in electionibus Regibus Gallorum competebant, quæ non tantum ipſi, & ex perſona ſua exercebant, verum, cum lege Regia lata, populus omne ius quo fruebatur, in principem tranſtuliſſet, duplici quodam iure, vſi ſunt Reges Galliæ, in electionibus habendis, altero, ſibi peculiari, & proprio, altero, tanquam populi ſibi commiſſi principes, & capita, vt obſeruat *Yuo Carnotenſis epiſt.* 60.

9. Et hoc quidem ius, quo Reges noſtri, vſi ſunt in electionibus, in eo potiſſimum, conſiſtebat, & verſabatur, vt electionis habendæ libertas, à Rege impetraretur, factæque eiuſdem aſſenſus accederet, vt in ſimili caſu teſtatur *Ioan. Sareſbarienſis Epiſcopus Carnotenſis epiſt.* 53. cui & plura alia addunt teſtimonia *collectores probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap.* 15. itemque nouiſſimus ſcriptor *Dadinus ab Altaſerra lib.* 1. *de duc. & com. prou. cap.* 7. *de nominat. epiſc. & abb.*

10. His itaque præmiſſis, quibus electionum origo, & vſus illuſtrantur, ipſa definiri, poteſt electio, ſecundum prædicti Fulberti mentem, quam expreſſit *epiſt.* 61. *vnius de pluribus, maxime complaciti, ſecundum liberam arbitrij voluntatem, acceptio*, quæ tamen definitio, cum ſtrictioribus cancellis includatur, totam electionis naturam, elucidare non potuit.

11. Itaque propius, menti noſtræ, & propoſito accedet, ea definendi ratio quæ traditur ab *Angelo de Clauaſio in ſumma in verbo electio, & Siluestro ibidem*, cum ipſam definiunt electionem, *perſonæ idoneæ, ad dignitatem, vel fraternam ſocietatem, ab habentibus, poteſtatem, ſeruata forma, canonice factam vocationem*, cuius ſecundum ſeriem verborum expoſitionem, ex propoſito nobis ordine, reiiciemus ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ canonicæ.

12. Et tamen illud adnotandum eſt, huius noſtræ definitionis poſterioribus verbis excludi, & quodammodo ſeparari, ab electione canonica, poſtulationem, & tranſlationem, quæ ſunt quidam electionis veluti appendices, cum enim, ex mera ſuperioris voluntate pendeant, nec vllis, iuris canonici regulis includantur, vt electio, ideo inter canonicas inſtitutiones, ennumerari non poſſunt, cum potius diſpenſationum locum teneant, quarum naturam, ſupra expoſuimus, *ad verba definitionis idoneo cap.* 2.

Digitized by Google

13. Eſt enim poſtulatio, vt ibidem monuimus, *perſonæ non idoneæ, ad dignitatem vacantem, ſuperiori facta præſentatio, vt tollat defectum, & cum poſtulato diſpenſet*, vnde à *Goffredo Tranenſi in ſumma tituli de poſtul. præl.* gratiæ petitionem dici oſtendimus, at verò tranſlatio, cum ſit *prælati, de dignitate ſua, ad aliam, facta tranſmigratio*, beneficiorum naturæ aduerſatur, quæ ad vitam concedi, & perpetua eſſe debere, diximus, *ad verba ad vitam.*

14. Ex his itaque patet, electionem debere eſſe canonicam, quod adeo verum eſt, vt confirmatione indigeat, cæteriſque canonici iuris regulis ſubiaceat, de quibus commodius dicemus, & ſecundum propoſitum nobis ordinem, *ad verba definitionis noſtræ beneficiaria canonica*, quæ mox ſequentur, cum tamen, neque poſtulatio, neque tranſlatio, earum auxilio firmari debeant, ſed ex ſola concedentis gratia, vires ſuas mutuentur.

---

§. SECVNDVS.

De Regia ad Prælaturas nominatione.

1. *Ratio connexionis huius materiæ cum præcedenti.*
2. *Origo nominationis Regiæ ex concordatis.*
3. *Ius nominationis Regiæ ipſis concordatis antiquius.*
4. *Probatur antiquior origo nominationis Regiæ.*
5. *Nominatio Regia, alias præceptum de Epiſcopatu dicebatur.*
6. *Refutantur errores* Genebrardi in tract. de elect. neceſſ. & iure.
7. *Reluctatio Eccleſiæ Gallicanæ, in ſuſcipienda concordatorum lege.*
8. *Probatur nihil noui conſequutos Reges ex concordatis.*
9. *Nominationis Regiæ definitio traditur.*

1. SVccedit electioni, Regia nominatio, & recte, nam cum electionis ipſius vſum, ſummorum Pontificum reſeruationibus, paululum imminutum, Baſileenſi deinde ſynodo reſtitutum, Pragmatica ſanctione, firmaſſet Gallicana Eccleſia, huius obſeruationem, diu ſuſtinere non potuerunt, ſummi Pontifices, vt pote ſupremæ qua vtebantur, beneficiorum diſpenſationi contrariam, quamquam plures, defenſionem eius ſubierint, etiam alienigenæ patroni, inter quos *Guilelmus Demonſerrat Catalanus in commento ſuper. pragmat. ſanct.*

2. Namque ex eo tempore, modis omnibus conuellere tentarunt, donec Leo X. conuentione habita Bononiæ, cum Franciſco I. Gallorum Rege, Eccleſiaſticarum dignitatum electiones, omnino antiquauit, & in earum locum, priſtinam Regum Galliæ ad Prælaturas nominationem, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus exhibendam, reſtitui curauit, quarum originem, progreſſum, & auctoritatem, mire explicat *nouiſſimus tractatus qui prodiit ſub titulo hiſtoriæ Pragmaticæ & Concordatorum.*

3. Nec enim illud nominationis Regiæ ius, aut nouum eſt, aut Apoſtolica conceſſione nouiſſime indultum, nam ab antiquo, Reges noſtri, eo iure potiti ſunt, & à primis naſcentis religionis Chriſtianæ, in hoc regno temporibus, quibus, dum Clodonæus I. Gallorum Rex Chriſtianus, Alaricum Viſigothorum Regem debellaſſet, ei ſynodus Aureliæ tunc habita, propter pacem Eccleſiæ redditam, ad Prælaturas vacantes nominationem indulſit.

4. Verum & hæc nominandi ratio, ſynodo Aurelianenſi 5. ſub Childerico I. confirmata, exinde ad ſucceſſores, continua obſeruatione, approbantibus etiamnum Romanis Pontificibus, tranſiit, vt teſtis eſt *Gregor. Turon. in hiſt. Franc. Lupus Ferrarienſis Abbas, epiſt.* 81. *Flodoardus in chronico, & alij paſſim*, quos breuitatis cauſa omitto, & quorum teſtimonia, & probationes, quaſi in vnum congerit, *Ant. Dad. ab Altaſerra Profeſſor. Tholoſanus lib.* 1. *de duc. & com. prou. cap.* 7. *de nominat. epiſc. & abb. & nouiſſimus commentarius ad collectionem lib. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi art.* 68. *itemque cap.* 25. *Collectionis probationum ad eaſdem libertates.*

5. Et

Digitized by Google

5. Et hæc quidem facultas nominandi, præceptum de Epiſcopatu appellabatur, apud *Marculſum in form. lib. 1. cap. 5.* quam cum Reges noſtri dimiſiſſent, vt ſacro-ſanctæ Baſileenſis ſynodi decretum de electionibus ſuſciperent, maluere ſummi Pontifices, abrogatis electionibus, veterem nominationum vſum reducere, vt hoc Gallicanæ Eccleſiæ libertatis præſidium oppugnarent, & penitus euerterent.

6. Quamuis enim *Gilbertus Genebrardus Aquenſis Archiepiſcopus in tractatu de ſacrarum electionum neceſſitate & iure*, fucatæ illius, & catholicæ vnionis, quæ tamdiu Galliæ quietem perturbauit, præceptis imbutus, Gallicanam Eccleſiam, ipſumque Franciſcum I. Gallorum Regem, concordata Bononienſia, vltro ſuſcepiſſe toties inclamet, vt in ſacrarum electionum locum, Regias nominationes ſubrogarent.

7. Illud tamen certum eſt, & liquido probatur, tum ex actis ipſorum concordatorum, & variis ſuaſionibus curiæ Pariſienſi habitis, ad eorum approbationem extorquendam, quę exſtant in calce pragmaticæ ſanctionis, tum ex prouocationibus curiæ, & Academiæ pariſienſis, ad futurum Concilium illatis, diu multumque omnes Gallicanæ Eccleſiæ ordines, concordatorum approbationi obſtitiſſe, vt pragmaticæ ſanctionis decreta tuerentur, & deffenderent.

8. Sed enim, cum merito à doctiſſimo Budæo, Galliæ palladium appelletur, eius abrogationem ægre admodum, & reluctantes ſubierunt, vt nouum ius concordatorum ſuſciperent, nec enim Regiarum nominationum beneficio, allici potuerunt, quæ nullum nouum ius inducebant, ſed antiquius, & à pluribus ſæculis quæſitum, laudanda tamen æque ac voluntaria deſuetudine inumbratum, (vt Iuſtiniani verbis vtar) in vſum reduxerunt, ad eo vt, plures concordatorum defenſionem, ſuſcipere debuerint, inter quos *Ioannes Dayma Profeſſor Tholoſanus in commentariis ad concordata. & Helias quondam Turonenſis Archiepiſcopus, & poſtea Cardinalis factus in libello qui prodiit ſub titulo defenſorij concordatorum.*

9. Eſt autem nominatio Regia, vt colligere eſt, ex ipſis, concordatorum Bononienſium viſceribus, *perſona idonea, ad prælaturam vacantem, à Chriſtianiſſimo Rege, in vim concordati, intra debitum tempus, facta Papa præſentatio, confirmationem inducens neceſſariam,* qua autem forma fieri debeat, infrà dicemus, *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ canonica,* vt interim tranſeamus, ad alterum, eorumdem concordatorum fœtum, nempe ſcholaſticam nominationem.

---

§. TERTIVS.

De Scholaſtica nominatione.

1. *Vnde Scholaſtica nominatio originem hábuit.*
2. *Quibus gratiis, & priuilegiis, excepta ſcholaſtica nominatio.*
3. *Quibus modis ſummi Pontifices, pragmaticam expugnauerunt.*
4. *Vti concordata Bononienſia, ſucceſſerunt pragmaticæ.*
5. *Quo ordine concordata, beneficiorum tertiam partem, graduatis aſſignauerint.*
6. *Qui menſes adſignati nominatis, & ſimplicibus graduatis.*
7. *Definitio ſcholaſticæ nominationis proponitur.*
8. *Præmiſſa definiendi ratio præponitur cæteris omnibus.*
9. *Solemnium, & formæ, ſcholaſticæ nominationis explicatio, reducitur ad verba* Canonica.

1. ALtera nominandi ratio, deſcendens ex eadem Bononienſi conuentione, eſt ea, quæ academiarum alumnis, & candidatis indulgetur, & dicitur ſcholaſtica nominatio, cum enim ſynodi Baſileenſis Patres proſpicerent, quot & quanta, reipublicæ Chriſtianæ commoda, ex litteratorum, & academicorum virorum præfectura, naſceretur, continuo ſanxerunt, vt totius orbis Chriſtiani beneficiorum tertia pars, litteratis Clericis adſcripta, ab ordinariis collatoribus, iiſdem debite qualificatis conferretur.

Q q

Digitized by Google

2. Et quidem, vt huic ſanctioni, plenior executio redderetur, omnes gratiæ exſpectatiuæ, nec-non reſeruationes Apoſtolicæ, liberæ ordinariorum collationi obſtantes, longe ſemotæ ſunt, & excluſæ, vt patet ex *eiuſdem ſynodi ſeſſ. 21. in decreto de collationibus*, cuius ſanctionis æquitatem, & vtilitatem, cum præſenſiſſet Gallicana Eccleſia, in vrbe Bituricenſi, Caroli VII. Francorum Regis auctoritate conuocata, pragmatica quam vocant ſanctione firmauit, vt pleraque alia, eiuſdem ſynodi decreta.

3 At vero, cum ea decreta, ſummæ pariter, ac ſupremæ, Eccleſiaſticorum beneficiorum diſpenſationi obſtarent, qua ſummi Pontifices vti conſueuerant, ideo pragmaticam hanc ſanctionem, quaſi nouæ reformationis arcem, & præſidium, totis viribus concutere non ceſſarunt, vt colligitur ex *epiſtola Æneæ Siluij tunc Romani Pontificis Pij II. nomine* 401. *& ſequenti ad Ludouicum XI. Regem Gallorum*, quam vt facilicius expugnarent, ſchiſmaticam continuo appellauerunt, quamuis generalis ſynodi Baſileenſis partum.

4. Sed enim tandem Leo X. Pontifex maximus, Bononiæ fœdere inito, cum Franciſco I. Gallorum Rege, vt in ſuperiori §. obſeruatum eſt, eam penitus expugnauit, & in eius locum, nouum ius, ex ſua conuentione Bononienſi deſcendens, ſubrogari curauit, cuius origo, & progreſſus patet, ex breuiſſimo tractatu, ſubiecto commentario ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ Petri Pithæi, nouiſſime edito, quod tamen ius, tertiam illam partem beneficiorum, litteratis clericis, ab academiis Galliarum celebrioribus commendatis, conferendam, non reuocauit, ſed diuiſioni meliorem ordinem, & faciliorem diſtributionem addidit.

5. Cum enim ſcholaſtica, & academica, beneficiorum portio, vaga eſſet, & incerta, tum ex ſynodi Baſileenſis ſanctionibus, tum ex pragmatica ſanctione, ordinariis collatoribus, veram beneficiorum ſeriem, & matriculam ſubticentibus, & academicis clericis auſcultantibus, ea portio, ex Bononienſibus concordatis, quorum iure hodiè vtimur, ita definita permanſit, vt beneficia, tertia parte anni vacantia, gradu academico inſignitis clericis, aſſignata fuerit.

6. Sed & eo ordine, proceſſit hæc aſſignatio, quo, cum annus 12. menſium continua ſucceſſione conſtet, quatuor menſes, Ianuarius, ſcilicet, Aprilis, Iulius, & October, graduatis clericis adſcripti fuerint, æqua portione, tum nominatis, tum ſimplicibus, ita vt beneficia, iis menſibus vacantia, ipſis litteratis clericis debita fuerint, & conferenda, vt conſtat ex ipſiſmet *concordatis, tit. de collationibus.*

7. Ex his igitur, & præmiſſis, definiri poteſt, ſcholaſtica nominatio, vt ſit *clerici graduati, debite qualificati, ab vniuerſitate celebri Regni Gallici, ordinario facta præſentatio, inſtitutionem ad beneficia, certo anni tempore vacantia, inducens neceſſariam, in vim concordati.*

8. Sed & ea definiendi ratio, à nupero quodam auctore tradita, in tractatu beneficiorum mihi plurimum arriſit, vt pote, quæ ipſius ſcholaſticæ nominationis, naturam clarius, & conuenientius explicet, quam cæteræ aliæ, ab ipſo *Rebuffo in tractatu nominationum quæſt.* 4. *num.* 1. *nec-non à Ioanne Coraſio parte* 4. *paraphraſis ſacerdotalis cap.* 4. *num.* 7. compoſitæ, cum ex ipſis, concordatorum viſceribus, petita fuerit.

9. Verum, cum id vnum ſuperſit exquirendum, quomodo, vel qua forma, fieri debeat hæc nominatio, à quibus, & quorum ratione, quibuſue ſolemnibus, commodius remittenda, nobis viſa eſt explicatio, *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ Canonicæ*, dum ex præmiſſæ definitionis ſcholaſticæ nominationis, diligenti, & ſedula exploratione, & ex ipſis concordatis, canonicam inſtitutionem efficiemus.

---

§. QVARTVS.

De Regia nominatione, ex indultis Pontificiis deſcendente.

1. *Quid nominatio Regia in vim indultorum, & in quorum gratiam inducta.*
2. *Quis effectus nominationis indultariæ.*
3. *Collatio in vim indultorum, neceſſaria redditur, officio executorum Apoſtolicorum.*

Digitized by Google

4. *Origo nominationis Regiæ, in vim indultorum.*
5. *Renouatio gratiæ indultariæ, à Paulo III. S. P. facta.*
6. *Quo tempore in Gallia recepta, indultaria nominatio.*
7. *Veſtigia antiquiora, huius gratiæ prodeunt.*
8. *In indultis diſtinguenda, gratia S. P. à nominatione Regia.*
9. *Indultariæ nominationis definitio proponitur.*
10. *Solemnium huius nominationis expoſitio, reducitur ad verba* Canonica.

1. EST & altera nominandi faculas, iure ſpeciali introducta, & Regibus Francorum, à ſummis Pontificibus conceſſa, quæ indultum, vulgo appellatur, eaque in gratiam, ſummi Galliarum Cancellarij, ſenatus Pariſienſis Præſidum, & Conſiliariorum, Actuariorum, nec-non Secretariorum, atque amanuenſium ſupremæ curiæ, prout in reſcriptis Pontificiis habetur.

2. Sed enim, dum ea vtitur gratia Rex Galliæ Chriſtianiſſimus, hoſce Officiales, vel Clericos ab ipſis nominatos, codicillis ſuis Regiis, ordinariis collatoribus præſentat, & nominat, vt beneficia, ſuæ collationi addicta, morte vacua, ipſis officialibus conferant, vel ab ipſis nominatis, ſiue regularia ſint, ſiue ſæcularia, modo & regulares, & ſæculares clericos nominauerint, ab ordinariis collatoribus inſtituendos.

3. Sin vero ipſi collatores ordinarij, conferre recuſent, (quod raro hodie euenit) tunc Pontificiis codicillis, executores demandati, puta Diui Maglorij Abbas, ſancti Victoris in ſuburbio Pariſienſi Cœnobiarcha, & demum Pariſienſis academiæ litterariæ Cancellarius, collationem neceſſariam impertiuntur.

4. Sed & illud indultum, ſiue beneficium, primùm datum eſt, Eugenij IV. Pontificis maximi reſcripto, Carolo VII. Francorum Regi inſcripto, ſed tamen obſeruationi eiuſdem, ſe ſe ſubmittere abnuit, Gallicana Eccleſia, propter nouum, & recens, tum Baſileenſis ſynodi, tum pragmaticæ noſtræ ſanctionis decretum, de reſeruationibus ſublatis, necnon omnibus litteris, gratiarum exſpectatiuarum, penitus antiquatis, *in ſeſſ. 31. Baſileenſis ſynodi*, cuius decretum tranſcriptum eſt in pragmaticam ſanctionem.

5. Et ex eo eſt, quod Paulus III. ſummus Pontifex, in colloquio, extra muros vrbis Niciæ habito, cum Franciſco I. Gallorum Rege rogatus illud beneficium, ſiue indultum, ſua ſanctione, renouauit, quæ refertur à *Renato Chopino lib. 1. de ſacr. polit. tit. 5. num. 16.* vt gratiæ ab Eugenio IV. ſummo Pontifice, iam pridem indultæ, contra Baſileenſem ſynodum, ſuam auctoritatem præſtaret, & ſynodo Baſileenſi detraheret.

6. Quamuis autem, ab Eugenio IV. ſummo Pontifice, hæc gratia primum emanaſſet, tamen apud nos, ex eo ſolo tempore, in vſum tranſiit, & recepta eſt, quo Pauli III. decreto approbata eſt, vt obſeruat iuriſprudentiæ noſtræ Forenſis decus eximium, *Carolus Molinæus in commentariis ad regulam de infirmis num. 224. & ſequentibus*, ne Baſileenſi ſynodo fidem negare videremur, quam in pragmatica ſanctione firmiſſimè tenebamus.

7. Nec tamen nos latere debet, longe anteriores ſummos Pontifices, hanc gratiam ſenatui Pariſienſi feciſſe, puta Benedictum XII. Auenioni ſedentem, teſte præſide *Falcetio in collectione libert. Eccleſ. Gall.* Ioannem 23. Martinum 5. & alios quos memorat *commentator. libertat. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi ad art. 69.* ſed tamen huius gratiæ vſum, & originem, tantum à Paulo III. repetimus, vel quia anterius conceſſa perpetua non fuit, ſed pro vna, & ſola vice, vel quia variis ex cauſis, nondum vſus inualuerat.

8. Verumtamen, dum indultorum naturam inquirimus, diſtinguendum nobis eſt, ipſum ſummi Pontificis beneficium, ſiue gratia Regibus noſtris collata, ab ipſo vſu, ſiue executione ipſius gratiæ, & indultariæ facultatis exercitio, quæ in ipſa nominatione Regia verſatur, quę ſola apud nos, indulti nomine ſæpius profertur, mutuata denominatione, ab ipſo fontę, & origine.

9. Sic igitur acceptum indulti nomen, definiri poteſt, *reſcriptum Regium, in vim papalis gratiæ, ordinariis collatoribus emiſſum, in fauorem ſenatus Pariſienſis officialium, vel ab ipſis nominatorum, vt beneficia, primùm vacatura, & ſuæ collationi ſubmiſſa, nominatis conferant.*

10. Sed enim, quia indultorum vſus, ad ſcholaſticam nominationem, quodammodo accedit, & mandatorum Apoſtolicorum, naturam redolet, iiſdem fere modis exhi-

Qq ij

beri debet, indultaria nominatio, atque ſcholaſtica, quorum examen, commodius remittetur, *ad verba definitionis noſtræ beneficiaria canonica*, de quibus ſuo quoque ordine dicturi ſumus.

---

§. QVINTVS.

De Regia nominatione, propter iucundum regni aduentum.

1. *Nominationis Regiæ, pro iucundo regni aduentu expoſitio.*
2. *Hæc nominatio competit Regi, Xeniorum nomine, ſicut pluribus aliis.*
3. *Agitur de nominatione Epiſcopi, ad vacatura beneficia, propter nouam inaugurationem.*
4. *Primariæ preces ab Imperatoribus exhiberi ſolitæ, quæ.*
5. *Conceſſionum ob primarias preces, teſtimonia Æneæ Siluij.*
6. *Item apud Abbatem Vrſpergenſem, alia veſtigia prodeunt.*
7. *Egregium Ludouici iunioris factum laudatur.*
8. *Regiæ nominationis propter iucundum aduentum reductio.*
9. *Improbatur nominatio Epiſcoporum, propter nouam inaugurationem.*
10. *Reſcriptum Henrici III. confirmans nominationes Regias propter iucundum aduentum, improbatur à ſenatu Pariſienſi.*
11. *Quænam iura Regia, in diſpenſatione beneficiorum, probantur à ſenatu.*
12. *Edictum Henrici III. probatum à Prætorianis iudicibus, meruit prorogationem iuriſdictionis.*
13. *Progreſſus huius diſputationis remiſſus* ad verba Canonica.

1. SVnt qui regibus noſtris, aliam nominandi facultatem tribuant, propter nouam regni ſucceſſionem, iure ſanguinis contingentem, alias iucumdum aduentum appellant, idiotiſmo noſtro Gallico *le ioyeux aduenement à la Couronne*, quo caſu affirmant Reges noſtros, de nouo ſuccedentes, candidatos ſuos Regiis codicillis, ordinariis collatoribus, ita commendare poſſe, vt in primis vacaturis beneficiis, neceſſario inſtituant.

2. Sed & illud Regibus noſtris, quaſi Xeniorum nomine, in gratiam nouæ ſucceſſionis, competere teſtantur, ſicut in legibus feudorum, quæ & beneficia appellari diximus, iura quædam, ſiue xenia, nouis dominis debebantur, ſicut nouis Epiſcopis, & Archidiaconis, apud *præſidem Boerium quæſt.* 19. *&* 133. *item apud Oldradum in conſilio* 129.

3. Et ex eo eſt, quod & nouis Epiſcopis, eamdem nominandi facultatem adſtruunt, in ſingulis ſuæ diœceſis Eccleſiis, propter nouam, & iucundam eorum inaugurationem, ita vt, inferiores Eccleſiæ, quæ Epiſcopali iuriſdictioni ſubiiciuntur, hanc ſubmiſſionis notam, inferre teneantur Epiſcopo, quod æquiori iure admitti poſſit, cum alias & iure communi, omnes Eccleſiæ, Epiſcoporum diſpoſitioni ſubmittantur, *can. omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7.

4. Verum quod in gratiam Regum noſtrorum inductum eſt, probare contenduntex eo, quod Imperatores Germaniæ, eodem iure in ſingulis, Imperij ſui Eccleſiis vtantur, ex antiquo priuilegio, cuius exemplar ſe vidiſſe bullarum, aſſerit *Durandus Mimatenſis Epiſcopus in ſpeculo tit. de præb.* §. *item nota*, quod ius, primariarum precum nomine appellabatur, ad quarum indultum, ſiue nominationes Imperatoris, ad vacatura beneficia, doctiſſimum commentarium edidit *Ioannes à ChoKier canonicus Leodienſis.*

5. Sed & huius iuris, ſiue priuilegij, meminit *Æneas Siluius*, dum Imperatoris Friderici Cancellarij munere fungeretur, in *epiſt.* 116. *&* 117. dum Conſtantienſi Epiſcopo reſcribens, Cincium quemdam clericum, amici nomine commendat, cum ab Imperiali maieſtate, primariarum precum litteras impetraſſet, Conſtantienſi Epiſcopo inſcriptas, vt litte-

ratum gratiam faciat, & in proxime vacatura præbenda inſtituat, Imperialibus litteris commendatum.

6. Nec-non etiam, huius Imperialis gratiæ, ſiue indulti, antiquiora patent veſtigia, apud *Abbatem Vrſpurgenſem in chronico, ad annum* 1288. *in paraliponi* vbi formulam primariatum precum ſubdit, quarum duo exempla ſe vidiſſe refert, *Boet. Epo. in quæſt. heroicis de reg. & iure princ. in beneſ. num.* 263. *& ſequenti*, & probandarum cauſa, plura refert *Dadinus ab Altaſerra lib.* 1. *de duc. & om. prouinc. cap.* 9. quod & ab Innocentio VI. ſummo Pontifice, Ioanni Gallorum Regi, indultum priuilegium, teſtatur *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat.* § *placuit in verbo facultatis.*

7. At vero, cum huiuſmodi nominationes, gratiarum exſpectatiuarum, naturam redolere animaduerteret Ludouicus Iunior, & aliquid habere in ſe, Eccleſiaſticæ inſtitutioni contrarium, Papale quoddam reſcriptum, ſibi ab expeditione Hieroſolimitana redeunti emiſſum, comburi iuſſit, licet Pontificio reſcripto, in omni cathedrali Eccleſia Regni ſui, ius conferendi cui vellet, primo vacaturam præbendam, cum perceptione fructuum, medij temporis, indulgeretur, vt refert *Thomas Valſingam in hypodigmate Neuſtriæ ad annum* 1148.

8. Et ea quidem ratione, cum ſenatus Pariſienſis, huiuſmodi nominationes, liberæ ordinariorum collationi, alias ſatis grauatæ, obſtare perſpiceret, eas omnimodo improbauit, niſi in iis Eccleſiis, in quibus Rex noſter Chriſtianiſſimus, in canonicorum numerum adſcriberetur, veluti in Eccleſia Andegauenſi, Cœnomanenſi, Pictauenſi, ſancti Martini Turonenſis, Cabilonenſi & aliis ſimilibus.

9. Sed & nouis Epiſcopis, eamdem nominandi facultatem, denegauit idem ſenatus Pariſienſis, iis exceptis, qui inueterata conſuetudine vterentur, vt habetur in *poſthuma D. Louetij collectione decretorum curiæ, & in notis litt. P. num.* 6. *& apud Antonium Mornacium in editione poſtrema ad leg.* 3. §. *ingreſſus de off. proconſ. & legati, item apud Ioannem Bordenunium canonicum & officialem Leſcarienſem in libris protribunalium Eccleſiaſticorum cap.* 1. *num.* 28. *& ſequenti,*

10. Et quamuis Henricus III. huiuſmodi nominationum, in gratiam clericorum, in Sacello Regio Pariſienſi, & Aulico inſeruientium, probatorias litteras emiſiſſet, anno 1577. & ſenatui Pariſienſi inſcripſiſſet, eas tamen, nequaquam admiſit ſenatus Pariſienſis, imo ſolemni ſenatuſconſulto, in purpuris prolato, anno 1616. ad ferias Natalitias, à Proto-præſide Virdunio Regiis nominationibus, in gratiam noui & iucundi aduentus, nullum fore locum pronuntiauit.

11. Verum & eo decreto ſtatutum eſt, in diſpenſatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, Reges noſtros, eo ſolo iure vti, vt ad vacantes Epiſcopales dignitates, Abbatias, Prioratus conuentuales, Regiæ dotationis, candidatos ſuos, ex concordatis Bononienſibus nominent, de quo ſupra diſſeruimus, vt ſede Epiſcopali vacante, iure Regio beneficia conferant, & in cæteris Eccleſiis Regiæ dotationis, plenam diſponendi facultatem habeant, de quibus infrà dicemus.

12. Sed enim, cum magni Concilij Patres, reiectas à ſenatu litteras probauiſſent, ex eo, nominationem hanc Regiam admiſerunt, eique inter iura Regia, ſuum locum præſtiterunt, adeo vt, quamquam litteræ Regiæ, ad ſolos Cantores, & Clericos, ſacri Sacelli Pariſienſis, & Aulici coarctarentur, ad quoſcumque, & ad omnia fere beneficia, Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, extenderent.

13. Et ob eam cauſam, plures Gallicanæ Eccleſiæ querelæ ſubortæ ſunt, plures Regibus noſtris factæ ſupplicationes, in publicis Cleri Gallicani comitiis, auctoritate Regia conuocatis, qua autem forma, exhiberi debeant, reſcripta nominationis Regiæ, ob iucundum regni aduentum impetrata, infra dicetur *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ Canonicæ.*

§. SEXTVS.

De mandatis Apoſtolicis.

1. *Mandatorum materia ſuperioribus connexa, & affinis.*
2. *Vſus mandatorum incognitus, in decreto Gratiani.*

3. *Quis primus mandatorum Apoſtolicorum auctor.*
4. *Quis mandatorum ordo, ſiue litterarum primi gradus, quæ dicuntur monitoriæ.*
5. *Secundus gradus præceptoriarum litterarum expenditur.*
6. *Tertius executoriarum, quibus addebatur decretum irritans.*
7. *Tandem vnico reſcripto, triplicem ordinem impleuerunt, ſummi Pontifices.*
8. *Exemplum edicti peremptorij in iure ciuili.*
9. *Ratio introducendorum mandatorum Apoſtolicorum.*
10. *Quænam ratio abrogandorum mandatorum.*
11. *Tertia pars beneficiorum aſſignata graduatis, ſucceſſit mandatis.*
12. *Reductio mandatorum, facta Bononienſibus concordatis.*
13. *Mandatorum vſus, omnino abrogatus Tridentina Synodo.*
14. *Hodie nominationes ſcholaſticæ, & indultariæ, locum tenent mandatorum.*

1. ERat & olim alius nominationum Pontificiarum vſus, per mandata Apoſtolica, ſiue litteras exſpectatiuas ad vacatura beneficia emiſſas, à præmiſſis nominationibus, non longe aberrans, maxime in eo, quod per huiuſmodi mandatorum, ſicut & nominationum conceſſionem, nullum ius mandatario adquiratur, neque in re, neque ad rem, vt notat *gloſſa pragmatica ſanctionis tit. de collat. §. volens itaque in verbo nominationes.*

2. Is autem mandatorum vſus, prioribus Eccleſiæ temporibus, nondum innotuerat, quod patet ex eo, quod nulla eorum mentio habeatur, in libris decretorum ipſius Gratiani, adeò vt *Renatus Chopinus lib. 1. de ſacr. polit. tit. 5. num. 19.* Gregorio IX. ſummo Pontifici, primum vſum eorum aſſignauerit, adductus auctoritate *capit. litteris de reſcript. apud Greg.*

3. Sed in eo grauiſſime labitur, non animaduertens, anteriores pleroſque Pontifices, mandatis Apoſtolicis, auctoritatem præbuiſſe, vt conſtat ex decretalibus epiſtolis Alexandri III. relatis in *cap. eam te 7. de reſcript. & cap. 6. de præb.* & pleriſque aliis, quæ ad mandata de prouidendo, ſiue litteras exſpectatiuas ſpectant, & pertinent, vnde merito *Rebuffus in concordatis tit. de mand. in principio*, mandatorum originem, primumque eorum vſum, Alexandro III. adſcribit.

4. Hic autem erat, mandatorum Apoſtolicorum vſus, vſuique ordo præſcriptus, vt primùm ſummus Pontifex, in gratiam illius, cuius nomine reſcribere ſolebat, monitorias litteras ordinario inſcriberet, quibus monebat, vt mandatario, primum vacans beneficium conferret, vnde monitoriæ litteræ dictæ ſunt.

5. Sed demum ordinario negligente, & mandatorum executioni, longiores moras innectente, vt ſæpius eueniebat (propterea quod potiorem beneficiorum fructum, qui in collationibus liberis conſiſtebat, per huiuſmodi mandata, ſibi præreptum inclamarent, collatores ordinariis) præceptorias litteras, ipſis emittebat ſummus Pontifex, quibus præcipiebat, vt vacans beneficium conferrent, & ex eo, nomen ſuum mutnatæ ſunt.

6. Quod ſi in contumacia permanens collator, Pontificiis reſcriptis non ſatisfaceret, executorias litteras emittebat, non ipſi ordinario inſcriptas, ſed alteri cui litterarum executionem demandabat, vt vacantis beneficij collationem, mandatario quam primum præſtaret, vt patet ex *capit. 4. de conceſſ. præb. capit. 19. 30. & 37. de reſcript. apud Greg.*

7. Sed quia ternus ille litterarum recurſus, longiores moras inferebat, & ipſis ordinariis, fruſtrandi occaſionem præbebat, ideo ſæpius, vnico reſcripto ſummi Pontifices, collatoribus ordinariis, collationem faciendam monebant, præcipiebant, & executionem mandabant, cum appoſitione clauſulæ irritantis, ſi quid aduerſus reſcriptum fieret.

8. Nec ab eo longe recedit, quod in iure ciuili obſeruabatur, licet enim in ius vocatus, tribus edictis euocari debuerit, vt probatur *lege 68. & ſequenti dig. de iud.* quandoque tamen, vnico edicto, quod peremptorium dicebatur, ſiue vnum pro tribus, reus euocabatur, & contumax efficiebatur, *leg. nonnumquam 72. dig. de iud.*

9. At vero, cum huiuſmodi mandatorum vſum, omni fauore, & gratia excipienda querela litteratorum, ac pauperiorum clericorum, introduxiſſet, qui à collatoribus

Digitized by Google

ordinariis, familiarium, ac domeſticorum amore excęcatis, omnino deſpiciebantur, ita vt *Ioannes Quintinus in commentariis ad capit. de multa de prebendis* collatores ordinarios, beneficia nepotari dixerit, mutuata loquendi formula, ex Seneca.

10. Illud tamen, & tandem euenit, cum in peius omnia ruant, & mali mores, ex optimis legibus naſci ſoleant, & fieri, vt ambitio, & auaritia Romanæ curiæ adſidentium, mandatorum vſum adeo corruperit, vt propter potentiorum, & ditiorum clericorum, præcipitem, & velociorem, in aulam Romanam irruptionem, pauperioribus clericis, quorum fauore admiſſa fuerant, nullus locus fieret.

11. Et ex eo eſt, vt Conſtantienſi, & Baſileenſi ſynodis, mandatis Apoſtolicis, & litteris exſpectatiuis, penitus oblitteratis, tertiæ partis beneficiorum, academicis viris, & graduatis aſſignatio facta, fœliciter ſucceſſerit, quod pragmatica noſtra ſanctione approbatum, Bononienſi conuentione confirmatum eſt.

12. Sed & ea tandem conuentione, cum Leonis X. ſummi Pontificis, aſſiduis petitionibus aliquid dari, placuiſſet Franciſco I. Gallorum Regi, reluctantibus etiamnum, totius Galliæ noſtræ ordinibus, mandatorum Apoſtolicorum obſeruatio, in vſum reducta eſt, ſed certis quibuſdam alligata formulis, certis numeris incluſa, & cancellis, quos egredi non liceret, quorum modus, eadem conuentione datus eſt, & præſcriptus, *in tit. de mand. Apoſt.* ad quem, doctiſſimum commentarium edidit, Mathæus Pacus Profeſſor Tholoſanus.

13. Verumtamen, cum mandatis Apoſtolicis moderatio data concordatis Bononienſibus, ambitionis in ſe quiddam habere, Tridentinæ ſynodi Patribus, viſum eſſet, in *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 19. mandata omnia Apoſtolica, ad futura, & vacatura beneficia emiſſa, litteræ exſpectatiuæ, nec-non reſeruationes beneficiorum quęlibet, penitus abrogatæ ſunt.

14. Nunc itaque, & ex præmiſſis concludendum eſt, in ſolis academiarum graduatis, & curiæ Pariſienſis in vim indultorum nominatis, & candidatis, mandatorum, ſiue litterarum exſpectatiuarum vſum, ad vacatura beneficia, nobis ſupereſſe, vnde mandatorum definitionem præſcribere, non fuit neceſſe, vt ordini propoſito ſatisfaceremus.

---

§. SEPTIMVS.

De nominatione Patronorum, & ad eam, & præcedentes, neceſſaria inſtitutione.

1. *Ordo, & ſeries huius tractatus proponitur.*
2. *Nominationes quælibet, non ſunt iuſtus adquirendi beneficij modus.*
3. *Regiam & ſcholaſticam nominationem, inſtitutione indigere probatur.*
4. *Idem probatur in nominatione indultaria.*
5. *Item in nominatione Patronorum.*
6. *Probatur in quibuſlibet nominationibus, generali ratione.*
7. *Inſtitutiones ad nominationes factę, non ſunt liberę, ſed neceſſariæ.*
8. *Id probatur in regia nominatione ad Prælaturas.*
9. *Idem probatur in nominatione ſcholaſtica.*
10. *Item in nominatione indultaria.*
11. *Item in nominatione Patronorum, & capitulum vacante ſede inſtituere.*
12. *Collegium Cardinalium, ad nominationem Regiam, inſtituere non poteſt.*
13. *Probatur ea concluſio auctoritate, & ratione.*
14. *Definitio canonicæ inſtitutionis proponitur.*
15. *Nominationum alię ius ad rem, aliæ fere nullum transferunt.*
16. *Quid ius ad rem, in beneficiis Eccleſiaſticis.*
17. *Quid ius in re, & quomodo transferatur.*

Digitized by Google

18. *Nominatione Regia ad Prælaturas, ius ad rem quæritur.*
19. *Item nominatione Patronorum.*
20. *Patroni Eccleſiaſtici, ſua nominatione, fortius ius transferunt, quam laici.*
21. *Nominatio ſcholaſtica, & indultaria, ius ad rem non transferunt.*
22. *Quis effectus, iuris ad rem queſiti, vel non.*
23. *In ſcholaſtica, & indultaria nominatione, ſola requiſitio ius ad rem adquirit.*
24. *Cur in nominatione regia, & patronorum, ius certius transfertur, quam in cæteris.*

1. VLtima nominandi facultas, eſt ea, quæ patronis ſiue laicis, ſiue Clericis, & Eccleſiaſticis competit, de qua, quia alias fuſius diſſeruimus, dum de oneribus Eccleſiarum egimus *ad verba definitionis noſtra beneficiaria cum ſuo reditu cap.* 4. ideo, quod huic diſputationi deerit ad hanc materiam, ex ſuperioribus abundantius ſupplebitur.

2. Verum, circa hanc nominandi facultatem, & alias duas de quibus egimus, in fauorem, & gratiam academicorum, & ſupremæ curiæ Pariſienſis Officialium conceptas, nec-non circa nominationem Regiam ad maiora beneficia, aduertendum eſt illud primum, ſolas, ac per ſe ſumptas, non eſſe iuſtum adquirendi beneficij modum, aut titulum, nec inter canonicas inſtitutiones, de quibus agimus, adſcribi poſſe.

3. Namque ſingulę ordinarij collatoris inſtitutione indigere noſcuntur, quod in Regia, & ſcholaſtica nominatione, patet euidentius, tum ex *concordatis in tit. de Regia ad præl. nominat. & de collat. tum ex commentariis Rebuff. ad eoſdem titulos in verbo prouidere.*

4. At in Regia nominatione, indultariorum fauore, & gratia emiſſa, conſtat ex ipſo Pauli III. decreto, Eugenij IV. ſummi Pontificis, collatum Regi, & curię Pariſienſi beneficium approbante, quod refertur à *Renato Chopino lib. 1 de ſacra politia tit. 5. numero 16. & ſequentibus, & ab Antonio Fontanone in volumine 3. Conſtitutionum Regiarum folio* 215.

5. Et vero in nominatione, ab ipſis patronis habita, dudum probauimus, in *dicto cap. 4. de oneribus Eccleſiarum*, auctoritate deſumpta ex *cap. 19. & vlt. de iure patron. in antiquis Concilio Nannetenſi cap. 16. Turonenſi, ſub Carolo Magno cap. 1. Moguntinenſi ſub Rabano cap. 12. & tandem nou. Iuſtiniani 57. cap. 2.*

6. Et hæc quidem propoſitio, generali hac ratione, in omnibus ſupra dictis nominationibus probatur, quod cum inſtitutio illa ſit ſpiritalis, in laicos (cum eorum qui nominandi facultate fruuntur maxima pars, hanc perſonæ conditionem induat) cadere non poteſt, *capit. ſacro-ſancta capit. meſſana de elect. & elect. poteſt.*

7. Secundo notandum eſt, eas omnes inſtitutionum ſpecies, non eſſe liberas, aut ex mera inſtituentis voluntate pendere, ſed neceſſarias, ſecundum *gloſſatoris mentem & interpretationem in capit. relatum in verbo liberaliter de preb. apud Greg.* quod manifeſtum fieri poteſt, in ſingulis ſpeciebus nominationum, & indiuiduis.

8. Et primum, in nominatione Regia ad prælaturas, patet, tum ex definitione præmiſſa eiuſdem nominationis, tum *ex concordatis de Regia ad Præl. nominat.* ſed maxime ex eo, quod nominatio Regia, priſtinæ electionis locum ſubiiſſe noſcitur, in qua confirmatio, quam imitatur huiuſmodi inſtitutio, non erat libera, ſed à ſuperiore neceſſario concedenda.

9. At in nominatione ſcholaſticà, id ipſum patet, ex *concordatis in rubrica de collationibus*, tum pariter ex ea, quam prætulimus, definitione, quæ id clarius euincit, & certius, quod ex ipſis, concordatorum Bononienſium viſceribus deſumpta ſit, hæc definitio, vnde ipſa nominatio ſcholaſtica originem ſuam mutuata eſt, & auctoritatem.

10. Sed & in Regia nominatione, indultariorum gratia, & fauore emiſſa, neceſſariam eſſe inſtitutionem, non voluntariam collationem, probatio elicitur, ex ipſo Pauli III. ſummi Pontificis reſcripto, & ex eo, quod vtraque poſterior nominatio, mandatis Apoſtolicis, ad vacatura beneficia conceptis, ſucceſſit, in quibus ordinarij collatio neceſſaria erat, non voluntaria, vt probatur ex *d. gloſſa in capit. relatum in verbo liberaliter de preb.*

11. Et poſtremo in inſtitutione, ad patroni nominationem habita, probatur ex *cap. 1. & 2. de inſtit. in 6.* ex quibus concludunt interpretes, in omnibus inſtitutionibus, capitulum ſede vacante ſuccedere, quia ſunt meræ, & ſimplicis adminiſtrationis, non purę liberalitatis exercitia, quamuis in collationes liberas, non ſuccedat, quæ futuro ſucceſſori,

Digitized by Google

ceſſori ſaluæ permanere debent, vt conſtat ex *cap. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. innou* quæ ita vera ſunt, vt quæque veriſſima.

12. Si modo excipias nominationem Regiam ad maiora beneficia, quæ nec ſede Apoſtolica vacante, collegio Cardinalium, quamuis legitime congregato, emitti, nec ad ipſam nominationem collegium inſtituere poſſe certum eſt, vt conſtat ex *Clement. ne Romani de elect. & elect. pot.*

13. Sed & illud probatur ex eo, quod inſtituendi facultas, ad nominationem Regiam, ipſi ſummo Pontifici competens, ex Bononienſi conuentione deſcendat, in qua ſummus Pontifex, ſibi, & ſucceſſoribus tantum, ſtipulatione cauit, vt quiſque paciſcendo, non vero collegio Cardinalium.

14 His itaque præmiſſis, inſtitutio canonica, cuilibet nominationi, vel præſentationi addenda, definiri poteſt *translatio iuris, in beneficio, non libera, à ſuperiore facta*, ſecundum ea, quæ addit *Petrus Pechus academiæ Louanienſis Profeſſor in commentariis ad reg.* 1. *de reg. iur. in 6.*

15. Nec tamen omnibus, de quibus egimus nominationibus, vna eademque eſt natura, & conditio, quamuis in eo conueniant omnes, quod inſtitutione canonica indigeant, aliæ enim, & amplius & certius ius transferunt, quodque frequentiori vocabulo, ius ad rem interpretes appellare ſolent, aliæ fere nullum ius tranſmittunt.

16. Sed vt huic diſtinctioni, lux quædam accedat, ſciendum eſt, in beneficiis adquirendis, longe aliud eſſe ius ad rem, aliud ius in re ius ad rem eſt: proxima quædam diſpoſitio, adipiſcendo beneficio neceſſaria, ſiue ſpes certa, quæ nulla ſummi Pontificis præuentione euerti poteſt, aut alterius collatoris diſpoſitione impediri.

17. Ius autem in re, per ſolam canonicam inſtitutionem adquiritur, & eſt ipſum ius beneficij, quod fuſius exponit, quo ad primam diſtinctionis partem, *Ludouicus Gomeſius ad regul. de non toll. iure alt. quaſ. quæſt.* 1. & ad vtramque *Rebuffus in tract. nominat. quæſt.* 4. *numero* 9.

18. At vero, & iis demum præhabitis conſtat, Regia ad prælaturas nominatione, candidato Regio, ſiue nominato, ius ad beneficium vacans, ſiue prælaturam adquiri, quod ius ita certum eſt, & fixum, vt ne quidem ſummi Pontificis præuentioni, ſiue collationi liberæ ſubiaceat, id patet ex *tit. de Reg. ad præl. nominat.* §. 1. *in concord.* per ſolam tamen ſummi Pontificis inſtitutionem, ius plenius in beneficio, ſiue ius in re transfertur.

19. Sic in nominatione ſiue præſentatione, à patronis emiſſa, ius ad beneficium vacans adquiritur, ſed in eo adhibenda diſtinctio, inter patronum laicum, & Eccleſiaſticum, namque patronus Eccleſiaſticus, quia & inſtitutionis canonicæ capax eſt, & variare non poteſt, ſicut laicus, ideo fortius, & pinguius ius, nominatione ſua, transferre ſolet.

20. Verum enim patronus laicus, cum variare poſſit, vt ſupra oſtendimus *ad verba definitionis cum ſuo reditu cap. 4. de oneribus Eccleſiarum* §. 17, *de diuiſione patronorum & differentiis*, incertum, dubium, & variis mutationibus obnoxium, ius tranſmittit, vſque dum inſtitutione canonica ſiſtatur, vt colligere eſt, ex notis *Philipp. Probi ad pragm. ſanct. in tit. de collat.* §. *item circa in verb. placuit.*

21. At in nominationibus, quæ fiunt, vel ab ipſo Rege Chriſtianiſſimo, in gratiam indultariorum ſupremæ Curiæ, in vim Pontificij diplomatis, quod vulgo indultum appellatur, vel ab academiis Galliæ celeberrimis, in fauorem, & gratiam candidatorum ſuorum, in vim concordati, nullum ius, vel ad beneficium vacans, aut vacaturum, vel in vacanti beneficio, neque ius ad rem, neque ius in re quæritur, vel nominato contingit.

22. Et ex eo eſt, quod beneficium, interim à ſummo Pontifice, libere alteri conferri poteſt, ſicut & à collatore ordinario, ante requiſitionem, vt vocant, cuicunque etiam non graduato concedi, quod pluribus ſenatus Pariſienſis decretis, probat, *Antonius Fabricius in theoria & praxi benefic. lib.* 2. *tit.* 6. *num.* 7. *atque etiam in additionibus ab eodem editis in eum locum litt. E.*

23. Hæc autem ratio differentiæ afferri poteſt, quod cum indultarij, vel graduati, certis beneficiis non adſcribantur, ſed indeterminatis, & vacaturis, nulli ſpeciali beneficio incumbunt, ad quod ius certum nominatione adipiſci poſſint, ſola reclamatio, vel vt alias diximus, requiſitio, eos ad certum beneficij indiuiduum, vel titulum alligat, & ideo ſola, ius ad beneficium transfert.

24. At aliud euenit, in nominationibus Regiis ad maiora beneficia, ſiue prælaturas,

Digitized by Google

vel præſentatis à patrono, qui, cum ad certa, & vacantia etiamnum beneficia nominentur, dum certis beneficiis, nominatione ſua incumbunt, certam ſpem habent, & fixam, non vagam, & ad plura tendentem, & ideo ius habent, ad illud certiſſimum, fixum, & permanens.

§. OCTAVVS.

De collationibus liberis, ac primùm de Pontificiis.

1. *Ordo, & ſeries, huius diſputationis.*
2. *Collationis canonicę definitio traditur.*
3. *Collationum ſpecies diuerſę, prout collatorum perſonę varię.*
4. *Summus Pontifex, totius orbis Chriſtiani beneficia, conferre poteſt.*
5. *Summus Pontifex, triplici modo confert beneficia.*
6. *Duplex diœceſis ſummi Pontificis, altera ſpecialis, altera vniuerſalis.*
7. *Probatur à Sirmundo duplex diœceſis ſummi Pontificis.*
8. *Locus Hincmari reſtituitur à Sirmundo.*
9. *In quibus conſiſtit ſpecialis diœceſis ſummi Pontificis, in quibus vniuerſalis.*

1. COllationibus neceſſariis, ſiue inſtitutionibus, ſuccedunt liberæ, quæ conferentis voluntatem, nullo modo aſtringunt, aut coarctant, eſt enim vna, ex conditionibus ipſi collationi beneficiorum innatis, vt ſit gratuita, & libera, de qua infrà dicemus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ canonicæ.*

2. Et inde eſt, quod collationem canonicam definiant, rei beneficiariæ interpretes, *liberam, & gratuitam quamdam, beneficij vacantis, ab habente poteſtatem, idoneo Clerico, legitime factam aſsignationem, ita à Ioanne Coraſio in paraphraſi ſacerdot. parte 4. cap. 1. & à pleriſque aliis.*

3. Tot ſunt autem, huius collationis ſpecies, quot ſunt ipſorum collatorum perſonæ variæ, quorum cum non vna ſit, ſed diuerſa poteſtas, & multiplex conferendi modus, ita in varias ſpecies tranſit, prout a diuerſis collatorum perſonis exercetur, quos inter, cum ſummus Pontifex, primum locum obtineat, ab illo tanquam à principe, & capite auſpicandum eſſe duximus.

4. Certum eſt itaque ſummum Pontificem, ex plenitudine poteſtatis, in quam vocatus eſt, *cap. 4. de auct. & vſu pallij*, & qua vtens, de iure, ſupra ius diſpenſare ſolet, vt dicitur in *capit. propoſuit 4. de conceſſ. præb.* omnia totius orbis Chriſtiani beneficia, conferre poſſe, *can. cuncta per mundum 9. quæſt. 3.* vnde in *can. in memoriam 30. diſtinct. 19.* Eccleſia Romana, in ſummo Pontifice, tanquam in capite reſidens, *ſacerdotalis dignitatis, mater appellatur, & Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.*

5. Dum autem ſummus Pontifex, Eccleſiaſtica confert beneficia, triplicis potiſſimum iuris, exercere facultatem dignoſcitur: alia enim confert iure ſuo proprio, & ſpeciali: alia iure communi, vniuerſali, & ordinario: alia iure ſupremo, ſiue deuoluto, de quibus ſingulis, ſuo quoque ordine dicendum eſt.

6. Sunt enim, qui ſummo Pontifici, duplicem aſſignauerint diœceſim, aliam ſpecialem, aliam vniuerſalem, quibus & *Vidus Conchilius in poſthumis, & pleriſque locis*, addit & Patriarchalem, ita vt prima, ſiue ſpecialis, competat ratione proprij Epiſcopatus, ſiue Romani, Patriarchalis, ratione Patriarchatus, cuius caput eſt Lateranenſis Eccleſia, tertia ratione vniuerſalis regiminis, ipſi Romano Pontifici, tanquam capiti deputato à Chriſto, & tanquam omnis iuriſdictionis, & poteſtatis fonti delata ſit.

7. Sed & illis, quodammodo accedere videtur, *Iacobus Sirmundus in cenſura coniecturæ Anonimi de ſuburbicariis Eccleſiis*, ſuamque opinionem, & ſententiam probare intendit, auctoritate *Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, epiſt. 6. cap. 4.* quam Anonimus, in ſuam mentem, & partes, Hincmarum adducturus, detruncauerat, & omnino immutauerat.

Digitized by Google

8. Sic igitur reſtituit ipſe Sirmundus, locum Hincmari ibidem *ſancta Romana Eccleſia, cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum, in Beato Petro eſt commiſſa, plures metropolitanos, in ſua ſpeciali diœceſi habet*, ex his enim verbis, *cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum, in Beato Petro eſt commiſſa*, vniuerſalem diœceſim, colligere licet, vt ex poſterioribus, ſpecialem diœceſim adnotare.

9. Verum enim, ſpecialis diœceſis, Romanam vrbem, & adiacentes regiones continet, in quibus, ſummus Pontifex, ordinarij iura exerceat, ſicut quilibet Epiſcopus, in ſua diœceſi, ſed quia ordinarius eſt ordinariorum, *can. cuncta per mundum 9. quaeſt* 3. ideo omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & totius orbis Chriſtiani regimem ipſi commiſſum eſt.

§. NONVS.

De collationibus beneficiorum, in Curia Romana vacantium.

1. *Facultas conferendi beneficia, in curia vacantia, antiquiſsima ipſique Pontificiæ poteſtati innata.*
2. *Probatur ex* cap. licet de præb. in *6. cui ſuus intellectus redditur.*
3. *In collationibus beneficiorum, in curia vacantium, ſummus Pontifex preueniri non poteſt.*
4. *Quæ beneficia in Curia vacent, & intra quod tempus, conferenda.*

1. NVnc igitur, quod ſummus Pontifex, beneficia in curia vacantia conferat, ex ſuæ ordinariæ poteſtatis iure ſpeciali, & propriæ diœceſi attributo, deſcendere augurantur, interpretes iuris Pontificij, quod antiquius eſt, quàm eſſe finxerit, *Car. Molinaus in notis ad capit. licet de præb. in 6.* vbi poſt editionem tantum libri 6. decretalium, receptum fuiſſe teſtatur, nam & eius fit mentio in *capit. accedens de accuſat.* quod eſt Innocentij III. vnde concludi poteſt, Pontificiæ poteſtati, & dignitati, innatum eſſe, hunc conferendi modum.

2. Verum enim eò facilius adducimur, quod in *d. capit. licet* 2. *de præb. in 6.* vbi huius vacationis beneficiorum in curia fit mentio, Clemens IV. huius capituli auctor, *collationem Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, & beneficiorum, apud ſedem Apoſtolicam vacantium, ſpecialius cæteris, antiquam conſuetudinem, Romanis Pontificibus, reſeruaſſe teſtatur* quod confirmatur, *cap. ſequenti, &* 34 *de præb. in 6.*

3. Et ex eo pariter fluxiſſe credimus, quod in ea collatione ſummus Pontifex, ab ordinariis anteuerti, vel preueniri non poteſt, intra ſpecialis diœceſis, & territorij fines, *cap.* 2. 3. *&* 4. *de præb. in 6.* quia neminem vel parem, vel ſuperiorem agnoſcit, quamuis in aliis collationibus, iure vniuerſali peractis, ordinariorum præuentioni ſubiaceat, vt infrà dicemus, & pluribus tractat *Ioann. Lupus Palacios Ruuios in libello de beneficiis in curia vacantibus.*

4. Hæc autem, in curia vacare beneficia intelliguntur, quæ decedentium apud ſedem Romanam, ſiue Apoſtolicam, vel in vicinioribus locis, intra duas diætas, morte vacua fiunt, *d. cap. præſenti de præb.* quæ quidem ſummus Pontifex, intra vnum menſem, à die vacationis numerandum, conferre debet, alioquin liberæ ordinariorum collationi redduntur *d. capit. ſtatutum* 3. *de præb. in 6.*

§. DECIMVS.

De collationibus iure concurſus, vel præuentionis peractis.

1. *Concurſus ſummi Pontificis cum ordinariis probatur.*
2. *Romanus Pontifex, non aliis tantam conferendi poteſtatem contulit, quin ſibi maiorem reſeruauerit.*

3. *Probatur ratione naturali, & canonica.*
4. *Præuentiones Apoſtolicæ à pluribus expugnatæ.*
5. *Præuentionum Apoſtolicarum defenſio, ex Concilio Baſileenſi, contra Molinæum & Conchilium.*
6. *Explicatur* §. item circa de collat. in pragm. *contra Molinæum.*
7. *Prẹuentionum Apoſtolicarum vſus, receptus in concordatis.*
8. *In concurſu collationis ordinariæ, & Pontificiæ, præfertur, qui prius gratiam meruit.*
9. *Duplex ratio præuentionis exhibetur, & probatur.*
10. *Vbi concurrunt in data, præfertur, quæ poſſeſſionis adiectione iuuatur.*
11. *Vbi poſſeſſio concurrenti gratię non eſt adiecta, pręfertur, qui ab eminentiori dignitate obtinuerit.*
12. *In concurſu collationum Vicarij, & Epiſcopi, præfertur, quæ ab Epiſcopo prodiit.*
13. *Epiſcopi ordinariam poteſtatem exercent, non vicariam.*
14. *In iuriſdictione communi, per occupationem alterius, firmatur iuriſdictio.*
15. *Prẹuentioni locus eſt, inter Regem, & magnum Francię Eleemoſinarium.*
16. *Prẹuentioni locus datur, quando res ſunt integrę.*
17. *Probatur pluribus exemplis in id deductis.*
18. *Probatur & decretis Curię Pariſienſis.*
19. *Prẹuentionibus Apoſtolicis obices dati, per regulas Cancellariæ.*
20. *Ratio huius diſpoſitionis Pontificię.*
21. *Quæ regulæ Cancellariæ obicem dederint.*
22. *Indulta Cardinalibus conceſſa, præuentiones Apoſtolicas impediunt.*
23. *Receptus in Gallia indultorum vſus, & qua ex cauſa.*
24. *Definitur indultum, Cardinalibus, aut aliis collatoribus conceſſum.*

1. NEc tantum ſummus Pontifex, ſui Epiſcopatus, aut propriæ diœceſis, beneficia conferre ſolet, ſed etiam concurrit in beneficiis conferendis, cum omnibus totius orbis Chriſtiani Epiſcopis, & ordinariis collatoribus, cum vniuerſalis ſit Epiſcopus, & ordinarius ordinariorum, eadem ratione, qua Eccleſia Romana, omnium Eccleſiarum, dicitur mater, & magiſtra, in *cap. finali de foro compet. capit. vlt. de conſtit. apud Greg.*

2. Sed enim Romana ſedes, cum ſit veluti quidam fons, vnde ordinariorum emanauerint poteſtates, quod & ipſi teſtantur ordinarij, dum in capite codicillorum ab ordinaria poteſtate emanantium, ſe ſe Epiſcopos, Dei gratia, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ beneficio, profitentur, nulli cenſetur Romanus Pontifex, quantamcumque poteſtatem conceſiſſe, quin ſibi maiorem, & ampliorem reſeruauerit, vt dicitur in *capit. dudum 14. §. nos igitur de præb.*

3. Nec enim riuuli fontem vnde ſcaturiunt, exhaurire ſolent, nec luminare minus, ſolem ſuum, vnde lumen mutuatur, obſcurare, namque cæteri Epiſcopi, vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſummus vero Pontifex in plenitudinem poteſtatis, *cap. 4. de auct. & vſu pallij can. decreto 29. quæſt. 6.* quæ communicatione, vel participatione, ſicut lumen diminui non poteſt, vel ex minima parte lædi, vel coarctari, cuius probationem plerique aſſumunt ex eo, quod ſummus Pontifex, baculo in extrema parte curuato non vtitur, ſicut alij Epiſcopi, cuius curuatura reductionem poteſtatis denotat, vt auctor *Cardinalis Turrecremata in ſumma*, referente *Dayma in præmio concordat. fol. 64. verſ. vt dicit Ioannes col. 2. & ſeq.*

4. Et hæc quidem poteſtas Pontificia, iure ordinario, & communi introducta, ſemper & vbique obſeruata permanſit, quamquam plures, inter quos, *Carolus Molinæus in commentariis ad regulas Cancellariæ, & Vidus Conchilius in poſtumis ſparſim, & vbique*, præuentionibus Apoſtolicis, odium iniicere tentauerint, quod & aliquando tentauit Gallicana Eccleſia, imo & ſinguli Regni ordines, Aureliis conuocati, anno 1560. *art. 22.* quibus tuen-

dis, & defendendis, ſequenti anno miſſum habemus præſidem Ferterium, ad ſummum Pontificem, vt patet ex mandatis Regiis, ipſimet inſcriptis, & oratione ea de re habita, quæ exſtat in *altero volumine probationum, ad lib. eccleſ. Gall. cap. 22. num. 34. & 35.*

5. Quidquid enim illi conentur, & iiſdem locis tentatum ſit, certiſſimum eſt, iiſdem ſynodis quibus ſummæ, ac ſupremæ beneficiorum diſpenſationi, qua ſummi Pontificis liberius vtebantur, modus datus eſt, puta Baſileenſi, præuentiones Apoſtolicas, illibatas permanſiſſe, quaſi antiquiſſimus, & communis ſit vſus, ſed ſuis ſordibus, ſi quæ corruperint, expiandus, quod patet ex *ſeſſ. 21. eiuſdem ſynodi in decreto de collat.* & pariter apud nos, pragmatica ſanctione confirmatum eſt, in *tit. de collat. §. neque etiam*, vt obſeruat *eruditus Præſes Coſmas Guimierius ad hunc §. in verbo præuentionem.*

6. Et ex eo maxime obſtupendum, & demirandum, quomodo illi, præuentionum Apoſtolicarum hoſtes acerrimi, in ſuam mentem, & probationem, pragmaticam noſtram ſanctionem adducunt, in *§. item circa eod. tit.* quia vt apposite, & ad rem obſeruauerunt ipſe *Coſmas Guimierius & Philippus Probus in additionibus ibidem in verbis item circa*, decretum Gallicanæ congregationis non continet, ſed ſolum admonitionem, & ſupplicationem, Baſileenſis ſynodi Patribus, per oratores regios faciendam, & reuera ab ipſis habitam, vt patet *ex actis ipſiuſmet Concilij.*

7. Et hæc tamen admonitio, adeo neglecta fuit, vt pote diſpoſitioni iuris communis repugnans, & contraria, vt in conuentione Bononienſi, quæ collationibus pontificiis legem dedit, præuentionum Apoſtolicarum vſus probatus fuerit, in *tit. de mand. Apoſt. in §. declarantes*, quod & probat *Mathæus Pacus Tholoſanus Profeſſor ad tit. de mand. Apoſt. in concord. in verbo iure præuentionis*, quamquam *Petrus Pithæus in ſua collectione lib. Eccleſ. Gall. art. 55.* aſſeruerit, ſummum pontificem, tantum ex conniuentia, & patientia, vti iure præuentionis, in hoc noſtræ Galliæ regno.

8. Eſt autem huius concurſus vis, ac poteſtas in eo, vt cum agitur de beneficio, duobus ſimul collato, alteri à ſummo pontifice, alteri ab ordinario, ille præferendus ſit, qui prius collationis gratiam meruit, ſiue à ſummo pontifice, ſiue ab ordinario, *capit. ſi à ſede 31. de præb. in 6. Clementina 1. vt lite pend. nihil innon.*

9. Verum huius præuentionis duplex ratio, in collationibus quibuſcumque, obſeruanda eſt, altera inſpecto tempore, altera conferentis dignitate perpenſa, *d. capit. ſi à ſede de præb in 6.* quod euenit, cum vna eademque die, duobus, dignitas Eccleſiaſtica collata fuerit, alteri à ſummo pontifice, alteri ab ordinario, nec apparet, quænam fuerit occupantis collatoris diligentia.

10. Tunc enim primùm, ipſius reſcripti attenditur executio, per adeptionem poſſeſſionis, vt is præferatur, qui primùm quæſierit poſſeſſionem, *d. cap. ſi à ſede* vigilantibus enim iura ſubueniunt, *leg. 24. dig. quæ in fraud. cred.* quemadmodùm ſi duobus, eadem res vendita fuerit, præfertur is, qui primum quæſierit poſſeſſionem, *lege quotiens 15. cod. de rei vind.* quod & in donationibus obſeruatur, vt notant Imperatores in *eadem lege*, vt & *Yuo Carnotenſis epiſt. 212.* ad cuius naturam collationes propius accedunt.

11. Quod ſi nullus collatariorum, titulo poſſeſſionem adiecerit, tunc ſecundum prædictam regulam, is anteponendus eſt, qui à ſede Apoſtolica, Eccleſiam impetrauit, propter ampliorem conferentis poteſtatem, cui prælationis honor habendus eſt, *cap. ſi à ſede de præb. Clem. vnica, vt lite pend. nihil innon.*

12. Verum enim, & pari ratione, ſi eadem die, ab ordinario alteri, ſiue ab Epiſcopo, collatum ſit beneficium, à Vicario generali eiuſdem Epiſcopi alteri conceſſum, potior erit, qui ab Epiſcopo collatum habuerit, nec enim poteſtas vicaria attenditur, vbi ordinaria concurrit, in cuius defectum, vel ſubſidium vicariæ poteſtati tantum locus redditur.

13. Nolim tamen, vt eam regulam, ab hac quæſtionis ſede, quæ de Epiſcopo, & eius Vicario generali inſtituitur, protrahas ad concurſum ſummi Pontificis, & ordinarij, ne ex ea concludas Epiſcopos, Vicaria tantum poteſtate defungi, vere enim ordinariam, exercent in ſua diœceſi, ſuæque dignitatis iure ipſiſmet competentem, *can. omnes Baſilicæ 16. quæſt. 1.* non mandatam, ſed eamdem cum ſummo Pontifice, intra eiuſdem diœceſis terminos.

14. Et ex eo concludendum eſt, qua ratione obſeruari ſolet, in iuriſdictione communi, & pluribus competente in ſolidum, vt per occupationem alterius, firmetur iuriſdictio, *capit. cum plures de offic. iud. deleg. in 6.* ita per præuentionem alterius, vires accipit collatio, & quaſi in vno ſiſtitur, quæ pluribus communis erat, argumento *§. 1. & 11. inſtit. de rer. diuiſ. & adq. rer. dom.*

15. Et ea quidem ratione, notat *Antonius Fabricius lib. 2. Theoriæ & paxis benef. tit. 2. num. 4. & in addit. litt. f.* ſenatum Rothomagenſem, ſuo decreto 4. Febru. anni 1601. iudicaſſe, inter Regem Chriſtianiſſimum, & Magnum Franciæ Eleemoſinarium, in diſpenſatione capellarum, in Xenodochiis deſeruiri ſolitarum, præuentioni locum eſſe, eaque ratione dum quæſtio moueretur, cuinam ex duobus, quibus ſacerdotalis locus, in Xenodochio Rothomagenſi, collatus fuerat, alteri à Rege, alteri à magno Galliarum Eleemoſinario, candidato regio addixiſſe, quia prius collationis gratiam meruerat.

16. Verum illud præuentionis Pontificiæ ius, obſeruari ſolet, vbi res ſunt adhuc integræ, ſi enim ordinarius per quemlibet actum, etiamuis nullum, collationem ſummi Pontificis anteuerterit, præuentioni ordinariæ locus erit, quamuis per actum nullum, vel imperfectum inducta ſit, eoque modo, ſibi liberiorem conferendi poteſtatem, ordinarius conſeruabit, meliori actu exequendam.

17. Et illud quidem pluribus exemplis, iiſque ſelectis, patebit euidentius, veluti ſi indigno, vel incapaci contulerit ordinarius, ſi in electiuis beneficiis confirmationi ſubiacentibus, eligentes, ad electionem quibuſdam præludiis, actibuſque præparatoriis, ſeſe parauerint, ſi patronus Eccleſiaſticus (laici enim præuentionibus Apoſtolicis numquam colla ſubmiſere, vt ait *Molinæus ad reg. de infirm.*) præſentationis codicillos emiſerit ordinario collatori, cuius aures pulſauerint.

18. Tunc enim negotio incæpto, necdum peracto, nullus Pontificiæ collationi, ſiue præuentioni Apoſtolicæ, locus erit, vt pluribus probat curiæ Pariſienſis placitis & decretis *ſchaliaſtes D. Louetij litt. P. num. 25. & 43. idemque Fabricius lib. 2. prax. & theoria benef. tit. 6. num. 18. & in addit. litt. f. & lib. 2. tit. 12. num. 41. litt. S. & T. in addit. nec-non etiam collectores probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 22. num. 34. & 35.*

19. Eſt & alius, præuentionibus Apoſtolicis, ab ipſiſmet ſummis Pontificibus, obex iniectus, per quaſdam regulas, in Cancellaria Romana publicatas, nec-non apud nos, æquiſſimo iure receptas, & ſcriniis curiæ demandatas, vt ordinariorum iuri, per Apoſtolicas præuentiones quodammodo prærepto ſatisfieret, & ſua cuique iuriſdictio ſeruaretur, ſecundum *diui Gregorij mentem lib. 2. epiſt. 68.* quæ refertur in *can. peruenit. 11. quæſt. 1.*

20. Verum enim, cum reſignationis in fauorem indiſcrete receptus vſus, viuentibus adhuc, vel infirmantibus beneficiariis, omni aditu ad ordinarios præcluſo, ad eamdem curiam feſtinandi occaſionem præſtaret, vt ſub ſpecie, & prætextu reſignationis in fauorem, vel adiecta mortis clauſula, & conditione, viuentium, aut decedentium beneficia impetrarent, illud eueniebat, vt ſummus Pontifex, collationem ordinarij, facile anteuerteret.

21. Tunc igitur, vt ordinario locus integer remaneret, præſcriptæ ſunt tres regulæ, huius reſignationis gratioſæ, vel cuiuſlibet Pontificiæ collationis præuenientis, laxiorem vſum cohibentes, prima fuit, quæ de 20. diebus, vel infirmis reſignantibus appellabatur, altera, quæ de publicandis reſignationibus, poſterior quæ de veriſimili notitia obitus, de quibus commodius agemus, *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ canonicæ.*

22. Sed & præuentionibus apoſtolicis, remoram quamdam iniecerunt, ipſimet ſummi Pontifices, per indulta, quæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vel aliis collatoribus ordinariis, ex priuilegio, & gratia ſpeciali conceſſerunt, quibus, intra tempus ſemeſtre, vel aliudcumque, liberam beneficiorum conferendorum facultatem, ita confirmauerunt, vt nullis præuentionibus Apoſtolicis intercludi poſſet.

23. Et quidem eorum indultorum vſus, apud nos, omni fauore exceptus fuit, ſed & propter hanc potiſſimum rationem, quod ordinariam conferendi poteſtatem, ſuis impedimentis penitus expediat, & primæuæ libertati reſtituat, nec enim priuilegiorum naturam induunt, aut mutuantur indulta Apoſtolica, ſed potius dicuntur, reductio, ſiue recurſus, ad ſtatum veterum canonum, vt obſeruauere *Anaſtaſius Germonius Taurinenſis Archidiaconus in commentariis ad indultum Cardinalis Runerij, & Car. Molinæus ad reg. de infirm. num. 165. & pleriſque aliis ſequent.*

24. Sic itaque definit indultum, *ibidem Anaſtaſius Germonius in verbis per quæ ſublatis num. 92. remotio impedimenti, quod per regulas Cancellariæ Romanæ, & præuentiones Apoſtolicas, ordinariis collatoribus infertur,* de cuius vſu laxiore, vel liberiore, adeundus *ibidem Anaſtaſius Germonius*, & præterea recurrendum ad ea quæ & ipſi ſubiecimus *ad verba definitionis canonicæ §. 10. num. 18.*

Digitized by Google

§. VNDECIMVS.

De collationibus iure deuoluto peractis.

1. *Summus Pontifex, ex deuolutione collatitiæ poteſtatis, confert beneficia.*
2. *Fit deuolutio in collatitia poteſtate, ſicut in prouocationibus.*
3. *Deuolutio collatitiæ poteſtatis, orignem habet à Concilio Lateranenſi.*
4. *Vnde deuolutio facta ſummo Pontifici, ſuprema dicitur.*
5. *Poſt deuolutionem poteſtatis, conferens ordinarius, nihil agit.*
6. *Idem in electionibus obſeruabatur.*
7. *Duarenus reprehenſus, dum deuolutionem, caducum appellat.*
8. *Rationes, propter quas, deuolutio collatitiæ poteſtatis introducta.*
9. *Tempus collatoribus præſcriptum, non currit niſi à die notitiæ.*
10. *Deuolutione facta tranſit collatitia poteſtas cum ſuo onere.*
11. *Exemplum à caducis deſumptum, & deuolutionibus accommodatum.*

1. POſtremum ius, ſummo Pontifici competens, in conferendis beneficiis, deſcendit ex deuolutione poteſtatis, propter negligentiam ordinarij, non conferentis intra debitum tempus, vt patet ex *rubricis de ſuppl. neglig. prel.* vel indignam perſonam eligentis, *cap. cum in cunctis §. vlt. cap. congregato de elect.*

2. Et quidem illud ius, ſupremum diximus, & meliori fortaſſe denominatione, quam deuoluti, fit enim ab inferiori, quaſi per gradus, vſque ad ſuperiorem aſcenſio, vt obſeruatur in prouocationibus, ſiue appellationibus, in quibus ſeruatur ordo iudiciorum, ab inferiori ad immediate ſuperiorem, nec enim valent prouocationes, factæ omiſſo medio, cum tamen deuolutio, ſecundum communem intelligendi formam, ſit veluti quidam deſcenſus, ſuperioris ad inferiorem.

3. Verum illud primum originem duxit, ex generali Concilio Lateranenſi, conuocato ſub Innocentio III. vt patet ex *cap. 2. de conceſſ. preb. cap. de multa 28. de prebend.* quibus, ſemeſtre tempus, ſtatutum ordinariis collatoribus, intra quod, beneficia ſuæ collationi addicta, conferre poſſint, & debeant.

4. Sedenim, eo ſemeſtri tempore elapſo, collatio deuoluitur, ad proxime ſuperiorem, vſque dum conferendi poteſtas, ſiſtat in ſummo Pontifice, tanquam omnium dignitatum, & collatorum ſolſtitio, & ſupremo apice, vnde frequentes clauſulæ, in codicillis collationum Pontificiarum, deuolutionis ex Lateranenſi Concilio mentionem habentes.

5. Verum ſemeſtri illo tempore, cuique ordinario præſcripto finito, & elapſo, extinguitur pro hac vice, negligentis poteſtas, ita vt, collatio, poſt illud tempus habita, nulla ſit ipſo iure, propter decretum Lateranenſis Concilij, collationem irritam nunciantis, & transfertur illa poteſtas, ad proxime ſuperiorem, gradatim, donec ad ſummum Pontificem deuenerit.

6. Sed & illud etiam obſeruatur, in electione, quæ circa perſonam indignam habita eſt, tunc enim, ad huiuſmodi electionem procedentes, pro hac vice eligendi poteſtate priuantur, *d. capit. cum in cunctis §. vlt. capit. congregato de elect.* & transfertur ad proximum, & immediate ſuperiorem.

7. Et ex eo, illud conſtat, non recte à *Duareno in tractatu de ſacr. Eccleſ. miniſt. lib. 5. cap. 5.* eum conferendi modum, caducum appellari, ſimilitudine deſumpta, à caducis hereditatibus, & legatis, quæ omnino per defectum extinguntur, & remanent penes heredem, nulla deuolutione ad alium facta.

8. Sed & ea conferendi ratio, introducta fuit, ne diutius Eccleſiæ Paſtore viduatæ remanerent, neue collator ordinarius, propter ſpem percipiendorum fructuum, beneficij vacantis collationem vlterius differret, quod patet *ex capit. 3. 4. & vlt. de ſuppl. prel. & alibi paſſim.*

Digitized by Google

9. Sed tamen ex illis locis, & præſertim *ex d. cap. 3. de ſuppl. neglig. præl.* concludendum eſt, tempus illud ſemeſtre, collatoribus ordinariis præfixum, non à die vacationis beneficij, ſed à die notitiæ currere, ſicut plerumque in iure ciuili obſeruatur, veluti in petenda bonorum poſeſſione, cuius dies dicuntur vtiles, non continui, in *lege 2. cod. qui admitti ad bon. poſeſſ. poſſ.* & ab eo die incipere, quo quis ſciuit, vel ſcire potuit.

10. Verum hoc maxime aduertendum eſt, deuolutione facta ad ſuperiorem collatitiæ poteſtatis, ipſam, cum ſuo onere, & conferendi neceſſitate, recurrere, ita vt, ſi negligens graduato, ſi aliter qualificato, conferre debuerit, ſuperiori, neceſſitas eadem incumbat, *Clem. vnica de ſuppl. neglig. præl.* quod pluribus tractat *Felinus in cap. cum acceſsiſſent de conſtit. num.* 18.

11. Nec longius differt, quod in caducis obſeruari ſolet, ſi poſt exploſam Duareni ſententiam, adhuc eo exemplo vti licet, quæ cum onere adiecto, ad heredem ipſum recurrunt, vel potius, penes eum remanent, vt probatur ex *lege vnica §. pro ſecundo cod. de cad. toll.* vt iiſdem legibus, & conditionibus, exequenda veniant.

---

§. DVODECIMVS.

De collationibus Legatorum Summi Pontificis.

1. *Legatus ſummi Pontificis, inter ordinarios reputatur.*
2. *Legatus ſummi Pontificis, concurrit cum ordinariis, & eos præuenire poteſt.*
3. *Probatur præueniendi poteſtas in legatis.*
4. Explicatur §. declarantes de mand. Apoſt. in concord.
5. *Legatus ſummi Pontificis, non eſt vere ordinarius.*
6. *Legatorum alij nati, alij miſsi.*
7. *Exempla Legatorum, qui nati dicuntur.*
8. *Legatorum alij de latere miſſi, alij ſimpliciter.*
9. *Legati de latere vnde ſic appellati.*
10. *Comparatio Legatorum ſummi Pontificis cum Legatis Proconſulis.*
11. *Similitudines vtriuſque explicantur.*
12. *Facultatum Legatis conceſſarum exempla vnde petenda.*
13. *Facultates Legati non admittuntur in Gallia, niſi probatæ ſint à ſenatu.*
14. *Vbi Legatus excedit fines facultatum, locus ſit appellationi tanquam ab abuſu.*

1. INter collatores ordinarios, ſecundum locum obtinet, Legatus ſummi Pontificis, qui maiorem omnibus, poſt Romanum Pontificem, in prouincia ſibi decreta, imperium habet, vt dicitur in *capit. ſi abbatem* 36. §. 1. *de elect. in* 6. adeo vt, in *capit. 2. de offic. leg. eod.* Clemens IV. auctor capituli, inter ordinarios reputauerit, Legatum ſedis Apoſtolicæ.

2. Ille enim, ſicut ſummus Pontifex, in prouincia ſibi demandata, concurrit cum omnibus ordinariis, in beneficiorum collatione, *cap. ſi à ſede de præb. in 6.* eoſque omnes diligentiori collatione præuenire poteſt, vt probant *Panormitanus in cap. vlt. col. 2. de confirmat. vtili vel inut. Rebuff. in tract. nominat. quæſt. 17. num. 16. verſ. Legatus*, quamquam illam præueniendi conſuetudinem, coarctare videatur, *Carolus Molinæus ad Reg. de infirm. num. 25. & ſequenti.*

3. Quamuis enim Legatis à latere, præuentiones adimere voluerint plerique interpretes, ex eo quod, Leo X. ſummus Pontifex *in concordatis tit. de mand. Apoſt. §. declarantes*, ius præuentionis ſibi, & ſucceſſoribus ſuis tantum reſeruare videatur, per hæc verba *nos, ſucceſſoreſque noſtros, iure preuentionis*, tamen concludendum eſt, his verbis, nequaquam Legatis à latere, ius præuentionis ademptum.

4. Namque illud ſolum agitur, in *d.* §. vt ſummus Pontifex, ius præuentionis ſibi reſeruet,

ſemet, non in quoſlibet, de quibus nec quæſtio, nec dubium mouebatur, ſed tantum aduerſus graduatos, & quoſcumque alios exſpectatiuis litteris gaudentes, quibus neglectis libere conferre poſſit, quod priuilegio illis conceſſo, conferendi poteſtatem ſibi pręripuiſſe non cenſeatur, quod Legatus à latere facere non poteſt, cum Bononienſium concordatorum obſeruatione alligetur.

5. In cæteris vero collationibus concurrit cum ordinariis, eoſque præuenire poteſt, iure communi ſubnixus, quod nullis concordatis ſublatum eſſe dignoſcitur, nec tamen vere ordinarius dici poteſt, cum poteſtatem habeat, potius ex mandato ſummi Pontificis, quam iure ordinario, & iure ſuæ dignitatis, vt cæteri collatores ordinarij, qui propriam exercent, nec ab alio mutuatam.

6. Cum autem agimus, de Legatis ſedis Apoſtolicæ cum ordinariis concurrentibus, illud intelligendum eſt de legatis à latere, vt iam monuimus: Legatorum enim alij ſunt nati, qui dignitati ſuæ innatam habent, legationis Apoſtolicæ functionem; alij miſſi, quod mittantur à ſummo Pontifice in prouincias ſibi decretas, vt mandata ſummi Pontificis exequantur.

7. At vero eorum qui nati dicuntur, exempla ſunto apud nos, in Archiepiſco Remenſi, cuius dignitas patet ex variis inſcriptionibus, decretalium pontificiarum, in Anglia Cantuarienſis, & Eboracenſis, *cap. 1. de off. leg. cap. 1. de appell.* Gueſnenſis in Polonia, in Italia Bononienſis, & alias Bremenſis in Germania, vt notauit *Adamus in hiſt. Eccleſ. Brem. cap. 27. Renatus Chopinus lib. 2. de ſacr. polit. tit. 4. num. 3.* cæteri omnes legati miſſi dicuntur.

8. Horum autem, quidam ſola Epiſcopali dignitate fulgentes, ſolam, & ſimplicem miſſorum denominationem habent, alij de latere ſummi Pontificis Cardinales emittuntur, vnde Laterales appellantur ab *Yuone Carnotenſi epiſt. 109.* quod Cardinales circa latus ſummi Pontificis agere dicuntur, & perpetuo aſſidere, vt ipſi conſilium præbeant, in adminiſtratione totius orbis Chriſtiani.

9. Nec alia ratione, id euenire dicitur, quam in iure ciuili, iuriſconſulti in conſilium principis aſſumpti, circa latus principis agere dicuntur, à Papiniano in *lege iuriſperitos de excuſat. tut.* & ſilentiarios ſacri palatij, circa latus principis militare, teſtatur Anaſtaſius Imperator in *lege vlt. cod. de excuſat. tut.* vnde & pariter Laterales, Laterani, Lateranenſes, laterones, & latrones, dicuntur à *Lacerda in aduerſariis ſacris cap. 42. num. 2.*

10. Verum à latere Legatos, Clemens IV. in *cap. 2. de off. leg.* confert, & aſſimilat, cum proconſulibus, & præſidibus prouinciarum, quibus prouinciæ quædam moderandæ decretæ erant, & recte, tum propter ſummam, maioremque quam habebant poſt principem poteſtatem, vt conſtat ex *lege & ideo dig. de off. proconſ. & leg. & d. cap. 1. 36. §. de elect. in 6.*

11. Tum vero ex eo quod, vt præſidibus prouinciarum, vel proconſulibus, in prouinciam emittendis, mandata quædam dabantur, quæ eorum poteſtatem continebant, *lege mandatis 35. de pœnis lege 1. dig. de colleg. lege 1. cod. de mand. princip.* ita & Legatis ſummi pontificis.

12. Namque & eadem ratione, Legatorum à latere poteſtas, pendebat à mandatis ſummi pontificis, ipſi Legato delatis, quæ apud nos facultates Legatorum appellantur, celtiſmo noſtro *les facultez du Legat*, quarum exemplar legitur, *ad calcem pragm. ſanct. & paſſim in altero volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 23. & 24.*

13. Verum ex ſenatuſconſultis Curiæ Pariſienſis, huiuſmodi facultates approbantibus, conſtat in Gallia, ea demum mandata vires habere, cum ſenatus Pariſienſis decreto ſuo approbauerit, vt teſtatur *Renatus Chopinus lib. 2. de ſacr polit. tit 4. num. 4.* in quo refert alterum ampliſſimi ſenatus decretum, anni 1547. 10. Martij pronunciatum, quo huiuſmodi facultatibus, modus datus eſt, cui addi poſſint plura alia, quæ *iiſdem capitibus probationum ſubiiciuntur.*

14. Et illud quidem adeo verum eſt, vt huius decreti fines cuſtodire debeat Legatus, quos ſi exceſſerit, prouocationi tanquam ab abuſu locus erit, apud ampliſſimum ſenatum, vt probat *Molinæus in commentariis ad reg. de infirm. reſig. num. 186.* non alias quam ſi procurator, in negotiis temporalibus demandatus, mandati fines exceſſiſſet, tunc enim, vt habetur in *lege 51. dig. mandati,* aliud quid egiſſe dicitur, quod nullum omnino ſortiatur effectum.

Digitized by Google

§. DECIMVS-TERTIVS.

De collationibus ordinariis.

1. *Diuiſio poteſtatis collatitiæ, inter ſummum Pontificem, & ordinarios.*
2. *Epiſcopi in diœceſi ſua iuriſdictionem exercent, & voluntariam, & contentioſam.*
3. *Epiſcopus iure communi, omnes diœceſis ſuæ Eccleſias diſpenſat.*
4. *Ordinarius conferendi poteſtatem vbique exercet, etiam extra diœceſim.*
5. *Quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ, etiam vbique exerceri poſſunt.*
6. *Vicarius Epiſcopi vt conferre poſſit, ſpeciale mandatum habere debet.*
7. *Quid ſit ſpeciale mandatum conferendi, explicatur.*
8. *Vicarius mandatum conferendi habens, inter ordinarios reputatur.*
9. *Quæ differentia inter Vicarium Epiſcopi, & eum, qui mandatam habet iuriſdictionem.*
10. *Ordinarius quinam ſit explicatur.*
11. *Differentia inter ordinarium, & delegatum.*
12. *Ordinariæ iuriſdictionis exempla dantur.*
13. *Abbates, & Plebani, inter ordinarios reputantur.*
14. *Ordinarij nomen generaliter acceptum, quos comprehendat.*
15. *Stricte accepto ordinarij nomine, qui veniant.*
16. *Stricte accepto ordinarij nomine, nec Legatus, nec ſummus Pontifex continetur.*
17. *Nec Vicarij Epiſcoporum, ordinarij nomine ſtricte accepto, veniunt.*

1. INter collatores ordinarios: tertium, ſed præcipuum locum obtinent, ordinarij, qui cum in partem ſollicitudinis accepti ſint à ſummo Pontifice, qui in plenitudinem poteſtatis vocatus eſt, vt dicitur in *cap. 4. de auct. & vſu pallij*, *can. decreto. 29. quæſt. 2.* eis certæ diœceſes, tanquam huius ſollicitudinis partes, adminiſtrandæ obuenerunt, intra quarum terminos, omnimodam iuriſdictionem exercent, tum voluntariam, tum contentioſam.

2. Et primùm de contentioſa probatur, *capit. pernicioſam 1. & pluribus aliis de off. iud. ordin.* de voluntaria conſtabit euidentius, ex eo quod, cum in collatione beneficiorum maxime verſetur, ſecundum communem omnium interpretum opinionem, certum ſit ordinarios, omnes Eccleſias, in ſua diœceſi deſeruiri ſolitas, Eccleſiaſticas adminiſtrationes, perſonatus, dignitates, & alia quælibet beneficia, iure communi, ſiue ex lege diœceſana, de qua ſupra diximus, conferre.

3. Verum & illud probatur *can. decretum & tribus ſequentibus 10. quæſt. 1. can. omnes Baſilicæ 16. quæſt. 7.* qui deſumptus ex Concilio Aurelianenſi 1. & refertur in *capit. Car. Calui in reclamatione Epiſcopi Barcinonenſis*, quod adeo verum eſt, vt qui Eccleſiam de nouo ædificat, id efficere non poſſit, vt quam ei conſtituerit dotem, atque ipſam Eccleſiæ ordinationem, ab ordinarij poteſtate ſubtrahat, & adminiſtratione, *can. ſic quidam 10. quæſt. 1.*

4. Et hæc quidem facultas, ita eſt ipſi dignitati ordinariorum innata, vt in quemcumque locum venerint, etiam extra diœceſim, ſemper ipſos concomitetur, vbique executioni mandanda, quamuis in curia Romana reſideret ordinarius, modo beneficium in partibus, id eſt extra curiam vacauerit, quod notat *Ceſinas Guimierius ex Ioanne Andrea in capit. Apoſtolica de præb. in 6.* & eo caſu, ob reuerentiam ſedi Apoſtolicæ debitam, extra mœnia vrbis habenda eſt collatio, vt notat *Anaſtaſius Germonius ad indultum Cardinalis Ruuerij in verbo quoad vixeris num. 75. & ſequenti.*

5. Sed & eam opinionem ſua ratione confirmat, *gloſſa in capit. nouit in verbo terminos de offic. leg. apud Greg.* quod nempe collatio beneficiorum ſit tantum iuriſdictionis voluntariæ, quæ in volentes, nec inuitos exercetur, *capit. ſi tibi de præb. in 6.* quæ ſecundum regulam, in vtroque iure probatam, vbique exerceri poteſt, modo ab habente poteſtatem, etiam extra territorium, vel diœceſis præſcriptæ fines, *lege 2. dig. de off. proconſ. & leg.*

Digitized by Google

6. Quod ſimiliter, in vicario generali Epiſcopi obſeruatur, modo ſpeciale conferendi mandatum habeat, *cap. vlt. de offic. vic. in 6.* cum autem, conferendi ſpeciale mandatum dico, non ſpecialis beneficij conferendi mandatum intelligendum eſt, vt alias, & in aliis quibuſlibet negotiis, ſpeciale mandatum dicitur, ſed omnium quæ ordinarij collationi ſubſunt, induceret enim tale mandatum, votum captandæ mortis alienæ.

7. At enim ſpeciale mandatum, generali tantum mandato oppono, quod omnia, quæ ſunt iuriſdictionis Pontificiæ, non vero quæ ſunt ordinis exequendi poteſtatem contineret, ſine ſpeciali conferendi nota, cum enim collatio donationem ſapiat, vnde & conceſſio appellatur, in *rubrica de conceſſ. præb. capit. poſt electionem eod cap. relatum de præb.* generali mandato non continetur, *cap. vlt. de off. vic. in 6.* vt alias, & ſæpius in iure ciuili, generali conceſſa adminiſtratione, donandi facultas non transfertur, *lege contra §. ſi filius dig. de pactis leg. 1. dig. de donat.*

8. Cum autem Vicarius Generalis Epiſcopi, conferendi ſpeciale mandatum habet, ordinarij locum ſuſtinet, vt probat *Abbas Panormitanus in capit. duobus de re iud* quamuis Vicariam poteſtatem exercere dicatur, & ex mandato Epiſcopi, vt in iure ciuili Legatus proconſulis, & in hoc iure noſtro Pontificio, Legatus à latere, quem ordinarij poteſtatem exercere diximus.

9. Namque & illud obſeruandum eſt, huiuſmodi mandata, quibus legato Proconſulis, vel ſummi Pontificis defertur iuriſdictio, iure ciuili & canonico confirmata eſſe, vt patet ex *rubricis dig. de offic. proconſ. & leg. & in iure canonico de offic. Leg. & de offic. vic.* vnde, nec ex mera voluntate mandantium dependent huiuſmodi mandata, & ea exercent legati, quæ ſunt legis, & meri imperij, vt patet ex *d. tit. de off. proconſ. & leg.* & quæ alias, ipſa tantum iuriſdictione mandata, non tranſirent, vt probatur in *tit. de off. eius cui mandata eſt iuriſdictio.*

10. His itaque præmiſſis, ordinarius dicitur in iure Pontificio, qui ſuo iure, ſiue iure ſuæ dignitatis, iuriſdictionem habet, non autem ex ſolo mandato, ſiue delegatione alterius, vnde opponuntur iudices delegati, & ordinarij, in vtroque iure, & diuerſi ſunt tituli, & rubricæ, eorum officia explicantes, ordinarij enim iuriſdictio naturalis dicitur, à *Ioanne Monacho in gloſſa cap. 4. de cenſ. in 6.* quaſi ipſorum dignitati innata, eiuſque comes indiuidua, vt expoſuit *Franc. Meinardus anteceſſor Pictauienſis ad reſcriptum Honorij III. in capit. conquærente 16. de off. iud. ord.*

11. Verum enim delegati iuriſdictio, eſt quodammodo extranea, & ex alterius voluntate dependens, vnde ſæpius precaria appellatur, & ideo in iure ciuili, definitur iuriſdictio ordinaria, quæ iure magiſtratus competit, in *lege 5. dig. de iuriſd. omn. iud. l ge 1. de off. eius cui mand. eſt iuriſd.* & ipſa mandari poteſt, delegati autem iuriſdictio, quæ non niſi mandata tranſit, nec rurſus ab eo qui mandatam ſuſcepit, iterum mandari poteſt.

12. Iuriſdictionis itaque ordinariæ, in iure Pontificio exempla ſunto, in Epiſcopis eorumque ſuperioribus Archiepiſcopis, ſiue Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis, quibus ſingulis, ſuæ diœceſes adminiſtrandæ creditæ ſunt, ita tamen vt quæ ſunt iuriſdictionis, & diœceſanæ legis, in diœceſi ſibi ſubditorum Epiſcoporum, non poſſint exercere, niſi ſummo iure, ſiue deuoluto, vt *pleriſque locis probat Vidus Conchilius in poſthumis.*

13. Sunt qui, & inter ordinarios, reputauerint Abbates, quibus monaſteriorum adminiſtrationes demandatæ ſunt, item Plebanos, quibus ſingulæ parrochiæ, regendæ obuenerunt, de quibus omnibus ſupra diximus *ad verba definitionis noſtræ militia cap. 4. de diuiſione beneficiorum*, nam vt Epiſcopus in ſua diœceſi, omnimodam iuriſdictionem exercet, *cap. 7. de off. ordin. in 6. cap. 4. de mat. & obed.* ſic & alij quilibet prælati, iuriſdictionem, in ſibi ſubditos habere noſcuntur, *cap. 1. de off. iud. ordin. cap. 2. de iud.*

14. Duplici autem modo acceptum ordinarij nomen, in iure Pontificio adnotare poſſumus, generali & latiſſimo, item ſpeciali & ſtricto, generaliter acceptum ſummi Pontificis poteſtatem comprehendit, qui ordinarius ordinariorum dicitur, *capit. 23. de priuileg. in 6. can. cuncta per immundum 9. quæſt. 3.* itemque Legatum ſummi Pontificis, ſaltem de latere miſſum, quamuis iuriſdictionem, ex mandato exerceat, vt iam probauimus, ex *cap. 2. de off. leg. in 6.*

15. At vero ſtrictè ſumptum ordinarij nomen, ſolos Epiſcopos, Abbates, & Plebanos comprehendit, vt dicitur in *capit. ordinarij 30. de offic. ordin.* & adnotauit *Coſmas Guimierius ad pragm. ſanct. tit. de collat §. item quod omnia in verbo ordinarios, & in tit. de pacif. poſſeſſ. §. ordinarij in verbo ordinarij ibidem*, nec vero Legatos ſummi Pontificis.

16. Namque in d. locis, animaduertit Guimierius, quamuis Legati ſummi Pontificis,

beneficia ſimpliciter conferant, poteſtatem tamen eorum, à iure accidentaliter introductam eſſe, & collatoribus ordinariis, quos & naturales vocat, ex ſententia Ioannis monachi, præiudicium non leue afferre, quod & de ſummo Pontifice ſubiicit, propter conferendi prærogatiuam ipſi competentem.

17. Sed & illis addere poſſis, ordinariorum Vicarios generales, qui & ordinariorum generaliter accepto vocabulo, comprehenduntur, quamuis enim iuriſdictionem exerceant, ex mandato alterius, ordinariam tamen iuriſdictionem habere dicuntur, non mandatam, aut delegatam, vt probat Abbas Panormitanus in *capit. duobus de re iud.* & ipſimet ſupra probauimus, exemplo legati Proconſulis, nec tamen ſtrictè ſumpto ordinarij nomine, venire intelliguntur, vt nec Legati, qui & generali nomine comprehenduntur.

---

§. DECIMVS QVARTVS.

De collationibus Regiis, & primum de his, quæ iure Regaliæ procedunt.

1. *Rex Galliæ in conferendis beneficiis mediam perſonam ſuſtinet, inter S. P. & ordinarios.*
2. *Rex Galliæ confert beneficia, duabus ex cauſis.*
3. *Defenſio iuris collatitij, Regibus noſtris competentis.*
4. *Reges noſtri ſacerdotalis, & laicæ poteſtatis, participes facti.*
5. *Probatur illud & in aliis pleriſque principibus.*
6. *Regalia, primum ius conferendi Regibus noſtris competens.*
7. *Regaliæ origo antiqua, & hominum memoriam excedens.*
8. *Longæui vſus, & conſuetudinis commendatio.*
9. *Probatur Regaliæ vſus in Conciliis Generalibus.*
10. *Regalia ab Alexandro III. approbata.*
11. *Item probatur à Gregorio XI.*
12. *Rationes quibus innititur Regaliæ vſus, & auctoritas.*
13. *Collatio beneficiorum eſt in fructu.*
14. *Diſputatio circa Regaliæ vſum, temporibus Nicolai III.*
15. *Altera diſputatio temporibus Bonifacij VIII.*
16. *Differt ordinatio clericorum, ab ipſa beneficiorum collatione.*
17. *Temporibus Calchedonenſis ſynodi, ordinatio, & collatio, eadem actione peracta, vnde vtraque ſpiritalis.*
18. *Beneficiorum collatio, temporale quid habet.*
19. *Qua ex cauſa Rex Galliæ, beneficia curam animarum habentia, non conferat.*
20. *Definitur Regalia, prout apud nos obſeruatur.*
21. *Regalia ius præcipuum, & peculiare Regum noſtrorum.*
22. *Imperatores Germanorum, nullam Regaliæ noſtræ communionem habent.*
23. *Primariæ preces Imperatoris, non accedunt ad Regaliam.*
24. *Reges Angliæ quam partem Regaliæ, & quo titulo habuerint.*
25. *Regalia non minus propria Regum Galliæ, quam patria poteſtas Romanorum.*
26. *Duplex Regalia temporalis, & ſpiritalis.*
27. *Regaliæ vſus, mere regius eſſe probatur.*
28. *Regalia diffunditur in omnes huius Regni prouincias.*
29. *Remiſſio Regaliæ perſonalis, & morte concedentis exſpirat.*

Digitized by Google

30. *Reges noſtri iuri Regaliæ renunciare non potuerunt.*
31. *Regalia locum habet in regionibus, de nouo regno adiectis.*
32. *Concordata pariter, ad regiones de nouo adiectas extenduntur.*
33. *Sola beneficia ſimplicia Regaliæ ſubiacent.*
34. *Quæ ſpectanda, vt locus fiat Regaliæ.*
35. *Quando Epiſcopalis ſedes, vacare intelligatur.*
36. *Quandonam, & quibus ſolemnibus Regalia claudatur.*
37. Refertur & explicatur conſtitutio dum Epiſcopus.
38. *Quando beneficium, iure Regaliæ vacare cenſeatur.*
39. *Amplioris diſputationis remiſſio ad ſpeciales tractatus* & ad verba definitionis Canonica §. 14.

1. IN conferendis beneficiis, mediam quamdam inter ſummum Pontificem, & ordinarium, perſonam ſuſtinet Rex noſter Chriſtianiſſimus, iuris, & priuilegij, vtrique competentis in collationibus beneficiorum, particeps factus, quid ni vero, cum Rex noſter Chriſtianiſſimus, mediam inter vtrumque perſonam exhibeat.

2. Namque omiſſis variis ad beneficia nominandi facultatibus, Regi Chriſtianiſſimo competentibus, de quibus ſupra egimus, beneficia Eccleſiaſtica, canonicatus & præbendas, perſonatus, & Eccleſiaſticas adminiſtrationes, confert duabus ex cauſis, nullius adiutus auxilio, vel beneficio, quemadmodum ſupra adnotauimus, *ad verba definitionis noſtræ Clerico*, cum quarumdam Galliæ Eccleſiarum matriculis, tanquam canonicum adſcribi diximus.

3. Verum ius illud, nulli vnquam inuidiæ cedere debuit, vel odio, cum Rex noſter Chriſtianiſſimus, quamuis nullo Clericali ordine donatus ſit, meram laici perſonam non ſuſtineat, vt obſeruauit Ioannes Monachus, quamuis Regibus noſtris hoſtis infenſiſſimus ad *capit. 2. de præb. in 6.* 4. Et antiquius, longoque ante eum interuallo, de Imperatoribus Chriſtianis teſtatus eſt *Theodorus Balſamon ad can. 60. Sextæ ſynodi in Trullo*, Imperatores, & Principes, Chriſtos Domini, ſiue vnctos appellat, quod ad altare Domini quandocumque voluerint, ſicut Pontifices accedere poſſe aſſerit.

5. Sed & illud adeo verum eſt, vt Demetrius Chomatenus, Archiepiſcopus Bulgariæ, Biſantinos Imperatores, regiam ſimul, & Pontificiam dignitatem, coniunctam habere, & tanquam Domini vnctos, Pontificalibus gratiis decorari dixerit, quod & ipſi Romani, licet vana ſuperſtitione ducti, agnouerunt: exſtat enim legis Regiæ vetus fragmentum, quod ſacrorum poteſtatem Regibus tribuat, ex quibus omnibus patet, ſacerdotiorum diſtributionem Regibus noſtris, non eſſe denegandam.

6. Prima igitur conferendi ratio Regibus noſtris quæſita, eſt ea quæ naſcitur, ex ſacro, & auguſto iure Regaliæ, quod multis rationibus, & argumentis, concutere tentat *Boet. Epo lib. 1. heroic. & Eccleſ. quæſtionum de iure reg. ſiue principum in benefic.* non alia ex cauſa, quam quod Regi Hiſpaniarum, domino ſuo, & principi, idem ius adſcribere non potuerit, ſimilis factus Æſopianæ ſimiæ, quæ cæteras omnes iucundaras volebat, quod ex caſu, cauda ſpoliata fuiſſet, increpans, & ſociis perſuadere conata, onus eſſe inutile, atque etiam corporis venuſtatem, & maieſtatem lædere.

7. Sed enim illud ius, ex more antiquo, Regibus noſtris competere, recte ait *Hugo Abbas ſancti Dionyſij*, namque Regalia, omni iure canonico antiquior, legi Regiæ, necnon ipſi coronæ coæua dicitur, cuius auctoritas, eo firmiores radices egit, quod origo incognita, omnem hominum memoriam excedens, in poſteriora tempora, & hodierna, continua obſeruatione ſe ſe effudit Ægiptiaco Nilo ſimilis, cuius eo nobilior eſt curſus, quod origo latet, & vſque hodie incognita permanſit.

8. Hæc eſt enim temporum auctoritas, vt legitima quæque reddat, maxime, dum palam, & publice, poſſeſſio proceſſit, ſcientibus, imo etiam approbantibus his, quorum intererat, & quos grauare poterat poſſeſſio, vt patet ex *lege* 1. §. 23. *dig. de aqua quotid. & æſt.* ex qua concludunt interpretes, tum iuris ciuilis, tum iuris canonici, cum iureconſulto, vetuſtatem vim legis obtinere, quod contigit in ipſo Regaliæ noſtræ vſu, & obſeruatione.

9. Namque illud conſtat, & ipſum regaliæ noſtræ vſum, & Generalium Conciliorum, & Romanorum etiamnum Pontificum, approbationem meruiſſe, id patet ex Generali

Digitized by Google

Concilio Lugdunenſi, ſub Gregorio X. relato in *capit. generali de elect. & elect. poteſt. in 6.* & ex Concilio Baſileenſi, cuius mentio fit, in *pragmat. ſanctione in tit. de annatis §. item quod dicta*, quibus regaliorum vſus firmatur, quem & plures Romani Pontifices, decretalibus epiſtolis laudauerunt.

10. Verum enim, inter plures, exſtat altera Alexandri III. relata in *capit. 6. de iure patron. in 1. collect decret.* ex qua manifeſtum fit, ſummum Pontificem laudauiſſe collationem præbendæ, in Eccleſia Vellenſi, quæ ſedes eſt Epiſcopalis Angliæ, ab illuſtri Anglorum rege, Thomæ clerico factam, ipſa ſede Epiſcopali vacante, quæ quidem decretalis epiſtola, quia iuris regaliorum mentionem habebat, ideo à Gregoriana collectione decretalium abſceſſit, vt aliæ plures, quia ius, & poteſtatem regiam in conferendis beneficiis confirmant, quas videre eſt, *in priore volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 16. per totum.*

11. Eſt & altera Gregorij XI. bullata epiſtola, Carolo Francorum Regi emiſſa, quam inter plures memoratas, ab *Arnulpho Ruſæo in prima præfatione tractatus iuris Regaliorum* huius iuris probatorias ſeligo, quia plenius refertur à *Renato Chopino lib. 1. de ſacr. polit. tit. 7. num. 14.* ex qua manifeſtum fit, pariter ſummum Pontificem, approbauiſſe remiſſionem iuris regaliorum, in Archiepiſcopatu Rothomagenſi, à Carolo rege conceſſam, in gratiam Narbonenſis Archiepiſcopi, in Rothomagenſem ſedem tranſlati, quem idem Pontifex, conſanguinitatis vinculo, ſibi coniunctum aſſerit ibidem.

12. Nec tamen ſine cauſa, aut ratione, illius iuris poſſeſſio proceſſit, cum enim reges noſtri, patroni ſint omnium Cathedralium Eccleſiarum, in regno ſuo exiſtentium, cum poſſeſſionum eiſdem annexarum domini ſint, ratione feudi, aut ſuperioris dominij coronæ ſuæ adquiſiti, quarum ratione Epiſcopi, fidelitatis ſacramentum exhibere debeant, æquum fuit, & primæuæ legi feudorum conſonans, vt ſede Epiſcopali vacante, fructus ſuos faceret, & lucraretur.

13. Et ex eo eſt quod cum ipſa conferendi facultas, fructibus annumeretur, ſecundum *Abbatem Panormitanum & alios interpretes in cap. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. inuou. & gloſſam in capit. cum olim de mai. & obed* legitimæ fructuum perceptioni, Regibus noſtris iure feudi adquiſitæ, cedere debuit, quidquid in contrarium oblatret, *Boet. Epo in d. tract. Reg. ſiue iure princip. in beneſ. num. 93. & ſequent.*

14. Et ea fuit, celeberrimæ diſputationis decidendæ ratio, temporibus Nicolai III. ex Vrſinorum familia ſummi Pontificis & Philippi III. Francorum regis habitæ, circa regaliæ vſum, & obſeruationem, de qua *Ioannes Monachus ad d. cap. 2. de præb. in 6. & Ioannes Andreas*, quamuis ſuſpecti teſtes, & domeſtici curiæ Romanæ, in qua placuiſſe referunt legitimum eſſe, noſtræ regaliæ vſum, nec quicquam habere, Eccleſiaſticæ diſciplinæ contrarium.

15. Sed & eamdem diſputationem, temporibus ſuis renouatam, inter Bonifacium VIII. ſummum Pontificem, & Philippum Pulchrum Gallorum regem, teſtari debuerat idem Ioannes Monachus, diſputationis teſtis perpetuus, eiuſdem Philippi conſtitutione, apud Vicennas prorogata, menſe Octobri anno 1334. deciſam, iiſdem fere rationibus, quibus priori diſputationi ſua deciſio addita fuerat, & inde eò firmiores radices egit, regaliæ vſus, & conſuetudo, quod contradicto quandoque iudicio, confirmata ſit, vt dicitur in *lege 34. dig. de leg.* & recte.

16. Nec enim confundenda ipſa ordinatio, ſiue ad ordines Eccleſiaſticos promotio, & collatio beneficiorum, cum omnimodo differant inter ſe, illa mere ſpiritalis eſt, hæc aliquid temporale redolet, prioris erogandæ Reges incapaces, cum ſint laici, poſterioris capaces, cum ſint domini, & patroni, adeo vt, vtroque iure ſubnixi, plures alij principes, non tantum præſentandi, ſed & conferendi facultate gaudeant, vt Comitiſſa Flandrenſis in *cap. vlt. de conceſſ. præb. & capit. dilecto. 4. de teſt. & atteſt.* & rex Angliæ in *cap. cum inter de conſuet. in 3. compil. decretal.*

17. Verum enim, dum ex Concilio Calchedonenſi, nemo abſolute ordinabatur, ſed relatiue ad Eccleſiam, alicuius monaſterij, vel ciuitatis, vel pagi, *can. neminem, can. ſanctorum diſtinct. 70.* tunc, quia vna eademque functione, ordinatio, & collatio beneficij celebrabatur, vtraque vnam, eamdemque naturam, ſpiritualem ſcilicet induebat, nec cadere poterat, niſi in Ecclaſiaſticam perſonam.

18. Sed tamen hodie aliud euenit, cum enim, imminuta Calchedonenſis ſynodi ſanctione, & contrario vſu abrogata, ipſa ordinatio, & beneficij collatio, ſeparatim, & quaſi diuiſis actionibus peragantur, magis temporale quid ſapit collatio beneficiorum, quam ſpiritale, vnde nec illud nouum eſt, plures laicos & collationis beneficio gaudere,

Digitized by Google

vt de Comitiſſa Flandrenſi in *cap. vlt. de conceſſ. preb. cap. dilecto de teſt. & atteſt.* & pariter Rex Angliæ in *d. cap. cum inter de conſuet. in 3. compil. decretal.*

19. Et inde fluxit, quod cum beneficiorum curam animarum habentium collatio, miſſionem quamdam Apoſtolicam præſtet, cuius deferendæ, ſoli Epiſcopi poteſtatem habent, cum ſit veluti pars quædam impoſitionis manuum, vt huiuſmodi beneficia Regaliæ non ſubiaceant, nec in eorum collationem, Reges noſtri manus iniicere voluerint, quaſi in meſſem alienam, ſed eorumdem plenam diſpenſationem, Eccleſiaſticis, & ordinariis collatoribus reſeruauerint.

20. His ita præmiſſis, quæ ipſam Regaliæ originem, atque vſum aperiant, definiri poteſt Regalia *ius regium, quod verſatur in collatione beneficiorum ſimplicium, quæ ſede Epiſcopali vacante, vacua fiunt, fructuumque temporalium adminiſtrationem coniunctam habens*, ex qua definitione eruemus, quæ ſufficiant ad Regiam collationem, ſpeciali formæ reddendam, ea omnia explicaturi, *ad verba definitionis canonicæ*, §. 14.

21. Sed interim illud animaduertendum eſt, quod ad illuſtrandam Regaliæ originem adhiberi poſſit, ex ea definitione primum illud patere, Regaliam vere eſſe ius Regium Regibus noſtris præcipuum, & peculiare, nec cæteros orbis Chriſtiani Principes, huius iuris participes factos, vel in communionem admiſſos, ſicut nec in ſpeciale priuilegium, diuinitus impertitæ vnctionis.

22. Nec enim vt adnotauit *Carolus Degraſſalio in regaliis Franciæ lib. 2. cap.* 1. ad ius noſtrum accedit, quod Imperatores precibus ſuis, quas vocant Primarias, candidatos ſuos, & nominatos, ad beneficia admittendos procurent, de quibus in pluribus epiſtolis, egit Æneas Siluius, tunc Ferdinandi III. Cancellarius, ac demum ſummus Pontifex Pij II. nomine appellatus, & Abbas Vſpergenſis in Chronico.

23. Sed enim non conferunt ipſi Imperatores, ſicut Reges noſtri iure Regaliæ, ſed conferendo inuigilant, vt ſupra expoſuimus, in nominationibus regiis §. 5. *de Regia nominatione pro iucundo regni aduentu*, nec pariter iuris noſtri communionem infert, quod Anglorum Regem, ex antiqua decretali, in Regaliæ communem vſum admiſimus, *d. cap. 6. de iure patron. in 1. collect. decretal.*

24. Namque ex eo id natum eſt, quod vſurpationis iure, & titulo, in medias huius Regni prouincias prorumpentes, pleraque noſtra iura, ac priuilegia, in ſuam patriam inuexerint, veluti Gardiam Regiam, ex partibus Neuſtriæ, & noſtram hanc Regaliam, quam male, & perperam, ab Anglia, in hoc Regnum proceſſiſſe, teſtatur *Ioan. Papo lib. 2. collect. decret. curiæ tit. 3. art.* 1. quod Philippum Pulchrum Francorum Regem, Canturarienſem Archiepiſcopum conſuluiſſe referat, de vſu Regaliæ, cum enim illud ius, pariter inualuiſſet in Anglia, recte Philippus, reſponſum illud quæſiit, vt minus ſuſpectum, nec domeſticum.

25. Et ex eo eſt, quod non minus propriam dixerimus, hanc conferendi poteſtatem, quam Romanus patriam poteſtatem, licet pluribus aliis communicatam, quia apud alias gentes, ſi quam iuris noſtri Regij participationem habeant, eſt tantum vmbra, & veluti quoddam figmentum regaliæ noſtræ, vel etiam riuulus, ex noſtro fonte prorumpens, qui originis decus, & honorem, potius laudare debet, quam obſcurare.

26. Secundo ex definitione patet, duplicem eſſe regaliam, alteram temporalem, quæ in fructuum temporalium perceptione conſiſtit, alteram vero ſpiritalem, quæ in beneficiorum collatione, cuius vſus, ac poſeſſio, vere regius eſt, ipſamque Chriſtianiſſimorum regum religionem, & pietatem ſapit.

27. Namque temporalis regaliæ vſum, ſiue fructuum ex ea perceptorum collationem, Theſaurario, & canonicis ſacri ſacelli Pariſienſis, reges noſtri conceſſerunt, in pios vſus, inſumendam, ſpiritalis autem executionem ita ſibi reſeruauerunt, vt ſæpius, vel clericis aulæ regiæ inſeruientibus, vel ſibi commendatis, à candidatis ſuis, quos nominationis regiæ titulo decorauerunt, conferre ſoleant.

28. Cum autem ipſam regaliam, ex ſacro, & auguſto iure coronæ, originem mutuari diximus, ipſique cohærere, ex eo inferre licet, generalem eſſe illius vſum, & in omnes huius Gallici Imperij Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & Primatias, ſe ſe diffundere, neque aliquas eſſe, quæ ſe abſcondant, vel ſubripiant ab obſeruatione, ſicut nec à dominatione, vel imperio.

29. Quamuis enim reges noſtri, quibuſdam Eccleſiis, remiſſionem regaliæ conceſſerint, priuilegiorum naturam redolent huiuſmodi remiſſiones, quæ & perſonales ſunt, nec perſonam eius, cui collata eſt gratia, egrediuntur, & morte concedentis exſpirare ſolent, qui nec ſucceſſoribus, pari cum eo poteſtate fungentibus, diſpenſandi, & confe-

Digitized by Google

rendi facultatem adimere potuit, vt dicitur in *capit. innotuit de elect. & elect. poteſt apud Greg.*

30. Nec enim reges noſtri in damnum ſucceſſorum, & præiudicium, iuri regio renunciare potuerunt, vt fuſe tractat *Antonius Mornacius ad legem legatus 20. dig. de off. præſid.* adde quod ſphærica, & orbicularis coronæ forma, cui regaliam adhærere diximus, nullos angulos, aut receſſus admittens, totum complet, quod operit, & ſingulas partes pertingit.

31. Sed & illud adeo verum eſt, vt ſi quæ Imperio noſtro de nouo adiiciantur regiones, in illis pariter locum habeat regalia, vt & quælibet aliæ nominationes regiæ, vt probat *Ioann. Dayma in præmio concord. fol. 22. verſo. col. 2.* quod & ſenatus Pariſienſis decreuit, in decanatu Eccleſiæ Bellicenſis, in Marquiſatu Salluciano, regionis Breſſanenſis, vulgo *pais de Breſſe*, conuentione inter Henricum IV. Gallorum regem, & Carol. Emanuelem Sabaudiæ Ducem habita, de nouo regno adiecto, ſenatuſconſulto quod refertur à *D. Louetio in poſthuma decretorum collectione litt. R. num.* 58.

32. Et eadem ratione, Franciſcus *Duarenus in tract. de ſacr. Eccleſ. miniſt. lib. 7. cap. 13. num.* 1. aſſerit, ſcholaſticam nominationem, conuentione Bononienſi obfirmatam, & ad eas regiones, vel academias ſe ſe extendere, quæ de nouo regno adiiciuntur, quod magni Conſilij Patres decreuere ſenatuſconſulto, in publicis cauſarum actionibus prolato, die 15. Sept. anni 1643. intercedente Academia Pariſienſi, quo totam Breſſiam, conuentioni Bononienſi ſubmittendam decreuere.

33. Tertium ex definitione inferendum eſt, nec in omnibus beneficiis, nec quocumque tempore vacantibus, locum habere, hanc conferendi poteſtatem, ſola enim beneficia ſimplicia, hoc eſt ſine cura, licet dignitatem annexam habeant, regaliç ſubiacere, vt ſupra admonuimus, quæ vel, vacante ſede Epiſcopali, vacare contigerit, vel quæ dum alias vacarent, ſedis Epiſcopalis vacatione occurrente, vacua permanſerunt, nullis addicta miniſtris, ea de facto, vel de iure occupantibus.

34. Nam & duo potiſſimum ſpectanda ſunt, vt quoduis beneficium iure regaliæ vacare intelligatur, primum, vt Epiſcopalis ſedes, cuius collationi relictum ſit beneficium, ſit ſuo paſtore viduata, ſecundo, vt Eccleſia, quæ Epiſcopi collationi ſubiacet, pariter ſuo miniſtro euacuata, vt habetur in conſtitutione Philippi Pulchri, anno 1334. apud Vicennas prorogata, quæ exſtat in *priori volumine probationum ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 16. numero* 32.

35. Tunc autem Epiſcopalis ſedes, vacua redditur, dum vel ipſius paſtoris mors, vel ciuilis, vel naturalis, interuenerit, vel tranſlatio ex Eccleſia in aliam Eccleſiam, vel in collegium Cardinalium cooptatio, vel alia quælibet mutatio, quæ nouam perſonam inducat, & ipſum Epiſcopum ſoluat, à lege primæ vxoris, hoc eſt Eccleſiæ Cathedralis, quæ tunc viduata dicitur.

36, Sed & tamdiu, vacua permanet Eccleſia, donec nouus Epiſcopus regi Chriſtianiſſimo, fidelitatis ſacramentum exhibuerit, eiuſque exhibitionis, ſeu præſtationis fidei, teſtes litteras, à rege emiſſas, ipſi regiarum rationum Cameræ oblatas, ſcriniis inſeri, actiſque mandari curauerit, nec-non ab ipſa mandatum impetrauerit, quo manum regiam temporalibus bonis iniectam, auferri iubeat, quod & ſeruandum eſt, licet de facto manus regia, immiſſa non fuerit.

37. Verum ea omnia, iuris ſolemnia, plenius referuntur, in veteri conſtitutione regia, ipſius Computorum Cameræ ſcriniis demandata, quæ à prioribus quibus concipitur verbis & terminis, *dum Epiſcopus* ſæpius appellatur, quæ totum id preſcribit, quo ius regaliæ, vacatione ſedis Epiſcopalis occurrente operta, occludatur, & beneficiorum vacantium collatio, ſuo paſtori, & ordinario reddatur, cuius lectionem petere poteris ex iis, quæ habentur, in *priori volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 16. num.* 42.

38. Quod autem ad Eccleſiam, ſiue beneficium, quod ipſi regaliæ ſubiacens, à rege conferri ſolet, vacare dicitur, vel cum de facto, eidem intitulatus clericus, corporalem poſſeſſionem, adire neglexit, vel de facto quidem adiit, ſed ex eo titulo, qui canonica auctoritate, non eſt ſubnixus, nullo enim exiſtente titulo, cum beneficia, ſine canonica inſtitutione, non obtineantur, *cap. 1. de reg. iur. in 6.* regiæ collationi ſubeſt Eccleſia, vt pluribus curiæ Pariſienſis decretis comprobatum eſt.

39. Verum cum inſtituta regaliæ diſputatio, his terminis concludi non poſſit, cum vel corona regia, vel Imperium quibus adhæret, fines nullos admittant quæ huic tractandæ materiç deerunt, abundantius ſuppleri poterunt, ex celebrioribus tractatibus *Arnulphi Ruſæi ſenatoris Pariſienſis, Philippi Probi Biturici eiuſdem adnotatoris & Ægidij Magiſtri Præſidis Pariſienſis,*

Digitized by Google

ſienſis, qui & de ea materia ſpeciales ſermones habuerunt, ſed & ex his quæ infrà dicemus *ad verba definitionis canonicæ* §. 14. dum Regiæ collationis iure Regaliæ procedentis formam inquiremus.

§. DECIMVS-QVINTVS.

De collationibus Regiis iure fundationis.

1. *Reges noſtri beneficia Eccleſiarum quas dotauerunt, pleno iure conferunt.*
2. *Enumerantur Eccleſiæ, quæ Reges noſtros fundatores agnoſcunt.*
3. *Alia plura exempla earumdem Eccleſiarum ſubiiciuntur.*
4. *Item aliæ ſpecies Eccleſiarum referuntur fundationis Regiæ.*
5. *Vnde petenda notio huiuſmodi Eccleſiarum.*
6. *Cæteri patroni ſolo iure præſentandi fruuntur.*
7. *Patroni dotationes ſuas, ſiue fundationes, conſecrare non poſſunt.*
8. *Lex dicta fundationi, vt præſentatos à patronis ordinarij inſtituant, ſeruari debet.*
9. *Reges noſtri ſæcularis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindices.*
10. *Reges noſtri, in fundationibus ſuis, Epiſcopalem auctoritatem reclamare non debuerunt.*
11. *Conſecratio Eccleſię, nullum ius conſecranti tribuit.*
12. *Beneficia dotationis Regiæ, profanam potius, quam ſpiritualem naturam induunt.*
13. *In Beneficiis fundationis Regiæ, non committitur ſimonia, ſed crimen Hieroboanicum.*

1. ALtera conferendi ratio Regibus noſtris adquiritur, ex fundatione, & dotatione Eccleſiarum, quas ſuis reditibus ditauerunt, namque ex eo ſolo res ſacra efficiebatur, & diuinis miniſteriis mancipabatur, teſtante Vlpiano in *lege* 9. §. 1. *dig. de rer. diuiſ.* iis verbis *locum ſacrum fieri, vel cum princeps eum dedicanit, vel dedicandi poteſtatem dedit*, quod & accidit in Baſilicis, & Eccleſiis, quarum plures in Gallia noſtra numerauimus.

2. Et quidem inter alias habemus, ſacra Sacella, palatiis Regiis, in pluribus huius Regni ciuitatibus adiuncta, veluti in vrbe Bituricenſi, nec-non Pariſiis, Diuioni, in ſaltu Vicennarum, in vrbe Borboniorum apud Boios, item Eccleſia Diui Ludouici apud Senones, Viuarij apud Brienſes, nec-non plures aliæ, variis titulis & nominibus decoratæ.

3. Ecce enim ſancti Saluatoris Eccleſia apud Blæſos, Eccleſia Diui Stephani apud Tricaſſinos, ſancti Meloni apud Pontiſaram, beatæ Mariæ Virginis in Quintiniano Veromanduorum oppido, Diui Furcij Peronenſis, ſancti Vulſtanſj Abbauillani, ſancti Florentij Royenſis, Diui Petri de Curiæ Cœnomanenſis, de quo in *capit. cum inter de conſuet.*

4. Sed & alias canonicatus & præbendæ Eccleſiæ Andegauenſis, vt habetur in *capit. dilectus de preb.* item Sacellum in Vado Malnei, Diuæ Mariæ Stampenſis Eccleſia, Beati Spiri, nec-non Deiparæ Virginis Corbolienſium, abbatia ſæcularis Doratenſis in Marchia inferiore, Beatæ Mariæ Cleriacenſis Eccleſia.

5. Et vt harum omnium Eccleſiarum maior notio patere poſſit, adeundi *Renatus Chopinus lib.* 1. *de ſacr. polit. tit.* 1. *num.* 18. & *Carolus Molinæus ad regul. de infirm. reſign. num.* 416. vbi earum omnium Eccleſiarum, Reges noſtros fundatores agnoſcunt, & ex eo colligunt, prædictarum Eccleſiarum dignitates, & alia beneficia pleno iure conferre.

6. Quamuis enim cæteros patronos, vel fundatores Eccleſiarum dixerimus, ius conferendi beneficia, vel Eccleſias quas dotauerunt, non habere, ſed ſola præſentandi facultate gaudere, diœceſanis Epiſcopis facienda, qui præſentatos canonice inſtituant, non idem obtinet in Regibus noſtris Eccleſias dotantibus, vt & in pluribus aliis patronis, veluti Comitiſſa Flandrenſi in *cap. vlt. de conceſſ. preb. ad quod Boet. Epo*, plura alia ſubiungit

Digitized by Google

exempla, in *tractatu de regal. & iure princip. in beneſ. num.* 285. *& ſeq.*

7. Verum enim, cum ex eo patronorum poteſtatem, in Eccleſiarum adminiſtratione coerceri dixerimus, quod priuata auctoritate, dotem Eccleſiæ dictam dedicare, vel conſecrare non valentes, ſicut in iure ciuili, aliquid religioſum, vel ſacrum facere, niſi Pontificia auctoritate interueniente, vt habetur in *lege* 9. *dig. de rer. diuiſ. toto titulo de rellig. & ſumpt. fun dig & cod* ſacra Epiſcoporum auctoritate indigerent, qui fundationes Eccleſiarum ratas haberent.

8. Sed & illud obſeruandum eſt, id ea lege factum fuiſſe ab Epiſcopis, & locorum ordinariis, dedicationis opus peragentibus, vt præſentatos in Eccleſiis vacantibus à patronis miniſtros inſtituerent, vnde ſeruari debuit ſacra lex fundationi dicta, vel potius ipſi innata, placuit enim, dum conſecratur Eccleſia, aliud conuenire non poſſe, vel vt ipſa, vel dos data, ordinarij poteſtati ſubtrahatur, *can. ſic quidam* 10. *quæſt.* 1.

9. At vero aliud in Regibus noſtris ſeruabatur, quos ſæcularis pariter, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in Regno ſuo vindices agnouimus, ex variis conſtitutionibus Eccleſiaſticis, tum à Carolo Magno, tum à ſubſequentibus Regibus prolatis, quæ habentur, in varia collectione capitularium, ſed & ſacrorum poteſtatem, & cuſtodiam ipſis demandatam in pleriſque patet, longe meliori ratione, & æquiori iure, quam Imperatoribus Romanorum in *leg* 9 *dig. de rer. diuiſ.*

10. Et ex eo eſt, quod dum ad Eccleſiarum fundationes, procedebant Reges noſtri, alienam poteſtatem reclamare non debuerunt, vt ſacris addiceretur miniſteriis, fundata Eccleſia, vel vt dos dicta, diuinis vſibus manciparetur, vt patet ex *d. lege* 9. §. 1. *de rer. diuiſ. & ex cod. piarum donationum ab Auberto Miræo Bruxellenſi nouiſſime edito & publice facto*, quem morem defendit *ibidem Boet. Epo*, quod principi ſuo præreptum non doleret, ſed ſeruatum agnoſceret, quod in Regalia non poterat vtique aſſerere.

11. Veruntamen, ſolam Eccleſiæ, vel altaris conſecrationem excipio, quæ celebrationem miſſarum præcedere debuit, de qua in *rubrica decretalium de conſecr. Eccleſ. vel alt.* quæ nullum conſecranti ius tribuebat in Eccleſia, alias Euangelica, & canonica non foret, ſed nauicularia, vt teſtatur *Geffridus Vindocinenſis Abbas in opuſculo* 10. *de promiſſ. quæ pro conſecr. fiunt.*

12. Ex præmiſſis igitur patet, Reges noſtros, in Eccleſiis quas dotauerunt, nullum ſuperiorem agnoſcere, & earum fieri collatores ordinarios, nullis canonici iuris regulis aſtrictos, vt vere dixerit *Carolus Molinæus ad reg. de infirm. reſign. num.* 416. *& ſequenti*, huiuſmodi beneficia, profanam potius, & ſæcularem naturam, quam canonicam, aut Eccleſiaſticam induere, licet ſolis clericis addicantur, ex lege Regia fundationi dicta.

13. Et inde duo concludit ibidem Molinæus: Primum, nec in eis ſimoniam committi, etiam de iure poſitiuo, ſicut in ſpiritualibus, ſed aliud crimen, quod Hieroboanicum appellat, ab impio Iſraëlitarum Rege Hieroboam, qui plura offerentes, ſacris initiabat: Secundum, laicos, ſiue ſæculares iudices, de huiuſmodi beneficiis iura dicere ſolere, tum circa poſſeſſorium, tum circa petitorium, vt obſeruat ibidem Molinęus, ſicut & in beneficiis, Regaliæ iure collatis euenit.

---

§. DECIMVS-SEXTVS.

De pluribus aliis collatoribus, extra ordinem, & iure ſpeciali conferentibus.

1. *Series, & connexio huius materię, cum præcedentibus.*
2. *An Concilium Oecumenicum, collatoribus annumerandum.*
3. *Quibus caſibus ſummus Pontifex, ſubeſt Concilio Generali.*
4. *Collatio Concilij Generalis, non eſt alia à collatione Pontificia, vel Legatorum.*

Digitized by Google

5. *Summus Pontifex præſens Concilio, confert maiora beneficia, de conſenſu, & conſilio concilij.*
6. *Collatio beneficiorum, non eſt ex actibus, circa quos concilium verſari poſſit.*
7. *Concilium vel collegium Cardinalium, vacante ſede, conferre non poteſt beneficia.*
8. *Concilium Generale, mortuo ſummo Pontifice, ſuſpenditur.*
9. *Collegium Cardinalium, non poteſt attingere ea, quæ ſunt iuriſdictionis Pontificiæ.*
10. *Soli electioni ſummi Pontificis inſiſtere debet, & vacare.*
11. *Capitulum ſede vacante, ſuccedit in iuriſdictionem Epiſcopo competentem.*
12. *Capitulum ſede vacante, nouos Officiales, aut Vicarios conſtituere poteſt.*
13. *An capitulum ſede vacante, ſuccedat in collationibus beneficiorum.*
14. *Capitulum ſuccedit in collectiones neceſſarias.*
15. *Nec tamen in liberas, quæ ſunt meræ facultatis, & liberalitatis exercitia.*
16. *Capitulum ſede vacante, ſuccedit in collationibus beneficiorum, quorum collatio ipſi communis erat, & Epiſcopo.*
17. *Quid iure Gallico ſeruetur, in collationibus beneficiorum ſimplicium, quæ ad collationem Epiſcopi pertinent.*
18. *Probatur iure veteri Pontificio, capitulum ſede vacante, non potuiſſe conferre beneficia curam animarum habentia, quorum collatio pertinet ad Epiſcopum.*
19. *Defenditur iure nouo, capitulum ſede vacante, beneficia curam animarum habentia, quæ ſunt Epiſcopalis collationis, conferre debere.*
20. *Probatur hæc ſententia, decretis Curiæ Pariſienſis.*
21. *Probatur nouiſſimo decreto, in fauorem Lexouienſis Capituli.*
22. *Poſeſſor bonę fidei beneficia conferre poteſt.*
23. *Probatur vtroque iure poſeſſorem bonæ fidei, fructus ſuos facere.*
24. *Id Probatur in conferendi, præſentandi, & eligendi facultate.*
25. *In poſeſſione eſſe dicitur, qui vel vltimo actu, in poſeſſione fuerit.*
26. Nota ad cap. cum Eccleſia, & cap. cum olim de cauſ. poſeſſ. & propriet.
27. *Quænam conditiones actus, conferendi poſeſſionem inducentis.*
28. *Quid ſit labia ſua poſſidere, & præſcribere.*
29. *Quibus partibus conſtet præſentatio, vel electio.*
30. *Conductori, non competit ius conferendi.*
31. *Probatur auctoritate iuris canonici.*
32. Nota ad cap. ex litteris de iure patron.
33. *An ſequeſtro competat ius conferendi, diſputatur.*
34. *Probatur ſequeſtro competere ius conferendi.*
35. *Quinam ſequeſtri, conferendi iure vti poſſint.*

1. IN ſuperioribus, & proxime præcedentibus §. §. egimus de collatoribus ordinariis, quibus iure ſuæ dignitatis, facultas conferendi beneficia competit, nunc agendum de his, quibus certis ex cauſis, & extra ordinem, ius conferendi delatum eſt, illudque iuris ordine ſeruato, in quo fruſtra recurritur ad extraordinarium remedium, dum ordinarium ſuppetit, vt dicitur in *lege 16. in principio dig. de min.*

2. Verum inter eos, primum locum ſtatuunt interpretes, Concilio Oecumenico, ſiue generali, cui eamdem poteſtatem alij tribuunt, ac ſummo Pontifici, alij maiorem, cum & ſuperiorem ſummo Pontifice efficiant, vt probare intendit *Duarenus*, ex Conſtantienſi & Baſileenſi ſynodis *lib. 3. de ſacris Eccleſ. miniſt. cap. 2.* & plures alij, variis auctoritatibus ad id inducti, quarum collectionem, videre eſt, in *collectione probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 12. & in commentario ad eaſdem art. 40.*

3. Sed miſſis, & longius ſemotis, ab hoc tractatu, huiuſmodi diſputationibus, quæ ſedi Apoſtolicæ ſuam auctoritatem detrahant, vel aliqua ex parte imminuant, illud con-

Digitized by Google

ſtat, cum & ipſi huius ſuperioritatis conciliaris aſſertores, ad tres ſolummodo caſus extendi voluerint, accuſationis hæreſeos, vel ſimoniacæ prauitatis, contra ſummum Pontificem illatæ, quæſtionum fidei, & generalis Eccleſiæ reformationis, tam in capite, quam in membris, nullum huic diſputationi locum ſupereſſe, in diſpenſationibus beneficiorum, cum eorumdem collatio, extra hos caſus conſtituta videatur, quibus ſummum Pontificem concilio ſubeſſe voluere.

4. Nec tamen conferendi poteſtatem, Concilio Generali, & vniuerſali, denegandam eſſe credimus, ſed cum legitime congregatum, ſummum Pontificem præſidem agnoſcat, ex cuius auctoritate indici debet, conuocari, & peragi, vel ſaltem per ſedis Apoſtolicæ Legatos, non eſt, cur nouum conferendi modum, aut locum faciamus, Concilio Generali, & alium ab his, de quibus iam egimus, ſummi Pontificis, aut Legati collationibus.

5. Namque Generali ſynodo conuocata, ſi ipſemet ſummus Pontifex interfuerit, maiora beneficia, & ea, quæ amplioris conſiſtorij deliberationem exigunt, vnde vulgo conſiſtorialia dicuntur, celtiſmo noſtro *Benefices Conſiſtoriaux*, ipſe conferet, de conſenſu, aut conſilio ſynodi generalis, quemadmodum cætera alia negotia, quæ concilij dicuntur, expedire ſolet, vt extra ſynodum, de conſenſu & conſilio fratrum, ſiue Cardinalium, minora autem ſolus conferet, nullius exſpectato conſenſu, vt iure ordinario exequi ſolet, nec enim ea ſunt tanti, vt ex pleniori, & maiori deliberatione, conferri debeant.

6. Sin vero per Legatos, Concilio præſentiam exhibuerit, vel ipſis ſpeciale conferendi mandatum dedit, & tunc in conferendis beneficiis, ea vtentur poteſtate, quam ipſis ſummus Pontifex demandauerit, vt ſupra diximus, de conſilio, & conſenſu ſynodi Generalis exercenda, vel ſi ſibimetipſi in curia agenti reſeruauerit, iure ordinario exercebit, nec enim ipſum conferendi exercitium, ex iis materiis eſſe dignoſcitur, quæ Concilio Generali competant, licet de modo conferendi, & de forma collationis, deque generali reformatione in diſpenſandis beneficiis, ſancire poſſit generale concilium.

7. Quamuis autem & concilium generale, quodammodo concurrere dixerimus, in collationibus beneficiorum, cum ſummo Pontifice, vel Legatis ipſius, nec tamen illud dicendum eſt, concilium generale, tametſi legitime congregatum, vacatione ſedis Apoſtolicæ occurrente, ſicut nec ipſum collegium Cardinalium, eo iure vti poſſe, vt ſoli conferant, vel Patres Concilij, vel Cardinales.

8. Verum enim, quod ſpectat ad generale Concilium, ſiue ſummus Pontifex præſens fuerit, ſiue per legatos interfuerit, morte ipſius adueniente ſuſpenditur, vel potius finem accipit concilium, vt quodlibet aliud madatum, vel proceſſus, morte mandantis, alioquin capite dempto, & præſide, Acephalum foret, & inane concilium, vt ipſa quotidiana rerum experientia, nos edocet plenius.

9. Sed & ſi illud propius inſpiciamus, quod ad collegium Cardinalium attinet, certum eſt, non poſſe ea attingere, quæ ſunt iuriſdictionis Pontificiæ, vel contentioſæ, vel voluntariæ, inter quæ numeratur, collatio beneficiorum, vt habetur in *gloſſa capit. nouit. in verbo terminos de offic. leg. & conſtat ex Clementina ne Romani de elect. & elect. poteſt.*

10. Namque illud conſtat, Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus id ſolum incumbere, vt ſoli electioni ſummi Pontificis vacare debeant, tanquam negotio ſibi ſpecialiter, & à iure demandato, quod eo inductum notat *d. Clementina* ne huius exercitij beneficio allecti, ſummi Pontificis electionem, in damnum, & præiudicium vniuerſalis Eccleſiæ, diutius differrent, vel longius protraherent, quam ob cauſam, & alia plura commoda ſubtrahuntur, vt habetur in *d. Clementina & in capit. vbi periculum 3. de elect. in 6.* quod delumptum eſt, ex concilio generali Lugdunenſi, quod huiuſmodi electionibus formam dedit.

11. Et inde quæſitum, an capitulum ſede vacante, beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia, conferre poſſit, ſed vt huic quæſtioni æqua reſponſio reddatur, ſciendum eſt, capitulum in omnem iuriſdictionem, ſiue temporalem, ſiue ſpiritalem, Epiſcopo competentem ſuccedere, quamuis contentioſa ſit, *capit his quæ de mai. & obed.* licet collegio Cardinalium, ſede Apoſtolica vacante, eadem iuriſdictio non competat, vt probatur ex *d. Clementina ne Romani de elect. & electi poteſt.*

12. Et ex eo eſt, vt pluribus curiæ ſupremæ decretis, ſtatutum agnoſcamus, capitulum ſede vacante, nouos Officiales, iuriſdictioni ſpiritali exercendæ, & Vicarios generales, cæteris officiis, & functionibus Eccleſiaſticis, & Epiſcopalibus obeundis, deputare poſſe, quod & nouiſſime confirmatum habemus, in fauorem, & gratiam capituli Eccleſiæ Bituricenſis, cum vacante ſede, officialem nouum iuriſdictioni obeundæ præfeciſſet, contra

Digitized by Google

Nicolaum Porcherium, veterem officialem, & à defunćto Archiepiſcopo creatum, decreto ex litis recitatione à D. Bouguerio facta, pronunciato die 7 Septembris anni 1651.

13. Sed an idem dicendum ſit, de iuriſdictione voluntaria, eaque potiſſimum, quæ in collatione beneficiorum conſiſtit, vt patet ex *d. gloſſa in capit. nouit. in verbo terminos de off. legati* magis dubitatum eſt, cum enim collatio beneficiorum, fructibus annumeretur, & donationem ſapiat, teſte gloſſa in *capit. cum olim de mai. & obed. & cap. finali de offic. vic. in 6.* eam futuro ſucceſſori reſeruandam, concludunt iuris canonici interpretes, ex *capit. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. innou.*

14. Et tamen, ne generali deciſioni non ſit ſua æquitas, differentiam ineſſe voluere, inter collationes neceſſarias, & liberas, inter inſtitutiones, & collationes, ita vt ad præſentationem patroni, vel ad electorum nominationem inſtituere, & confirmare poſſit, capitulum vel ſede vacante *cap. cum olim de mai. & obed. Hoſtienſis ad capit. ad abolendam de hæret. verſ. ſede vacante.*

15. Nec tamen ea, quæ ſunt liberæ adminiſtrationis, in quibus gratificandi locus datur, vt in collationibus pleno iure ad Epiſcopum ſpectantibus, exequi poteſt, quemadmodum procurator quilibet, cum libera adminiſtratione conſtitutus, cui donandi facultas non competit, *lege 1. §. 1. dig. de donat. lege contra §. ſi filius dig. de pactis gloſſa & doctores ibidem.*

16. Verumtamen, & eam prędictę regulæ, & deciſioni, ex *d. capit. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. innou.* naſcenti, exceptionem addiderunt, in iis beneficiis conferendis, quorum ſimul & coniunctim Epiſcopo, & capitulo collatio competeret, mortuo enim Epiſcopo, collationem in ſolidum capitulo adquiſitam voluere, quaſi iure non decreſcendi, & ab initio in ſolidum cuique competierit, quod probant ex *capit. vnico ne ſede vac. aliq. innou. in 6.*

17. Sed & aliam, iuris noſtri Gallici obſeruationem, à deciſione *d. capit. illa deuotionis*, longe alienam agnoſcere debemus, cum enim vacante ſede Epiſcopali, locus ſit Regaliæ, vt ſupra adnotauimus, *num. 14. proxime præcedentis* §. fruſtra quęritur, vtrum beneficia ſimplicia, ad collationem, vel inſtitutionem decedentis Epiſcopi ſpectantia, capitulum conferre poſſit, de quibus tamen, ſola eſt quæſtio, *d. cap. illa deuotionis*, namque ea tanquam iure Regaliæ vacantia, Rex noſter Chriſtianiſſimus ſolus conferet.

18. Sola igitur quæſtio mouenda ſupereſt, de beneficiis curam animarum habentibus, quibus, cum Rex Chriſtianiſſimus, manum iniicere abnuerit, quia eorum collatio, miſſionem quamdam Apoſtolicam continet, in dubium venit, an capitulum ſede vacante ea conferre poſſit, quod plerique negant, auctoritate *d. cap. illa deuotionis* innixi, quod futuro ſucceſſori, reſeruari debeant fructus, vt conſtat ex *gloſſa ibidem & capit. cum vos de off. ordinarij, & capit. finali eod. in 6.* inter quos, collationes beneficiorum numerantur, vt patet ex *gloſſa cap. cum olim de mai. & obed. apud Greg.*

9. Verum huius capituli deciſio, noſtris temporibus, parum conuenit, cum enim vt hodiè viuitur, reſeruationi collationis beneficiorum, futuro ſucceſſori, locus non ſuperſit, propter præuentiones Apoſtolicas, quę hanc reſeruationem præripiunt, ęquius foret, beneficiorum curam animarum habentium collationem, capitulo ſede vacante dimittere, quam Apoſtolicæ collationi reſeruare, quæ ignotos quoſcumque, & minus capaces, regimini animarum obtrudit, quod in collatione capituli rarius euenit, propter maiorem, & ampliorem, perſonarum pręficiendarum cognitionem.

20. Et quidem ea ratione innixa, plura Galliæ noſtræ Eccleſiarum Cathedralium capitula, vidimus ſe ſe, in poſſeſſione conferendorum beneficiorum curam animarum habentium tueri, & defendere, vt capitulum noſtrum Bituricenſe, Nanhetenſe, Cœnomanenſe, Lexouienſe, & plura alia, quorum & poſſeſſio, decretis ſupremæ curiæ confirmata eſt, quæ exſtant apud *Ioan. Canutium in collectione decretorum parte 1. cap. 4. & Sebaſtianum Fraim in compilat. decret. ſuprema Curiæ Rhedonenſis.*

21. Sed & illud idem probauit ſenatus Pariſienſis nouiſſime, decreto ex litis recitatione à *D. Baron.* maioris decuriæ ſenatore facta, pronunciato die 7. Sept. anni 1652. in fauorem *Laurentij Auzoult* Rectoris Parœciæ *D. Ioannis de Formamuille* qui collationem capituli Lexouienſis ſede vacante meruerat, contra *Ægidium Preuoſt*, qui Pontificiis prouiſionibus innitebatur, quibus eadem parœcia ipſi delata fuerat, cuius decreti, eo maior mihi notio data eſt, quod partes Luxouienſis capituli, & ipſius collatarii, ex ſcripto defendere datum erat.

22. Sed & ex his quæ diximus, beneficiorum collationem fructibus annumerandam, probatione deſumpta ex *gloſſa cap. cum olim de mai. & obed.* ſequitur, non tantum eum, qui

Digitized by Google

vero, & iuſto titulo eius beneficii honoratur, cui conferendi facultas inſideat, beneficia conferre poſſe, ſed etiam eum, qui in quaſi poſſeſſione ſit conferendi, licet reuera collator beneficii non exiſtat, *cap. cum olim de cauſa poſſ. & prop.*

23. Namque illud certum eſt, tum ex iuris ciuilis, tum ex iuris canonici regulis, bonæ fidei poſſeſſorem, fructus ſuos facere, & lucrari, *lege bona fidei* 48. *dig. de adquir. rer. dom.* §. *ſi quis à non domino inſtit. de rer. diuiſ. lege* 25. *dig. de vſur.* quod pariter, in iure canonico confirmant interpretes, in *capit. poſſeſſor. de reg. iur. in* 6.

24. Verum enim illud, non tantum procedit in collatione beneficiorum, ſed & in præſentandi facultate, *cap. conſultationibus de iure patronatus*, item in electionibus *cap. querelam de elect.* quod & generaliter ptobat *Car. Molinaus in commentariis ad conſuet. Pariſienſem* §. 55 *gloſſa* 1. quidquid in contrarium tenteт, *Bertrandus Argentraus ad conſ. Armoricorum art.* 409. *gloſſa* 2.

25. Et quidem in poſſeſſione conferendi, præſentandi, vel eligendi, is eſſe dicitur, qui vel vnico actu, modo vltimo, & immediate præcedenti, conferendi, præſentandi, vel eligendi poteſtatem exercuerit, argumento *legis* 1. §. *item quaſitum de aqua quotid. & æſtiua.* cuius deciſionem, iuris canonici interpretes, huic noſtræ quęſtioni ſoluendę accommodare ſolent.

26. Quamuis concludi videatur ex *cap. cum Eccleſia, & cap. cum olim de cauſ. poſſ. & propriet.* plurium actuum, neceſſariam eſſe repetitionem, quod plurium mentio habita ſit, nec tamen illud rectè inferri poteſt, id enim ſolummodo refertur, in *dd. cap.* quod in facti ſpecie contingebat, non conſulto, nec quod multiplicatio actuum eſſet neceſſaria, niſi dicas, ibi de proprietate iuris patronatus quæſtionem fuiſſe, non de ſola poſſeſſione, tunc enim ſolus & vltimus actus attendi debet, vt notat *gloſſa ad cap. cum Eccleſia in verbo vltimo de cauſ. poſſ. & propr.*

27. Verum actum illum poſſeſſionis, oportet eſſe vltimum, & immediatum, *d. cap. cum Eccleſia de cauſ. poſſ. & propr.* bona fide procedentem, ſiue ab eo, qui ſit in poſſeſſione veri collatoris, aut patroni, quique ſecundum Panormitani, & aliorum interpretum mentem, in *d. cap. cum Eccleſia de cauſ. poſſ. & propr. & cap. conſultationibus de iure patronatus*, ad effectum vſque perductus fuerit, canonica inſtitutione ſequuta.

28. Vt ecce ſi in præſentandi facultate, nominationem ſubſequuta fuerit ſuperioris, & ordinarij inſtitutio, vel in eligendo, electionem probauerit confirmatio, alias enim, in ſimplici ſuo actu remanens patronus, vel eligens, labia ſua tantum poſſidere dicitur, & præſcribere, ab *Abbate Panormitano in dd. cap.* quæ poſſeſſio, vel præſcriptio, nullum ius, vel præſentandi, vel eligendi, adquirere poteſt.

29. Nec enim præſentandi, aut eligendi facultas, circa ſimplicem actum præſentationis, vel electionis verſatur, ſed conſtare debet tribus potiſſimum partibus, vel perſonis, inter quas peragatur, inter præſentatum vel electum, præſentantem vel eligentem, & eum cui præſentatio, vel electio, confirmanda intimatur, quique omnes, ſuo munere fungi debent, vt canonica dicatur inſtitutio, & actus poſſeſſionis, verus, & legitimus efficiatur.

30. Inde quæſitum eſt, an conductori reditus Eccleſiæ, cui ius patronatus deberetur, ita illud cōpetat, vt vacanti Eccleſiæ locationis tempore, clericum inſtituendum ordinario præſentet, ſed cum præſentatio, vel nominatio, non tantummodo ſit in fructu, ſed etiam actus Dominii, vel directi, vel ſaltem vtilis, vt ipſe *Argentraus ad d. art.* 409. *gloſſa* 2. agnoſcit, ideo concludendum eſt, conductori non alias adquiri ius præſentandi, niſi in longum tempus vtendum acceperit, quo caſu loco domini habetur, & actiones in rem vtiles exercet, vt colligitur, ex *rubricis ſi vectig. ag. vel emphit. pet.*

31. Sed & illud concludunt interpretes, ex *capit. ex litteris* 7. *de iure patronatus* quamuis in contrarium ſenſum, tendere videatur, & probare, conductori ius patronatus competere, id enim notat *gloſſa in d. capit. in verbo ad firmam*, his verbis *dicunt quidam, quod talem contractum celebrauerint, quo vtile dominium transfiret in conductorem, & ſic in ipſum, tranſiuit ius patronatus*, & rectè, quamuis in eo ariolanter præcedere gloſſam dicat *Argentraus ibidem.*

32. Namque diuinandi, vel potius certiorem ex *d. cap.* deciſionem inferendi, anſam præbet, conductoris qualitas, qui cum miles eſſe dicatur, ſecundum id quod in vtroque iure ſeruatur, conducere non poteſt res alienas, vt ſupra de clericis diximus *ad verba cæleſtis cap.* 1. §. 2. *de clerico conductore*, & probatur *lege* 31. *cod. de loc. & cond.* ſed in longum tempus poſſidendas recipere, tanquam emphiteuta, vel Vaſallus, eamque interpretationem in *d. cap.* ſequitur *Rochus Decurte in tractatu iuris patron. in verbo vel is à quo num.* 57. *& ſequenti*, & probatur à pluribus aliis, qui militis, & vaſalli nomen commune eſſe adnotauerunt, quos

Digitized by Google

vide apud *Lacerdam in aduerſ. ſacr. cap. 131. numero quarto.*

33. Sed an ſequeſtro competat ius conferendi beneficia, in diſputationem venit, cuius mouendæ occaſionem præſtat, quod ſiue à partibus conuentus, ſiue auctoritate iudicis deputatus, non niſi nomine alieno, poſſidere intelligitur, & tanquam litigantium procurator, quorum victori fructus reſtituere habet, vnde cum collatio animo domini fieri debeat, & ſit actus dominii, vel tanquam fructus domino, ſiue Epiſcopo reſeruari, dicendum videbatur, ſequeſtro non competere.

34. Verum cum ſequeſter, rei depoſitæ, vel ſequeſtratæ, omnimodam adminiſtrationem habeat, & fructus omnes colligere debeat, non modo temporalium, ſed etiam ſpiritualium rerum, vt dicitur in *Clement. vnica de ſequeſtr. poſſ.* recte ex eo concluditur; conferendi exercitium habere, quod in fructu beneficii conſiſtit, ſecundum *d. gloſſam in cap. cum olim de cauſ. poſſ. & propr.* qui cum victori reſeruari non poſſit, iniuſte reclamaret, ſibi præreptam collationem, aut præſentationem beneficii, alioquin perituram.

35. Et tamen illud obſeruandum eſt, non alias ſequeſtrum, conferendi, vel præſentandi iure perfrui poſſe, niſi is ſit, qui clericali ordini adſcriptus, Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, & ſpiritalis capax ſit, nec enim laicus, ſequeſtratæ poſeſſioni demandatus, eo iure gaudere poſſet, cum ſpiritalis ſit præſentatio, vel collatio, quæ in laicum cadere non poteſt, *capit. ſacro-ſancta capit. meſſana de elect.*

Digitized by Google

AD VERBA CANONICA.

De variis, & Canonicis inſtitutionum conditionibus.

1. *Beneficium, ſine inſtitutione canonica obtineri non poteſt.*
2. *Iure ciuili, nuda traditio non ſolet transferre dominium.*
3. *Collatio iuris ciuilis, & Pontificij, in adquiſitione.*
4. *Differentia iuris ciuilis, & canonici, in miſſione in poſſeſſionem propter contumaciam.*
5. *Iure canonico, nemo mittitur in poſſeſſionem beneficij, niſi ex iuſto titulo.*
6. *Nec in iure ciuili, nec in canonico, tempus eſt modus adquirendi.*
7. *Triennali poſſeſſioni, debet titulus ſaltem coloratus adiici.*
8. *Ordo, & ſeries propoſitæ materiæ, & ſuperioribus adnexio.*
9. *Conditiones canonicæ inſtitutionis, aliȩ generales, aliæ ſpeciales.*
10. *Conditionum generalium, in inſtitutionibus canonicis exempla.*
11. *Exemplum iuris ciuilis, petitum à tutoris datione.*
12. *Aliud deſumptum, ab hæredis inſtitutione.*
13. *Diſtributio propoſitȩ materiȩ, & ad ſuperiora reductio.*
14. *Prȩmiſſi ordinis ſequela, & progreſſus.*
15. *Libertas inſtitutionibus canonicis neceſſaria.*
16. *Conditiones donationis, inſtitutioni canonicæ accommodatæ.*
17. *Inſtitutio canonica, debet eſſe actus purus, nec conditionalis.*
18. *Differunt inſtitutiones Pontificiȩ, ab ordinariis, in temporis adiectione.*
19. *Inſtitutio canonica debet eſſe publica, nec furtiua.*
20. *Probatur hȩc conditio, pluribus exemplis.*
21. *Inſtitutio debet fieri abſque vlla diminutione.*
22. *Inſtitutio debet eſſe gratuita, vt Canonica dicatur.*
23. *Inſtitutio Canonica debet fieri, intra ſemeſtre tempus.*

1. Tandem

Digitized by Google

1. TANDEM progreſſus noſter, per ſingula definitionis beneficiariæ verba percurrens, ad ea nos deduxit, quæ canonicam inſtitutionem eſſe debere euincunt, quod explicatur commodius, illa iuris canonici regula, quæ exſtat in *cap. 1. de reg. iur. in 6.* & dictat beneficium Eccleſiaſticum, non poſſe licite, abſque inſtitutione canonica poſſideri.

2. Sed & alia iuris ciuilis regulâ, ad ſuperiorem quodammodo accedente, idem effertur, eaque exſtat in *lege numquam nuda 31. dig. de adquir. rer. domin.* & docet, numquam nudam traditionem transferre dominium, ſed ita ſi aliqua iuſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequi debeat.

3. Verum enim ea verba, quibus vſus eſt iuriſconſultus, in *d. lege numquam nuda*, iuſta & legitima cauſa, idem ſonant, quod in iure Pontificio, canonicus titulus, canonica inſtitutio, nec igitur ſufficit, beneficium Eccleſiaſticum qualibet inſtitutione obtineri, niſi iure canonico ſit comprobata.

4. Et illud quidem adeo verum eſt, vt quamuis in iure ciuili, altero litigantium, in iudicio præſentiam ſui exhibere recuſante, qui præſens eſt, in poſeſſionem rei litigioſæ induci ſoleat, ſaltem vt tædio affectus abſens, & contumax, copiam ſui facere cogeretur, & iudicio adeſſe, quod patet ex *rubricis vt in poſeſſ. legat. & quibus ex cauſis in poſeſſ. eat.*

5. Attamen in controuerſiis circa beneficiorum poſeſſionem inductis, aliud æquo iure ſeruatur, vt patet ex *capit. 1. de eo qui mitt. in poſeſſ. rei ſeruandæ cauſa in 6.* ne vt ait Innocentius IV. auctor capituli, per hoc, ad beneficia ingreſſus patere valeat vitioſus, ſiue non canonicus, vt innuit *gloſſa d. capit. in verbo vitioſus.*

6. Sed & illud pari eademque ratione factum, vt beneficiorum poſeſſio, longo tempore adquiri non poſſit, ſed ex vero, & canonico titulo, qua enim ratione tempus non eſt modus indueendæ obligationis, *lege obligationum fere §. placet dig. de oblig. & act. gloſſa finalis in cap. 2. de conſuet. gloſſa penult. in cap. dilectide mai. & obed.* ſic in iure canonico non cenſetur modus adquirendi beneficij, *gloſſa in capit. ſi diligenti in verbo iuſtus titulus de praeſcript.*

7. Verum enim, quamuis ex regulis Cancellariæ Romanæ, *de pacif. poſeſſ.* triennali tempore, beneficij poſeſſio obfirmetur, tamen illud verum eſt, ſaltem coloratum titulum, poſeſſionem præcedere debuiſſe, vt fuſius tractant *gloſſatores regularum Cancellariæ in expoſitione eiuſdem regulæ*, & nos explicabimus in fine huius tractatus *ad verba definitionis conceſſa.*

8. Nunc igitur, propoſitum ordinem inſequentibus, illud primum incumbit, vt inquiramus, quid canonicam inſtitutionem efficiat, vt formam, ſolemnitates, modum, & regulas præmiſſis in ſuperiori capite inſtitutionum ſpeciebus adiiciamus, eodem ordine, quo in ſuperiori capite expoſitæ ſunt.

9. Et quidem canonicarum inſtitutionum conditiones aliæ ſunt generales, quæ inſtitutioni cuilibet neceſſariæ ſunt, aliæ ſpeciales, quæ ſingularibus inſtitutionum ſpeciebus accommodantur, vt eas in ſpecie ſua conſtituant, & alias ab aliis, quaſi ſubſtantialibus differentiis ſecernant, & diſtinguant, & cuiuſlibet ſpeciei, veluti anteſignanæ, & vexillates ſunt.

10. Ecce enim, vt canonica dicatur inſtitutio, hæc tria concurrere debent: primum, vt talis ſit collatoris perſona, quæ inſtituere poſſit: ſecundum, vt talis beneficiandi qualitas, & conditio, vt inſtitui poſſit: tertium, vt præſcripta inſtitutionis forma ſeruetur, vt patet ex *gloſſa in cap. 1. in verbo obtineri de reg. iur. in 6.* eæque conditiones cuilibet inſtitutioni adeſſe debent.

11. Nec alia ratione illud exigitur, quam in tutoris datione, vt notat *Ioann. Andreas in mercurialibus litt. b. num. 1.* quæ vt legitima cenſeatur, debet illud obſeruari, vt ab eo procedat, qui dandi facultatem habeat, perſonæ illius, cui dari debeat, vel cui prouideri, & ſecundum formam legibus præſcriptam, vt patet ex *lege naturalis §. finali dig. de confirm. tut.*

12. Sic etiam & illud ſeruatur in heredis inſtitutione, quæ iuſta, & legitima, eô ſolô dicitur, quod ab eo emanet, qui teſtamenti factionem habeat, qui & talem inſtituerit, qui de iure inſtitui poſſit, & ſecundum formam iure inſtitutam, *lege 4. dig. qui teſtam. fac. poſſunt & alibi paſſim.*

13. His itaque generalibus inſtitutionum conditionibus primum ſtatutis, & definitis, aduertendum eſt, priores duas, quæ de collatoris poteſtate, & beneficiandi qualitate, tractant, à nobis vberius expoſitas, tum in *ſuperiori capite ad verba inſtitutione*, dum varias collatorum perſonas exhibuimus, eorumque iura expoſuimus, tum *ad verba definitionis idoneo*, dum de ætate, qualitate, & conditione ordinandorum, vel beneficiandorum diſſeruimus.

Digitized by Google

14. Nunc igitur id ſolum ſupereſt, vt poſteriorem inſtitutionum canonicarum conditionem diſcutiamus, per quam id prænotatur, ſingulis inſtitutionum canonicarum ſpeciebus, ſuam formam ſeruari debere, quod eo ordine aperiemus, quo in ſuperiori capite, inſtitutionum ſpecies præmiſimus, vnicuique ſuam formam ſpecialem, ſecundum præſcriptum ordinem, accommodantes.

15. Verum antequam ad ſingulares inſtitutionum qualitates, & conditiones ſpecificas deſcendamus, quædam generales inſtitutionum canonicarum conditiones addendæ, quæ eò generales dicuntur, ſicut & præmiſſæ, quod cuilibet inſtitutioni ineſſe debeant, inter quas prima eminet, libertas conferentis, nullis aut precibus, aut iuſſis, aut vi, metuue coercita, *cap. 2. & 3. de his quæ vi metuſue cauſa.*

16. Sed enim collatio cum donationem ſapiat, vt ſupra oſtendimus, & probari poteſt ex *capit. 3. de ſuppl. neglig. præl.* & ex ipſa collationis canonicæ definitione mox præmiſſa *ad verba definitionis inſtitutione* §. 8. donari id tantum intelligitur, quod nullo cogente iure conceditur, in *lege donari dig. de donat.* adeo vt, quamuis in cæteris contractibus, libertas adeſſe debeat, maior tamen in donationibus, & ipſis collationibus.

17. Secunda canonicarum inſtitutionum conditio generalis eſt, in eo, vt ſit actus purus, certus, nec alternatiuus, nulla temporis, pacti, aut conditionis, adiectione ſuſpenſus, *capite finali, capit. cum pridem de pactis can. quam pio 1. quæſt. 2. gloſſa in cap. 2. de elect. & el. pot. in 6.* & ratio eſt, quod cum collatio, ſiue inſtitutio canonica, ſit actus legitimus, neque diem, neque conditionem recipere poteſt, *lege actus dig. de reg. iur. capit. actus de reg. iur. in 6.*

18. In eo tamen, differentiam conſtitui velim, inter ordinarij inſtitutionem, & eam, quæ à ſummo Pontifice progreditur, quod ille propter plenitudinem poteſtatis, in quam vocatus eſt, vt dicitur in *capit. 4. de auct. & vſu pallii*, qua innixus, de iure, ſupra iure diſpenſare ſolet, *cap. propoſuiſti 4. de conceſſ. præb.* collationi, & inſtitutioni, conditionem adiicere poteſt, itaque reſignationes in fauorem factas ſolus admittit, quas ordinarius nequaquam ſuſcipere poteſt.

19. Tertia conditio in eo verſatur, vt palam, & aperte peragatur collatio, ſiue inſtitutio canonica, non furtiue, non clam, *cap. 1. vt eccleſ. benef. ſine diminut. confer.* quod & in ipſis electionibus, licet ſint tantum inſtitutionis canonicæ præludia, nominatim, & ſpecialiter improbat, Innocentius III. in *capit. quia propter* §. *vlt. de elect. & el. poteſt.* adeo vt clandeſtinitas longe abeſſe debeat, vt innuit *gloſſa in verbo clandeſtinitas.*

20. Et ex eo fluxit, quod conſtitutionibus Regiis ſtatutum, & præcipuè edicto Henrici II. anni 1550. decretum, vt in procurationibus ad reſignandum teſtes adſint, non ſuſpecti, non domeſtici, & regula Cancellariæ Romanę, quę de publicandis reſignationibus lata eſt, definitum, vt prouiſiones eo vacandi genere indultæ, publice ederentur, pariterque natum, vt in collationibus ordinariorum teſtes adhiberentur, qui omni exceptione maiores eſſent, eiſdemque ſubſcriberent, quod addidit curia Pariſienſis pręmiſſo edicto, dum ſibi inſcriptum approbaret decreto die 24. Iulij anni 1550. pronunciato.

21. Quarta, vt ex integro, & ſine vlla diminutione, collationes beneficiorum fierent, vt patet ex *rubrica vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*, illudque plenius probauimus ſupra, *ad verba definitionis quadam capit. 2. de prohibita ſectione beneficiorum, & ad verba cum ſuo reditu*, cui congruit, quod de profanis monet *Seneca lib. 2. de benef. cap. 4. vt beneficia, illibata, & integra, ad eos, quibus promiſſa ſunt, perueniant, ſine vlla, quod aiunt, deductione.*

22. Quinta vt gratis, & abſque vlla mercedis pactione, inſtitutiones celebrentur, alioquin tanquam nauicularię, nec Euangelicæ reprobarentur, vt de benedictionibus Abbatum, teſtatur *Goffridus Vindocinenſis in opuſculis tractatu de promiſſionibus quas pro conſecratione Abbates faciunt Epiſcopis*, quod & alias oſtendimus, *ad verba definitionis cæleſtis cap. 2.* vbi varias, ſimoniacę prauitatis ſpecies, inſectati ſumus.

23. Sexta & vltima conditio eſt, vt intra legitimum tempus, hoc eſt ſex menſium, Lateranenſi Concilio præſcriptum, collatio habeatur, alioquin pręfinito ſemeſtri tempore elapſo, peracta collatio, nulla eſt, *cap. finali de ſuppl. neglig. præl.* propter deuolutionem poteſtatis dicto Concilio Lateranenſi ſtatutam, de qua ſupra diximus *ad verba definitionis inſtitutione* §. 11. *de collationibus iure deuoluto peractis.*

Digitized by Google

§. PRIMVS.

Quid electionem Canonicam efficiat.

1. *Electio debet eſſe Canonica.*
2. *Probatur ex definitione electionis.*
3. *Quæ electionem canonicam efficiant.*
4. *Iure communi electio competit iis qui ſunt de gremio.*
5. *Solis Subdiaconis ius eligendi competit.*
6. *Quibus competat ius eligendi Abbatem iure communi.*
7. *Tum ex variis regularium conſtitutionibus.*
8. *Probatur decreto Curiæ, ſororibus Conuerſis Ordinis Diui Franciſci, competere ius eligendi.*
9. *Ius eligendi conſuetudine, & priuilegio adquiritur.*
10. *Eligendi iure vtuntur, qui ſunt in poſſeſſione, & quinam cenſeantur.*
11. *Ratio huius deciſionis deſumpta, ex collationis iure fructibus adæquato.*
12. *In quibus capacitates perſonæ eligendæ conſiſtant.*
13. *Exemplum in Epiſcopis eligendis.*
14. *Eligendorum qualitates petendæ, ex diſputatione habita ad verba* idoneo.
15. *Poßunt & aliæ adiici, legibus fundationum.*
16. *Eligendi forma præfixa Concilio Lateranenſi.*
17. *Eligendi forma Concily Lateranenſis, confirmata legibus noſtris.*
18. *Tres eligendi formæ dicti Concilij proponuntur.*
19. *Ordo, & progreſſus huius diſputationis.*
20. *Vacante Eccleſia, ſtatim ad electionem procedendum.*
21. *Trimeſtre tempus electioni præfixum, anticipandum.*
22. *Primus actus electionis, eſt decretum, & quid ſit.*
23. *Quæ forma abſentium conuocandorum etiam iure Gallico.*
24. *Electio incipere debet, ab inuocatione Spiritus ſancti.*
25. *Quæ præſidis electionis munera, & functiones.*
26. *Quid tractatus, & vt electionem præcedere debet.*
27. *In electione tractatus neceſſarius, ſicut in alienatione rerum Eccleſiaſticarum.*
28. *Quænam ſcrutinij forma, ſcrutatoribus ſeruanda.*
29. *Quid ſcrutatores, quid ſcrutinium, in electionibus.*
30. *Vnde eligentium vota, à ſcrutatoribus ſcripturæ mandanda, & mox publicanda.*
31. *Quid tractatus collationis, in electionibus ſeruandus.*
32. *Quænam electionis per compromißum forma ſeruanda.*
33. *In electione per compromiſſum ei parti ſtandum, quæ maior ſit.*
34. *Quando compromittentes, compromiſſariorum iudicio ſtare debent, vel non.*
35. *Compromiſſi forma diligenter ſeruanda.*
36. *Numerus compromiſſariorum, non definitus iure canonico.*
37. *Compromiſſum ſemel inceptum, reuocari non poteſt.*
38. *Quid electio per inſpirationem, & vt cognita primis Eccleſię temporibus.*
39. *Electionis per inſpirationem vix vlla veſtigia.*
40. *Quid ſit electio per-quaſi inſpirationem, & vt prior, regulis canonicis non ſubiaceat.*

41. *Pronunciatio electionis, eſt vltimus actus, & conſummatio.*
42. *Vnde emanauerit, pronunciandæ electionis forma.*
43. *Quæ pronunciandi forma & vnde petenda.*
44 *Exponitur vetus formula pronunciationis in electionibus.*
45. *Publicatio electionis habitæ neceſſaria.*
46. *Reprobantur in vniuerſum, clandeſtinæ electiones.*
47. *Publicationem ſequitur, intronisatio præſentis electi.*
48. *Abſenti electo intimari debet electio, vt conſentiat, quo facto, inter eum & Eccleſiam, ſpiritale matrimonium contrahitur.*
49. *Decretum electionis peractæ quid ſit.*
50. *Electio habita confirmari debet, vt electo ius adquiratur.*
51. *Confirmatio petenda intra tres menſes, & neceſſario concedenda.*
52. *Quandonam ſuperior negare poſſit confirmationis gratiam.*
53. *Vbi eligentes peccauerint, deuoluitur ad ſuperiorem libera diſponendi facultas.*
54. *Electus ante confirmationem ſe immiſcens, priuandus electionis iure.*
55. *Electi extra Italiam, ante confirmationem adminiſtrare poſſunt.*
56. *Quę tranſeant poſt confirmationem, quę non.*
57. *Vſus Gallię circa electiones.*
58. *Libertas habendę electionis, à Rege peti debuit.*
59. *Item & habitę conſenſus, ſiue auctoritas Regia accommodari.*
60. *Quędam adduntur de electione ſummi Pontificis.*
61. *Horum amplior diſcuſſio remittitur ad auctores.*

1. EXpoſitis igitur, generalibus inſtitutionum canonicatum conditionibus, nunc procedendum, ad ſingulas inſtitutionum ſpecies, inter quas in ſuperiori capite, cum primum locum dederimus electionibus, nunc ab his auſpicandum eſt, quas & canonicas eſſe debere, euincunt *cap. 7. 41. & tria ſequentia de elect. & elect. poteſt. & pleraque alia eiuſdem tituli. itemque diſtinctio 60. 61. 62. & 63. per totum.*

2. Sed & illud manifeſtius, electionis definitio, à nobis tradita in ſuperiori capite, cùm diximus electionem eſſe, *perſonæ idoneæ, ad dignitatem vacantem, vel fraternam ſocietatem, ab habentibus poteſtatem, ſeruata forma, canonice factam vocationem.* quæ definitio traditur *ab Angelo & Silueſtro in ſumma item Petro De Biaxio in directorio electionum parte prima cap. 1.*

3. Namque ex ea illud patet, tria potiſſimum deſiderari, vt canonica dicatur electio, poteſtatem in eligentibus, capacitatem, vt loquuntur interpretes, ſiue ſufficientiam in eligendis, formam denique iure canonico præſcriptam, quæ omnia eodem ordine exequemur, quo dictus Petrus de Biaxio Nauarræus ſuum directorium electionum, tribus his partibus proſequutus eſt, & abſoluit.

4. Primum igitur, in electione ſpectandum illud eſt, vt poteſtas ſit in eligente, ſiue ius eligendi, quod iure communi iis competit, qui ſunt de gremio capituli, vel Eccleſiæ paſtore viduatæ, *capit. cum dilectus de conſuet. apud Greg.* hoc eſt Canonicis Eccleſiæ cathedralis, vel collegiatæ, & monachis, ſiue regularibus monaſteriorum ſodalibus, quibus abbates, & Epiſcopi præficiendi ſunt.

5. Nec tamen omnibus canonicis, ius illud quæritur, ſed tantum his, qui ſaltem legitimam ætatem conſequuti, ad ſubdiaconatus ordinem peruenerunt *Clement. 2. de æt. & qual. præfic.* quique vocem in capitulo, & ſtallum in choro obtineant, quæ ſunt præcipua canonicatus ſigna, quibus clauſulis, excluduntur in minoribus ordinibus conſtituti, vel canonici Aſſiſij, Habituati, & Vicarij dicti, qui corpus facere non dicuntur.

6. Et illud quidem, pariter in regularibus obſeruandum eſt, dum agitur de Abbatis, aut alterius regularis, aut monaſticæ dignitatis electione, iis enim ſolis ius eligendi competit, qui votum religionis emiſerint, & profeſſionem regularem, publice ediderint, *capit. ex eo, & capit. indemnitatibus de elect. in 6.*

7. Sed & illud addendum, variis diuerſorum ordinum ſtatutis definitum, vt nedum profeſſi, niſi poſt ſtatuta quædam, & emenſa tempora, vocis ſuffragio vtantur, quibus

Digitized by Google

præteritis vocales euadunt, vt vulgo dicitur, hoc eſt vocis ſuffragio vtuntur, ſed & aliis ſtatutum, vt Sorores Conuerſæ, alias oblatæ, vel minores, quamuis nec vocem in capitulo, nec ſtallum in choro habeant, tamen electioni Abbatiſſæ adeſſe, & eligendi ſuffragio vti, & gaudere.

8. Verum enim illud, & alias decreuit ſenatus Pariſienſis, in publicis cauſarum actionibus, perorantibus *Guidone Demaſſac*, pro oblatis, ſiue minoribus ſororibus, monaſterij ſanctæ Claræ dicati, in ſuburbio Diui Marcelli prouocantibus tanquam ab abuſu, & *Claudio Pucelle*, pro monialibus, ſiue ſororibus chori dicti monaſterij intimatis, die 13. Martij anni 1642. quo decreto, oblatis, ſiue minoribus ſororibus, vocis ſuffragium, in Abbatiſſæ electione, ab intimatis chori ſororibus præreptum reſtitutum eſt.

9. Quamuis autem regulariter, ſolis canonicis, aut regularibus, qui ſunt de gremio capituli, aut monaſterij, ius eligendi competat, tamen aliud de conſuetudine euenire poteſt, & ex priuilegio, cuius auctoritate ſubnixi quidam extranei, electionibus intereſſe ſolent, & vocis ſuffragio gaudere, vt patet ex *capit. cum Eccleſia de cauſ. poſſ. & propr. d. capit. cum dilectus de conſuet* vt enim notat *Panormitanus ad d. capit. cum Eccleſia* ius illud eligendi, præſcriptione adquiri poteſt.

10. Sed enim, cum de eo quæſtio naſcitur, illud potiſſimum inſpicitur, quis in eligendi poſſeſſione verſetur, *cap. cum olim de cauſ. poſſ. & propriet. & ibi gloſſa in verbo duobus cap. querelam de elect. cap. conſultationibus de iure patron.* quod vel vnico actu probari poteſt, modo vltimo, & immediato, vt ſupra & mox diximus, *ad verba inſtitutione* §. 16. illudque probat & perſequitur, idem *De Biaxio in prima parte directorij electionum cap. 2.*

11. Et vero cum electio, præſentatio, ſiue collatio, fructibus annumeretur, vt innuit *gloſſa in capit. cum olim in verbo capitulo de mai. & obed. & in capit. cum Bertholdus in verbo patrono de ſentent. & re iud.* bonæ fidei poſſeſſori cedere debent, ſecundum communem iuris vtriuſque regulam, in *lege bonæ fidei 48. de adquir. rer. domin. capit. poſſeſſor. de reg. iur. in 6.*

12. Secundo requiritur, vt canonica dicatur inſtitutio, nempe vt is, in quem eligentium vota, & ſuffragia concurrunt, eas habeat in ſe qualitates, quæ dignitati, aut prælaturæ ad quam vocatur ſuſtinendæ ſufficiant, quas cum dixerimus *ad verba definitionis idoneo*, in eo potiſſimum conſiſtere, vt morum grauitatem habeat, ætatis maturitatem, & ſcientiam legitimam ſiue ſufficientem, *capit. cum in cunctis in principio de elect. & elect. poteſt. cap. 4. de æt. & qual. ordin.* illæ qualitates varie ſpectantur, pro variis, quibus eligendi præficiendi ſunt dignitatibus.

13. Ecce enim, cum Epiſcoporum dignitas, ſit veluti apex & culmem omnium dignitatum Eccleſiaſticarum, *capit. venerabilis de preb* cum ſint veluti in ſpecula conſtituti, vt pleb is ſibi commiſſæ regimini intendant, vnde & Epiſcopi nomen ſortiti ſunt, maiori ætate, & prouectiori, ſcientia eminentiori, morumque incorruptorum grauitate præpollere debent, *d. capit. cum in cunctis in principio de elect. & elect. poteſt.*

14. Verumtamen, cum de omnibus hiſce præficiendorum qualitatibus, & conditionibus, fuſius, & commodius tractauerimus, *ad verba definitionis noſtræ idoneo*, ideo ex his locis ſuppetendæ ſunt, & quod hic deeſſe videbitur, ex ſuperioribus capitibus abundantius ſupplendum erit, atque etiam, ex *ſecunda parte directorij electionum eiuſdem Petri De Biaxio*, quod & 25. capitibus abſoluit.

15. Poſſunt & eſſe plures aliæ, eligendorum, & eligentium qualitates, & conditiones, imo & eligendi formæ, variis fundationum, & dotationum legibus adiectæ, quæ non minus ſeruandæ ſunt, quam illæ, quæ generalibus Eccleſiæ decretis præſcriptæ, imo & quandoque ſtrictiori obſeruantia cuſtodiendæ, cum vt ſupra diximus ſi deficiant, diſpenſationi locus dari non ſoleat, iure apud nos obſeruato, quod & probatur *art. 64. collectionis lib. Eccleſ. Gall. Petri Pithei.*

16. Nunc igitur tranſeundum ad aliud tertium, quod canonicam electionem efficit, ſiue ad formam, iure canonico præſcriptam in electionibus, quæ cum varia eſſet, & incerta iure antiquo, & variis eligentium votis ſparſim introducta, vt innuit *Innocentius III. in capit. quia propter de elect. & elect. poteſt. in principio* tandem publici iuris facta eſt, & Generali Lateranenſi Concilio fixa, & ſtabilia, adeo vt, illam formam amplius egredi non liceat.

17. Sed & huius Concilij generalis ſanctio, ita placuit Eccleſiæ Gallicanæ ſingulis ordinibus, vt in pragmaticam ſanctionem noſtram, itemque concordata Bononienſia tranſierit, exſcripta tam ex eodem concilio quam Baſileenſi, adeo vt in his caſibus, in quibus eligendi facultas, & libertas permanſit, ad aliam formam, quam quæ dicto generali Concilio præſcripta ſit, prodire non liceat.

Digitized by Google

18. At vero tres ſunt modi, ſiue formæ electionibus datæ, & auctoritate dicti Generalis Concilij comprobatæ: prima quæ fieri dicitur per ſcrutinium: ſecunda, quæ per compromiſſum celebratur: tertia, quæ per inſpirationem, ſiue viam Spiritus ſancti procedit *d. cap. propter. de elect. & elect. poteſt.*

19. Verum antequam, ad ſingulas ſpecies progrediatur, hærendum paululum in præludiis, ſiue iis, quæ habendam electionem præcedere debent, & quodammodo præparare, vt faciliori ingreſſu, & via expeditiori reddita, tutius ad propoſitum finem perducamur, eodem ordine, quo Petrus De Biaxio, in ſui directorij tertia parte, diſputationem hanc proſecutus eſt.

20. Sciendum eſt itaque, quod vacante Eccleſia, cui per electionem prouideri debet, eaque ſuo paſtore viduata, ſiue morte, ſiue renunciatione, ſiue altero vacandi modo id contigerit, de quibus commodius in ſpeciali & proprio capite dicemus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariariæ conceſſa*, quæ huic tractatui finem imponent, ſtatim ad electionem procedendum, ne diutius viduata maneat Eccleſia, & in incerto ſtatus ipſius perduret.

21. Quamuis enim his, quibus eligendi facultas competit, trimeſtre tempus ſtatutum ſit, intra quod electioni vacare debeant, eamque ad vltimum finem perducere, *cap. ne pro defectu de elect. & elect. poteſt.* mox tamen, & ſtatim atque corpus defuncti Prælati ſepulturæ datum fuerit, ad electionem progredi debent, *capit. 36. de elect. & elect. poteſt.* quo & nondum peracto, electioni vacare poſſe innuit *idem De Biaxio parte 3. cap. 2.* ſed tamen, decentior erit dilatio.

22. Et quidem illud eo ordine procedit, vt conuocatis omnibus, qui electioni intereſſe debent, decretum habendæ, & futuræ electionis fiat, quo dies, & terminus præfiniatur, intra quem abſentes ſe ſiſtant, futuræ electioni ſuffragium daturi, cuius conditionis formam definiuit, *Guilelmus Mandagotus in praxi electionum parte 2. in forma* 1. vbi & indictionis, & citationis inſtrumentum profert, ſiue aſſignationem termini, intra quem ſe ſiſtant abſentes.

23. Nec tamen illud generale conditionis inſtrumentum ſufficit, ſed quilibet abſens, ſiue per nuncium, ſiue per litteras, à capitulo emiſſas, citari debet, vnde *ibidem Mandagotus in forma* 2. exhibet inſtrumentum citationis abſentibus faciendæ, quod fieri ſolet, ſecundum *capit. in Geneſi de elect. & elect. poteſt.* ſententiam, in quo laudatur, Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudo, qua de toto regno Franciæ, vocari dicuntur abſentes.

24. Verum igitur, ipſo indictæ electionis die adueniente, omnes qui de iure, vel conſuetudine, vel priuilegio, electioni intereſſe ſolent, in vnum congregari debent, & ſacris Miſſæ ſolemnibus legitime peractis, ſub inuocatione Spiritus ſancti, ad capitulum procedere, ſiue locum, vbi de publicis negotiis tractari ſolet, electionis ſolemnia peracturi, vt pluribus probat *Petrus De Biaxio directorij electionum tertia parte capit.* 14.

25. Verum enim, cum in tribus modis præmiſſis, ſcrutinij, compromiſſi, & inſpirationis conſiſtat, qui electioni præeſt, ſociis ſuis, ſiue ſodalibus, ſingulorum formam, & ſolemnia, breui oratione proponere ſolet, vt alterum eligant, quo in futura electione vtantur, vt patet ex eodem *Mandagoto in tractatu de iure electionum, Petro de Biaxio in directorio, & Stephano Meleretto Archidiacono Burdegalenſi in repetione de electione libere facienda.*

26. At vero propoſitis annuentes ſocij, inter ſe tractatu, & deliberatione habita, circa futuram electionem, alterum, ex his tribus eligendi modis, ſtatuere ſolent, ſecundum quem electio celebretur, eique ſuas leges & conditiones præſcribere, quas eligentes accurate cuſtodiant, nec poſſunt tamen alias præſcribere, quam quæ Generali Concilio, vel ipſis fundationum legibus ſtatutæ ſunt.

27. Sed & ea deliberatio tractatus dicitur, quæ electionem pręcedere debet, *capit. 28. de elect. & elect. poteſt.* ſicut alienationem rei Eccleſiaſticæ, pręcedere debet tractatus, *can. ſine exceptione 12. quæſt. 2. cap. 1. de reb. Eccleſ. alien. vel non in 6. & cap. tua de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap. gloſſa in can. in nomine Domini in verbo tractatus diſt.* 23. non tamen ante mortem, aut ſepulturam prelati haberi, niſi conſultorie, & ad modum conſilij, non definitiue, & vt certa perſona eligenda deſignetur, vt explicat *idem De Biaxio parte 3. cap. 3. Ioann. Dayma in prohemio concord. fol.* 111. *col.* 1.

28. Eſt igitur ſcrutinij, in electionibus ea forma ſeruanda, quæ traditur in *capit. quia propter de elect. & elect. poteſt.* ex quo patet, ita procedere debere, vt tres ſeligantur è collegio, indubitatę fidei, & omni exceptione maiores, qui ſecrete ſingulorum vota, & ſuffragia inquirant, & ſcrutentur, vnde ſcrutatores appellantur, vt apud *Suetonium & Tacitum* qui principem ſalutaturos ſcrutabantur, num armis induti eſſent.

Digitized by Google

29. Et inde ea inquirendi forma, ſcrutinium dicitur, alias ſeruata in ordinibus conferendis, vt colligitur ex *rubrica de ſcrutinio in ordine faciendo*, & in Baptiſmi ſacramento initiandis, vt habetur in *gloſſa capit. dilectus de cap. monach. in verbo ſcrutiniis & in epiſtola Ferrandi ad Fulgentium de Baptiſmo moribundi Æthiopis, & altera Alcuini ad Carolum Magnum* & vtrobique, eſt inquiſitio ſecrete facienda.

30. Poſtquam vero, eligentium vota, & ſuffragia ſcrutati fuerint ſelecti è gremio, ſcriptis mandare debent, & mox publicare in capitulo, *d. capit. quia propter de elect. & elect. poteſt.* vt fixa, & certa permaneant, nec enim poſt publicationem, aut variandi, aut pœnitendi locus datur, *cap. 48. & 58. de elect. & elect. poteſt.* maxime, cum variatio, & illuſio, perſonis Eccleſiaſticis omnino ſint vitandæ, *Clem. 1. de renunciat.*

31. At vero publicationem ſcrutinij, ſequitur collationis tractatus, ſiue ſuffragiorum ad inuicem comparatio, ratione habita, & illatione facta, numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, vt patet ex *capp. ſupra laudatis*, vt ea pars vincat, & cæteris præferatur, quæ aut numero, aut zelo, aut meritis eligentium, potior ſit, quod pluribus tractat, *Petrus de Biaxio in tertia parte directorij cap. 31.*

32. Eſt & altera eligendi forma, quæ per compromiſſum fieri dicitur, cum illi, qui electioni vacare debebant, propter facilem hominum ad diſſentiendum naturam, eoque maiorem, quo in plures diffunditur ſocietas, competentem ſibi eligendi poteſtatem, ad quoſdam, vel ex ſociis, vel extraneis transferunt (ad extraneos enim transferri poteſt, eligendi poteſtas, & facultas, *cap. cauſam 8. de elect. & elect. poteſt.*) qui vice cæterorum, eligendi munere fungantur, *capit. quia propter capit. cum inter 52. de elect. & elect. poteſt.*

33. Sed in ea re id notandum eſt, compromiſſarias, ſiue arbitros, eâ demum poteſtate, & iure vti, vt electio maioris partis eorum ſuffragio ſubnixa, probanda ſit, quaſi à maiore parte capituli habita fuiſſet, ſi modo vel indignum, vel incapacem non elegerint, *cap. cauſam quæ 8. de elect. & elect. poteſt.* ſunt enim compromiſſarij electores, quaſi procuratores, vel arbitri, qui male, vel aliud à mandato, vel compromiſſo agentes, nihil agunt argumento *legis diligenter 5. dig. mand.*

34. Sed enim tunc, electionem ratam habere non tenentur compromittentes, ne pro hac vice, eligendi poteſtate ſpolientur, *capit. cum in cunctis in fine de elect. & elect. poteſt.* quæ ad eos recurrit, dignioris electione implenda, ſi adhuc ſint, intra tempus trimeſtre, electioni præfinitum, *cap. 37. de elect. & elect. poteſt. in 6.* idque ita procedit, ipſo compromiſſariorum proceſſu improbato à compromittentibus, quo facto, de nouo electioni vacant, quaſi rebus integris.

35. Nec etiam electionem à compromiſſariis habitam, ratam habere tenentur compromittentes, ſi conditiones, legeſque compromiſſo datas, diligenter non ſeruauerint compromiſſarij electores, quemadmodum enim, vt mox adnotauimus, diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt à procuratoribus, & mandatariis *d. lege 5. dig. mand.* adeo vt qui exceſſerit, aliud quid, vel plane nihil egiſſe videatur, idem in electionis compromiſſo ſeruari debet, *capit. cum dilectus 32. de elect. & elect. poteſt.*

36. Nec vero refert in quot, pluresue compromiſſum ſit, namque in eo, numerus iure canonico definitus non fuit, ſicut in forma ſcrutinii ternarius, imo aut in tres, compromitti poteſt, vt in *cap. cum dilectus 32. de elect.* aut quinque vt in *capit. cauſis 30. eod.* aut in ſeptem vt in *capit. cum in iure 33. eod.* aut in vnum duntaxat, vt in *capit. cauſam quæ de elect. & elect. poteſt.*

37. Verum illud certum eſt, quod ſtatim atque compromiſſarij, ſiue arbitri, eligendi cauſa dati, ad electionem proceſſerint, quaſi re non amplius integra, compromiſſum reuocari non poſſe, *capit. 3. de elect. & elect. poteſt.* ſicut in arbitris ex compromiſſo datis, iure ciuili obſeruatur, qui cum ex mera compromittentium voluntate pendeant, poſt inceptum negotium, neceſſarij redduntur.

38. Supereſt tertia eligendi via, Concilio generali propoſita, quæ per inſpirationem peragi dicitur, cum abſque vllo tractatu ſpeciali circa perſonam eligendam, cuncta vota, & ſuffragia, quaſi diuino ſpiritu impellente, in vnam eamdemque perſonam concurrunt, *d. c. quia propter de elect. & el. poteſt.* vt in Diui Mathiæ cooptatione in ſacrum Apoſtolorum collegium ſuceſſiſſe habemus *Actorum cap. 1.*

39. Sed vix hodie, huius eligendi formæ, veſtigia quædam apparent, vnde *Ioannes Andreas in d. capit. quia propter de elect. & el. poteſt. coll. 6.* alludens ad fabulam, aut commentum, quo Archiepiſcopi Rauennates, aduolantis, & capiti inſidentis columbæ indicio, aſſumi dicebantur, quod & in aliis ſæpius accidiſſe refertur, Columbam illam longius auolaſſe exclamat, per Coruum, aut noctuam fugatam, nuſquam alias redituram.

Digitized by Google

40. Si quæ igitur electio, eligentium votis, & ſuffragiis, in vnam eandemque perſonam concurrentibus, hodie procedat, non amplius per inſpirationem fieri dicitur, ſed quaſi per inſpirationem celebrari, quam vtramque eligendi formam explicat *Petrus de Biaxio directorij tertia parte, cap. 16.* hæc autem eligendi via, cum ab vno Spiritu ſancto procedat, nullis canonicis regulis ſubiacet, ſicut duæ præmiſſæ, itaque nec tractatus præuius requiritur, ſed ſola inuocatio Spiritus ſancti.

41. Expoſitis igitur tribus hiſce eligendi modis, addenda eſt conſummatio, ſiue perfectio operis, quæ omnibus communis eſt, namque peracta electione altero ex tribus eligendi modis præmiſſis, pronunciatio eſt adhibenda, ab vno ex ſociis, vice omnium, per hæc verba, ſiue formulam ſic conceptam, *nomine meo, atque capituli eligo eligo.*

42. Sed enim cum electio ſit actus legitimus, purus, & indiuiduus, actus Vniuerſitatis, & Collegij, non vero ſingulorum, debet in vnicam actionem reduci, quaſi ab vnico collegio emanantem, *capit. ſicut cum per formam de elect. in 6. ad quod Dominicus de ſancto Geminiano & Philippus Francus vterque in commentariis*, eamdem rationem adducunt, quam & iudiciorum more illuſtrari poſſe credimus, in quibus, plurium ſuffragia, in vnam eamdemque ſententiam reducuntur.

43. Verum huius pronunciationis formam, ſi ſcire deſideres, petere poteris *è ſpeculo Durandi Mimatenſis Epiſcopi tit. de elect. §. 1. collat. 5. & 6. verſic. his igitur & apud* Guilelmum *Mandagotum Archidiaconum Nemauſenſem in praxi elect. parte 2. cap. 59.* & huic contextui ſubnectere, ſi libuerit, ne ad vlteriora tendentem, paululum immoretur.

44. Sed & huic pronunciandi formulæ aptari poſſit, quod in ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, obſeruari ſolitum diximus, in quibuſlibet ordinationibus, dum per publicæ electionis modum, quiſque Eccleſiæ præficiebatur, Archidiacono nomine Epiſcopi, vel potius cleri & populi eligentium, pronunciante hanc formulam, quæ exſtat in *notatis ad can. neminem diſtinct.* 70. ex ordine Romano deſumptam *de titulo ſancti Stephani eligimus Petrum ad lectorem, ad eumdem titulum.*

45. At vero illud aduertendum eſt, quod mox & ſtatim atque pronunciata fuerit electio, debet publicari, hoc eſt populo, & clero manifeſta fieri, *can. licet* 8. *quaſt.* 1. eaque publicatio, alia eſt ab ea de qua egimus, in electione per ſcrutinium, dum eligentium vota, publicari debere diximus, quæ ſpecialis eſt huius electionis, hæc autem generalis, & in omnibus æque neceſſaria.

46. Cum enim generale Concilium, clandeſtinas electiones reprobauerit, in *d. capit. quia propter de elect.* quod electio Spiritus ſancti operatio eſſe debeat, qui tenebras, & latibula longe auerſatur, vt clandeſtinitatis vitium euitetur, publicatio electionis interuenire debet, vt innuit *gloſſa d. capit. quia propter in verbo clandeſtinitas*, alias enim omnino condemnanda foret.

47. Et quidem illud adeo verum eſt, vt ſi præſens fuerit electus, ſtatim poſt electionis publicationem, debeat intronizari (vt aiunt interpretes) hoc eſt in ſedem paſtoralem induci, cum gratiarum actione, acclamantibus etiamnum ſingulis ordinibus, quamuis tamen, ante confirmationem, adminiſtrationi ſe ſe immiſcere non debeat, vt infrà dicetur, nec enim hæc introniſatio, locum tenet inductionis in poſſeſſionem, ſed publicæ lætitiæ ſignum eſt.

48. Sin vero electus abfuerit, debet ei electio habita intimari, vt intra menſem, à die notificationis factæ numerandum, conſenſum præſtet electioni, quo præſtito, ſpiritale quodammodo matrimonium, ſiue deſponſatio, hoc eſt futurarum nuptiarum repromiſſio, intercedere videtur, inter electum & Eccleſiam, quæ ipſius ſponſa dicitur, *capit.* 21. *de elect. & el. poteſt.* quod tamen confirmatione accedente, conſummari dicitur, & perfici.

49. Sed vt electioni habitæ, poſtremum robur addatur, decretum electionis confici debet, quo proceſſus, ſiue ſeries tota electionis habitæ contineatur, ſuperiori emittendum, dicimus apud nos *procez verbal*, vt confirmationis gratiam, electo indulgeat, inquiſitione, & examine præuio, tum in perſonam electi, tum in formam electionis, de qua agitur in *ſermone nouiſſimo habito de inquiſitionibus in perſonam nominatorum faciendo, ſtatim in principio qui ſubiectus eſt commentario ad libertates Eccleſ. Gall. Petri Pithæi.*

50. Nec enim vt ſupra adnotauimus, ipſa electio ſola & per ſe, canonicum titulum tribuit, quamuis præmiſſis omnibus canonicis regulis ſit inſtructa, ſed tantum diſpoſitionem, ſiue præparationem, ad verum titulum conſequendum, ius ad beneficium, nec vero ius in beneficio, quod ſola confirmatione ſuperioris adquiritur, quæ vera, & canonica inſtitutio dici potuit.

51. Nunc

Digitized by Google

51. Nunc igitur, & poſtquam electioni conſenſum præbuerit electus, intra tres menſes, confirmationis gratiam impetrare debet à ſuperiore, *cap. 6. & 16. de elect. in 6.* eamque omnimodo concedere non tenetur ſuperior, quamuis ſit actus neceſſitatis, non voluntatis ipſa confirmatio, & inter collationes neceſſarias locum habere noſcatur, quæ ſede vacante capitulo competunt, vt ſupra oſtendimus.

52. Verum enim ita demum ſuperior, confirmationis gratiam concedere tenetur, ſi habito diligenti, & præuio examine, circa perſonam electi, & electionis proceſſum, in nullo peccatum compererit, *cap. 44. de elect.* ſi enim male, & perperam, habitam electionem confirmaſſet, non tantum iure ſuo excideret, ſed etiam proprio ſi quod habet beneficio, vt habetur *in eodem capitulo.*

53. Sin vero circa alterutrum, vel vtrumque peccatum fuiſſe deprehenderit ſuperior, electioni iudicium, & vltimum ſuffragium adhibens, tunc electoribus, pro hac vice eligendi poteſtate ſpoliatis, plenum ius conferendi, & liberum ad eum deuoluitur, *capit. quia propter de elect. & elect. poteſt. cap. cum in cunctis eod. tit.* quamuis alias, & in ipſis collationibus, deuolutionem fieri dixerimus, iiſdem adiectis, & ſeruatis conditionibus.

54. Quod autem diximus electum ante confirmationem, ius ad rem tantum conſequi per electionem, adeo verum eſt, vt nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus, omnino ſe immiſcere debeat, *cap. qualiter de elect. capit. auaritiæ de elect. in 6.* alioquin, omni electionis iure careat, *capit. 6. de elect. in 6.* & ineligibilis redditur.

55. Sed illud tamen, in electis vltra Italiam permanentibus, non omnino ſeruatur, ſi concors fuerit electio, illi enim, & ea quæ ſpiritalia ſunt, & quæ temporalia, adminiſtrare poſſunt, ante confirmationis gratiam impetratam, *cap. 44. de elect. & elect. poteſt.* ne propter longius dilatam confirmationem, abſque mora, & culpa electi, ſalus animarum diſpendium grauius patiatur.

56. Illud itaque obſeruandum eſt, electo, per confirmationem plenum ius adquiri, liberamque facultatem ea omnia exequendi, quæ beneficio competunt ad quod eligitur, ſi modo excipias ea, quæ ſunt ordinis, quæ in maioribus beneficiis, poſt conſecrationem tantum competunt, *capit. tranſmiſſam* 15. *& capit.* 28. *de elect. & elect. poteſt.*

57. Verum his omnibus, canonicarum electionum formulis, & ſolemnibus, rite, & ſecundum propoſitum ordinem expoſitis, ſubiiciendus videtur vſus Galliæ noſtræ, his potiſſimum temporibus obſeruatus, quibus per electionem, Gallicanis Eccleſiis præfecti deputabantur, vel etiam hodiernis, quibus, in Eccleſiis, ſiue ordinibus Regni quibuſdam, vix quædam electionis canonicæ veſtigia remanſerunt.

58. In eo autem potiſſimum verſabatur, & verſatur hodie, vt mox, & à principio, habendæ electionis libertatem, à Rege electores impetrarent, cuius licentiæ neceſſatio impetrandæ, plura veſtigia patent, in *collectione probationum ad libert. Eccleſ. Gall. cap.* 15. ex quibus & illud elicitur, plura collegia, ſiue ſodolitates, vel regulares, vel ſæculares, per emendæ, ſiue multæ indictæ exſolutionem, læſæ Maieſtati Regiæ ſatisfeciſſe, quod venia eligendi, à Rege nequaquam petita, ad electionem proceſſiſſent.

59. Sed & illud adiiciendum eſt, vt habendæ electionis libertas, à Rege impetranda erat, ita & habitæ, conſenſum Regium, ſiue auctoritatem accedere debuiſſe, imo & ſæpius obſeruatum, vt ab electione omnis ſuffragiorum aucupatio amoueretur, pleniorque eligendi libertas redderetur, Regem Chriſtianiſſimum, quemdam probatæ fidei virum, ſenatoria, aut qualibet alia dignitate præpollentem, demandare conſueuiſſe, qui habendę electioni intereſſet, cuius decretum, alias narratorium proceſſum vocant, Regi tranſmittebatur, vt ſua auctoritate electionem firmaret, vt habetur in *dd. probationibus.*

60. Poſſent & hic plura addi, de ſpeciali electione ſummi Pontificis, & vt primum Clero Populoque Romano, eligendi poteſtas competiit, deinde ad Carolum Magnum tranſlata, cui cum Ludouicus ſucceſſor Imperij renunciaſſet, Othoni I. reſtituta eſt, ac tandem, ad ſolos Eccleſiæ Romanæ Cardinales tranſlata fuit, variis legibus, & conditionibus exequenda, ſed quia, ſecundum propoſitum nobis ordinem, generalia electionum præcepta expoſituris, ad ſpecialia deſcendere non fuit, quę hic deerunt de hac materia, abundantius ſuppleri poterunt, ex variis tum hiſtoriæ ſcriptoribus, tum iuris canonici interpretibus.

61. Sed & præcipue, ex pluribus qui hanc materiam ex propoſito tractauerunt, inter cæteros ex quodam *Anonimo, qui nobis Cæremoniale Romanum exhibuit*, quod apud me extat, *Boetio Eponę in tractatu de regal. & iure princip. in beneficiis à num. 166. ad num. 217. Franciſco Florente ad tit. decret. de elect. à pag. 143. ad 149. & ex breuiſsimo ſed doctiſsimo tractatu electionis ſummorum Pontificum à clariſsimo viro Hieronimo Bignonio edito vix puberes annos ingrediente.*

§. SECVNDVS.

Qua forma fieri debeat Regia nominatio ad Prælaturas.

1. *Nominationis Regiæ forma ex concordatis, & definitione petenda.*
2. *Nominationis Regiæ definitio exponitur.*
3. *Primum in nominatione Regia requitur capacitas nominandi.*
4. *Qualitates nominandi ad Epiſcopatus, petendæ ex concordatis.*
5. *Item ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. ad exemplum electi.*
6. *Eædam qualitates ex D. Paulo explicantur.*
7. *Olim in Epiſcopis, ætas 30. annorum deſiderabatur.*
8. *Poſterioribus temporibus, ætas viginti-ſeptem annorum incæpta, non completa deſideratur.*
9. *Conſanguineis Regum, & ſublimibus perſonis, diſpenſatio conceditur.*
10. *Eccleſię intereſt, vt cum illis perſonis diſpenſetur.*
11. *Item diſpenſatur cum religioſis, eminentis ſcientię viris.*
12. *Nominandorum ad Abbatias, & Prioratus Conuentuales, qualitates petendę ex concordatis.*
13. *Nominandus ad Abbatiam, aut Prioratum Conuentualem, debet eſſe religioſus expreſſe profeſſus.*
14. *Probatur & nominandum, in obſeruatione regulę, aliquandiu perſeuerare debuiſſe.*
15. *In nominatione Regia, vt in electione, ſeruari debet regula,* regularia regularibus, ſæcularia ſæcularibus.
16. *Sęcularis à ſummo Pontifice præfici poteſt Abbatię, cum decreto* cupientis profiteri.
17. *Quæ forma inſtitutionis* pro cupiente profiteri.
18. *Quę vis, & auctoritas huius decreti.*
19. *Hodie ſęcularibus Abbatię in perpetuum commendantur.*
20. *Commenda Abbatiæ, debet concedi ex conſenſu Regis, & ſummi Pontificis.*
21. *Nominatus ad Abbatiam debet eſſe eiuſdem ordinis.*
22. *Nominatio, vel electio religioſi alterius ordinis nulla eſt.*
23. *Eligendus olim, non tantum eiuſdem ordinis, ſed & monaſterij eſſe debebat.*
24. *Aliud ſancitum concordatis in nominatione Regia, & vnde.*
25. *Summus Pontifex ope tranſlationis, poteſt alterius ordinis Abbatem præficere.*
26. *Argumentum ab adoptione, ad tranſlationem monachalem.*
27. *Nominandus ad Abbatias, debet 23. ætatis annum attigiſſe, non compleuiſſe.*
28. *Vigintiquinque anni exiguntur, in omnibus beneficiis curam animarum habentibus.*
29. *Differentia inter maiora, & minora beneficia curam animarum habentia, in incipienda vel complenda legitima ætatę.*
30. *Inquiſitio qualitatum nominati, in partibus fieri debet.*
31. *Damnatur vſus peragendæ inquiſitionis à Nunciis Apoſtolicis.*
32. *Quænam beneficia, nominationibus Regiis ſubiaceant.*
33. *Quæ beneficia Prælaturæ nomine veniant.*
34. *Dignitates Collegiatarum, & primæ Cathedralium Eccleſiarum poſt Epiſcopatum, Regiis nominationibus non ſubiacent,*
35. *Quæ vis indulti à Clemente VII. Franciſco I. collati.*

Digitized by Google

36. *Illud indultum ad dignitates collegiatarum, & primas Cathedralium Eccleſiarum poſt Epiſcopatum, extenſionem non meruit.*
37. *Capita Ordinum, & Generales, non nominantur à Rege, ſed eliguntur.*
38. *Præter capita ordinum, quænam aliæ Abbatiæ, vel Prioratus Conuentuales Regiis nominationibus non ſubiacent.*
39. *Probatur Monialium præfecturas, iure concordatorum, nominationibus Regiis, non ſubiacere.*
40. *Indultum Clementis VII. ad Monialium præfecturas extenſum eſt.*
41. *Excipiuntur triennales, & Diui Franciſci regulæ addictæ.*
42. *Beneficia nominationis Regię, non poſſunt abſque illa conferri.*
43. *Quicumque vacandi modus, locum præbet nominationi Regiæ.*
44 *Prælaturæ in curia vacantes, non poſſunt conferri abſque nominatione Regia.*
45. *Conferendi poteſtas vacantium in curia, extenditur ad collatiua, non ad electiua beneficia.*
46. Nota ad concordata in tit. de Reg. ad Præl. nominat. in verbis nec non Eccleſiis in curia vacantibus.
47. *Probatur ſummum Pontificem vacantes in curia Prælaturas, abſque Regia nominatione conferre non poſſe.*
48. *Probatur decreto Patrum Magni Conſilij.*
49. *Lux redditur præmiſſo Patrum Magni Conſilij decreto.*
50. *Solus Rex, nominationis gratiam concedere poteſt, non Delphinus, aut Regens.*
51. *Impubere exiſtente Rege quomodo nominatio procedat.*
52. *Ius patronatus regium, nominationi Regiæ locum dedit.*
53. *Ius nominandi Regium, ipſis concordatis antiquius.*
54. *Nominationis Regię informandæ partem facit tempus intra quod fieri debet.*
55. *Rex Chriſtianiſſimus, intra ſex menſes nominare debet.*
56. *Intra tres alios menſes, inutilem nominationem, digniori facta emendare debet.*
57. *Quare tempus nominationis Regiæ, productum ad ſex menſes.*
58. *Ius patronatus Regium mixtum eſt, vnde vtriuſque ſortem mutuatur.*
59. *Soli ſummo Pontifici, exhiberi debet nominatio Regia.*
60. *Ratio huius reſeruationis ſedi Apoſtolicæ factæ adducitur.*
61. *Fructus & iuriſdictio ſeruari debet ſucceſſori ſummi Pontificis.*
62. *Cur vacante ſede, inſtitutiones Cardinalibus non competant, cum ipſi capitulo competant.*
63. *Ius nouum ſummo Pontifici quæſitum ex concordatis, in inſtitutione ad Regiam nominationem.*
64. *Quandonam iure veteri electiones ſummus Pontifex confirmare debuerit.*
65. *Quibus modis tentatum à ſummis Pontificibus, vt Prælaturarum diſpenſationem ſibi procurarent.*
66. *Tandem id effectum per concordata Bononienſia.*
67. *Nominatio Regia, inſtitutione Pontificia perfici debet.*
68. *Sola inſtitutio Pontificia, canonicum titulum præſtat, ſiue ius in re.*
69. *Inſtitutio Pontificia neceſſaria eſt, non voluntaria,*
70. Nota ad Rebuff. ad tit. de Reg. ad præl. nomin. in verbo prouideri.
71. *Quo remedio ſuccurrendum, cum ſummus Pontifex inſtitutionis gratiam denegare intendit.*
72. *Quæ vis aditæ poſſeſſionis, ex mandato iudicum.*
73. *Probatur decreto Curię Pariſienſis.*

Digitized by Google

1. CVm in ſuperiori capite, nominationem Regiam, locum electionum ſubiiſſe diximus, ipſamque conuentione Bononienſi, inter Franciſcum I. & Leonem X. confirmatam, non fuit aliunde inquirendum, qua forma fieri deberet illa nominatio, quam ex ipſis concordatorum viſceribus, ex quibus cum ipſam, nominationis Regiæ definitionem eruerimus, naturæ illius indicem, non abs re fuerit, ſub eo cortice, conditiones, qualitates, & formas perſcrutari, quibus componi debet, & perfici.

2. Sed enim cum dixerimus, nominationem Regiam, eſſe *perſonæ idoneæ, ad prælaturam vacantem, à Rege Chriſtianiſsimo, in vim concordati, intra debitum tempus, factam Papæ præſentationem, confirmationem neceſſariam inducentem*, huius definitionis verba percurrentibus facile erit, ſub eorum nucleis, & inuolucris, formas illas, nominationibus Regiis datas educere, & maxime qualitates eorum, qui nominari poſſunt, quæ ſtatim exquirendæ ſunt, cum omnis diſputatio, à perſonis exordium ſumere debeat, vt patet in libris vtriuſque iuris.

3. Primum igitur, ex deffinitione patet à Rege nominandum, capacem, & idoneum eſſe debere, dignitatis ad quam eligitur oneribus ſuſtinendis, cum enim nominatio Regia, electionibus canonicis ſucceſſerit, ex eo ſequitur eum qui nominatur, eaſdem in ſe debere habere qualitates, quæ eligendo ſufficerent, de quibus in *præcedenti* §. *diſſeruimus, & ad verba definitionis idoneo, capit. 1. de qualitatibus ordinandis, vel beneficiandis neceſſariis.*

4. Verum enim præter eas, de quibus ſupra egimus, aliæ plures manifeſtius educuntur, in *concordatis tit. de reg. ad præl. nominat.* §. 1. dum conuentum refertur *Regis candidatum, ſiue nominandum ad Epiſcopatum, debere eſſe virum grauem, magiſtrum, ſeu licentiatum in Theologia, aut in vtroque, ſeu altero iurium doctorem, aut licentiatum, in vniuerſitate famoſa, cum rigore examinis, & in 27. ætatis ſuæ anno, ad minus conſtitutum, aut alias idoneum.*

5. Et illud quidem petitum habemus, ex *capit. cum in cunctis de elect. & el. poteſt. in principio*, vbi dicitur, in ſingulis miniſteriis Eccleſiaſticis exercendis, ac maxime prælaturis, ætatis maturitatem, morum grauitatem, & litterarum ſcientiam eſſe inquirendam, quibus præmiſſa in concordatis, nominandorum à Rege qualificatio, proxime reſpondet.

6. Sed & alias *Apoſtolus in epiſt. ad Thimotheum cap.* 3. *& ad Titum cap* 1. id in Epiſcopis exegerat, dum maturitatem ætatis, in eo deſcribit, quod ordinandum eum admittat, qui non ſit neophitus, & in *cap.* 15. *eiuſdem epiſtolæ ad Thimotheum*, dum ei præcipit, ne manus cito imponat, grauitatem morum, dum ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Epiſcopum deſiderat, litterarum ſcientem, dum doctorem appellat, quod & alioquin, longiori examine diſcuſſum habemus, apud *Rebuffum in concord. tit. de Reg. ad præl. nominat.* §. 1.

7. Verum aduertendum eſt, quamuis antiquiora Eccleſiæ decreta, eam ætatem in Epiſcopis petiiſſent, vt trigeſimum ætatis annum omnino exegiſſent, *d. capit. cum in cunctis de elect & el. poteſt.* quod eo tantum anno Chriſtus, doctrinam ſuam annunciaturus (quod proprium munus Epiſcopis Chriſti ſucceſſoribus deſignatis incumbit) ſacri Baptiſmatis fontibus intingi voluiſſet.

8. Poſterioribus tamen Eccleſiæ decretis, & maxime concordatis noſtris, longior ætas remiſſa, & ad 27. ætatis annum reducta fuit, ita vt eos annos attigiſſe, non compleuiſſe neceſſe ſit, vt adnotauit *Rebuffus in concord. tit. de Reg. ad præl. nom* §. 1. *in verbo conſtitutum, & in verbo idoneum*, vbi qualitates nominando ad Epiſcopatum neceſſarias, ad ſeptem & decem reducit, quas facile erit, ex eodem loco petere, & huic adnectere.

9. Sunt tamen qui iſtis legibus, & conditionibus non teneantur, puta conſanguinei Regis, & ſublimes perſonæ, cum quibus facile diſpenſatur à iuris auctoritate & rigore, propter vtilitatem, & commodum Eccleſiæ, ex eorum promotione naſcentem, quemadmodum in *capit. de multa de præb. in fine*, quod petitum eſt ex Concilio Generali Lateranenſi, cum iiſdem perſonis, circa plura beneficia obtinenda, diſpenſari ſolitum dicitur.

10. Nec enim Eccleſiæ parum intereſt, huiuſmodi perſonas præſules haberi, vt eorum auctoritate, in tuto ſint bona Eccleſiaſtica, qua de cauſa olim, Proceres & Magnates Regni, Aduocati, & patroni Eccleſiarum adſcribebantur, qui defenſionem Eccleſiarum, & tuitionem ſuſciperent, vt ſupra admonuimus, quorum officium, cum in feudum perpetuum conceſſum fuiſſet, damno Eccleſiæ eſſe cæpit, vt ſupra oſtendimus.

11. Nec-non etiam diſpenſari ſolet, cum religioſis, vel vt plurimum reformatis, excellentis doctrinæ viris, qui, vt ordinis ſui ſtatutis, & regulis ſatisfaciant, ad magiſterium vel licentiatus gradum euehi non poſſunt, nec enim huiuſmodi Eccleſiæ lumina, ſub modio

Digitized by Google

delitéſcere ferendum eſt, ſed potius è tenebris educenda, vt ipſis Eccleſiæ candelabris impoſita, chriſtianis omnibus prælucеant.

12. Verum aliæ ſunt qualitates, nominandis ad Monaſteria, & Prioratus Conuentuales neceſſariæ, quæ item conuentione noſtra Bononienſi firmatæ ſunt, & præfixæ, in §. *monaſteriis eiuſdem tituli de reg. ad præl. nominat.* iis verbis, *ſed idem Rex, eorum occurrente vacatione, religioſum eiuſdem ordinis, in ætate viginti trium annorum ad minus conſtitutum, nominare poſſit.*

13. Et ex his patet illud primum, in Abbatem nominandum, debere eſſe religioſum, expreſſe profeſſum, vt ait *Rebuffus in verbo religioſum*, nec ea mente, & ſtudio, vt mox in Abbatem eligeretur, *cap. cum ad noſtram* 37. *& ſeq de elect. & el. poteſt.* ſed qui in regulæ obſeruatione, per legitimum tempus permanſerit, vt aliàs in ſingulis ordinibus obſeruatum, ſupra oſtendimus.

14. Sed enim illud confirmatum habemus, auctoritate tum ſanctorum Patrum, tum ſummorum Pontificum, in *cap cum in magiſtrum* 49. *de elect. & el. poteſt. cap. nullus* 28. *de elect. in* 6. *& Clement. ne in agro.* § *prioratus de ſtatu monach. can.* 3. *&* 4. 18. *quæſt.* 2. nam vt ait, *D. Gregorius lib.* 7. *epiſt.* 5. *qualis magiſter erit, qui diſcipulus non fuerit, aut quemadmodum ducatum, gregi dominico præbeat, qui diſciplinæ paſtoris, ſubditus non fuerit.*

15. Nec enim minus ſeruari debuit regula, quæ beneficia ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus addixit, in nominationibus Regiis, quam in electionibus, quorum locum ita ſubiere, vt omnibus iiſdemque regulis gubernaretur, & conditionibus, namque ſubrogatum, plerumque naturam ſapit ſubrogati & eodem iure cenſetur, vt habet *gloſſa in capit. Eccleſia ſancta Mariæ, vt lite pend. nil innou.*

16. Verum licet illud ſummo iure concordatorum ſeruetur, tamen ex gratia, & indulgentia ſummi Pontificis, qui propter plenitudinem poteſtatis, in quam vocatus eſt, *cap.* 4. *de auct. & vſu pallij*, de iure ſupra ius diſpenſare ſolet, *cap.* 3. *de conceſſ. præb.* ſæcularis, necdum profeſſus, in Abbatem præfici poteſt, non tantum defficientibus idoneis regularibus, verum etiam ex mera gratia, cum præficiendo facienda.

17. Sed id demum ita ſeruatur, vt ſummus Pontifex interim, & dum habitum induat regularem, Abbatiam commendare ſoleat, accipiendam in titulum, ſtatim atque regulam profeſſus fuerit monachalem, quod genus reſcripti, *pro cupiente profiteri*, appellatur quod hodie apud nos ſæpius vſurpatur, pluribus volentibus prius beneficiari, quam monachari.

18. Verum enim, huius reſcripti ea vis eſt, vt niſi profeſſus fuerit impetrans regulam monachalem, intra annum Pontificæ prouiſionis, vel ſaltem pacificiæ poſſeſſionis, tunc vacet ipſo iure Abbatia commendata, cum hæc commendandi ratio temporalis ſit, & depoſiti, vel commodati naturam ſapiat, quod vt ad tempus factum fuit, tempore definit, & extinguitur, de quibus in *can. obitum can. catinenſis diſt.* 61. *captt.* 12. *de accuſ. cap. nemo* 15 *de el. in* 6.

19. Et quamuis eo tantum caſu Abbatia, ſiue Prioratus Conuentualis, ſæculari deberet commendari, tamen aliud ſeruari hodie videmus, ipſaſque Abbatias, & Prioratus Conuentuales, in perpetuum, & ad vitam Regiorum Candidatorum commendari, quod tantum fieri poteſt, ex conſenſu Regis, & gratia ſummi Pontificis.

20. • Cum enim Rex Chriſtianiſſimus, & ſummus Pontifex, eam ſibi legem dixerint in concordatis, vt regulares Abbatiis, & Prioratibus Conuentualibus præficerent, ex communi conſenſu, id rerum neceſſitate exigente, ab ea lege recedere poſſunt, vt magis vtilem, & conuenientem temporibus amplectantur, nec alter poſſet inuito altero, cum contractatus naturam ſapiant concordata, à quibus temere recedere non licet, vt teſtatur *Ioannes Dayma in commentariis ad concordata de elect. & reg. ad præl. nominat. fol.* 245 *verſo.*

21. Nec tantum, qui Abbatiis, aut Prioratibus Conuentualibus præficitur, religioſus eſſe debet, ſed etiam additur, eiuſdem ordinis, nec enim vt diſparis conditionis, alteriuſue religionis, aut habitus homines, ſimul debent ſociari, ſic nec membris, firma inter ſe vnione cohærentibus, caput diſpar, & abſonum debet adiungi, alioquin idem eueniret, quod de quodam pictore apud Horatium, qui humano capiti, ceruicem equinam adiungens, ab omnibus riſu exploſus eſt.

22. Sed & illud adeo verum eſt, vt *Clement.* 1. *de elect.* eius, qui alterius ſit religionis, aut habitus, electio in Abbatem, aut Prælatum alterius religionis, aut monaſterij, irrita, & inanis nuntietur, quod & de Prioratibus Conuentualibus, teſtatur *Bonif. VIII. in capit. cum ſingula* §. *prohibemus de præb. in* 6. cui addenda auctoritas Pelagij, in *can.*

Digitized by Google

Abbatem 18. *quaſt.* 2. Gregorij Magni in *canon. quam ſit neceſſarium* §. *defuncto vero abbate eod.*

23. Verum enim ibi ſummus Pontifex, non tantum eligendum Abbatem, eiuſdem vult eſſe ordinis, ſed monaſterij, & familiæ, qui regulam & in monaſterio vacante profeſſus fuerit, nec ad alium, quamuis eiuſdem ordinis recurrendum, vel extraneum, vel laicum nondum profeſſum, quam ſi idoneam inter ſe perſonam, inuenire nequiuerint eligentes, *cap. cum monaſterium* 13. *de elect & el poteſt.* adeo vt, conſuetudo in contrarium inducta, ſeruanda non ſit, *capit. cum cauſam* 27. *de elect.*

24. Sed tamen illud, non fuit ſeuere præſcriptum in concordatis, quibus tantum id ſtatutum ſit, vt nominandus eiuſdem ordinis exiſtat, non monaſterii, aut familiæ, vt plenior nominandi libertas, Regi Chriſtianiſſimo remaneret, quæ eligentibus præripi debuit, ne cum diſpendio regularis adminiſtrationis, & diſciplinæ monaſticæ, abuterentur.

25. Nec tamen excluditur facultas ſummo Pontifici competens, & ex plenitudine poteſtatis enata, qua alterius ordinis, & familiæ religioſum, in Abbatem præficere poteſt, eius monaſterii, quod diuerſi fuerit ordinis, ſi modo eligendum tranſtulerit, à proprio monaſterio, & ordine, cuius profeſſionem emiſerit, in eum, cuius eſſe dicitur Abbatia, ad quam vocatur, vt patet ex *gloſſa in capit. cum ſingula in verbo canonice transferantur de preb. in 6.*

26 Verum enim eadem omnino vis eſt, & auctoritas tranſlationis, Pontificia auctoritate interpoſita factæ, quæ ciuilis adoptionis, & legitimæ, vt tranſlatum, à noua familia, & ordine extrahens, in aliam familiam transferat, & nouæ regulæ addicat, & ordini *Rebuff. in praxi tit. de tranſlat. monach.* quod & argumentum optime procedere probat ibidem.

27. Reſtat igitur, vt dicamus, de ætate nominandi ad Abbatias, aut Prioratus Conuentuales, quæ ea eſſe debet, vt vigeſimum tertium ætatis annum attigerit, necdum vero compleuerit, in eo enim annus cæptus, habetur pro completo, vt adnotauit *Rebuffus in concord. tit de reg. ad præb. nomin.* §. 1. *in verbo conſtitutum, & Ioannes Dayma in comment. ad concord. tit. de elect. & reg. ad præl. nominat. fol.* 252. *col.* 3

28. Sed & in eo adnotandum eſt, derogatum fuiſſe diſpoſitioni *capit. cum in cunctis* §. *inferiora de elect. & el. poteſt.* in quo Alexander III. ex ſententia, & decreto Patrum, in Lateranenſi ſynodo congregatorum, in minoribus beneficiis curam animarum habentibus, veluti parochialibus Eccleſiis, & aliis, 25. annorum ætatem exegerat.

29. Verum tamen in maioribus, hoc eſt Epiſcopatibus, & aliis, 30. annorum ætatem, idem Patres exegerant, cum hac tamen differentia, vt in maioribus beneficiis, completa haberetur ętas canonica, in minoribus vero, incępta, necdum completa ſufficeret, vt patet ex *d. capit. cum in cunctis*, quę poſterior conditio, reductioni ætatis adiecta, vtrobique hodie obſeruatur, prædicta differentia penitus exploſa.

30. Et vero vt conditionum, & qualitatum, in candidatis Regiis, & nominatis neceſſariarum, & concordatis Bononienſibus præſcriptarum, ſummo Pontifici fides fieri poſſit, inquiſitio haberi debuit in partibus, in perſonam electi, eaque Romam deferri, iuncta nominationi Regiæ, ſed & ea inquiſitio peragi debuit, coram ordinario eiuſdem nominati, vel altero, in cuius diœceſi, per immediate præcedens quinquennium, domicilium habuerit, vt habetur in *conſtitutione Bleſenſi parte prima*, quę tamen in uſu abrogata eſt.

31. Namque hodie, ſedis Apoſtolicæ Legati, vel Nuncii ordinarii, diœceſanorum partes vſurparunt, vt vix aliàs, à ſummo Pontifice inquiſitiones admittantur, niſi quę illorum auctoritate peractæ ſint, de quo plures Eccleſiæ Gallicanę querelæ, quæ & locum dederunt, decreto Curiæ Pariſienſis, die 12. Decemb. anni 1639. pronunciato, quo vetitum, apud alios inquiſitiones fieri, quam diœceſanos, & locorum ordinarios, ſed nec illud decretum, malo vſui, diutius graſſanti, obicem iniicere potuit, de quo & *ſermo nouiſſime habitus & publice factus, qui ſubiectus eſt, commentario ad collect. lib. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi.*

32. Succedunt in definitione, *verba ad prælaturam*, circa quę inquirendum venit, quænam beneficia, nominationibus Regiis ſubiaceant, verum, cum nominatio Regia, locum electionum ſubierit, concludendum eſt, ea ſola beneficia nominationibus Regiis ſubeſſe, in quibus præfici ſolerent pręlati, per viam, ſiue modum electionis canonicę, quæ confirmatione ſubſequuta probaretur, ſecundum ſtatuta *capit. quia propter de elect. & elect. poteſt.*

Digitized by Google

& mortuo pręlato, paſtore viduata, vel marito diceretur Eccleſia, vt notat prędictus *Dayma in commentariis ad concordata & proemium fol. 98. col. 3.*

33. Sed & illud ſatis denotat ea loquendi formula *Pralatura*, cuius nomine veniunt, Cathedrales Eccleſię, & Metropolitanæ, quibus pręficiuntur Epiſcopi, & Archiepiſcopi, item Primates, Monaſteria, & Conuentus, quibus pręſunt Abbates, & Priores Conuentuales, vt habetur in *concord. tit. de reg. ad pral. nominat.* niſi Eccleſię, ſpeciali priuilegio eligendi gaudeant, quibus, concordatis noſtris, derogatum non fuit, imo reſeruatum, in §. per præmiſſas *tit. de reg. ad pral. nominat.*

34. Excluduntur autem, Collegiatæ Eccleſiæ, quibus præſunt Decani, Præpoſiti, Priores, & alij, nec-non dignitates Cathedralium Eccleſiarum quælibet præter Epiſcopatus, quamuis in illis, per viam canonicæ electionis, prouideri ſolitum eſſet, quia earum præfectis decedentibus, non dicebatur Eccleſia viduata paſtore, cui vnicus præeſſe ſolet, nempe Epiſcopus, qui & Eccleſiæ ſolus ſponſus dicitur, *capit. inter corporalia de tranſl. Epiſcop. apud Greg.*

35. Sed & illud adeo verum eſt, vt quamuis Clemens VII. ſummus Pontifex, aduerſus concordata Bononienſia, Franciſco I. gratiam faciens, in conuentu Maſſiliæ habito, conceſſiſſet nominandi facultatem in iis Eccleſiis, quæ ſpeciali eligendi priuilegio fruebantur, in Cathedralibus tantum, & Metropolitanis Eccleſiis, quantum ad maiores prælatos, ſiue Epiſcopos, item in monaſteriis, & conuentibus, quantum ad Abbates, & Priores conuentuales, Pontificium indultum ſeruatum eſt.

36. Nec vero ad collegiatas, vel ad minores Eccleſias, imo nec ad Cathedrales, aut Metropolitanas, quantum ad Decanorum, Præpoſitorum, aut minorum Prælatorum electionem extenſum eſt, in quibus, ſi quæ forma electionis, obſeruari conſueuit, eſt tantum vmbra, & figmentum quoddam electionis, quæ conuenientius collatio dici debuit, vnde ea beneficia, electiua collatiua dicuntur, nec etiam ad ea monaſteria, quæ per Generales, & Capita Ordinum, regi conſueuerunt.

37. Namque in his omnibus, libera permanſit & hodie electio, vt adnotauit *Rebuff. in concordatis tit. de reg. ad pral. nominat. §. 1. in verbo prioratibus & §. per præmiſſa in verbo capitulis*, quidquid in contrarium adnotauerit *Iulianus Peleus in act. for. act. 7.* quod & in monaſteriis, per Generales, & ordinum ſuorum Capita regi ſolitis, confirmatum eſt, *edicto Blaſenſi art. 3.*

38. Sed & his adiungendæ ſunt, Abbatiæ ſancti Edmundi Pontiniacenſis, Feritatis, Claræ-Vallis, & Moriſmundi, quæ Ciſtertium, tanquam matrem filiæ agnoſcunt, item Abbatiæ, ſiue Prioratus, qui dicuntur Congregationis Caſæ Benedicti, quorum caput eſt in Bituricenſi diœceſi, quod Caſa Benedicti appellatur, idiotiſmo noſtro *Cheſalbenoiſt*, & altera in ſuburbio Biturigum, Diuo Sulpitio Bituricenſi Archiepiſcopo dicata, & conſecrata.

39. Sed & alias, & ſub ipſa concordatorum Bononienſium pactione, monialium monaſteria, nominationibus Regiis non ſuberant, vt teſtatur *Rebuff. in conc. tit. de reg. ad pral. nominat. §. monaſteriis in verbo monaſteriis*, vbi & illud notat, nec generali monaſteriorum nomine, ſicut nec abbatum, contineri monaſteria monialium, vel abbatiſſas, quæ ſpeciali nota indigent.

40. Et id quidem patet euidentius, ex eo quod *Iulianus Peleus in act. for. d. Act. 7.* mentionem faciens Pontificij indulti, quo Clemens VII. Franciſco I. nominandi facultatem conceſſit in iis Eccleſiis, quæ ſpeciali priuilegio eligendi vtebantur, id locum habuiſſe contendit, in monaſteriis monialium, adeo vt, ex eo ſolo tempore, nominandi facultate, in monaſteriis monialium, vtentes Reges noſtri, & in eo vſu permanſerint.

41. Verum excipienda ſunt ea monaſteria, vel in quibus perpetuæ non præficiuntur Abbatiſſæ, ſed in triennium, vel quæ ordini Diui Franciſci addicuntur, iis enim omnibus, manum iniicere noluere Reges noſtri, quaſi in meſſem alienam, Generalibus miniſtris ordinum reſeruatam, & ſpeciali ſtatuto exceptam, quod probatum eſt *Aurelianenſis edicti articulo 3.*

42. Nec vero illud omittendum, ea beneficia, quæ nominationibus Regiis ſubiacent non poſſe conferri à ſummo Pontifice, abſque illa commendatione, ſiue præſentatione Regia, alioquin prouiſio nulla eſſet ipſo iure, vt patet ex *concord. tit. de reg. ad pral. nominat. & ibi Rebuffus §. 1. in verbo etiam per ceſſionem*, quod in quolibet patrono laico obſeruari iam probauimus, ergo multo magis in Rege, cuius gratia, & beneficium, decet eſſe manſu-

Digitized by Google

rum, adeo vt nec Papa derogare poſſit, teſte *Daima in concordatis de reg. ad pral. nominat. fol. 248. col. 3.*

43. Sed & illud aduertendum eſt, locum eſſe nominationi Regiæ, quocumque modo vacauerint beneficia, ſiue morte, ſiue ceſſione, vel eiuratione in fauorem facta, ſiue permutatione, ſiue tranſlatione, vel alio quocumque vacandi genere, de quibus infra & ſuo loco dicemus *ad verba definitionis noſtra beneficiaria conceſſa*, & plura *Rebuff. in concordatis tit. de reg. ad pralat. nominat.* §. 1. *in verbo etiam per ceſſionem, & Dayma ibidem in verbo vacante folio 256.*

44. Nec vllus caſus vacationis excipitur, nec etiam ſpecialis vacationis prælaturæ in curia contingentis, licet ſupra dixerimus, atque etiam ex *cap. 6. de prab. in 6.* probauerimus, eo caſu ius conferendi, ſummo Pontifici cæteris excluſis competere, propter ſpecialis diœceſis priuilegium, ita vt, nullo onere grauari debeat collatio, quaſi legitima ipſi debita, & reſeruata, nec etiam præuentionibus vllis ſubiaceat.

45. Id enim locum habet, in minoribus tantum beneficiis, quæ ordinariæ collationi ſubiacent, non in illis, quibus per viam electionis præfici ſolet, nec enim vacationis in curia occaſio, canonicum, & ordinarium conferendi modum, per electionem procedentem, immutare potuit, aut interuertere, ſed ſpecialis reſeruatio pro hac vice, vt notat *Ioann. Monachus ad cap. 2. de prab. in 6.* quæ & apud nos non admitteretur, propter decretum *de reſeruat. ſubl* vnde nec etiam, ipſius nominationis Regiæ ordinem, quæ electioni canonicæ ſucceſſit, anteire.

46. Et quamuis, Bononienſibus concordatis conuentum videatur, in *tit. de reg. ad pral. nominat.* §. 1. *ibi nec-non Eccleſiis apud ſedem prædictam vacantibus* ſummum Pontificem libere, & abſque vlla nominatione, vacantibus in curia prælaturis prouidere poſſe, tamen alio, & contrario iure, vbique, & æquiſſime ſeruato, inſtitutio proceſſit, quod & notauerat *Rebuff. in concord. tit. de reg. ad pral. nominat.* §. 1. *in verbo prouideri*, in pleriſque vacandi caſibus, veluti, ſi inſtitutus in curia, ſuſpectus eſſet, vel Epiſcopatus, aut Archiepiſcopatus vacans eſſet in partibus limitrophis.

47. Sed & ſuprema Regni tribunalia, eas collationes, inconſulto Rege factas, paſſim irritas nunciauerunt, vt teſtis eſt *Petrus Pithaus in tract. lib. Eccl. Gall. art. 68.* ad cuius marginem, collectores probationum quæ ſubnexę ſunt ad *cap. 16. probationum art. 58.* lectorem remittunt, in quo conſtantiſſimi, & æquiſſimi iuris, probatoria teſtimonia patent, à Iacobo Talæo fiſci patrono exhibita, inter narrationem & expoſitionem litis, in publico ſenatus auditorio factam, eamque deciſam decreto Patrum die 6. Iulij anni 1628.

48. Et quamquam *Iulianus Peleus lib. 1. act. forenſ. act. 8* huius deciſionis probandæ cauſa, Magni Conſilij patrum proferat decretum, menſis Septembris anni 1546. quo *Dominicus Roſſequier* candidatus Regius, ad Abbatiam ſæcularem ſancti Aphodiſæi Bitterenſis nominatus, *Franciſco Iſarni* prælatus eſt, qui eiuſdem beneficij vacantis in curia, collationem meruerat, nequaquam ex eo decreto, huius quæſtionis deciſio, vel probatio induci poteſt.

49. Namque patet alia ratio decreti, ex ipſa relatione, quod dictus *Iſarni* eo tempore, ad curiam Romanam recurrerat, quo feſtinandi Romam induciæ indictæ fuerant, alias enim, & citra prouiſionis Pontificiæ odium, vacationi in curia locus fuiſſet, cum nominatio Regia, ad Abbatias ſæculares, ſiue primas Cathedralium Eccleſiarum, & poſt Epiſcopatuum maiores, extendi non ſoleat, vt mox probauimus, quæ licet ſint quodammodo electiuæ, tamen & collatiuæ dicuntur, qua ratione, in curia vacare ſolent.

50. Tertio ex definitione patet, ſoli Regi nominandi poteſtatem competere, ſiue præſentandi facultatem, alteri non communicandam, vnde nec Filij Regum, viuis adhuc parentibus, neque Mater, minore exiſtente Rege, quamquam Tutrix, & Regens, ſenatus Pariſienſis ſuffragia meruerit, vel quilibet alius Tutor, aut Regens, vel impuberi, vel abſenti legitimo Principi dictus, hanc nominandi poteſtatem vſurpare poſſunt.

51. Verum enim adeo ipſi coronæ Regiæ adhęret, vt ad alium transferri non poſſit, itaque Regibus nondum ad puberes annos delatis, ex conſilio Tutoris, ſiue Regentis, Regio nomine præſentatio, ſiue nominatio procedit, vt de pupillo patrono, notat *Abbas Panormitanus in capit. finali de conceſſ. prab.* quod apud nos conſtanti, & æquo iure ſeruatur, non tantum in nominationibus Regiis, ſed & in collationibus iure Regaliæ competentibus, vt obſeruauit *Carolus Bretius in tract. de iure ſuperioratis lib. 1. cap. 16.*

52. Sed

Digitized by Google

52. Sed nec ea nominandi facultas leui ratione nititur, ſed ex eo iure patronatus deſcendit, quo Reges noſtri, ſingulas regni ſui Eccleſias, & maxime Cathedrales, & Metropolitanas, Monaſteria, & Conuentus tuentur, & defendunt, cuius tuitionis ſolemne ius iurandum præſtare ſolent, ſub ipſa inauguratione, de qua tuitione *collectores probationum ad lib. Eccleſ. Gall. paſsim & vbique.*

53. Et quamuis, in vim concordati Bononienſis fieri dicatur in præmiſſa definitione, tamen vt ſupra adnotauimus, illud ius nec nouum eſt, nec noua, aut Apoſtolica conceſſione indultum, cuius antiquitatem, & continuum vſum aperuimus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ inſtitutione* §. 2. *de Regia ad prælaturas nominatione*, nec aliunde in vim concordati fieri dicitur, quam ex eo, quod nominationi Regiæ forma Bononienſi conuentione data ſit, quamuis antiquiori iure nitatur, vt notat *ſcholiaſtes ad collectionem libert. Eccl. Gall. Petri Pithæi art.* 68.

54. Sed & formæ nominationibus Regiis, concordatis noſtris additæ, non minorem partem facit tempus, intra quod fieri debet, ne enim diutius vacuæ fierent Eccleſiæ, & ex eorum vacatione prorogata, ſalus animarum graue diſpendium pateretur, neue in dubio beneficiorum tituli permanerent, *cap. oblatæ* §. *ſuperior de appellat.* ipſa conuentione Bononienſi tempus datum eſt, intra quod nominatio Regia, exhiberi deberet ſummo Pontifici.

55. Namque & illud ſtatutum, vt Cathedralis, vel Metropolitanæ Eccleſiæ, vacatione occurrente, vel Monaſterij, aut Prioratus Conuentualis, Rex Franciæ, intra ſex menſes, à die vacationis computandos, nominaret, ſicut in omnibus collationibus ordinariis obſeruatum habemus, ex Concilio Lateranenſi temporibus Alexandri III. ſummi Pontificis, quod & ad nominationes Regias traductum eſt, vt patet ex ipſis *concord. tit. de reg. ad prælat. nomin* §. 1.

56. Sed & illud additum, vt quo caſu indignum, vel incapacem Rex nominaret, cuius nominatio, vt pote concordatis aduerſa, admittenda non foret, intra tres alios menſes, à die recuſationis Pontificiæ perſonæ à Rege nominatæ, ſollicitatori regio in curia Romana exiſtenti intimatæ, alium requiſitas qualitates habentem, ſummo Pontifici nominaret, canonice inſtituendum, *d.* §. 1. *tit. de reg. ad præl. nominat.*

57. Verum & illud adnotandum eſt, quod licet nominationes regias, electionibus ſubrogatas dixerimus, electiones vero intra tres menſes celebrandas, *capit. ne pro defectu de elect. & elect. poteſt.* tamen in regiis nominationibus, tempus ad ſex menſes productum fuiſſe, tum propter diſtantiam vrbis Romanæ, in qua nominatio exhiberi debet, quod vix intra trimeſtre tempus fieri poſſet, tum ratione iuris patronatus, quo rex noſter in prædictis Eccleſiis vtitur, propter quod nominandi facultatem, habere noſcitur.

58. Cum enim aliàs probauerimus, Regem noſtrum Chriſtianiſſimum, mixtam perſonam ſuſtinere, tum laicam, tum Eccleſiaſticam, iuris vtrique competentis particeps fieri debuit, ſicut de iure patronatus mixto probauimus aliàs, itaque cum patrono Eccleſiaſtico, ſemeſtris temporis beneficio frui debet, & cum laico, variandi habere facultatem, & nominationem indigni, vel incapacis, digniori præſentatione emendare, quod vt fiat, prioribus ſex menſibus, tres alij recte addi debuere.

59. Hæc vero nominatio ſummo Pontifici exhibenda eſt, non vero alteri, quod denotant ea verba definitionis præmiſſæ *Papa*, adeo vt, nec Legatus à latere, quamuis maiorem, poſt ſummum Pontificem, poteſtatem habere noſcatur, nec collegium Cardinalium vacante ſede Apoſtolica, nominationem regiam probare poſſit, vel ad eam inſtitutionem canonicam concedere, vt pluribus probat *Ioann. Dayma in comment. ad concord. tit. de reg. ad præl. nominat. fol.* 255. *col.* 3. *in verbo prædicta.*

60. Sed enim illud ita ſtatutum habemus ipſis concordatis Bononienſibus, quod nominatim conuentum ſit, futuris ſucceſſoribus reſeruandam nominationis regiæ exhibitionem, ipſi ſummo Pontifici, & ſedi Apoſtolicæ canonice faciendam, hoc eſt ſucceſſoribus legitime & canonice intrantibus, non vero quibuſlibet adminiſtratoribus, etiam Cardinalibus electioni vacantibus, vt innuit *ibidem Dayma.*

61. Nec minus probatur ea concordatorum diſpoſitio, ex eo, quod ea quæ ſunt iuriſdictionis, & ordinis, vel quæ ſunt in fructu, vt collatio beneficiorum, ſucceſſoribus ſummi Pontificis conſeruari debeant, *Clement. ne Romani de elect. & elect. poteſt.* vt & Epiſcopis, & aliis prælatis, quidam concludunt ex *capit. illa deuotionis ne ſede vac. aliquid innou.*

62. Et quamuis electionum confirmatio, ſede vacante à capitulo celebrari ſoleat, vt quælibet alia neceſſaria inſtitutio *capit. cum olim de mai. & obed.* tamen aliud ſeruatur in inſtitutionibus Pontificiis, quod ea de cauſa inductum fuit, ne vel propter nimium lucrum,

Digitized by Google

Cardinalium collegium à feſtinanda electione ſummi Pontificis retraheretur, *d. Clem. ne Romani de elect.*

63. Ex his itaque concludi poteſt, ſoli Romano Pontifici exhibendam nominationem regiam, in quo veteri electionum vſui derogatum fuit, quamuis nominationem ipſis ſucceſſiſſe dixerimus, namque electiones proxime ſuperiori exhibendæ erant, vt confirmationis gratiam indulgeret, *cap. 44. de elect. & el. poteſt.* ſed cum Bononienſi conuentione, Regibus noſtris quid dari placuiſſet, vt quid inuicem ſummo Pontifici rependeretur, dictam inſtitutionem deferri æquum viſum eſt, vnde plures hanc conuentionem contractui doutdes aſſimilant, vt *Guido Conchilius in poſthumo tractatu liberr. Eccleſ. Gall. pag. 33.*

64. Nec enim alias ad ſummum Pontificem, confirmandi, ſiue inſtituendi poteſtas recurrebat, niſi per negligentiam Prælati proximioris, *toto tit. de ſuppl. neglig. præl.* & quaſi deuolutione facta per gradus, donec in eo ſiſteret confirmandi poteſtas, quam primùm, nec recta via exercebat, niſi in exemptis, nec-non ſedi Apoſtolicæ, ex priuilegio, vel fundatione immediate ſubmiſſis, *d. capit. 44. de elect. & elect. poteſt.*

65. Et ex eo eſt, quod vt in maioribus beneficiis, ſiue prælatis inſtituendis, facultatem præripetent ſummi Pontifices, & ordinem ſacris canonibus inſtitutum præuerterent, reſeruationum iure vtebantur, ſibique, & ſedi Apoſtolicæ, huiuſmodi beneficiorum inſtitutionem attrahebant, per manus Apoſtolicæ appoſitionem, cuius eam vim eſſe, vulgo iactabant Cancellariæ Romanæ Officiales, vt nemini impune liceret manum ordinariam apponere, teſte Ioanne *Dayma in concord. tit. de reg. ad prælat. nominat. fol. 241. col. 3.*

66. Cum itaque huiuſmodi reſeruationibus Apoſtolicis, auctoritatem denegaſſet, tum Baſileenſis ſynodus, tum Gallicana Eccleſia, in Bituricenſi ſynodo, ſiue pragmatica ſanctione, in *decretis de reſeruationibus ſublati*, mediam quamdam viam eligentes ſummi Pontifices, ius concordatorum induxerunt, vt ſibi nominationis regiæ confirmationem, necnon annatarum exſolutionem reſeruarent.

67. Namque nominationi regiæ, vltimò addenda Pontificia inſtitutio, ſiue confirmatio, cum enim nominationem regiam, locum electionum intraſſe dixerimus, patet ex ſuperioribus, electionem ipſam, ex ſe non cenſeri canonicum titulum, ſed tantum præparationem, & diſpoſitionem quamdam inferre, adquirendo beneficio neceſſariam, ſiue ad canonicum titulum conſequendum.

68. Et ex eo eſt, quod vt confirmatione indiget electio, quæ ſola verum, & canonicum titulum tribuit, ita nominatio regia, Pontificia inſtitutione perfici debet, vt ius in beneficio adquiratur, quamuis electio, vel nominatio regia, ius ad beneficium nominato, vel electo per ſe inferat, ſed quod inefficax, etiam quoad percipiendorum fructuum facultatem, quos electus, vel nominatus, ante confirmationem, vel inſtitutionem Pontificiam attingere non poteſt, quin intruſionis vitio ſubiaceat, & totius iuris æmiſſioni, *capit. noſti & ibi gloſſa de elect. cap. auaricia de elect. in 6.*

69. Eſt autem ea inſtitutio, ſicut pleræque aliæ, neceſſaria, non voluntaria, vt notat *gloſſa in capit. relatum in verbo liberaliter de præb.* eo enim caſu, quo Chriſtianiſſimus Rex, idoneum, & capacem nominauerit, ſummus Pontifex inſtitutionem denegare non poteſt, quod explicant definitionis noſtræ præmiſſæ verba *neceſſariam confirmationem inducentem.*

70. Et quidem illud idem notat *Rebuffus in concord. tit. de reg. ad prælat. nominat. in verbo prouideri* cui addendum contendit, illud verbum debeat, vt neceſſitatem importet, inſtitutionis concedendæ, ſicut in electionibus canonicis alias ſeruabatur, in quibus neceſſaria erat confirmatio, non voluntaria, vt & pluribus probat *Ioann. Dayma in comment. ad concord. & in proemio.*

71. Sed enim eo caſu, quo ſummus Pontifex, confirmationis, ſiue inſtitutionis canonicæ gratiam denegauerit, & nominationi regiæ Pontificias bullas addere recuſauerit, Magni Conſilij Patres, vel alij, quorum ea de re notio eſt, partes ſuas interponere ſolent, & candidatis, ſiue nominatis regiis, licentiam concedere adeundæ poſſeſſionis, ſiue temporalis & ſpiritalis adminiſtrationis ſubeundæ, iis ſolis exceptis, quæ ordinis eſſe dicuntur, vt patet ex *collect. probat. ad libert. Eccleſ. Gall. cap. 21.*

72. Verum ea vis eſt, & poteſtas huius licentiæ, à ſupremis iudicibus poſſeſſionis adeundæ cauſa indultæ, vt eius auctoritate innixus quilibet orator, non tantum fructus temporales beneficij percipiat, ſed etiam ſpiritales attingat, puta collationes beneficiorum ab impetrando beneficio pendentium, ita vt cuilibet conferre poſſit, quamuis inſtitutionem canonicam necdum obtinuerit, ſed poſſeſſionem tantum auctore Prætore adierit, cuius præcipuus fructus, & prouentus, collatio beneficiorum eſſe dicitur, teſte *gloſſa in capit. cum olim de mai. & obed.*

Digitized by Google

71. Sed enim illud ipſum ſtatuit ſenatus Pariſienſis die 11. Martij anni 1646. in cauſa quæ vertebatur, circa poſſeſſionem Prioratus ſancti Albini, à monaſterio ſanctæ Crucis Burdegalenſi pendentis, quod dum Archiepiſcopus Burdugalenſis, ſibi ex permutatione procuraſſet, quamuis omni diligentia adhibita, nec inſtitutionem pontificiam obtinere potuiſſet, ſed ſolam poſſeſſionem ex mandato prętorianorum iudicum adire, tamen prędictum prioratum, ab adita poſſeſſione vacantem, tanquam legitimus Abbas contulerat Benedicto Ferrando, qui in poſſeſſione quieta conſeruatus eſt, reclamante etiamnum collatario domini *Des Aigues*, cum quo permutationem habuerat, perorantibus *Angelo de Maſſac & Nicolao Richerio*, *Audemaro Talæo*, fiſci patrono collatarij Burdegalenſis Archiepiſcopi partes ſuſtinente, decreto quod exſtat in *collectione Ioann. du Freſne lib. 4. cap. 33.*

---

§. TERTIVS.

De forma, conditione, & qualitate Scholaſticæ nominationis.

1. *Scholaſtica nominatio è concordatis eruitur.*
2. *Scholaſticæ nominationis definitio proponitur.*
3. *Solis graduatis nominationes concedendę.*
4. *Scientia ſine gradu, nominationis gratiam non præſtat.*
5. *Semel probatus iterum probari non debet.*
6. *Iure noſtro graduati quamuis probati, iterum à Diœceſanis probari poſſunt.*
7. *Gallicanæ Eccleſiæ regimen graduatis committendum.*
8. *Graduatus debet eſſe nominatus, ſimul & debite qualificatus.*
9. *Prima graduatorum conditio in gradu conſiſtit, qui nominationem præcedere debet, & eſt communis.*
10. *Ratio huius diſpoſitionis exponitur.*
11. *Secunda conditio graduatorum eſt nominatio, quæ ſolis nominatis conuenit.*
12. *Graduatorum alij nominati, alij ſimplices.*
13. *Tertia conditio eſt tempus ſtudij, omnibus communis.*
14. *In magiſtris artium, ſolum quinquennij tempus neceſſarium.*
15. *Quod tempus in iuris ciuilis, vel medicinæ graduatis.*
16. *Quodnam in Theologiæ ſtudio, & vnde maius exigatur.*
17. *Tempus ſtudij vel in pluribus academiis, vel in pluribus facultatibus perfici poteſt.*
18. *Probatur poſt gradus, vel nominationis impetrationem, tempus ſtudij impleri poſſe.*
19. *Diſcutiuntur, & refelluntur argumenta in contrarium allata.*
20. *Atteſtatio temporis ſtudij, cuique graduato neceſſaria.*
21. *Atteſtatio temporis ſtudij, à ſingulari facultate concedi poteſt.*
22. *Nominationis gratia, ab academia vniuerſali concedi debet.*
23. *Quæ vis, & auctoritas, atteſtationis temporis ſtudij.*
24. *Probatur decreto curiæ, contra atteſtationem temporis, probationem admitti.*
25. *Quarta conditio graduatorum, eſt inſinuatio qualitatum.*
26. *Quomodo, & quando fieri debeat inſinuatio.*
27. *Inſinuatio qualitatum, quocumque tempore fieri poteſt, ante vacationem.*
28. *Inſinuatio nominum, & cognominum, tempore quadrageſimali facienda:*
29. *Inſinuatio qualitatum, de nouo inducta per concordata.*
30. *Vnde inſinuationi qualitatum, nullum tempus additum.*
31. *Inſinuationis definitio proponitur.*
32. *Quæ pœna inſinuationis dilatæ, & intermiſſæ.*

Digitized by Google

33. *Nominationis effectus extenditur, & durat 30. annis.*
34. *Refellitur opinio, quæ decem annis exſpirare contendit.*
35. *Nominationis reſcriptum lapſu vnius anni exſpirare non ſolet.*
36. *Nominationes ab academiis famoſis procedere debent.*
37. *Ratio nominationum, ab academiis impertiendarum.*
38. *Nominationes ab ipſa vniuerſitate procedere debent, non à particulari facultate.*
39. *Quænam academiæ, nominationes concedere poſſint.*
40. *Quid importet verbum* Academiæ Regni Gallici *in concordatis.*
41. *Quid & verbum* ſuorum graduatorum *in Pragmatica.*
42. *Nouæ academiæ, nominationis iure vtuntur.*
43. *Probatur variis curiæ ſupremæ decretis.*
44. *Probatur & altero decreto, prouinciam de nouo regno adiectam, ſubeſſe nominationi.*
45. Ordo, *& progreſſus huius diſputationis.*
46. *Quæ nominationis ſcholaſticæ natura, & effectus.*
47. *Nominatio ordinario inſcribenda.*
48. *Nominatio cuicumque ordinario emittenda.*
49. *Summus Pontifex, nominationibus ſcholaſticis ſtare non tenetur.*
50. *Legatus ſummi Pontificis, nominationibus ſcholaſticis grauari poteſt.*
51. *Præueniendi poteſtas, ſoli ſummo Pontifici reſeruata.*
52. *Cardinales, quamuis Pontificio indulto gaudeant, nominationibus ſubiiciuntur.*
53. *Patroni Eccleſiaſtici, non laici, nominationibus ſubiiciuntur.*
54. *Monocula beneficia, nominationibus non ſubiiciuntur.*
55. *Illud probatur & pragmatica, & concordatis.*
56. *Ratio generalis diſpoſitionis, & lege pragmaticæ, & concordatorum inductæ.*
57. *An coniunctim, an diuiſim nominatio emittenda.*
58. *Ordinario ſcholaſtica nominatio inſinuanda.*
59. *Sola inſinuatio, & requiſitio, afficit beneficium graduato.*
60. *Per inſinuationem, contrahitur conferendi beneficij obligatio.*
61. *Nominationis ſcholaſticæ natura, & effectus explicantur.*
62. *Nominatio ſcholaſtica, ſolam diſpoſitionem inducit ad beneficium conſequendum.*
63. *Ea diſpoſitio, inſtituendi neceſſitatem importat.*
64. *Cautela ſupremarum Curiarum, repulſę ordinariorum ſuccurrens.*
65. *Capitulum ſede vacante inſtituere poteſt graduatos, licet conferre non poſſit.*
66. *Quid in pragmatica, & concordatis, verba* conferatur, conferre tenentur.
67. *Quinam effectus clauſulæ irritantis, in fauorem graduatorum adiectæ.*
68. *Clauſula irritans, tantum conquerente graduato, locum habet.*
69. *Non conquerente graduato, quælibet collatio libera remanet.*
70. *Quę beneficia, & quo tempore vacantia, graduatis debeantur.*
71. *Deſtributio huius quæſtionis in tres partes.*
72. *Iure pragmaticæ, & Baſileenſis ſynodi, omnia beneficia collatiua, ſubiacent nominationibus.*
73. *Item dignitates, modo non ſint electiuæ confirmatiuæ, quæ nominationi Regiæ ſubiacent.*
74. *Quid edictum anni 1606. & quomodo dignitates, à nominationibus exemerit.*
75. *In id varia ſenatus Pariſienſis decreta.*
76. *Expoſitum nouiſſimum curiæ decretum, edicti probandi cauſa.*
77. *Sola mortis vacatio locum facit nominationi.*
78. *Reſignatio ſimplex, in fauorem, aut cauſa permutationis, viam occludit nominationi.*

Digitized by Google

79. *Fraudulenta permutatio, non ſolet excludere graduatos.*
80. *Vnde petendæ canonicæ permutationis formę.*
81. *Nouiſsimum curiæ Pariſienſis decretum in id probatorium.*
82. *Modi inquirendæ fraudis in permutationibus ex Molinæo.*
83. *Synodo Baſileenſi, tertia pars beneficiorum graduatis aſſignata.*
84. *Quæ diſtributio huius tertię, per pragmaticam inducta.*
85. *Quis ordo in diſtributione, conſtitut. Ludouici XII. ſeruatus.*
86. *Quis nouus ordo Concordatorum, in diſtributione habitus.*
87. *Ex quatuor menſibus graduatis aſſignatis, duo nominatis, duo ſimplicibus dati.*
88. *Quomodo in diſtributione, derogatum pragmaticæ.*
89. *Ratio ęqualitatis inductę, inter graduatos in diſtributione.*
90. *Diſtributione noua concordatorum, libertas quędam collatoribus reddita.*
91 *Pragmaticę ſanctionis, & concordatorum obſeruatio, cæpit à menſe Aprili.*
92. *Diſtributio menſium, iure concordatorum, & conſtitutionum regiarum facta.*
93. *Explicatur hæc diſtributio temporis.*
94. *Concordatis, & ordinariis, & graduatis ſatisfactum probatur.*
95. *Qui menſes collationi ordinariorum liberi remanſerunt, ex diuerſis concordatis.*
96. *Concordatis Bononienſibus, octo menſes liberi remanſerunt.*
97. *In menſibus graduatis ſimplicibus deputatis, locus eſt gratificationi.*
98. *Graduatus nominatus, & ſimplicis loco habetur.*
99. *In menſibus nominatis affectus, antiquior præferendus.*
100. *Quis antiquior graduatus dici ſolet.*
101. *Collationis graduato nominato illatę, nota neceſſaria.*
102. *Collatio ſimplici graduato habita, quibuſcumque verbis fieri poteſt.*
103. *Ratio differentię vtriuſque collationis.*
104. *Iure pragmaticę, inter plures nominatos eiuſdem temporis, gratificationi locus.*
105. *Iure concordatorum prelationi locus fit, ratione gradus, aut ſcientię.*
106. *Ordo graduum, & ſcientiarum declaratur.*
107. *Inter nominatos eiuſdem temporis diuerſarum academiarum, gratificationi locus fit.*
108. Nota ad Antonium Mornacium.
109. *Decretum Curię de concurrentibus nominatis diuerſarum academiarum, ſuę deciſioni redditur.*
110. *Statutum Academię Pariſienſis in fauorem profeſſorum, firmatur decreto curię.*
111. *Huius ſtatuti liberior vſus, altero decreto reſtringitur.*
112. *Repletio graduatum excludit, & quare.*
113. *Iure pragmaticæ, quomodo repletio æſtimatur.*
114. *Ius concordatorum circa repletionem explicatur.*
115. *In nominatione, debent exprimi poſeſſa beneficia.*
116. *Florenorum taxatio ex pragmatica, & concordatis diuerſa.*
117. *Quænam taxatio graduatos excludens, ex poſterioribus decretis.*
118. *Beneficia ſiue in vim gradus, ſiue alio modo quæſita, graduatos excludunt.*
119. *An dimiſſa beneficia, excluſionem parere ſoleant.*
120. *Probatur dimiſſa, niſi in vim gradus quæſita ſint, non parere repletionem.*

1. SIcut nominationis Regiæ originem ſumpſimus ex concordatis Bononienſibus, ita nominationis ſcholaſticæ vſum, ex eodem fonte licet deducere, ex quo, cum in *ſuperiori capite ad verba inſtitutione*, eiuſdem nominationis ſcholaſticæ definitionem eruerimus, hic prætexenda fuit, vt inquirentibus formas, qualitates, & conditiones, ſcholaſticæ nominationis, quaſi lux quædam eſſet præmiſſa definitio.

Digitized by Google

2. Nunc itaque ſcholaſtica nominatio definitur *graduati viri, debite qualificati, ab vniuerſitate celebri Regni Gallici, ordinario facta præſentatio, inſtitutionem ad beneficia, certo anni tempore vacantia, inducens neceſſariam, in vim concordati*, ex qua definitione, plura eliciuntur, quæ naturæ illius explicandæ inſeruiant.

3. Et primum illud patet, ſolis graduatis, nominationes concedi oportere, quod produnt ea verba definitionis *graduati* illudque probatur *pragmatica ſanctione tit. de collat. §. inſuper in verbo graduatis, & ibi gloſſa. item ex concordatis eod. tit. de collat. §. præfatique ordinarij in verbo viris graduatis & ibi Rebuffus & in tract. nominat. quæſt.* 5.

4. Nec ſufficit nominandos, litteratos eſſe, & eminentis ſcientiæ viros, cum enim huius ſcientiæ, legitima probatio requiratur, ipſique ordinario innoteſcere debeat, non alia data eſt ſcientiæ nota, vel probatio, iure concordatorum, quam per gradus adeptionem, in academia celebri.

5. Verum enim, cum alumnum ſuum, præuio examine probauerit academia, probatus ab omnibus haberi debet, ſemel enim probatum, iterum probari non debere, iactat vulgaris iuris canonici regula, quæ exſtat in *capit. quod ſemel 21. de reg. iur. in 6. itemque Tridentina ſynodus ſeſſ. 7. de reformat. cap.* 13.

6. Et tamen huic decreto derogatum fuit *edicto Molinenſi art. 75. itemque altero Ludouici XIII. anni 1629. art.* 10. quibus, academiarum probatione neglecta, ordinariis facultas data eſt, etiam ab ipſis regni academiis præſentatos, nominatos, & probatos, iterum probandi, & examinandi.

7. Nec vero ex his minus conſtat, ſolis graduatis, nominationes concedendas eſſe, cum his maxime egeat Gallicana Eccleſia, vt eos, Eccleſiarum, & animarum regimini præponat, vel alteri miniſterio Eccleſiaſtico, quibus ſuſtinendis, longe aptiores ſunt graduati, & cæteris ignaris, & imperitis Clericis, magis præſtant, qui alias ſummo Cleri, & Eccleſiæ dedecori exiſtunt, & incommodo.

8. Nec tantum nominatus, vt beneficium conſequatur, gradus titulo ſubnixus eſſe debet, graduatus ſimul & nominatus, ſed & debite qualificatus, quod oſtendunt verba definitionis *debite qualificati* hoc eſt omnes in ſe habere qualitates, & conditiones, adipiſcendo beneficio in vim gradus neceſſarias, de quibus fuſius agit ipſe *Rebuffus in concord. §. præfatique ordinarij in verbo viris graduatis & in tract. nominat. quæſt.* 10.

9. Et vero qualitates illas, ſiue conditiones, in quatuor præcipuas reduco, quarum prima eſt (vt mox præmiſimus) gradus in academia celebri adeptus, quod adeo verum eſt, vt & ipſam nominationem præcedere debeat, nec illa ſoleat indulgeri, ſub ſpe futuri ſtudij, & gradus adipiſcendi, ſicut alias diximus, beneficia conferri non poſſe ſub ea conditione, vt quis Clericus efficiatur.

10. Cum enim nominatio, ab academiis, graduatis Clericis concedi ſoleat, veluti præmium, & altera laurea, emanſo fœliciter ſtudio, & legitime probato debita, non poteſt vlli deferri, niſi qui legitime certauerit, & reportatæ victoriæ, quaſi arras, per gradus aſſequutionem meruerit.

11. Et ex eo patet nominationem, ſiue ipſius vniuerſitatis commendationem, alteram eſſe conditionem, & qualitatem, aſſequendo beneficio in vim gradus neceſſariam, nec tamen in omnibus graduatis æque deſideratam, nec enim illa eſt generalis conditio, ſed nominatorum, & peculiari vniuerſitatis commendatione donatorum propria.

12. Namque graduatorum alij ſimplices, quod ſoli gradus fauori innitantur, alij nominati dicuntur, quod gradui nominationem ſupperaddiderint, eorumque fit mentio *tit. de collat. §. præfatique ordinarij in concord.* quos inter, quædam ſunt communia, quædam quibus differant, ſed de his, inter definitionis præmiſſę expoſitionem, ſuis locis commodius dicemus.

13. Tertia igitur graduatorum ſimplicium, & nominatorum qualitas, & conditio verſatur, circa tempus ſtudij, & recte graduatorum ſimplicium & nominatorum diximus, namque in tempore ſtudij requiſito, conueniunt & graduati ſimplices, & graduati nominati, & ſingulis æque neceſſarium, vt beneficia ſibi affecta, & aſſignata conſequantur, vt patet ex *concord. tit. de collat. §. præterea.*

14. Et quidem varium fuit, & diuerſum, illud tempus ſtudij, ſecundum variam gradus, aut facultatis, in qua defertur prærogatiuam, ecce enim in magiſterio artium, quod infimum graduatorum ordinem conſtituit, ſolum quinquennj tempus ſpectatur, quod à Logicalibus incluſiue, in exercitatione Philoſophica, aut ſuperiori ſcientia, & facultate eſt inſumendum, *d. tit. de collat. in pragm. §. videlicet, & in concord. §. præterea eod. tit.*

Digitized by Google

15. Verum in facultate iuris Canonici, aut Ciuilis, aut Medicinæ, quæ in eo æquiparantur, tempus ſeptennij requiritur, in Doctoribus & Licentiatis, ſolius vero quinquennij, in Bacalaureis ſimplicibus, *dd.* §§. quod tamen in nobilibus ex vtroque parente & latere, ad triennium coarctatum eſt, quo emanſo, bacalaureatus litteras in altero iurium impetrare poſſunt, & gradus priuilegiis vtuntur *ibidem*.

16. At in Theologiæ facultate, illud obſeruatur, vt in Doctoribus, Licentiatis, vel Bacalaureis formatis, tempus decennij deſideretur, in Bacalaureis ſimplicibus ſexennium requiratur, cum enim huius ſcientiæ notio, aut profeſſio, ſublimiora attingat, & diuina perſcrutetur, ideo maius tempus inſumendum, & fortiori ſtomacho vtendum, cum cibus grandium eſſe dicatur.

17. Nec vero intereſt, an in vna ſcientia, aut facultate, an in pluribus, tempus ſtudij inſumptum ſit, modo à Logicalibus numeretur, nec etiam in vna academia, an in pluribus, tunc enim tempora coniungi conuenit, vt alias fuſius expoſuit *Rebuffus in tract. nominat. quæſtione* 11. *articulo* 13. *& quæſt.* 5. *art.* 3. *& in concord. tit. de collat.* §. *præterea in verbo à logicalibus.*

18. Verum & iiſdem locis, eam exagitat quæſtionem Rebuffus, & maxime in §. *præterea volumus in verbo ſtuduerint*, vtrum ſicut diximus gradum præcedere debere nominationem, ita tempus ſtudij, gradus adeptionem, quod licet primùm, ex iis verbis concordatorum *ſtuduerint*, concludi tentet, contrariæ tamen opinioni adhæret, quæ probat poſt delatam gradus lauream, tempus ſtudij perfici poſſe, illudque ſolum exigi actu inſumptum, tempore vacationis beneficij, & collationis indulgendæ.

19. Et tamen *Ioann. Papo ad edictum Ludouici XII. art.* 4. relatus in 4. *tomo collectionis rerum ad clerum Galliæ pertinentium tit. de graduatis pag.* 775. aliud iudicatum à ſenatu Pariſienſi teſtatur, anno 1512. menſe Aprili, nempe temporis ſtudij conſummationem, ipſam nominationem præcedere debere, ſed alio iure vtimur, vt ipſe probat *Theuenellus in commentar. ad conſtit. regias lib.* 1. *tit.* 24. vt idem Papo probauerat *l.* 2. *rapſodiæ art.* 1. *tit.* 5. *&* 16. licet & aliud iudicatum referat *Laurentius Bochellus in biblioth. iur. litt. b.* decreto ſupremæ curiæ, cui diem primam Aprilis anni 1522. adſcribit.

20. Nec vero ſolum tempus requiritur, ſed & eius legitima probatio, per litteras ab academia celebri emanantes, & ſigillo eiuſdem, nec-non manu ſcribæ vallatas, quamuis & illa conſuetudo inualuerit, vt ſingularis quæque facultas, tempus in ſuo ſtudio emanſum teſtetur, per litteras, & ſigillo proprio, & ſingularis facultatis ſcribæ manu approbatas.

21. Sed & illud de Pariſienſi academia, & aliis, teſtatur *Rebuffus in concordatis tit. de collat.* §. *præfatique graduati in verbo manu ſcribæ & in verbo vniuerſitatis* quod & adnotauit *Philippus Probus in addit. ad gloſſam pragm. ſanct. tit. de collat.* §. *qui de prædictis in verbo documenta*, quod & de litteris gradus adepti dicendum eſt, vt probat *ibidem Rebuffus*.

22. Et tamen illud conſtat, nominationis reſcriptum, ab vniuerſitate, ſiue academia in vniuerſum collata, impetrari debere, & generali ſigillo, nec-non ſcribæ generalis academiæ manu vallari, eſt enim nominationis, ſicut & electionis diximus proceſſus, actus vniuerſitatis, non ſingulorum, vt paſſim probant Doctores.

23. Verum ea probationis ab academia dictæ, vis, & poteſtas eſſe dignoſcitur, vt & ipſe *Rebuffus in tractatu nominationum quæſt.* 11. *num.* 5. contendat, probationem in contrarium fruſtra tentari, & teſtimonio ipſius academiæ omnino ſtandum eſſe, cum veritatis, & certitudinis fontes, & origines, academiæ regni eſſe dicantur, nec falſi argui poſſit, quod à plurium congregatione, & conuentu procedit.

24. At vero aliud iudicatum vidimus, in pomeridianis ſeſſionibus die veneris ſexta Martij anni 1648. perorantibus *Angelo de Maſſac.* & *Claudio Degaumont*, probationem ſcilicet admittendam eſſe, eum, qui certificatorias litteras ſtudij, ab academia impetratas profert, ab ipſa academia abfuiſſe eo tempore, quo ſtudiis præſentem teſtatur, & exercitationibus aſſiduum.

25. Quarta & vltima conditio, & qualitas graduatorum, tum ſimplicium, tum nominatorum, hæc eſt, vt præmiſſas qualitates, gradus, nominationis, & temporis ſtudij, nec-non nobilitatis, ſi eius fauori, & priuilegio innitantur, ordinariis collatoribus, aut eorum vicariis, notas faciant, ne contractæ obligationis, & ſubmiſſionis in fauorem graduatorum, ignorantiæ excuſationem opponant.

26. Quod & eo ordine procedit, vt ſemel ante vacationem beneficij, exhibeant litteras, manu ſcribæ, & ſigillo vniuerſitatis, vt ſupra diximus roboratas, & earum omnium exemplar, iiſdem ordinariis demittant, eiuſque exhibitionis, & demiſſionis fidem faciant, per

Digitized by Google

publicum, & authenticum teſtimonium, Notarij Apoſtolici, aut Regij auctoritate confectum, nec-non certificatione duorum teſtium, omni exceptione maiorum, quorum qualitas petenda, ex *edicto Henrici II. anni* 1550.

27. Nec vero intereſt, quo tempore facta fuerit exhibitio, ſi tempore quadrageſimali, vel altero, modo ante vacationem beneficij, vt probatum eſt in §. *præfatique graduati tit. de collat in concord. & ibi Rebuffus & in tract. nominat. quæſt.* 14. nec vlla quadrageſimalis feſtiuitas, vacationem beneficij anteceſſerit.

28. Verum enim, graduati ſimplices, & nominati, nomina, & cognomina ſua, ordinariis collatoribus, aut eorum vicariis, ſingulis annis, & tempore quadrageſimali, exhibere debent, & inſinuare, vt verbis concordatorum, & pragmaticæ ſanctionis vtar, vt priſtinæ obligationis memoria, & ſeries renouetur, probetque graduatus, ſe iterum, & incunctanter, implendæ, & perficiendæ gratiæ inuigilare.

29. Sed & hanc ſolam exhibitionem nominum & cognominum, tempore quadrageſimali faciendam, admiſerat pragmatica ſanctio, ſed cum ea, Bononienſis conuentionis conditoribus, ſufficere non videretur, litterarum gradus, nominationis, & temporis ſtudij, ſemel habendam exhibitionem induxerunt, vt notat *Philippus Probus in addit. ad pragm. tit. de collat. §. ſtatuit in verbo exhibere.*

30. Et inde non mirum videri debet, ſi noua illa exhibitio, & noua ſanctione inducta, quocumque tempore fieri poſſit, cum tempus certum, executioni additum non fuerit, ſicut inſinuationi nominum, & cognominum, quæ per pragmaticam ſanctionem, ſub ea conditione, vt tempore quadrageſimali fieret, inducta fuit, & ipſis concordatis Bononienſibus approbata.

31. Eſt autem inſinuatio generaliter ſumpta, & vtrique exhibitioni accommodata, vt definitur à *Rebuffo in tract. nominat. quæſt.* 14. *num.* 1. *litterarum gradus, nominationis, certificationis temporis ſtudij, ac atteſtationis nobilitatis, ſeu nominum, & cognominum, vel alterius rei neceſſariæ, ordinariis collatoribus, vel patronis Eccleſiaſticis, ſeu eorum vicariis, legitime, per graduatos, vel nominatos, & qualificatos, facta exhibitio.*

32. Pœna autem intermiſſæ, vel dilatæ inſinuationis nominum, & cognominum hæc eſt, vt negligens graduatus, eo anno, quo inſinuare ceſſauit, beneficia in vim gradus petere non poſſit, priſtinæ facultati redditus, ſi anno ſequenti, aut poſteriori, inſinuandi neceſſitati, & obligationi ſatisfecerit, vt patet ex *concord. d. tit. de collat. §. teneantur. & ex Ludouici XII. conſtitutione ad pragm. ſanct. facta anno* 1512. *art.* 11.

33. At vero, ſi primum inſinuatio qualitatum, ſiue graduum facta non fuerit, non tamen ius ipſum nominationis extinguitur, ſed durat, & extenditur per 30. annos continuos, ſuum effectum ſortitura, quam primum inſinuatio habita fuerit, vt probat *Meinardus lib.* 1. *quæſt. notab. cap.* 65. & antiquius *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat. §. item quod ad dictas & in verbo nominare, & ibi Probus add.* 2. *& in §. item quod vniuerſitates in verbo nominationes add.* 3.

34. Et tamen *Ioannes Papo*, & alij plures tentauerunt, per ceſſationem 10. annorum, extingui penitus ipſum ius nominationis, quemadmodum cætera alia priuilegia, quod nec admitti potuit, nec enim, vt notat *Probus in d. §. item quod ad dictas in verbo nominare add.* 3. nominationes ſunt priuilgia, ſed meræ gratiæ reſcripta, quæ decet eſſe manſura, *capit. ſi ſuper de offic. iud. deleg. in* 6. *capit. decet de reg. iur. eod.*

35. Et inde fruſtra quæreretur, an lapſu vnius anni exſpiraret, ſicut reſcripta iuſtitię, *capit. ſi autem & capit. plerumque de reſcrips.* inter quæ, hæc differentia conſtituenda, vt hæc, intra annum executioni nequaquam mandata, antiquata cenſeantur, illa perennia ſint, qua ratione, pluribus aliis, prędicta capitula in concordiam adducit, cum *lege ſi falſo cod. de diuerſ. reſcript.* Anaſtaſ. Germon. *lib.* 1. *animaduerſ. cap.* 14.

36. Succedunt in definitione præmiſſa, illa verba *ab vniuerſitate celebri regni Gallici*, quæ nos edocent, quinam nominationis gratiam impertiri poſſunt, ſunt autem vniuerſitates, ſiue academiæ, in quibus viget publica ſcientiarum profeſſio, auctoritate Regia & Pontificia confirmata, quibus in vnum corpus coire licet, profeſſionis ſuę exercendæ, & communium negotiorum expediendorum gratia, *lege* 1. §. 1. *quod cuiuſque vniuerſ. lege* 3. *§. in ſumma dig. de colleg.*

37. Sed enim cum ipſa academia, ſuos alumnos nouerit, & candidatos, & promotionibus eorum, continue aſſideat, non potuit facultas nominandi, æquiori ratione committi, quam vniuerſitatis iudicio, & ſuffragio exercenda, vt ſingulis aluminis ſuis, & candidatis, adhibita diligenti cauſæ cognitione deferret, ſecundum cuiuſque meritum.

38. Et recte *ab vniuerſitate*; etenim nominationes, non à ſingulari facultate alicuius ſcientiæ, procedere debent, ſed à toto collegio, vniuerſitatis nomine collecto, cuius caput eſt

Digitized by Google

eſt Rector, quamuis gradus, & probationes temporis in ſtudio inſumpti, à ſingulari facultate, prodire tulerit conſuetudo, vt mox diximus, ex *Rebuffo in concord. tit. de collat. §. præfatique in verbo manu ſcriba, & in verbo vniuerſitatis, & Philipp. Prob. in addit. ad gloſſ. pragm. ſanct. tit. de collat. §. qui de prædictis in verbo documenta.*

39. Nec quælibet academia, aut vniuerſitas, nominationes diſpenſare poteſt, ſed ea maxime, in qua publica floret ſcientiarum profeſſio, & exercitatio, vnde in definitione noſtra additur *ab vniuerſitate celebri* nominationes prodire debere, & in *concordatis ab vniuerſitate famoſa tit. de collat. §. præterea volumus & in pragm. ſanct. vniuerſitate priuilegiata eod. tit. de collat. §. videlicet.*

40. Et recte etiam additur *Regni Gallici*, cum enim in id concordata ſancita ſint, vt Regni vtilitati, & commodo proſpiciatur, non potuit conuentio, aut academiis extra Regnum inſtitutis prodeſſe, vel nominandi facultas concedi, vel ad beneficia, in exteris regionibus deſeruiri ſolita extendi, aut exteris perſonis, quamuis in academiis Regni Gallici graduatis, proſpicere, aut prouidere.

41. Et ex eo eſt, quod in *pragmatica ſanctione tit. de collat. §. item quod ad dictas* verbum *ſuorum graduatorum* adhibetur, vt vel exteri graduati, in academiis Regni, vel Regnicolæ in exteris academiis graduati excludantur, par eſt enim illorum omnium ratio, *Rebuff. in tract. nominat. quæſt. 6. & 7.*

42. Nec tamen eodem iure cenſeri debent, ſi quæ vel aliàs inſtitutæ, de nouo Regno adiiciantur, vel nouiſſime inſtituantur, vel ſi quæ prouinciæ, quacumque pactione, regno accedunt, illæ enim omnes, concordatorum legi, & conditioni ſubmittuntur, ſubrogatum enim aut adiectum, ſequitur plerumque naturam ſubrogati, aut eius cui adiicitur, vt acceſſorium naturam principalis, vt de vnionibus diximus ſupra, & de alluuionibus, in iure ciuili vulgo iactatur, quibus adiici poſſit *gloſſa 1. in capit. ſancta Mariæ vt lite pend. nihil innou.*

43. Namque illud idem de Rhemenſi academia obſeruatum habemus, & de Cadomenſi ſtatutum, à Magni Conſilij Patribus, anno 1534 teſtatur *Rebuffus in tract. nominat. quæſt. 6. num. 5.* & de prouincia Regno adnexa, probat *Duarenus in tract. de ſacr. Eccl. miniſt. lib. 5. cap. 13. art. 1.* & nos ſupra confirmauimus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ inſtitutione §. 13. de collat. reg. num. 31.*

44. Sed & idem, Magni Conſilij Patres probauerunt, decreto in publicis cauſarum actionibus prolato, die 15. Sept. anni 1643. intercedente academia Pariſienſi, quo vniuerſam Breſſiæ prouinciam, poſt concordata Bononienſia, regno adiectam, pactionibus concordatorum ſubmittendam dixerunt, agebat pro graduato Gabriel *Patru* Aduocatus Pariſienſis.

45. Nunc igitur, percurrentibus verba præmiſſæ definitionis, occurrunt illa, quæ nominationem exponunt eſſe *ordinario factam præſentationem*, ex quibus elicitur tractanda quæſtio: primùm quid ſit nominatio: ſecundo quibus dirigenda ſit, quas & ſuo ordine exequemur.

46. Et quod ad primam quæſtionem, nominatio dicitur præſentatio ordinario facta, ſiue commendatio graduati viri, collatori habita, quæ vt ſupra diximus, nullum ius, vel in re, vel ad rem adquirit, vt alias nominatio patronorum, ſed tantum diſpoſitionem, & præparationem quamdam, adipiſcendo beneficio neceſſariam, vt pluribus tractat *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat. §. ſtatuit in verbo cenſeatur.*

47. Quod autem ad ſecundam quæſtionem ſpectat, patet ex ipſis definitionis præmiſſæ verbis, nominationem ordinario eſſe emittendam, quid ſit autem ordinarius, expoſuimus in *ſuperiori capite ad verba inſtitutione*, vbi varios ordinariorum gradus, & conditiones dedimus, eiuſque vacabuli notam tum ſpecialem, tum generalem præmiſimus, quæ & hic ſubmitti debent.

48. Sed & poſterior generalis, & latiſſima huius vocabuli acceptio, in hac parte locum habet, adeo vt, in hac definitione, ordinarij nomen includat quemcumque, extra ſummum Pontificem, vel præſentationis, vel collationis iure vtentem, cum enim vt ſupra diximus, nominatio ſcholaſtica priuilegij conditionem non acceperit, ſed in meram gratiam reputetur, conſtat fauores, & gratias eſſe ampliandas, ſicut odia reſtringenda, ſecundum communem in vtroque iure regulam, *capit. odia de reg. iur. in 6. lege 9. dig. de lib. & poſth.*

49. Namque ſummus Pontifex, qualificationibus, & nominationibus graduatorum non alligatur, vt patet ex § *declarantes de mand. in concord.* cum nemo priuilegium, aut gratiam alteri facere cenſeatur, in ſui necem, & priuilegium, maxime ſi ius, & faculta-

Digitized by Google

tem ſibi exceperit, vel reſeruauerit, vt probat *Rebuffus in tract. nominat. quaſt.* 18. *num.* 6. quidquid in contrarium ſentiat *Duarenus lib.* 5. *de ſacris Eccleſ. Miniſt. capite* 10. *Guido Conchilius in poſthumo tract. lib. Eccleſ. Gall. pag.* 43. & alij paſſim rei beneficiariæ interpretes.

50. Extra hunc ergo ſummum Pontificem, omnes qui conferendi, aut præſentandi poteſtatem habent, concordatorum obſeruationi alligantur, imo & ipſe Legatus ſummi Pontificis, vt notat *Rebuffus in tract. nominationum quaſt.* 8. *num.* 4. *& quaſt.* 18. *num.* 6. vbi notat tempore pragmaticæ, exceptam Legati poteſtatem, vt & ſummi Pontificis, *Probus in addit. ad gloſſam pragmaticæ ſanctionis* §. *item quod omnia in verbo ſcilicet additione* 3.

51. Nec enim præueniendi facultas, per dictum §. *declarantes* ſummo Pontifici reſeruata, ipſum, & ſucceſſores egreditur, vt cauetur ipſis verbis concordatorum, ſecundum naturam quarumlibet conuentionum, quibus quiſque ſibi ſoli prodeſſe ſolet, non alteri, aut ſaltem ſoli ſucceſſori paciſci, nec vero ei, qui vices ſuſtinet, cum exceptio concordatorum, perſonalis ſit, ipſumque egredi non poſſit.

52. Nunc igitur, ordinarij nomine includuntur, ipſi Cardinales Romanæ Eccleſiæ, tanquam collatores ordinarij, in beneficiis, quæ in hoc regno poſſident, quamuis ſpeciali indulto firmata ſit, ipſis innata tanquam collatoribus ordinariis conferendi poteſtas, vt intra certum tempus, libere conferre poſſent, vt notat *idem Rebuffus in tract. nominat. quaſt.* 8. *num.* 5. nec enim indulti priuilegium, ius commune, & ordinarium lædere ſolet, ſed obfirmare, vt pluribus probat *Carolus Molinaus ad reg. de infirm. reſig. numero* 201.

53. Item patroni, Eccleſiaſtici ſcilicet, vt legitur in ipſa *pragmatica ſanctione tit. de collat.* §. *ſtatuit in verbo præſentatio, & in concord. eod. tit.* §. *præfatique ordinarij*, vbi gloſſatores adnotant, patronos laicos, graduatorum nominationibus non ſubiici, cum ius patronatus ipſis quæſitum, patrimoni partem conſtituat, quod nullam diminutionem pati debet, *Rebuffus in tract. nominat. quaſt.* 8. *num.* 21.

54. His igitur omnibus perſonis, emitti poſſunt nominationes, ſi modo trium ad minus beneficiorum collatione gaudeant, neque enim, vt obſeruauere interpretes, monocula beneficia nominationibus ſubiiciuntur, ſiue ius pragmaticæ ſanctionis, ſiue ius concordatorum ſpectemus, *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat* §. *ita quod paſtoralis in verbo turnum, & ibi Probus, Rebuff. in concord. eod. tit.* §. *præfatique ordinarij in verbo tertiam partem, & in tit. de mand.* §. 1. *in verbo decem, & in tract. nominat. quaſt.* 15. *num.* 41.

55. Et quamuis, diuiſio tertiæ partis beneficiorum, per pragmaticam ſanctionem inducta, quæ excluſionem monoculorum beneficiorum, neceſſario inferre videbatur, aliquo modo immutata fuerit per concordata Bononienſia, diuiſione tertiæ partis anni, ipſi beneficiorum diuiſioni ſuccedente, tamen idem ius firmum, & conſtans permanſit, vt notat *Carolus Molinaus ad tractat. de benefic. Ioann. de Selua parte tertia, quaſtione* 11. *numero* 25.

56. Verum enim cum illa diuiſio temporis, facta ſit ad exemplum diuiſionis rei, ſiue tertiæ partis beneficiorum, ipſique quodammodo ſubrogata ſit, iiſdem legibus, & conditionibus regi debet, & gubernari, adeo vt, quæ beneficia, iure pragmaticæ, nominationibus non ſuberant, nec poſt conuentionem Bononienſem, ſubiici cœperint, argumento *gloſſæ* 1. *in capit. Eccleſia ſanctæ Mariæ vt lite pend. nihil innou.*

57. Sed & illud obſeruandum, quod ſi eiuſdem beneficij plures collationem habeant, veluti capitulum, diſtinguendum eſt, vtrum ſeparatim, & diuiſim conferendi facultate vtantur, vel coniunctim, priori enim caſu, ſingulis ſeparatim habenda eſſet nominatio, poſteriori, omnibus coniunctim inferenda, decano ſcilicet, & capitulo, ſinguliſque canonicis, & dignitatibus, vt obſeruat *Rebuffus in tractatu nominationis, quaſtione* 8. *numero* 32.

58. Verum cum nominationes abſentibus, & non vocatis ordinariis emittantur, nec illis ſcientibus concedantur, vt docet *Rebuff. in tract. nominat. quaſt.* 13. & ipſa rerum experientia docet, ideo vt ordinariorum manus alligentur, & beneficia nominationibus ſuis, quodammodo afficerent graduati, id recte inductum fuit, vt nominationes ordinariis inſinuarentur, iiſdemque notæ fierent, vt ſupra diximus.

59. Nec enim ſola nominatio, vaga, & indeterminata, afficit beneficium, ſed debite inſinuata, imo nec ipſa inſinuatio, ſed & requiſitio, vt infrà dicemus, nec tamen negligenda inſinuatio, quam diximus vnam eſſe ex qualitatibus, quas graduatis ſimplicibus,

Digitized by Google

& nominatis neceſſarias eſſe diximus, ita vt nec ab ordinario ſuppleri poſſit, non tantum in menſibus graduatis nominatis adſcriptis, ſed & in iis, qui ſimplicibus deputati, in præiudicum eorum, qui debite inſinuauerunt, vt patet ex *conſtit. Ludou. XII. ad pragm. ſanct. anni* 1512. *art.* 13. *relata in collectione rerum ad Cler. Gall. pertinentium tom.* 4. *tit. de graduat.*

60. Sed & eo magis, neceſſaria eſt inſinuatio, quod ipſa concordata obligationem quamdam inducant, inter graduatum, & ordinarium, qua graduato conferre teneatur, quæ cum latius diffundatur, & generaliter tantum obliget, per inſinuationem, & exhibitionem nominationis, & cæterarum qualitatum, ſpecialis inducitur, quædam enim acceptatio ordinarij, & ſubmiſſio per inſinuationem contrahitur, quæ huicce nominationi, & graduato, ordinarium pariter obliget, & aſtringat.

61. Nunc igitur, præmiſſæ definitionis progreſſus, & expeditio, nos deduxit ad ea verba, quæ nominationis effectus explicent, dum inſtitutionem inducere dicitur neceſſariam, maxime cum ſcholaſticam nominationem, mandatorum Apoſtolicorum, ſiue gratiarum exſpectatiuarum, locum ſubiiſſe dixerimus, quorum & executio erat neceſſaria, vt ſupra oſtendimus, & tamen canonicam inſtitutionem non inferebant.

62. Ex hoc enim, ſolam præparationem, ſiue diſpoſitionem, ad titulum beneficij adquirendum, inducere poſſumus, quæ canonica inſtitutione perfici, & compleri debeat, & quæ ſola, iuſtum & canonicum titulum adquirat, vt ſupra diximus *ad verba inſtitutione* §. 7. adeo vt huic quæſtioni tractandæ, nihil amplius addi, aut debuerit, aut potuerit.

63. Verum in præmiſſa definitione, maxime aduerte ea verba, *inſtitutionem inducens neceſſariam*, ea enim eſt nominationis proxima diſpoſitio, & præparatio, ſi modo inſinuatione, & exhibitione canonica, & ſecundum Bononienſem conuentionem, vt mox diximus habita, adiuuetur, vt ipſam neceſſario ſubſequatur inſtitutio, non libera, & ab inſtituentis voluntate dependens, vt notat *gloſſa in capit. relatum in verbo liberaliter de præb.*

64. Et hæc quidem inſtituendi ratio, ad nominationes ſcholaſticas perficiendas, adeo neceſſaria eſt, & collatori ordinario, incumbit de neceſſitate exercenda, vt ſi inſtitutionis gratiam denegauerit ordinarius, curia Pariſienſis, aut alia ſuprema, cuius ea de re notio eſt, partes ſuas interponere ſoleat, vel vt alteri collatori inſtitutionem faciendam demandet, vel vt requiſitionem, & ſubſequutam ordinarij repulſam, vel denegationem, locum tituli habere interpretetur, poſſeſſionemque ex eo adeundam declaret, vt patet ex variis decretis relatis in *collectione probat. ad lib. Eccl. Gall. tit.* 21.

65. Sed & ea inſtituendi ratio, cum ſit neceſſaria, ſede vacante capitulo committitur, quod in neceſſarias collationes ſuccedat, *c. cum olim & c. his quæ de mai. & obed.* licet collationes liberæ, futuro ſucceſſori reſeruari debeant, *capit. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. innou. & ibi doctores*, qui hanc differentiam tuentur, neceſſariarum, & liberarum collationum, vt & *Rebuff. in concord. tit. de collat.* §. *ſi quis vero diſpoſuerit & Philipp. Prob. ad pragm. tit. de coll.* §. *item noluit in verbo abſentia addit.* 4.

66. Ex eo eſt, quod in ipſo textu *pragmaticæ ſanction. tit. de collat.* §. *ſuper & in concord. eod. tit.* §. *præfatique ordinarij* his verbis vſi ſunt conditores, *teneantur & conferatur* quæ gloſſatores præceptum, iuſſionem, & neceſſitatem conferendi, importare adnotauerunt, *gloſſa in extrauaganti quorumdam Ioann.* 22. *de verb. ſignif. in verbo teneantur & in extrauag. execrabilis in verbo teneantur de præb. & in Clement. exiui* §. *vt autem verſic. item ordo de verb. ſignif. in verbo teneantur.*

67. Et illud quidem adeo verum eſt, vt idem conditores, graduatorum ſecuritati, & neceſſariæ inſtitutioni procurandæ ſtudentes, *eod. tit. de collat.* §. *quod ſi quis in pragm. &* §. *ſi quis vero in concord.* decretum, ſiue clauſulam irritantem adhibuerunt, qua quidquid in damnum graduatorum, & præiudicium fieret, inane, & irritum nunciauerunt, quæ vltima cautela fuit addita, executioni mandatorum Apoſtolicorum, vt ſupra oſtendimus.

68. Verum illud ita intelligendum, ſi graduatus conqueratur, intra ſemeſtre tempus, graduatorum requiſitioni præfixum, & alteri collatum beneficium requirat, cum enim decreti irritantis priuilegium, in fauorem graduati introductum ſit, eo vti debet, eiuſque auxilium reclamare, alioquin renunciare videbitur, & beneficium abdicare.

69. Et inde naſcitur, vt non conquerente patrono, libera & valida remaneat collatio, quamuis non graduato facta, quaſi ſeruitute, & onere, ipſi collationi ordinariæ iniecto, longius remoto, vt teſtatur *Rebuff. in concord. tit. de collat.* §. *ſi quis vero in verbo ipſo iure nulla & in* §. *vlt. in verbo proſequentibus*, quod alias adnotauimus, circa collationem, ſiue inſtitutionem, ſpreto patrono habitam.

70. Tandem vltima definitionis verba, quæ nominationem ſcholaſticam, ad beneficia *certo anni tempore vacantia* extendunt, nobis neceſſitatem imponunt, examinandi, quæ-

Digitized by Google

nam beneficia, ſcholaſticis nominationibus ſubiaceant, quæ materia, cum vaga ſit, & diffuſa, in tres partes, & totidem quæſtiones reduci poteſt.

71. Prima eſt, circa qualitatem beneficiorum, nominationibus ſcholaſticis ſubiacentium: ſecunda vero verſatur, circa modum vacationis: poſterior denique circa diſtributionem temporis, inter graduatos ſimplices, & nominatos, eorumque concurſum, & prælationem, quas omnes ex ordine exequemur.

72. Quod ad primam igitur quæſtionem ſpectat, certum eſt, cum ex Baſileenſi ſynodo, & pragmatica ſanctione, tertia pars beneficiorum, debeatur graduatis, omnia, & ſingula beneficia, graduatorum nominationibus ſubiacere, etiam dignitates, ſi modo non ſint electiuæ, in quibus diſpenſandis, ſeruetur eligendi forma, Concilio Lateranenſi præſcripta, in capit. quia propter de elect. & quorum vacatione occurrente, Eccleſia dicitur paſtore viduata.

73. Namque ex ſuperioribus conſtat, illas dignitates, nominationi Regiæ ſubmitti, quod notat *gloſſa pragmat. ſanct. tit. de collat. §. in dignitatibus & in verbo dignitatibus &. §. item placuit in verbo parrochialibus & ibi Probus addit.* 1. vbi & longiori ſermone ennumerat ſingula beneficia, quæ in nominationem ſcholaſticam non cadunt, quod & ſpecialiter exaggerat *Rebuffus in tract. nominat. quæſt. 15. per totum.*

74. Verum aliud hodie obſeruatur, nam cum edicto anni 1606. Henricus IV. Rex Chriſtianiſſimus, ſubſidij à Clero Gallicano illati, gratiam quamdam repenſurus, dignitates omnes cathedralium Eccleſiarum, primaſque collegiatarum, nominationibus graduatorum exemiſſet, & ordinariorum liberæ collationi, aut ſaltem electioni remiſiſſet, variis inde curiæ decretis, dignitates tum electiuæ confirmatiuæ, tum electiuæ collatiuæ, tum collatiuæ ſimpliciter, à ſcholaſtica nominatione liberæ omnino pronunciatæ ſunt.

75. Namque illud ipſum decreuit ſenatus Pariſienſis, anno 1625. circa primiceriatum Senonenſis Eccleſiæ, dignitatis electiuæ confirmatiuæ titulo gaudentem, deinde circa decanatum Sueſſionenſis Eccleſiæ, qui electione collatiua à Capitulo Sueſſionenſi defertur, die 26. Februarij anni 1638. academia Pariſienſi etiamnum intercedente, ac tandem circa Theſaurariam Rothomagenſis Eccleſiæ mere collatiuam dignitatem.

76. Sed & cum ea quæſtio, nouiſſimis hiſce diebus, in publicis cauſarum actionibus agitata fuiſſet, lite mota circa pœnitentiariam Eccleſiæ Remenſis, & perorata die 14. Februarij anni 1650. dicentibus *Franciſco Montholonio*, *Claudio Lange*, *Michaele Langloix*, & *Iacobo Bilin*, alteri ex graduatis contendentibus, tanquam beneficium nullo dignitatis titulo decoratum, addictum fuit, qui cum & libera, & neceſſaria, graduatorum iure ſubnixa collatione ordinarij vteretur, vt omnis dubitandi ratio amoueretur, antiquiori graduato nomine *Lallemant*, tanquam graduato, addixit Curia Pariſienſis, ea nota adiecta *comme plus ancien gradué.*

77. Nunc igitur inſpiciendum, cum beneficia vacantia, graduatis adſignentur, quo genere vacationis, vacua fieri debeant, vacandi enim verbum generale eſt, pluresque vacationis modos continet, & tamen, ſecundum communem verborum intellectum, qui bus concipiuntur, tum pragmatica ſanctio, tum concordata, ſola morte aduenien vacatio, nominationi ſcholaſticæ locum facit.

78. Verum enim, ſi vacauerint, vel ex cauſa ſimplicis reſignationis, vel ex cauſa reſignationis in fauorem, vel ex cauſa permutationis, excludentur graduati, à nominatio nis, vel gradus priuilegio, vt videre eſt in *pragm. ſanct. in tit. de collat. §. item quod omnia in verbis permutationis vel ſimplicis reſignationis* in quibus *gloſſa & Probus in addit.* id pleniſſime confirmant, quod tamen ex ſynodo Baſileenſi immutatum, in decreto de collationibus, vt notat *Molinæus ad reg. de infirm. num. 136. & ſequenti.*

79. Sed & illud, ita demum locum habet, ſi permutatio non ſit fraudulenta, vel dolo malo facta, quo caſu fraudulentæ ſcilicet permutationis, graduatorum excluſioni locus non daretur, fraudulentæ autem permutationis exquirendæ modos, & rationem præbet, *eadem gloſſa & additio in prædictis verbis, item Rebuffus in concord. tit. de collat. §. volumus in verbo permutationis & in verbo vacantia.*

80. Sed enim in dictis locis, canonicæ permutationis modi, & formæ edocentur, quibus omiſſis, fraudulenta dicitur, & à ſenatu Pariſienſi plerumque reprobatur, vt graduatorum nominationi locus pateat, & aliorum exſpectantium, iure Gallico probatorum, repletionis occaſio detur, alias enim, ſi de ſolo collatoris, aut patroni Eccleſiaſtici damno, quæſtio haberetur, vix querelæ locus ſupereſſet, plura in id decreta congerit *ſcholiaſtes D. Louetij litt. R. num. 42.*

81. Sed & illis addere licet alterum, in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Pari-

ſienſi recitatis prolatum, die vltima Februarij anni 1645. perorantibus *Petro Couſturier* & *Angelo de Maſſac.* in cauſa quæ vertebatur, circa poſſeſſionem, parochialis Eccleſiæ ſancti Hypoliti, in ſuburbio ſancti Marcelli inter *Blondellum* graduatum Pariſienſem & *Petrum Baſtellier* vltimi poſſeſſoris *Caroli Coulon* reſignatarium ex cauſa permutationis, inter eos habitæ, eoque decreto, graduato Pariſienſi cura addicta eſt, ſubmota permutatione, tanquam fraudulenta, ſecundum *Car. Molinæi ſententiam, ad reg. de infirmis. & ſignant. n. 12. & ſeq.*

82. Namque ibidem Molinæus, tres potiſſimum fraudis præſumptiones, & documenta profert certiſſima, tempus permutationis habitæ, vel in ipſis menſibus graduatis aſſignatis, vel viciniori tempore, ab infirmo, cuius alias beneficium erat periturum, qualitatem beneficiorum, pinguis ſcilicet ad tenue, & permutantium coniunctionem, ſiue affinitatem, cum vel proximæ cognationis, vel affinitatis vinculo iunguntur, inter quos facile quiduis, pro negotij opportunitate, confingi ſolet, vt dicitur in *lege 27. cod. de donat.*

83. Nec tamen, quolibet tempore vacantia beneficia, graduatis debentur, *ſed certo anni tempore* vt habetur in præmiſſa definitione, cum enim ex *Baſileenſi ſynodo, in decreto de collationibus:* tertia pars beneficiorum, graduatis indiſtincte fuiſſet aſſignata, pragmatica noſtra ſanctio, non tantum illud decretum approbauit, in *tit. de collat.* §. *inſuper*, ſed etiam meliorem ordinem, diſtributioni huius partis, inter graduatos faciendæ adiecit.

84. Verum enim, quod decreto Baſileenſis ſynodi defuerat, ſupperaddens, eam beneficiorum portionem, ita diuiſit, vt eius duas partes, graduatis nominatis particulari academiarum commendatione honoratis aſſignauerit: tertiam vero, graduatis ſimplicibus, eo ordine, vt turnus fieret collationum, quæ ab ordinariis collatoribus peragebantur, vt habetur in *pragm. ſanct. tit. de collat.* §. *item placuit.*

85. Sed cum is eſſet ordo, qui contra naturam vagus, & incertus, confuſionem pareret, vt innuit *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat.* §. *item placuit in verbo ordo* primùm *Ludouici XII. conſtitutione anni* 1499. *art.* 3. ſtatutum eſt, fraudis ab ordinariis exerceri ſolitæ amouendæ occaſione, vt omnes beneficiorum habendas collationes, in codice deſcriberent, ex quo tertia pars, graduatis debita, & aſſignata, liquido conſtaret.

86. Nec tamen ea ſanctione, fraudibus ordinariorum occurri potuit, aut mederi, illis veram beneficiorum ſeriem ſubticentibus, & qualemcumque catalogum, & matriculam auſcultantibus, vnde conuentione noſtra Bononienſi, medela vltima data eſt, & quæ præſentiſſima viſa eſt, fraudes namque omnes penitus excuſſit, tertiamque illam portionem beneficiorum, graduatis debitam, ita ſegregauit, vt ordinarij in eam impune manus mittere, nec poſſint, nec audeant, tanquam in ſubſtantiam, & meſſem alienam, & pauperibus clericis, & litteratis aſſignatam.

87. Verum enim id eo ordine proceſſit, vt cum annus 12. menſium continua ſucceſſione conſtaret, quatuor menſes, qui quartam partem anni conficiunt, graduatis ita aſſignati fuere, vt beneficia, ea parte anni vacantia, iiſdem graduatis conferri deberent, ea partitione inter eos habita, vt duo menſes, graduatis nominatis, alij vero duo, graduatis ſimplicibus addicti fuerint, vt habetur in *concord. tit. de collat.* §. *præfatique ordinarij.*

88. Namque aliud, iure pragmaticæ ſanctionis ſeruabatur, quippe cum tertiæ partis beneficiorum graduatis aſſignatæ, duæ partes, nominatis deberentur, vt pote ſpeciali academiarum commendatione honoratis, vnica tantum ſimplicibus graduatis diſtribuenda foret, vt conſtat ex *d. tit. de collat.* §. *item placuit in pragm.* ex quo & illud colligitur, nominandi vſum, à ſola Gallicana congregatione originem ſumpſiſſe, vt aduertit *Probus in addit. ad gloſſ. pragm. in d.* §. *placuit & in verbo placuit addit.* 1.

89. Et illud quidem, ea ratione inductum fuerat, & Bononienſi conuentione immutatum, quod cum graduati nominati, cum ſimplicibus concurrant, in menſibus eiſdem deputatis, & graduatorum ſimplicium nomine veniant, ea retributione abundè ipſis ſatisfactum, & exſolutum fuit, quod iſta partitione videbatur ablatum, vt obſeruat *Rebuff. in concord.* §. *præfatique ordinarij in verbo primo menſe.*

90. Sed & aliunde, cum ordinarij, per pragmaticam ſanctionem, nec-non Bononienſem conuentionem, ægre ferrent, collationibus, liberis ſeruitutem, & neceſſitatem imponi, ea diſtributione, quodammodo ſatisfactum, cum in menſibus graduatis ſimplicibus aſſignatis, eligendi facultate reddita, libertas conferendi quodammodo ſupereſſet.

91. Nunc igitur, vt huic diſtributioni lux fiat, ſciendum eſt, qua ratione, pragmaticæ ſanctionis obſeruatio, cœperat à menſe Aprili, vt patet ex pluribus Regum noſtrorum ſanctionibus, circa eam habitis, ac præcipuè *edictis Ludouici XII. anni* 1499. *art.* 12. *& anni* 1512. *art.* 15. ita concordatorum executionem, à menſe Aprilis anni 1518. incæpiſſe, vt ſubrogati eadem eſſet lex, & conditio, ſecundum *gloſſ. in capit. ſancta Mariæ vt lite pend. nihil innou.*

Digitized by Google

92. Verum enim, cum Leo X ſummus Pontifex, Franciſco I. Gallorum Regi, hanc facultatem detuliſſet, & libertatem aſſignandi terminum, vnde concordatorum executio daretur, menſis Aprilis graduatis ſimplicibus primum aſſignatus eſt, vt videre eſt ex diplomate Regio, concordatis ipſis ſubnexo cum Bullis Apoſtolicis, eamdem facultatem Regi deferentibus, qui menſis publice receptus, tanquam executionis concordatorum caput, & principium, quod & ſic definiri debuit, cum publicationi in ſupremis Regni curiis habitæ, varij dies, & termini adiecti, executionem turbare potuiſſent, vt obſeruat *Rebuff. in concord. ad illud edictum.*

93. Primùm itaque graduatis ſimplicibus menſe Aprili aſſignato, duo ſequentes liberæ ordinariorum collationi remanſerunt, quartus vero, qui in Iulium cadebat, nominatis adſcriptus eſt, duo ſequentes ordinariæ collationi dati ſunt, ſeptimus in Octobrem incidens, graduatis ſimplicibus addictus, ſubſequentes duo ordinariorum diſpoſitioni ceſſerunt, decimus, qui & Ianuarius graduatis nominatis relictus, poſteriores liberæ ordinariorum collationi, & ita deinceps obſeruatum eſt.

94. Et in ea quidem diſtributione, ordinariis collatoribus, ſuus honos, ipſiſque innatum ius conferendi ſeruatum eſt, & litteratis viris debita præmia delata fuere, namque concordatorum iure admiſſo, excluſas, & longe ſemotas vidimus, gratiarum exſpectatiuarum litteras, & reſcripta, ſiue mandata Apoſtolica, quæ quatuor tantùm menſes, liberæ ordinariorum collationi dimittebant, cæteris exſpectatiuarum, & mandatorum oneribus grauatis, vt patet ex *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat. §. quod ſi quis in verbo quatuor.*

95. Sed in ea Apoſtolicorum onerum, ordinariis collationibus impoſitione, illud obſeruatione dignum refert gloſſator pragmaticæ, concordatis inter Sixtum IV. & Ludouicum XI. habitis, ſex menſes, liberæ ordinariorum collationi adſcriptos fuiſſe, quæ exſtant in *extrauag. ad vniuerſalis Eccleſiæ regimem tit. de treuga & pace in extrauag. commu.* & hæc tamen, ſuum effectum ſortita non fuerunt, ſicut aliæ conſtitutiones, alternatiuam collationem inducentes, de quibus in *collect. libert. Eccleſ. Gall. Nicolai Brulartij pag. 94. & ſequenti. in 1. volum. libert. Eccleſ. Gall.*

96. Et ex eo fuit, vt concordatis noſtris Bononienſibus, tandem nouum ius inductum fuerit, quo & octo menſes integri, liberæ ordinariorum collationi ſuperfuerunt, & quatuor cæteri, longe acceptiore, & leuiore onere, grauati fuere, graduatis viris, & academiarum Gallicarum alumnis, & candidatis, quorum merita ipſis ordinariis innotuerant, in locum Romanenſium ignotorum, & exterorum fœliciter ſubrogatis.

97. Verum inter graduatos nominatos, & ſimplices, locum habuit hæc differentiæ ratio, vt in menſibus graduatis ſimplicibus adſcriptis, locus eſſet gratificandi ordinario relictus, adeo vt, quemcumque vellet, ex multiplici graduatorum ſibi inſinuatorum ſerie, & ordine eligere, collationis gratia honorare poſſet, ſiue graduatus ſimplex, ſiue nominatus foret, vt habetur in *concord. tit. de collat.* § *ſtatuimus* 1.

98. Namque nominatus, cum gradui nominationem ſuperaddiderit, & ſimplicis loco habetur, & eorum numero includitur, *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat.* § *item placuit in verbo parrochialibus* qua ratione in maiori ſumma, & minor continetur, teſte *Theuenello in commentariis ad conſtitutiones Regias lib. 1. tit. 24. de graduatis pag. 361. & ſeq.* nec tunc collator antiquitate, aut eminentiori gradu, aut ſcientia aſtringebatur.

99. Verum in menſibus, ipſis graduatis nominatis deputatis, ordinarius collator, conferendi formula, concordatis Bononienſibus præſcripta, omnino alligabatur, quæ antiquiorem nominatum, poſteriori præferebat, vt habetur in *concordatis* §. *ſtatuimus* 1. quod & immutatum eſt, ex pragmatica ſanctione, in qua id inualuerat vt inter plures nominatos gratificandi locus eſſet, vt patet ex *pragm tit. de collat.* §. *ita tamen.*

100. Et vero antiquiorem dicimus, non ab ætate maiori, aut prouectiori, qua cæteros antecedat graduatus, ſed ab antiquiori nominationi ſuæ die adiecta, vt notat *Rebuff. in d.* §. *in verbo antiquiori*, nec in eo attenditur, inſinuationis debitæ præoccupatio, vel feſtinantior beneficij requiſitio, ſed ſola nominationis data ſpectatur, vt notat *gloſſa pragm. ſanct. in tit. de collat* §. *ita quod ipſe in verbo præferri.*

101. Hæc autem peculiaris nota collationis, graduato nominato, vel ſimplici illatæ eſſe debet, eaque neceſſaria, & ad validitatem collationis requiſita, vt ſi graduato nominato indulgeatur, beneficij in menſe ipſi deputato vacantis, continere debeat iſtam clauſulam *tibi tanquam graduato nominato*, nec valeret, ſi æquipollentem præferret, puta *tibi tanquam idoneo* vt in pleriſque aliis tractatibus, & negotiis obſeruatur.

102. Et hæc tamen & eadem collatio, ſub prædicta formula concepta, ſuum ſortiretur effectum, ſi graduato ſimplici illata fuiſſet, vt notat *Rebuffus in concordatis tit. de collat.*

Digitized by Google

§. teneantur in verbo alteri, & in tract. nominat. quæſt. 21. num. 3. in verſ. notandum, vbi plura decreta curiæ Pariſienſis, huius iuris probatoria congerit, quibus & alia plura addidit *D. Louet. in poſthuma decretorum collatione litt. G. num. 2.*

103. Cum enim in ea conferendi ratione, & occaſione, ordinarius collator, ſit quodammodo concordatorum executor, hunc formula includit, & certos quos non egrediatur, terminos ponit, licet in ordinaria conferendi poteſtate, libera maneat, & nullis aſtricta vinculis religio, quibuſcumque & terminis, & modis expedienda, vt de arbitris & iudicibus teſtatur *Seneca lib. 3. de benef. cap. 7.*

104. Sin autem plures, eiuſdem temporis nominationem habentes concurrant in requiſitione beneficij, illud ius pragmatica ſanctione ſtatutum fuerat, vt gratificandi locus eſſet, *d. §. ita tamen quod ipſe de collat. in pragm.* quod in pluribus aliis, iuris vtriuſque articulis inductum fuerat, in quibus par, & eadem æquitas, iuris deciſionem impediebat, & vt animos, & mentes in plures diuidebat, ita & iudicia, quæ vt integritati redderentur, electioni locus erat, & prælationi.

105. Verum illud Bononienſi conuentione immutatum fuit, in *§. ſtatuimus verſ. concurrentibus tit. de collat.* quo cautum eſt, vt ſcientiarum, & graduum ordo, inter eos ſeruetur, vt qui gradu, & ſcientia, ſiue facultate antecellat, cæteris præponatur, ſunt enim quædam veluti Heriles, Dominæ, & Magiſtrales ſcientiæ, quædam ancillares tantum, quæ cæteris poſtponuntur.

106. Ecce enim Doctores Licentiatis præferuntur, Licentiati Bacalaureis, Doctores Theologi, cæteris omnibus, Doctores iuris canonici, Doctoribus iuris ciuilis, iuris ciuilis Doctores, in Medicina Doctoratis, & ſimiliter in Bacalaureis earumdem facultatum, vt habetur in *d. §.* & pluribus exagitat *Rebuffus in tractatu nominationis quæſtione 21.*

107. Nec vero refert, ex qua academia, ſiue vniuerſitate, nominationes emanauerint, antiquiori, vel nouiſſime inſtituta, ſecundum *gloſſam pragm. ſanct. tit. de collat. §. ita tamen quod ipſe in verbo non teneatur, & ibi Probus addit. 3.* vbi agit de concurſu Academiæ Pariſienſis, & Andegauenſis, & concludit gratificationi locum fore, ex mente pragmaticæ, ſed & hodiè concordatorum.

108. Quamuis *Antonius Mornacius ad leg. 11. §. vlt. dig. de min & ad authenticam habita cod. ne filius pro patre*, in contrariam opinionem tranſeat, & ex eodem loco gloſſæ pragmaticæ ſanctionis cenſeat, Pariſienſem Academiam, cæteris eſſe præferendam, vt pote antiquiorem, rationem dubitandi, à gloſſatore allatam ad eam quæſtionem, præponens rationi decidendi, in fine eiuſdem gloſſæ, ad contrariam opinionem confirmandam adductæ, quod firmatum iactat decretis Curiæ Pariſienſis, ſed male & perperam.

109. Nec enim in decreto, quod ſuæ ſententiæ firmandæ cauſa, Mornacius propoſuerat, ratione antiquitatis, Pariſienſi Academiæ debitæ, Placetium, Academiæ Pariſienſis graduatum nominatum, Andegauenſi prætulit ſenatus, decreto de die 6. Iulij anni 1606. ſed ratione habita exercitationis, & lectionis publicæ, quam habuerat ipſe Placetius, in Academia Pariſienſi per ſeptenuium, & amplius iuxta ſtatutum 54. facultatis artium, eiuſdem Academiæ Pariſienſis reformatæ anno 1600. auctoritate Regia.

110. Sed & illud decreto nouiſſimo, firmauit ſenatus Pariſienſis die 5. Ianuarij anni 1649. in cauſa perorata in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Veromanduorum recitatis, agebant *Claudius Lange, Petrus Couſturier, Iacobus Degaumont & Michael Langloix*, quod tamen mirum videri poſſit, ſtatutum Academiæ Pariſienſi reformandę dictum, aliis Academiis Regni, nequaquam intercedentibus nocere poſſe, contra communem iuris regulam.

111. Verum & poſteriori altero, Curiæ Pariſienſis decreto, liberiori huius priuilegij, & prælationis vſui, modus datus eſt, namque ſecundum eiuſdem Academiæ ſtatutorum *art. 63.* facultatis artium, quo prohibetur, *ne quis beneficium cum cura animarum habens, in Gimnaſiarcham, Collegij præfectum, vel Magiſtrum eligatur*, decreuit Curia Pariſienſis, *Ægidium Guerinum*, cui aderat *Iacobus Fontenay*, quamuis per duplicatum ſeptennium publicè profeſſus eſſet, in Academia Pariſienſi, prælationis beneficio vti non poſſe, aduerſus *Buraum*, antiquiorem graduatum, cuius patrocinium ſuſceperat *Ludouicus Dubois*, propterea quod lectionis, & profeſſionis tempore, in dicta Academia habitæ, parrochiali Eccleſiæ Pontis Quadrati, alias *Poncarré*, regendæ incumbebat, quæ ne vix dimidia diæta, ab vrbe Pariſienſi diſtaret, illudque ea ratione inductum eſt, quod prius debi-

Digitized by Google

tæ reſidentiæ ſatisfieri oporteat, quam vllum priuilegium adquirere datum ſit.

112. Antiquiorem vero graduatum, plerumque excludit repletio, ſiue nimia beneficiorum cumulatio, cum ſcholaſtica nominatio, reſcriptorum in formam pauperum conceptorum, vſum receperit, vt teſtatur *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat. §. quod ſi quis in verbo tempore vacationis*, quæ vel leuioris beneficij adeptione exſpirabant, *capit. ſi pauper de preb. in 6.*

113. Et inde primùm pragmatica ſanctione ſtatutum, §. *quod ſi quis tit. de collat.* graduatum, ſiue nominatum, ſiue ſimplicem, beneficium quodcumque poſſidentem, quod ad ducentorum Florenorum auri de camera æſtimationem, & valorem aſcenderet, vel duas præbendas cuiuſcumque valoris, & æſtimationis, ab vlteriori, ſiue in vim graduatus ſimplicis, ſiue nominationis Academicæ conſequendo, excludendum eſſe.

114. Sed & illud concordatis noſtris Bononienſibus confirmatum eſt, in §. *volumus eod. tit. de collat.* nulla tamen defferentia admiſſa, inter præbendas Cathedralis Eccleſiæ, & cuiuſcumque alterius Eccleſiæ, nec non quæcumque alia beneficia, quæ vt notat *Rebuffus in tractatu nominationis quæſt. vltim. numero* 9. repletionem æque pariunt, & excluſionem.

115. Verum vt illud liquido, & manifeſtius pateret, iiſdem pragmatica, & concordatis cautum fuit, in §. *item quod vniuerſitates d. pragmat. & §. volumus in concord. tit de collat.* vt in ipſa nominatione, ab vniuerſitatibus concedenda, beneficiorum, à nominatis tempore impetrationis poſſeſſorum, mentio fieret, & valor exprimeretur, quod fuit cautela Gallicanæ congregationis, Baſileenſi ſynodo addita, ſicut & ipſamet nominatio, vt ſupra diximus.

116. Sed enim, cum vaga eſſet, & incerta Florenorum taxatio, aliis ad ducentas libras, aliis ad ſexcentas, Florenorum valorem, & æſtimationem extendentibus, vt patet ex *gloſſa pragm. ſanct. §. quod ſi quis ex dictis tit. de collat. in verbo Florenorum, & ex Rebuffo in concord. §. volumus eod. tit. in verbo Florenorum auri.*

117. Et ex eo fuit, vt omnis dubitandi ratio amoueretur, vt & poſterioribus curiæ decretis, quantitas, ſiue valor beneficiorum, graduatos excludens, ad quadringentas libras producta fuerit, vt colligere eſt, ex *D. Louetio in poſthuma decretorum collectione litt. G: num. 1. & in addit.* ſed nouiſſime ad ſexcentas, ſecundum variam, Florenis ipſis datam æſtimationem.

118. Nec refert vtrum in vim gradus, vel alio quocumque modo, aut titulo, beneficia, à nominationis, vel gradus commodo excludentia, graduatus obtinuerit, vt notat *ipſemet Probus ad gloſſam pragm. ſanct. §. quod ſi quis tit. de coll. in verbo tempore collationis addit. 4. & §. item quod vniuerſitates in verbo numerum eod. tit.* quod & hodiè ſeruatur, cum alias ſola beneficia, in vim gradus adquiſita, & poſeſſa, ipſum graduatum replerent.

119. Verum & illud addit ibidem Probus, ſemel quæſita beneficia, ad prædictam quantitatem aſcendentia, quamuis dimiſſa fuerint, graduatum excludere, ſiue vt ibidem ſubiungit, in vim gradus adquiſita fuerint, ſiue ex quacumque alia cauſa, cum merces laborum ſemel quæſita, dimitti non debuerit, nec-dum poſeſſa cenſeatur ab eo, qui dolo malo, & in fraudem exſpectantium, deſiit poſſidere, argumento *legis vigeſimæ §. 6. dig. de petit. heredit. & gloſſæ finalis in capit. 3. & gloſſ. 2. in capit. penult. vt lite pend. nihil innou.*

120. Et tamen illud apud nos non vſquequaque obſeruatur, vſus enim in contrarium inductus, ita inualuit, vt dimiſſa beneficia, non alias excluſionem, vel repletionem parere ſoleant, quam ſi in vim gradus quæſita fuiſſent, quod enim nullum eſt, vel non exſtat, nullum parit impedimentum, niſi in fraudem dimiſſum fuerit, vt mox obſeruauimus.

§. QVAR-

Digitized by Google

§. QVARTVS.

Qua forma fieri, & exhiberi debeat nominatio Regia in gratiam Indultariorum emiſſa.

1. *Ordo, & progreſſus, huius diſputationis, & cum ſuperioribus connexio.*
2. *Indultariæ nominationis definitio proponitur.*
3. *Nominatio indultaria, debet procedere à Rege.*
4. *Nominationis indultariæ modus, & forma.*
5. *Rex Franciæ vi indulti Pontificij non confert, ſed conferendum præcipit.*
6. *Indultaria nominatio, pendet ex gratia Pontificis.*
7. *Summus Pontifex, etiam laico concedere poteſt conferendi poteſtatem.*
8. *Origo indultariæ nominationis aperitur.*
9. *Qui nominationibus ſcholaſticis grauari poſſunt, idem & indultariis.*
10. *Indultariæ, & ſcholaſticæ nominationes, mandatis ſucceſſerunt.*
11. *Cardinales indulto gaudentes, grauari poſſunt & huiuſmodi indultis.*
12. *Probatur auctoritate iuris, & ratione.*
13. *Ordinarius vnico indulto grauari poteſt in vita.*
14. *Capitula, ſemel in vita Regis, grauari poſſunt indultis.*
15. *Quinam indultis Pontificiis fruantur.*
16. *Enumerantur Officiales indultis gaudentes.*
17. *Rationes quibus ſuſtinentur indulta Pontificia.*
18. *Veterani, indulti priuilegio non fruuntur.*
19. *Id extenditur ad quoſcumque ſuo munere defunctos.*
20. *Quod ius, temporibus Ioann. Lucij ſeruatum, circa defunctos munere.*
21. *Nominatus gaudet indulto, quamuis nominans in officio tempore nominationis, tempore vacationis non fuerit.*
22. *In id decretum Magni Conſilij Patrum.*
23. *Officiales Curiæ, etiam extraneos, nec ſibi affines nominare poſſunt.*
24. *Officiales, ſæculares, & regulares nominare poſſunt.*
25. *Fiduciæ contrahendæ inter indultarios, peior vſus.*
26. *Fiduciæ contractæ vis, & effectus.*
27. *Reprobatur vſus fiduciæ contractæ, decreto Magni Conſilij Patrum.*
28. *Decretum Magni Conſilij, futuris tantum negotiis prouidit.*
29. *Quæ beneficia nominationibus ſcholaſticis ſubſunt, ea & indultariis.*
30. *Enumerantur beneficia indultariis nominationibus ſubdita.*
31. *Probatur decreto Magni Conſilij, electiua collatiua indultis ſubeſſe.*
32. *Ordo, & progreſſus huius diſputationis.*
33. *Indultarij graduatis ſunt præferendi.*
34. *Indultarij recuſare poſſunt beneficia, niſi ſint ſupra ducentas libras.*
35. *Differentia repletionis graduatorum, & indultariorum.*
36. *Graduati ad acceptanda beneficia cogi non poſſunt, ſicut indultarij.*
37. *Progreſſus, & diſtributio tractandæ materiæ*
38. *Indultaria nominatio nullum ius adquirit in beneficio.*

39. *Nominatio Regia ad Prælaturas, & patronorum præſentatio, ius ad rem transferre ſolent.*

40. *Nominatio indultaria vt ius adquirat, debet inſinuari, & quomodo.*

41. *Inſinuatio indulti, an ſpeciale mandatum requirat.*

42. *Generalis inſinuatio, nullum certum ius adquirit.*

43. *Specifica vacantis beneficij requiſitio, ius certum adquirit.*

44. *Sola requiſitio ſpecifica, impedit præuentionem Papæ.*

45. *Summus Pontifex præuenire poteſt indultarios.*

46. *Idem de graduatis probatum.*

47. *Nominatio indultaria, vt & ſcholaſtica, temporis legibus non ſubeſt.*

48. *Specialis requiſitio inſtitutionem neceſſariam inducit.*

49. *Inſtitutio indultariorum vacante ſede capitulo competit.*

50. *Vbi ordinarius indultario collationis gratiam denegat, quomodo ſuccurrendum.*

51. *Cur graduatorum ſecuritati non ſit ſimiliter cautum.*

52. *Nominatio indultaria, ſolam præparationem infert.*

1. PRæmiſſus in ſuperiore capite ordo poſtulat, vt iam inquiramus qua forma fieri debeat, & exhiberi, nominatio Regia, in vim Pontificiorum indultorum habita, & in gratiam officialium ſupremæ Curiæ Pariſienſis, vel ab ipſo commendatorum emiſſa, cuius origo, cum ſatis ſuperque pateat ex prædictis, licebit tamen, veritatis eruendæ cauſa, ex prioribus fontibus, præmiſſam definitionem hic ſubnectere.

2. Eſt igitur, nominatio in fauorem indultariorum concepta, *reſcriptum Regium, in vim Papalis gratiæ, ordinariis collatoribus emiſſum, in fauorem Senatus Pariſienſis Officialium, vel ab ipſis nominatorum, vt beneficia primum vacatura, & ſuæ collationi ſubmiſſa nominatis conferant*, namque, vt alias diximus, & Regia conceſſio, & Pontificia indulgentia, quę Regum noſtrorum nominationem ſuſtinet, indulti nomine appellari ſolent.

3. Primùm igitur, nominatio illa dicitur, *Reſcriptum Regium* quod à Rege emitti debeat collatoribus ordinariis, cui ſoli à ſummo Pontifice, hæc facultas conceſſa eſt, vt patet ex ipſo Pauli III. diplomate, eam gratiam Franciſco I. Gallorum Regi indulgente, necnon ab antiquiori gratia, ab Eugenio IV. emiſſa, ad cuius renouationem Paulus III. ſuum edidit, & emiſit reſcriptum, vt Eugenianum confirmaret.

4. Ex his igitur conſtat, quod quicumque Curiæ Officialis, ordinarium collatorem afficere deſiderat, & quodammodo ſibi obligare ad conferendum beneficium, debet litteras Regias & patentes obtinere, ordinario collatori inſcriptas, quibus mandet, & præcipiat Rex Chriſtianiſſimus, vt nominatum, in primo vacaturo beneficio, canonicè inſtituat.

5. Nec enim Rex Franciæ, eo genere indulti vtens, aut confert, aut inſtituit, in vacantibus beneficiis nominatum, verum conferri iubet, aut præcipit eis, qui ordinaria conferendi poteſtate vtuntur, in fauorem candidatorum ſuorum, & vt eos in primo vacaturo beneficio, canonice inſtituant.

6. Secundo illa nominatio ſuſtineri dicitur, ſummi Pontificis reſcripto, & *in vim Papalis gratiæ* emitti, in præmiſſa definitione, ſummus enim Pontifex, propter plenitudinem poteſtatis in quam vocatus eſt, *cap. 4. de auct. & vſu pallij*, & quâ de iure ſupra ius diſpenſare ſolet, *capit. propoſuit 4. de conceſſ. preb.* & maxime in beneficiis erogandis, quæ cum ſint iuris poſitiui, & ex inſtitutione hominum pendeant, ſummam in diſpenſatione eorumdem, exercet poteſtatem.

7. Et ex eo eſt, vt conferendi, vel nominandi poteſtatem, cuicumque etiam laico inferre poſſit, vt patet ex *can. in ſynodo 63. diſtinct.* quod pluribus probat *Ioannes de Selua in tract. de benefic. 2. parte queſt. 23. num. 16. & paſſim Boetius Epo in tract. regal. & iure princip. in benef.* ſed *maxime num. 141. & ſeq. & num. 288. & ſeq.* quo ſolo & vnico fundamento, ius principum in beneficiis tuetur, quod nos tamen, in beneficiis collationis Regiæ non admittimus, ſiue iure Regaliæ, ſiue fundationis procedant.

8. Verum ex hac ſumma, & ſuprema diſpenſandi facultate, illud beneficium natum agnoſcimus, ſiue gratiam Regibus noſtris factam, eamque primum Eugenio IV, ſummo

Digitized by Google

Pontifici referre debemus, eiuſque renouationem tantum Paulo III. vt patet ex conſtitutione in id per eum emiſſa, quæ refertur à *Renato Chopino lib. 1. de ſacr. polit. tit 5. num. 16.* & exſtat in *collect. rerum ad Clerum Gallicanum pertinentium, volum. 4. tit. de indultis* cum omnibus clauſulis & reſcriptis obtinendæ gratiæ neceſſariis.

9. Tertio, cum reſcriptum illud, ordinario emiſſum vulgo iactetur, quæri ſolet, quinam indulti onere grauari poſſunt, ad quam & reſponderi conſueuit, eos omnes nominationibus indultariorum gratia conceptis, & emiſſis affici poſſe, & obligari, qui & ſcholaſticis nominationibus onerari poſſunt, de quibus & ipſi egimus in præcedenti §.

10. Nam quælibet earum nominationum gratia, & reſcriptum, cum mandatorum Apoſtolicorum, & gratiarum exſpectatiuarum locum ſubierit, quæ per pragmaticam, & concordata antiquata fuerant, pari paſſu cum illis ambulat, iiſdemque regulis regitur, & gubernatur, itaque, quicumque ordinaria conferendi poteſtate funguntur, indultariorum nominationibus, ſe ſubmiſſos agnoſcere debent, vt & mandatis Apoſtolicis ſubiiciebantur.

11. Nec enim ab eo onere eximuntur, ſi ſpeciali reſcripto ſummi Pontificis, ipſis innata conferendi facultas firmata ſit, & à præuentionibus Apoſtolicis, quolibet modo exempta, vt in Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ, peculiari indulto ſubnixis, vt intra vel ſemeſtre, vel aliud tempus, beneficia ſuæ collationi addicta, libere, & ſecure conferant, & abſque vllo præuentionis metu.

12. Namque & illi, indultariorum nominationibus ſubiiciuntur, cum & ſcholaſticis ſubſint, quas indultariis cedere diximus, vt pluribus probat *Car. Molin. in comment. ad reg. de infirmis reſign. num. 229.* ſed & ea potiſſimum ratione, quod huiuſmodi indulta ordinariæ tantum poteſtati accedant, vt eam adiuuent, non vt tollant, aut diminuant, quod & Franciſcus I. Rex Franciæ declarauit, conſtitutione anni 1541. quæ & indultarios, graduatis præferẽdos ſtatuit, & ab Eugenianæ Bullę, quãuis Paulinæ ſit fundamentũ, editione eximit.

13. Nec tamen pluribus hiſce, nominationum Regiarum, & indultariarum oneribus, ordinarij grauari poſſunt, alioquin omnis conferendi libertas præſcinderetur, quod iuſtum non foret, cum teſte Diuo Gregorio, vnicuique ſua iuriſdictio ſeruari debeat, vnde ſtatutum habemus, edicto Henrici II. vt quilibet ordinarius, ſemel in vita grauaretur, de quo *Car. Molin. ad reg. de infirm. num. 239. & ſeq.*

14. At vero, cum facultas conferendi, capitulo, aut monaſterio, aut alteri collegio competit, quod mutationibus non ſit obnoxium, vt perpetuum ipſis onus nequaquam imponatur, decretum eſt eadem conſtitutione, poſt varias ea de re diſputationes habitas, & relatas à *Car. Molin. ad reg. de infirm. num. 239. & ſeq.* vt ſemel in vita Regis, indultariarum nominationum oneribus ſubmittantur.

15. Quarto ex eadem definitione patet, gratiam illam, in fauorem officialium ſupremæ Curiæ Pariſienſis eſſe inductam; de quibus ſpecialis ſit mentio, in reſcripto Pontificio Pauli III. conceſſum ab Eugenio IV. indultum, ea de cauſa approbante, vt Baſileenſis ſynodi memoria præſcinderetur, & quorum catalogum, ad ſummos Pontifices deferri iuſſit Curia, vt patet ex *notatis ad art. 69. collect. libert. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi.*

16. Hi ſunt autem officiales, quibus proſpicere voluit ſummus Pontifex, Cancellarius Franciæ, omnium ſupremarum regni Curiarum caput, & princeps, Præſides ſenatus auguſtiſſimi, Magiſtri Libellorum ſupplicum, veluti huius ſacratiſſimi corporis membra, quamuis illorum, nulla mentio habita ſit in reſcripto Pontificio, Senatores, Actuarij, & quatuor Curiæ ſupremæ Secretarij, ſiue Amanuenſes vt patet ex Catalogo, ſummo Pontifice mandante, à Curia delato.

17. Verum enim, cum quotidie, & maxime ſequioribus temporibus, ipſiſque in quibus Eccleſia ſchiſmate vexabatur, veteri diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & legitimæ poteſtati, in vero & legitimo capite reſidenti, fouendę, & cuſtodiendæ inſudauerint, æquum fuit, & rationi conſonans, Eccleſiaſticis præmiis, & beneficiis abunde cumulari, quibus, & plures alij ſummi Pontifices anteriores, lubentius gratias ſuas impertiti ſunt.

18. Quod autem diximus gratiam illam, in fauorem officialium ſupremę Curiæ, admiſſam fuiſſe, adeo verum eſt, vt id potiſſimum iuris hodiè ſeruetur, neminem beneficio nominationis Regiæ frui poſſe, niſi qui actu, in ſuprema curia officium exhiberet, & exerceret eo tempore, quo nominationis Regiæ gratiam impetrauit.

19. Verum enim, nec expræſes, nec ſenatoris munere defunctus, etiam nouiſſime, vel ab eo licet ex iuſta & legitima cauſa dimiſſus, in nominandorum codicem, & catalogum admittitur, vt nominationis Regiæ gratiam impetrare poſſit, quamuis veteranorum gratiam meruerit, quod pluribus Prætorianorum iudicum, ſiue magni conſilij Patrum decretis, & præiudiciis confirmatum eſſe refertur.

Digitized by Google

20. Et tamen aliud olim obſeruatum colligere poſſumus, *ex placitis Ioannis Lucij*, in quorum collectione refertur, nominandorum Curiæ ſupremæ officialium ſeriem olim, & catalogum ita confici ſolitum eſſe, & ex eius ordine nominationes indulgeri, vt in poſteriori loco, & ordine, poſtquam admiſſi fuiſſent officium actu exercentes, exconſules, & munere defuncti mitterentur, vt patet ex ipſo catalogo, Curiæ placitis ipſo Lucio auctore inſerto *lib. 4. tit.* 10.

21. Et quamuis, vt nominationi locus fieret, id vnum exegerimus, vt gratiam impetrans, officium actu exerceret, nequaquam id ſeruatur vacationis tempore, vbi enim nominatio Regia, candidato, ſiue à ſenatore officium actu exercente commendato, à Rege ſemel conceſſa eſt, & collatori ordinario debite inſinuata, non minus effectum ſuum ſortitur, quamuis tempore vacationis beneficij, & requiſionis exequendæ, aut deceſſerit is, cuius nomine, & fauore candidatus, nominationis gratiam impetrauerit, aut ſuo officio functus fuerit.

22. Sed & illud confirmatum, & probatum habemus, à Magni Conſilij Patribus, decreto die 7. Septembris anni 1598. pronunciato, in gratiam Franciſci Vedaſti aliàs *Vaaſt*, commendati, & nominati, à Præſide Riantio aliàs *Riant*, qui in prioratu *de Manera* conſeruatus eſt, contra quemdam cognominatum *Cheurier*, licet poſt deceſſum eiuſdem Præſidis Riantij, qui 22. Ianuarij anni 1597. aduenerat, vacatio beneficij contigiſſet.

23. Quarto obſeruandum eſt, non tantum ſibi ipſis, aut filiis, & cæteris, qui ſunt è familia, Curiæ Pariſienſis officiales, nominationem procurare poſſe, ſed & extraneis, quod innuunt definitionis præmiſſæ verba, *vel ab ipſis nominatorum*, inutile enim foret alioquin, ſenatoribus laicis, & vxoratis, beneficiariæ poſſeſſionis, & rerum ſpiritualium incapacibus, indulti ſibi conceſſi priuilegium, ſi extraneis inferre non poſſent.

24. Et inde eſt, quod illius incapacitatis vitandæ gratia, non tantum Clericos ſæculares, ad ſæcularia beneficia conſequenda nominabant, officiales prædicti, ſed etiam regulares ad regularia, ſi quæ vacauerint adſequenda, vtraque enim pariter & indultis ſubiacent, vt vacatione occurrente, nominati ab iiſdem, conditioni ſuæ, & ſtatui affecta beneficia, ſibique aſſignata, intra ſemeſtre tempus requirerent, ſibique conferenda poſtularent.

25. Verum tamen illud plerumque malo more vertebatur, namque & id ſæpius occaſionem pręſtabat officialibus indulti gratia fruentibus, fiducię cum nominato, & candidato paciſcendæ, illamque (quod peſſimi erat exempli) domeſtica cautione obfirmandę, vt ſtatim requirenti collatum, & vi indulti impetratum beneficium eiuraret, & dimitteret, in fauorem cuiuſcumque perſonæ, ab eo qui indultum procurauerat, nominandę.

26. Sed & illud, eò ceſſit temeritatis, & audaciæ, vt cautionibus hiſce ſuffulti ſenatores, qui commendationibus, & nominationibus, fiduciario collationem procurauerant, cogere tentauerint inſtitutos, & collatarios, quaſi ad redhibendam actione mota, collatis beneficiis renunciare, in fauorem eorum, quos obtuliſſent, eoſque, ne perfidię daretur locus, ſæpius Magni Conſilij Patres, decretis ſuis, renunciationibus peragendis, cogendos pronunciauerunt.

27. Et illud quidem nouiſſime, & anteriorum decretorum veſtigiis inhærentes, & ſanctionibus annuentes, decreuere idem Patres ſolemni ſenatuſconſulto, in publicis cauſarum actionibus prolato, contra quemdam *Berthaldum*, monachum ſancti Benedicti, fiduciarium domini *de Moric*, conſiſtoriani Comitis, aliàs & tempore nominationis indultę, magiſtri libellorum ſupplicum, eumdem condemnantes, intra triduum, commendato beneficio renunciare, quod vulgo appellabatur *Montiers Sainct Iean.*

28. Sed vt malis moribus inducendis, & ſeruandis, occaſio omnis amoueretur, ſancitum eſt eodem decreto, indultorum priuilegio gaudentes, ex dicto decreto, vel etiam anterioribus quibuſcumque, nec poſſe, nec debere, in poſterum nominatos ſuos, ſiue fiduciarios, ad renunciationem beneficiorum depoſitorum compellere, perorantibus *Angelo de Maſſac*, in defenſionem *D. de Moric*, *Germano Billard* in tuitionem *d. Berthaldi Guidone Chamillard* Aduocato Regio, d. Berthaldi partibus adhærente die 16. Dec. anni 1647.

29. Sexto ad verba pręmiſſę definitionis *beneficia ſuæ collationi ſubmiſſa*, illud inquirendum ſuccedit, quęnam beneficia indultis ſubiaceant, & ad eam quæſtionem reſpondendum videtur, omnia benficia, quę mandatariis Apoſtolicis debebantur, quæque nominationibus ſcholaſticis patere diximus, etiam indultariorum nominationibus ſubeſſe, cum vtraque nominatio, vt ſupra diximus, mandatis Apoſtolicis ſucceſſerit.

30. Omnia itaque, & ſingula beneficia, Præbendæ, Dignitates, modo non ſint electiuæ confirmatione indigentes, nec forma electionis in Lateranenſi Concilio præſcriptæ in *capit. quia propter de elect.* diſpenſari ſolitæ, Perſonatus, Adminiſtrationes, modo benefi-

Digitized by Google

ciis cohæreant, Prioratus ſimplices, Capellæ, & alia quælibet beneficia, nec enim reſcriptum Pauli III. ſenatoribus Pariſienſibus conceſſum, vllum excludit, imo & Cluniacenſis Ordinis beneficia includit, quia ſpeciali nota indigebant.

31. Sed & illud adeo verum eſt, vt idem de dignitatibus electiuis collatiuis, vt aiunt interpretes, quas eligendo conferunt collatores, puta Præfecturis Cathedralium Eccleſiarum, & Collegiatarum, decreuerint Magni Conſilij Patres, ſenatuſconſulto anni 1585. quo domino *Ridier* ſenatori Pariſienſi, & nominato Regio, Decanatum Lemouicenſis Eccleſiæ addixere, ſubmoto Vertamontio, qui in dicto decanatu per electionem capituli, ius ſibi quæſitum dicebat.

32. Septimo aduertendum eſt, ex præmiſſa definitione, ipſiſque verbis, *primum vacatura beneficia* indultariis deberi, ex quibus duo quæri poſſunt: primum, an indultarij, concurrentibus graduatis præferri debeant: ſecundum, an beneficia quælibet, ab ordinariis collatoribus oblata, vt nominationum grauamine ſe exonerare poſſint, acceptare compellantur, & requiſitionis finem facere.

33. Quantum verò ad primam quæſtionem, variis, tum Regum noſtrorum ſanctionibus, tum ſenatus Pariſienſis, & Magni Conſilij decretis, deciſum habemus, indultarios, graduatis omnibus potiores & præferendos eſſe, tum iure antiquitatis, tum eminentioris tituli, maxime, cum Paulus III. reſcripto ſuo, ſolos mandatarios exceperit, & indultariis prapoſuerit, vt obſeruat *D. Louet. litt. b. num. 16.*

34. Quod ad ſecundam vero quæſtionem, ipſo Pauli III. decreto, regiiſque ſanctionibus, ad indulta promulgatis definitum eſt, indultariorum candidatos, ſiue nominatos, recuſare poſſe ſibi oblata ab ordinariis beneficia, niſi in prouentu annuo, ſummam ducentarum librarum excedant, cum iuſtum non foret, qualicumque beneficio, etiam modico, Regiam ſimul & pontificiam gratiam exſoluere, & replere.

35. Et in eo minorem gratiam indultariis, quam graduatis factam, agnoſcere debemus, quos beneficio non minoris reditus, quam quadringentarum librarum repleri diximus, imo & hodiè ſexcentarum, cum ſcholaſticæ nominationes, mandatis in forma pauperum ſucceſſerint, quos maiori, & pinguiori beneficio, donari conuenit, cum tamen indultaria gratia, quæ plerumque beneficiatis conceditur, ducentarum ſaltem librarum beneficio repleatur.

36. Sed & in eo maior gratia graduatis rependitur, quam indultariis, quod licet indultarij, ad acceptandum beneficium, modo ducentas libras excedat cogi poſſint, nec tamen graduati, ad id compelli poſſint, vt vacantia beneficia requirant, aut oblata probent, cum antiquiore non requirente, conſtet poſteriorem ſubrogari, qui vacans requirat, & accipiat, nec enim graduatis & nominatis aſſignata beneficia, perſonis debentur, ſed ordini, cum indultariis adſcripta, perſonæ commendatæ debeantur.

37. Supereſt ad verba præmiſſæ definitionis, *vt nominatis conferant beneficia*, vt duo potiſſimum perſcrutemur: primum, quiſnam ſit effectus huius nominationis indultariæ: ſecundum, quænam requirantur, vt ſuum ſortiatur effectum, & nominato beneficium ita afficiat, vt alteri conferri non poſſit impunè, in præiudicium, & eluſionem ipſius indulti.

38. Et quidem, vt priori quæſtioni ſatisfieri poſſit, certum eſt ex eo, quod ſupra adnotauimus de mandatis Apoſtolicis, quorum locum tenuere, tum indultaria, tum ſcholaſtica nominatio, præſentationem, ſiue nominationem, ex quolibet reſcripto, ad vacatura beneficia deſcendentem, cum ad incerta, & nondũ vacantia beneficia, fieri ſoleat, generali, nec vlla ſpecifica denominatione notata, nullũ ius vel in re, vel ad rem nominatis ipſis adquirere.

39. Verum aliud obſeruari diximus, in nominationibus, & præſentationibus patronorum, & Regiis ad maiora beneficia, ſiue prælaturas factis, quæ cum ad vacantia tantum beneficia extendantur, & terminentur, certa, & ſpecifica, ius ad rem certum, fixum, & permanens adquirunt, quod nulla contraria inſtitutione euerti poteſt, & auferri.

40. Et vero, vt nominatio illa indultaria, generalis, & indeterminata, ad certa beneficia terminetur, debet primum inſinuari ordinario collatori, id eſt ipſi intimari, & nota fieri, per inſtrumentum ad id notariorum Apoſtolicorum, aut Regiorum, aut ſaltem Apparitorum auctoritate confectum, quod continere debet generalem requiſitionem, primum vacaturi beneficij, Illudque præterea, nominationis Regiæ exemplar traditum, ſicut in prima nominationis ſcholaſticæ inſinuatione, obſeruari diximus.

41. Sed & illud commune eſt nominationi indultariæ, & ſcholaſticæ, vt in priori illa inſinuatione, ſi abſentis candidati nomine fieri contingat, ſpeciale mandatum nequaquam requiratur, cum in ipſa litterarum nominationis exhibitione, & traditione fieri ſoleat, quæ ſufficiens mandatum arguit, vt nouiſſime decreuere Magni Conſilij Patres in cauſa publicè perorata die 28. Nouembr. anni 1652. à *Stephano Petit-Pas* patrocinium præbente *Antonio de*

Digitized by Google

Bre da ſancti Andreæ ab Arcubus Paſtori vigilantiſſimo, indultario, & nominato *D. de Ho dic* ſenatoris Pariſienſis, ratione poſſeſſionis canonicatus & præbendæ in Eccleſia Bellouacenſi, & *Guidone de Maſſac*, *Thomæ Tardif* partes tuente, & nominationem *D. Docquerre* defendente, ex ſuffragio *Guidonis Chamillart* Aduocati Regij, *Petro Seguierio* Galliarum Cancellario adſidente, & interruptam fere 100. annorum curriculo ſeſſionem renouante.

42. Nec tamen illa requiſitio, cum generalis ſit, vaga, & indeterminata, nec ad vlla certa, & ſpecifica beneficia figatur, ius vllum ad rem nominato adquirit, quod vel ordinarij collatione, aut altera diſpoſitione, vel Pontificia præuerti non poſſit, nec illa requiſitio, ita afficit beneficium, & nominato adquirit, vt non poſſit alteri conferri, & libere diſpenſari, in præiudicium nominati.

43. Nunc igitur aduertendum eſt, vt ius illud ad rem conſequatur nominatus, in vim indultariæ nominationis, quod nulla collatione Pontificia anteuerti poſſit, ſpecificam vacantis beneficij accedere debere requiſitionem, ipſi collatori ordinario habitam, intra ſex menſes, quibus elapſis, libera permanet collatio ordinarij, cuicũque etiam non qualificato illata.

44. Sed enim illa ſpecialis requiſitio, ita ius nominati, ad illud certum, & vacans beneficium figit, & determinat, vt illi quodammodo quęſitum videatur, ſaltem per ius ad rem, illa ſpeciali requiſitione illatum, quod amplius contraria diſpoſitione, vel ordinaria, vel pontificia, euerti non poteſt, vt pluribus notat & obſeruat *Car. Molin. ad reg. de infirmis n. 239.*

45. Et ex his patet, ante illam ſpecialem requiſitionem, nominatum, ſiue candidatum Regium, nulli ſpeciali beneficio incumbere, quod aliàs à ſummo Pontifice, & reſignatario in fauorem, cum derogatione clauſulę 20. dierum, & à Legato de latere ſummi Pontificis miſſo, conferri poteſt, aut denique à ſummo Pontifice, alteri cuicumque non qualificato, tanquam vacans morte vltimi poſſeſſoris, vt ibidem probat Molinæus.

46. Sed & illud in nominatis, & candidatis academiarum, obſeruari notat *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat. §. volens itaque in verbo nominationes, & in §. quod ſi quis in verbo nominationes, & in §. quod ſi quis in verbo irritum, & in §. ſtatuit in verbo cenſeatur*, namque indultaria, & ſcholaſtica nominatio, iiſdem regulis, & conditionibus regi ſolent, & gubernari.

47. Sed & in eo, quod vt nominatio ſcholaſtica vnius anni lapſu exſpirare non ſolet, vt in ſuperiori §. admonuimus, ſic nec indultaria, quamuis intra illud tempus nec nota fuerit, vt & Magni Conſilij Patres confirmauere pręmiſſo decreto; Quamuis enim prædictus *de Breda* litteras nominationis antecedentis, Epiſcopo Bellouacenſi cui inſcriptę erant, non exhibuiſſet, niſi poſt anni lapſum, & cum prædictus *Tardif* poſteriorem licet nominationem, eidem Epiſcopo emiſſam, debite & prius inſinuaſſet, nihilominus tamen prædicto *de Breda*, non tantum vindicias dixere Magni Conſilij Patres, ſed & in pleniori poſſeſſione tutum fore decreuerunt: nec enim graduati nominati, vel indultarij, aut alij exſpectantes iure Gallico probati, ab ipſa litterarum inſinuatione, ſed ab anteriori nominatione ius metiri ſolent, vt & in mandatis, quibus ſucceſſere huiuſmodi nominationes, paſſim obſeruabatur.

48. Verum huius requiſitionis, ſpecialis beneficij, & vacantis, ea vis eſt, & poteſtas, vt cum iuſto titulo, & iuri in re adquirendo neceſſaria ſit inſtitutio, eamdem neceſſario inducat illa requiſitio, vt ſupra adnotauimus de nominationibus ſcholaſticis, & nos mouet, præmiſſæ definitionis indultariæ verbum *conferant*, quod neceſſitatem importat, vt notauimus ſupra ex *Rebuffo in concordatis*.

49. Et illud adeo verum eſt, vt ab ordinario recuſari iure non poſſit, canonica inſtitutio nominato, vel canonicè pręſentato, cum inter neceſſarias collationes annumeretur, quæ & ſede vacante capitulo committuntur, vt mox probauimus, ex *capit. relatum in verbo liberaliter de præb. & dig.* propter decreta pręceptoria, & executoria, reſcriptis põtificiis inſcripta.

50. Verum enim, ſi ordinarius, collationis gratiam denegauerit, adiri ſolent indulto implendo executores demandati, puta Abbas ſancti Maglorij, ſancti Victoris Cœnobiarcha, & demum Academiæ Pariſienſis Cancellarius, qui collationis gratiam neceſſariam impertiuntur ex mandato S. P. & tanquam executores dati reſcripti Pontificij.

51. Sed tamen nominationum ſcholaſticarum ſecuritati, & executioni, ſimile cautum non fuerat remedium, cum ipſis collatoribus ordinariis, graues, nec recuſandæ viderentur, vt pote quæ ex pragmatica, omnium ordinum Gallicanæ Eccleſiæ conſenſu ſancita deſcenderet, & originem ſuam duceret, quo tamen remedio ceſſante, aliud à ſupremis tribunalibus ſuffectum, de quo nos ſupra diximus.

52. Et tamen qualiſcumque ſit illa inſtitutio ordinarij, vel executorum, adeo neceſſaria eſt, ad canonicum titulum indultario adquirendum, vt ſola illum transferat, cum nominatio præparationem tantum, & diſpoſitionem, huic titulo inferendo neceſſariam, & requiſitam inducat, vt de ſingulis nominationibus alias probauimus *ad verba definitionis inſtitutione §. 7. de nominat. patron. & ad eam, & præced. neceſſ. inſtitut.*

§. QVINTVS.

Qua forma fieri, & intimari debeat, Nominatio Regia ob iucundum regni aduentum.

1. *Ordo, & progreſſus huius diſputationis, & cum ſuperiori connexio.*
2. *Nominatio Regia ob iucundum regni aduentum, neque ius ad rem, neque ius in re transfert.*
3. *Generalis inſinuatio nominationis, nullum ius adquirit.*
4. *Nominatio, vt ſuum ſortiatur effectum, debet inſinuari ordinario.*
5. *In nominatione ob iucundum regni aduentum, nec etiam ſpecialis requiſitio ius olim adquirebat.*
6. *Nominatio indultaria, & ſcholaſtica, ſpecifica requiſitione collatorem aſtringunt.*
7. *Ratio differentiæ vtriuſque nominationis traditur.*
8. *Collator nominato conferre recuſans, plectebatur indictione annuæ penſionis.*
9. *Fraus quomodo fieret decretis ſupremæ Curiæ.*
10. *Fraudi occurritur per decreta irritantia, regiis codicillis iniecta.*
11. *Quænam decreti irritantis vis, & poteſtas.*
12. *Decretum irritans licet omiſſum ſuppleri ſolet.*
13. *Nominatio ob iucundum aduentum, inſtitutione canonica perfici ſolet.*
14. *Probatur nominatum ob iucundum aduentum, præferendum indultario.*
15. *Decreti in id pronunciati ſpecies proponitur.*
16. *Diſpoſitio eiuſdem decreti propoſita excutitur.*
17. *Item rationes dubitandi, & decidendi expenduntur.*

1. CVm ſatis ſuperque pateat, ex his quæ ſupra obſeruauimus, *ad verba definitionis beneficiariæ inſtitutionis* §. 5. quænam eſſet prima origo, nominationis Regię propter iucundum regni aduentum, reſtat dicere de natura, & eius effectu, & quibus regulis tractari ſoleat, & perfici, vt ſuum conſequatur effectum.

2. Et quidem vt ex ordine ſatisfaciamus, primum illud obſeruandum eſt, nominationem Regiam ob iucundum regni aduentum, mandatorum de prouidendo, ſiue ad vacatura beneficia naturam ſortiri, vnde neque etiam per eam, ius ad rem adquiritur, neque aliud quod beneficium afficiat, argumento *capit. ſi ſoli de præb. in 6.*

3. Nec vero creſcit, aut augetur ius nominationis Regiæ, quamuis legitima inſinuatione, ſiue denunciatione nota facta fuerit collatori ordinario, ipſique generalis requiſitio habita ante vacationem, vt in prima vacatura præbenda, nominatum inſtituat, vt in §. præcedenti probauimus, circa nominationem in fauorem & gratiam indultariorum conceptam, & ſcholaſticam.

4. Et tamen, vt quemcumque ſuum, licet minus perfectum, & vtilem ſortiatur effectum, in primis deſideratur illa inſinuatio, ſiue intimatio, ordinario rite peragenda, quæ probari debet per exhibitionem inſtrumenti, auctoritate publica vt ſuprà diximus in id confecti, alioquin ignorans ordinarius nominationem Regiam ſibi inſcriptam, executioni, & obſeruationi nequaquam obligatur.

5. Nec tamen, ideo magis, inſinuatione ſic peracta, collator ordinarius, conferendo beneficio præciſe aſtringitur, imo quamquam vacans beneficium, nominationis fauore innixus requirat nominatus, non tamen eidem ſatisfacere tenetur ordinarius, ſed cuicumque alteri conferre poteſt, *d. capit. ſi ſoli de conceſſ. præb. in 6.* nec reclamante, aut conquerente candidato Regio, inualida redditur collatio.

6. Et in eo ſtatuenda differentia, inter nominationem aut ſcholaſticam, aut indulta-

Digitized by Google

riam, & eam, quæ fit ob iucundum regni aduentum, priores namque, ſpecifica beneficij vacantis requiſitione, ad vacans beneficium ita determinari probauimus, vt collatio alteri, in præiudicium, & cluſionem nominati habita, aut nulla ſit ipſo iure, aut nequaquam haberi poſſit in fraudem exſpectantium.

7. Sed & hæc differentiæ ratio aſſignari poteſt, quod primùm nominatio Regia ob iucundum regni aduentum emiſſa, ſolis Regiis precibus inniteretur, quæ minus perfectè imperant, quam aut conuentiones publicæ, aut reſcripta Pontificia, quibus vel nominatio ſcholaſtica, vel indultaria firmantur.

8. Verum ne collator ordinarius, candidati, & nominati Regij ſpem impune eludere poſſet, ſtatutum habemus, variis tum Curiæ Pariſienſis, tum Magni Conſilii decretis, vt interim, donec collator ordinarius, regiis precibus ſatisfaceret, & commendatum beneficio repleret, ei de ſuo reditu, aut prouentu tantumdem ſubminiſtraret annuum, quantum ex beneficio requiſito percipere potuiſſet, iuxta ſententiam *capit. dilectus 27. de præb. & dignit.*

9. Sed plerumque, nec huius pœnæ indictione, contumacia collatoris ordinarij plectebatur, ſed illud in damnum noui collatarij vertebatur omnimodo, quem penſionis annuæ, ſi quæ aſſignaretur præſtatione collator onerabat, vt ſe indicta pœna ſolueret, contra communes iuris canonici regulas, quibus ſtatutum, vt beneficia Eccleſiaſtica abſque vlla diminutione conferantur.

10. Et ex eo fluxit quod Reges noſtri, vt huius fraudis committendæ occaſio auerteretur, reſcriptis ſuis, & codicillis Regiis, primùm in formam precum tantummodo conceptis, iuſſiones addiderint, & decreta irritantia, vt quodcumque, in eluſionem gratiæ actum foret, id irritum haberetur & inane, quæ decreta mandatis Apoſtolicis inſeri conſueuerant, ne executioni collatores moras innecterent, vt patet ex *d. capit. ſi ſoli de præb. in 6.*

11. Verum enim decretorum irritantium ea vis erat, & poteſtas, vt quæcumque collatio, in damnum candidati Regij illata fuerit, ea nullius roboris ſit, & momenti, ita vt ea ſubmota, & inſuper habita, collatum beneficium, nominato addicatur, in vim nominationis, & addendæ inſtitutionis neceſſariæ poſſidendum.

12. Sed & illud ita obſeruauere Patres Magni Conſilij, & decretis ſuis confirmauere ſenatus Pariſienſis iudices, vt quamquam codicillis Regiis, decretum irritans additum non fuiſſet, ſupplerent vtique, & pro expreſſo haberent, tanquam apponi ſolitum, vt notatum habemus *in poſthumis D. Louetij & additionibus litt. P. num. 6.*

13. Et tamen ex præmiſſis patet, nominationem illam Regiam, non eſſe veram, & canonicam inſtitutionem, ſed tantum præparationem, & diſpoſitionem parere, adquirendo beneficio neceſſariam, quæ collatoris ordinarii inſtitutione perfici debet, & compleri, quæque ſola canonicum titulum infert, & ius in beneficio adquirit.

14. Nec tamen hic omittenda quæſtio, quæ olim agitata fuit, coram Prætorianis iudicibus, ſiue Magni Conſilij Patribus, inter concurrentem indultarium, & nominatum Regium Epiſcopo Trecenſi, propter fidelitatis ſacramentum ab eo præſtitum (cuius idem eſt fauor, & priuilegium, ac nominati ob iucundum regni aduentum) quis præferri deberet, vtroque ſuæ nominationis gratiam præponente, ſed tandem ſolemni decreto die 13. Iulij anni 1606. pronunciato, nominato Regio prælatio data eſt in hac facti ſpecie.

15. Verum enim, cum Dominus *Vignier* libellorum ſupplicum rector, ex indulto Regio nominaſſet *Ludouicum Veſtier*, Clericum Trecenſem, Epiſcopo, & Capitulo Trecenſi, in proxime vacante præbenda inſtituendum, eiſdemque nominationis litteras inſinuare curaſſet, interim cum nouus Epiſcopus ſacramentum fidelitatis Regi præſtitiſſet, *Ioannes Baptiſta le Clerc*, litteras nominationis à Rege impetrauit, eidem Epiſcopo emiſſas, vt in proxime vacatura præbenda propter nouum fidelitatis iuramentum Regi præſtitum debita inſtitueretur.

16. Sed enim cum vacaſſet præbenda dictæ Eccleſiæ, & ab vtroque nominato impetrata fuiſſet, & requiſita, conteſtatione mota apud Prætorianos iudices, prædictus *le Clerc* nominatus in poſſeſſione præbendæ conſeruatus eſt, ſalua indultario prærogatiua indulti, dum alterius beneficij vacatio occurreret, prout habetur in *collectione Ioannis Tournetij litt. I. art. 36.* quod tamen mirum videri poſſit, cum hæc nominandi ratio non ſit vſquequaque recepta, vt ſupra obſeruauimus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ inſtitutionis §. 5. de Regia nominatione ex iucundo aduentu.*

17. Tum vero ex eo, quod indultaria nominatio, ſit ipſa nominatione Regia ob iucundum regni aduentum, vel præſtitum fidelitatis ſacramentum antiquior, tamen cum

Digitized by Google

cum hæc vtraque nominandi ratio, inter iura regia adſcripta fuerit à Prætorianis Iudicibus, ita vt quaſi Xeniorum nomine, Regi noſtro Chriſtianiſſimo ſà nouis Epiſcopis, & collatoribus rependi debuerit, non mirum ſi prælationem meruerit, vnde & concludi debet, ipſi nominationi ſcholaſticæ præferendam, cui & indultariam anteire diximus, per regulam ſi vinco vincentem te multo magis vinco te quæ in vtroque iure ſeruatur *leg.* 14. §. 3. *de diu. & temp. preſcript. gloſſ. in cap. auctoritate in verbo primum de conceſſ. preb. in* 6. *& in can. rogamus* 24. *quæſt.* 1.

§. SEXTVS.

De forma mandatorum Apoſtolicorum, eorumque exhibitione, & inſinuatione facienda.

1. *Quare de mandatis Apoſtolicis hic agatur.*
2. *Altera ratio huius diſputationis hic inſertæ.*
3. *Primùm mandatorum forma vaga, & incerta.*
4. *Quare nulla mandatorum definitio traditur.*
5. *Forma certa mandatis Apoſtolicis, concordatis reddita.*
6. *Mandatorum forma publici iuris vti facta.*
7. *Mandatarius, vt ſibi ordinarium obliget, debet inſinuare mandatum.*
8. *Qua forma inſinuatio mandati fieri debuit.*
9. *Exploſa pragmaticæ gloſſa, in eo quod mandati inſinuationem non exigat.*
10. *Philippi Probi in additionibus ſententia magis probatur.*
11. *Singulę mandatorum litteræ ordinariis inſinuandę.*
12. *Probatur decreto Curiæ Pariſienſis.*
13. *Mandatum quamuis inſinuatum, nec ius in re, nec ad rem adquirit.*
14. *Ordinarius in præiudicium mandatarij conferens, de ſuo indemnem præſtare debet.*
15. *Quibus caſibus mandatario conferre tenetur ordinarius.*
16. *Mandatum canonicæ inſtitutionis eſt tantum diſpoſitio.*
17. *Differt poteſtas conferendi Pontificia quoad vacantia, & vacatura.*
18. *Vacaturorum beneficiorum ſummus Pontifex ſpem tantum concedere poteſt.*
19. *Mandatum ad ſpeciale beneficium reprobatur.*
20. *Non omnia beneficia mandatis ſubiacent.*
21. *Electiua confirmatiua mandatis non ſubmittuntur.*
22. *Item beneficia iuris patronatus laici.*
23. *Sola vacatio morte occurrens, locum facit impetrationi mandatariorum.*
24. *Quibus ex cauſis reſignata vel permutata beneficia mandatariis debentur.*

1. QVamuis mandatorum Apoſtolicorum vſum, concordatis Bononienſibus magna ex parte imminutum, Tridentini vero concilij ſanctione penitus abrogatum diximus, tamen ne quid antiquitatis penitus ignoretur, licebit eorum obſeruationem, anterioribus ſæculis inuectam, ab obliuione vindicare, & huic diſputationi interſerere.

2. Sed eò maxime, quod eorum cognitio, multum conferat, ad præmiſſarum nominationum notionem conſequendam, quæ cum mandatis Apoſtolicis ſucceſſerint, iiſdem pene regulis, & ſtatutis componuntur, & gubernantur, itaque à mandatorum Apoſtolicorum forma exordiamur.

3. Sciendum eſt itaque, variam fuiſſe, vagam, & incertam, mandatorum Apoſtolicorum formam, quæ ex variis clauſulis, quæ inſeri ſolebant, ſuam formam, & naturam mu-

tuabantur, ſicut in iure ciuili conuentiones, & contractus, ex pactis in continenti adhibitis transformabantur, vt patet ex *lege iuris gentium 7. §. quinimo dig. de pactis.*

4. Et ex his patet, quam difficile fuerit, mandatis Apoſtolicis vnam formam præſcribere, item ratio propter quam, veteres iuris canonici interpretes, mandatorum definitionem nullam nobis tranſmiſerunt, propter difficilem, vel etiam nullum definiendi modum.

5. Sed & illud cum proſpiceret Gallicana Eccleſia, & quantis litium ambagibus, inuolueretur, informis ille mandatorum Apoſtolicorum vſus, cum diutius pragmaticam ſanctionem, quæ mandatorum vſum penitus abrogauerat, à ruina, & caſu ſeruare non poſſet, Franciſco I. Gallorum Regi ſuaſit, vt variis, & inſolitis clauſulis, quibus antea componebantur, omnino amputatis, ſua forma certa, & determinata mandatis Apoſtolicis redderetur.

6. Et quidem vt facile inuerti non poſſet, vel immutari, formam illam conuentioni Bononienſi inſeri mandauit, & ſcriniis Curiæ commendari, vnde forma illa petenda eſſet, quaſi iuris publici facta, nec amplius ex priuata concedentis voluntate penderet, quæ id efficiebat, vt alia, aliis eſſent nocitura.

7. Nec tamen huius formæ, minimam partem facere intelligitur exhibitio, & denunciatio mandati, collatori ordinario, cui mandatum inſcribitur facienda, cum enim ea inſcriptio, & mandati emiſſio, abſenti, & ignoranti fiat, vt eorum obſeruationi quodammodo alligetur, debet vtique notum fieri, & exhiberi mandatum, *capit. ſi capitulo de conceſſ. præb. in 6.*

8. Verum ea exhibitio, vt ſupra adnotauimus, debet fieri per inſtrumentum, publica auctoritate in id confectum, quo appareat, & litterarum exemplar collatori dimiſſum fuiſſe, cuius & formam præbet *Arnulphus Ruſæus in tract. de mand. Apoſt. parte 3. num.* 10. *& ſeq. Mathæus Pacus ad titulum concordatorum de mand. Apoſt.*

9. Nec enim ſententiæ, aut opinioni gloſſatoris pragmaticæ ſanctionis, *tit. de collat. §. ſtatuimus in verbo cenſeantur*, aſſentire debemus, qui hanc differentiam ſtatuere videtur, inter mandata Apoſtolica, & nominationes ſcholaſticas, vt mandata etiam non exhibita, & inſinuata ligent ordinarium, & afficiant beneficia, nominationes vero non obligent, niſi exhibitæ.

10. Sed potius ſubſcribere debemus Philippi Probi notæ, & cenſuræ, *in addit. ad pragm. ibidem*, vbi rectè explodit hanc differentiam, cum illud ex forma mandatorum, concordatis noſtris præſcripta pendere dicat, vt non ligent ordinarium, niſi poſt exhibitionem, & inſinuationem, vt & obſeruat *Rebuff. in concord. in forma mandat. Apoſtol. in verbo præſentes, & in verbo præſentatæ.*

11. Nec tantum litteræ, aut monitoriæ, aut præceptoriæ exhibendæ ſunt, ſed & executoriæ, de quibus omnibus ſuprà diximus, *ad verba definitionis noſtra inſtitutione* §. 6. & quidem ordinario collatori, cuius alioquin manus non alligarentur, ſi altera tantum earum inſinuaretur, cum enim omnes ſimul mandatorum formam efficerent, ſingulę collatoribus ordinariis pariter exhiberi debent, vt ſingularum etiam obſeruationi aſtringatur.

12. Sed & illud decreto Curię Pariſienſis confirmatum, refert *Lucius lib. 1. placit. Curiæ tit 4. art. 12.* inter *Nicolaum Mazuellum* mandatarium Apoſtolicum, qui ſolas priores mandati bullas inſinuauerat, & *Iacobum Bariolium* collatarium ordinarij, cuius decreti datam quamuis prętermiſerit Lucius, licebit repetere ex *Rebuffo in forma mand. Apoſtol. in verbo præſentes*, vbi diem 23. Dec. anni 1451. adſcribit.

13. Verum nec poſt huiuſmodi exhibitionem, aut inſinuationem, aliquod ius ſpiritale ad beneficium vacaturum, ſiue ius ad rem, vt loquuntur interpretes, mandatum adquirit, ſed tantum ius, & poteſtatem implorandi officium executoris, dati à ſummo Pontifice, vt vacatione occurrente, aut conferat beneficium mandatario, aut conferri procuret à collatore ordinario, vt pluribus probat *Arnulphus Ruſæus in tract. de mand. Apoſt. parte 3. & Matheus Pachus in ſimili tractatu ex concord. parte 7. & confirmat gloſſator. pragm. ſanct. tit. de collat. in §. volens itaque in verbo nominationes.*

14. Et ex eo eſt, quod interim ordinarius collator, poteſt alteri conferre beneficium, etiam in damnum, & prę iudicium mandatarii, *capit. dilectus de præb. in 6.* eique ſoli obligatur, & aſtrigitur, vt interim ex ſuo quid præſtet annuum, defraudato, & eluſo mandatario, *capit. ſi ſoli de conceſſ. præb. in 6.*

15 Et tamen conferendo beneficio præciſe aſtringitur collator ordinarius, in fauorem ipſius mandatarii, vbi in canonicum, & in fratrem creatus fuiſſet, *capit. finali de conceſſ.*

Digitized by Google

præb. in 6. cap. in noſtra de reſcript. apud Greg. vel eo caſu, quo decreto irritante corroboratum ſit mandatum, vt quidquid in eluſionem mandati factum ſit, id habeatur irritum, & inane, *capit. ſi ſoli de conceſſ. præb. in 6.*

16. Multo minus ergo ius in re, & in beneficio adquirit mandatum, quod per ſolam inſtitutionem canonicam adquiritur, cuius mandatum Apoſtolicum dici tantum poterat præparatio, & diſpoſitio, namque hæc perfici debet per collationem beneficij, in vim mandati, vel ab ordinario inferendam, vel ab executore dato à ſummo Pontifice renuente ordinatio, quæ ſola collatio, vel inſtitutio, ius in beneficio adquirit mandatario.

17. Quamuis enim ſummus Pontifex, inſtitutionis canonicæ ſit capax, imo eius ſit quaſi fons primæuus, & origo, & tanquam ordinarius ordinariorum, omnia totius orbis chriſtiani beneficia conferre poſſit, vt ſupra diximus, vel iure ſpeciali, & propriæ diœceſi attributo, vel vniuerſali & communi, vel ſupremo & deuoluto, id tantum exequi poteſt in vacantibus beneficiis, non vero in vacaturis, circa quæ verſatur mandatorum Apoſtolicorum vſus.

18. Et in ſumma conſtat ſummum Pontificem, in mandatorum conceſſione, id ſolum poſſe, vt diſpoſitionem, & præparationem, conſequendo beneficio neceſſariam procuret, & ſpem ſolam conſequendi beneficij mandatario inferat, collatoris ordinarij canonica inſtitutione perficiendam, vt mox probauimus in præcedentibus nominationibus, quæ vt mandatorum Apoſtolicorum locum ſubierunt, ita & naturam mutuatæ ſunt.

19. Verum id ita locum habet, ſi mandatum generale ſit, & ad certas beneficiorum ſpecies, puta dignitates, canonicatus, & alia ſimilia beneficia proxime vacatura, non vero ad indiuidua, & particularia quorumlibet canonicorum, aut aliorum beneficia extendatur, quod votum captandæ mortis alienæ induceret, & reſeruationem beneficiorum, in hoc Regno Galliæ tantopere exoſam, quod & decreto ſenatus Pariſienſis, quamuis nulla die adiecta confirmatum refert, *Rebuffus in praxi tit. de clauſ. mand. num. 29.*

20. Et quamquam ſummus Pontifex, vt mox diximus, ſingula totius orbis chriſtiani beneficia conferre poſſit, *can. cuncta per mundum 9. quæſt. 3.* nec tamen mandatorum Apoſtolicorum vſus, ad omnia, & ſingula beneficia extenditur, ſunt enim quædam, quæ eorum legibus, & ſtatutis non ſubmittuntur, nec oneribus mandatorum grauari poſſunt, vt nec præmiſſarum nominationum.

21. Et inter ea prima eminent electiua confirmatiua, *capit. cum in illis §. 1. de præb. in 6.* in quibus diſpenſandis, obſeruari ſolet forma Lateranenſi Concilio præſcripta *in capit. quia propter de elect. & el. poteſt.* & quibus vacantibus, Eccleſia dicitur ſuo paſtore viduata, hic enim diſponendi modus, cum ſit ex purioribus, & antiquioribus vſibus Eccleſiæ, & vniuerſalius receptis, nulla alia, vel contraria diſpoſitione præuerti poteſt.

22. Item beneficia iuri patronatus laici affecta, vt enim obſeruauit Carolus Molinæus paſſim & vbique, neque mandatis, neque præuentionibus Apoſtolicis, neque nominationibus, tum ſcholaſticis, tum indultariis, vnquam colla ſubmiſerunt patroni laici, cum aliquo modo in patrimonio eſſe cenſeatur ius patronatus laicum; quod nullam diminutionem pati debet, vt patet ex *coll. lib. Eccleſ. Gall. Petri Pithœi articulo 30. & ibi nouiſſimus commentarius.*

23. Sed & ſola morte poſſeſſorum vacantia beneficia, mandatis Apoſtolicis ſubmittuntur, non vero vacantia aut per ſimplicem reſignationem, aut per reſignationem in fauorem, aut ex cauſa permutationis, vt in ſuperioribus, & proxime præcedentibus, nominationum ſpeciebus oſtendimus, quæ pari paſſu cum mandatis Apoſtolicis ambulant.

24. Sed ita demum locum habet in reſignatione ſimplici, aut cauſa permutationis, ſi fraus, aut dolus non interuenerit, vt pluribus tractat *Arnulphus Ruſæus in d. tract. de mand. Apoſt. parte 2. Mathæus Pacus, & Reb. ad tit. de mand. Apoſtol. §. & vt obiicitur in verbo comprehenſa in concord.* quæ ſingula ſeruantur in præmiſſis nominationibus, & tamen illud obſeruandum eſt, in ſimplicibus reſignationibus, vix fraudi obiiciendæ locum ſupereſſe.

Digitized by Google

§. SEPTIMVS.

Quomodo nominatio patronorum, ad Canonicam formam reducatur.

1. *Ordo, & progreſſus huius diſputationis, & connexio cum ſuperiori.*
2. *Nominatio patronorum, tribus partibus, ſiue perſonis conſtare debet.*
3. *Is præſentat, vel qui eſt patronus, vel qui eſt in poſſeſſione præſentandi.*
4. *Patronus vel excommunicatus, vel hæreticus, præſentationis iure non fruitur.*
5. *Cautela & remedium à Conſilio Regio adhibitum.*
6. *Nominatus debet conditiones fundationum habere.*
7. *Qualitatum fundationibus præſcriptarum, nulla remiſſio.*
8. *Præſentatio debet fieri litteris interuenientibus.*
9. *Preſentatio debet exhiberi ordinario, ab ipſo nominato preſente.*
10. *Nemo ſe ipſum præſentare poteſt.*
11. *Pater filium preſentare poteſt.*
12. *Præſentatio debet fieri intra tempus preſcriptum.*
13. *Preſentatio extra tempus habita nulla.*
14. *Moribus Neuſtriæ, equale tempus patronis ſtatuitur.*
15. *Quodnam ius præſentatio patroni inferat.*
16. *Patroni Eccleſiaſtici, certius ius nominationibus transferunt.*
17. *Præſentatio patroni, ordinarij inſtitutione perfici debet.*
18. *Præſentatio, & inſtitutio, mutuo ſibi adeſſe debent.*
19. *Differentia inter præſentationis, & inſtitutionis mutuum auxilium.*
20. *Collatio habita ſpreto patrono, conualeſcit eodem non conquerente.*
21. *Præſentationem, neceſſaria ſubſequitur inſtitutio, non voluntaria.*
22. *Patronus Eccleſiaſticus incapacem præſentando, cadit pro hac vice præſentandi iure.*
23. *Præſentatio quæ tetigit aures ordinarij impedit præuentionem Papæ.*

1. QVamuis ea, quam de iuris patronatus origine, & natura habuimus, diſputatio, *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ, cum ſuo reditu cap. 4. de oneribus, & immunitatibus Eccleſiarum*, in cuius fronte, de iure patronatus egimus, nobis occaſionem præbuerit in ſuperiori capite, vbi agentibus de variis inſtitutionum ſpeciebus, contingebat tractare de nominatione patronorum, ne earumdem rerum ſæpius repetita diſcuſſio, faſtidium pareret, ſermonem præſcindendi, & ſtudioſos, ad ſingularem ea de re habitam diſputationem remittendi, tamen ſupererat huic patronorum nominationi, ſuam formam canonicam addere, quod fuit huius §. materia, vt propoſito ordini ſatisfieret.

2. Cum igitur nominatio patronorum, vt ſuis finibus compleatur, tribus partibus, ſiue perſonis conſtare debeat, inter quos peragatur hæc patronorum nominatio, præſentatione patroni, ſiue commendatione idonei Clerici, ordinario collatori habenda, & eiuſdem ordinarii inſtitutione, in ſingulis hiſce partibus, & perſonis, exquirenda forma nominationis patronorum.

3. Primùm itaque is qui præſentat, debet eſſe verus patronus Eccleſiæ, vel ſaltem in poſſeſſione præſentandi, vt aliàs probauimus ex *capit. conſultationibus de iure patron.* cuius probatio elicitur, vel ex vltima præſentatione, cum effectu habita, id eſt, quæ ordinarij inſtitutione canonica confirmata fuerit, *capit. cum Eccleſia ſutrina de cauſa poſſeſſ. & propr. in verbo vltimo.*

4. Item patronus nullis cenſuris Eccleſiaſticis debet eſſe innodatus, nulla hæreſeos labe

Digitized by Google

infectus, vt fuſius probauimus in *d. capite* 4. *de oneribus Eccleſiarum* §. 6. vbi decreto Curiæ Pariſienſis confirmatum probauimus, in publicis cauſarum actionibus die 6. Februarij anni 1648. cauſam dicentibus *Guilelmo Adamo* pro appellante *Claudio Roberto* pro Epiſcopo Carnotenſi intercedente, & *Ludouico Dubois* pro intimato.

5. Quamuis altero ſuperioris, & Regij Conſilij decreto, querelæ nouæ ſectæ adhærentium, & patronorum ita ſuccurſum reſcierim, vt donec Eccleſiæ gremio redderentur, vnum fidei catholicæ profeſſionem agentem demandarent, cuius mandatum ordinario collatori notum fieret, & actis publicis proximioris tribunalis Regij inſinuaretur, vt ad eius præſentationem vacantis Eccleſiæ, idonei Clerici ordinario habitam, inſtitutio ſequeretur, decreto die 8. Iulij anni 1651. aſſidente Rege pronunciato, quod refertur in *additionibus ad quæſt. iuris D. Lepreſtre Cent.* 2. *cap.* 32.

6. Secundo debet Clericus præſentari, iſque capax & idoneus, non tantum qui generales Clericatui conſequendo conditiones, & qualitates habeat, de quibus egimus *ad verba definitionis idoneo*, ſed etiam eas, quæ fundationis titulo præſcriptæ ſunt, quæ eò religioſius ſeruandæ ſunt, quod traditionibus rerum tum profanarum, tum diuino vſui & miniſterio conſecretarum, quæcumque pacta adiici poſſint, *lege in traditionibus dig. de pactis leg.* 15. *cod. de ſacroſ. Eccleſ.*

7. Nam & illud certum eſt, nec illorum conditionum, vllam fieri poſſe remiſſionem, etiam à ſummo Pontifice, multo minus à patrono, ne fundatorum voluntates inanes reddantur, ſi quid enim aduerſus fundationem admiſſum fuiſſet, appellationis tanquam ab abuſu auxilio reparandum eſſet, ſupremi ſenatus iudicio, vt habet *ſcholiaſtes ad collectionem lib. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi ad art.* 30.

8. Verum, circa præſentationem à patrono habendam, aduerte primum, debere fieri non viuæ vocis oraculo, ſed litteris commendatiis interuenientibus, & in id confectis, vt docet *gloſſa Clementinæ* 1. *in verbo litterarum de exceſſ. præl.* quæ ordinario emitti debent, & quibus non creditur, per relationem in ordinarij inſtitutione factam, quemadmodum nec enunciationibus, in litteris Pontificiis habitis, vt patet ex *rubrica pragm. ſanct. & concordat. de ſubl. Clem. litteris.*

9. Secundò litteras nominationis, debere ab ipſo nominato præſentari, qui intereſſe debet, vt ex inſpectione perſonæ, & probatione in id habita, ſtatim appareat collatori, vtrum idoneus ſit præſentatus, *gloſſa in Clem. dudum in verbo præſentari de ſepulturis*, vnde & ab ea præſentię neceſſitate, præſentationis denominationem ſumit *Rebuffus in concord. tit. de collat. §. præfatique ordinarij in verbo præſentatione*: *itemque Ioſias Beraldus ad art.* 1. *tit. de iure patron. in conſuetud. Neuſtriæ in verbo præſenter.*

10. Tertio, cùm tribus partibus, & perſonis, dixerimus conſtare patronorum præſentationem, ſiue nominationem, præſentante ſiue patrono, pręſentato, & inſtituente, ſiue collatore, conſtat præſentatum, alium eſſe debere à præſentante, vt paſſim docent interpretes iuris canonici ad *capit. per noſtras de iure patron.* quod & infrà fuſius tractabimus *ad verba definitionis conceſſa capit vlt.*

11. Et inde quæſitum eſt ab iiſdem interpretibus, vtrum pater præſentare poſſit filium, ſed ita deciſum maxime illud poſſe, & licere, cum in ſpiritualibus, patria poteſtas minus ſpectetur, vt docet *Panormitanus ad eam quæſtionem in ſecunda parte conſiliorum conſil.* 96. *& è noſtris Ant. Mornac. in poſtrema editione ad leg.* 4. *dig. quod quiſque iur. in alium ſtat. pag.* 164.

12. Quartò debet fieri præſentatio, intra tempus à iure præſtitutum, quod formæ huic nominationi addendæ, non minimam partem facit, illud autem definitum eſt in *cap. eam te, & capit. cum propter de iure patron.* vt in patronis laicis, quatuor menſibus includatur, in Eccleſiaſticis verò ſemeſtri tempore claudatur, cuius differentiæ ratio, petenda ex his, quæ ſuprà diximus *ad verba cum ſuo reditu capit.* 4. *de onerib. & immun. Eccleſ.* §. 7.

13. Ex his itaque liquet, intra pręfixa tempora, fieri debere nominationem, & patroni pręſentationem, alioquin nulla eſſet, eiuſque pro hac vice nulla ratione habita, apud collatorem ordinarium libera remanet conferendi facultas, quaſi ſeruitute ſublata, & patronatus obice, ſicut in collationibus ordinariis Concilio Lateranenſi præſcriptum eſt, vt intra ſemeſtre tempus habeantur, *capit. nulla de conceſſ. præb.*

14. Quod autem differentiam conſtituerimus, inter patronum laicum, & Eccleſiaſticum, in tempore præſentationi præfixo, moribus Neuſtriæ reformatum habemus, *in tit. de iure patron. art.* 1. vbi pariter, & vtrique patrono, tum laico, tum Eccleſiaſtico, ſex menſes

Digitized by Google

præſentationis habendæ gratia dati ſunt, cum ea conſuetudo, ſibi ſubmiſſos æqua ratione inſpexerit.

15. Verum quibuſcumque formis, & ſolemnibus muniatur nominatio patronorum, canonicum titulum ſola præſtare non poteſt, nec canonicam inſtitutionem inferre, ſed tantum diſpoſitionem, & præparationem quamdam, ad canonicum titulum conſequendum, ſed per ſe quidem & ſola, ius ad rem adquirit, vel ad beneficium, illudque certiſſimum, ſi idoneæ perſonæ fiat, & à patrono Eccleſiaſtico, qui ex regulis iuris canonici nullatenus variare poteſt.

16. Et ob eam rationem diximus ſupra Eccleſiaſticos patronos, ius pinguius, & plenius transferre, quam laicos, quod probauimus ex *addit. Philippi Probi ad pragm. ſanct. tit. de collat. §. item circa in verbo non valeant*, ſed neutra ius in re adquirit, vel ipſum beneficium, quod ſola canonica inſtitutione, ſiue ordinarij collatione defertur.

17. Sed & illud ex eo patet, diſpoſitionem, ſiue præparationem, per præſentationem, & nominationem patronorum quæſitam, ordinarij collatione perfici debere, & compleri, quæ ſola legitimum titulum transferre poteſt, & canonicam inſtitutionem abſoluere, *cap. 19. & vlt. de iure patron.* cum illa ſpiritalis ſit, & ordinariæ poteſtatis, quæ in laicum cadere non poteſt, ſed à ſolo ordinario perfici, *Capit. Sacro-ſancta, capit. Meſſana de elect. & elect. poteſt.*

18 Verum qua ratione, ius per præſentationem patroni quæſitum, per canonicam ordinarij inſtitutionem perfici debet, ita ius ab ordinario transferendum, per patroni nominationem, ſiue præſentationem, quodammodo præparari debet, altera enim alterius auxilio indiget, & mutuam ſibi opem ferre debent, ſed non æque vtilem, neceſſariam, aut abſolutam.

19. Quamuis enim ordinario inconſulto, aut irrequiſito, patronus aut inſtituere, aut deſtituere non poſſit, *d. capit. 9. & vlt. de iur. patron.* ita vt quidquid attentauerit propria auctoritate, nullius ſit roboris, aut momenti, nec vllo caſu conualeſcere poſſit, non idem ſeruatur in collatione habita ab ordinario, inconſulto aut irrequiſito patrono, nec enim illa collatio nulla dicitur ipſo iure, ſed venit annullanda, conquerente patrono intra debitum tempus, *capit. illud de iure patron. can. decernimus 16. quæſt. 7.*

20. Et illud quidem adeo verum eſt, vt ſi non conqueratur patronus, ſed collationi habitæ, ipſoque ſpreto factæ, conſenſum, aut patientiam accommodauerit, libera remaneat collatio, & valida, non à poſteriori confirmata, ſed ab initio, quaſi à primæua conferendi poteſtate deſcendens, ipſique ordinario innata, & cohærente, vt obſeruat *Molinæus ad reg. de infirm. reſign. num. 60. & 61.*

21. Ea tamen vis eſt præſentationis, à patrono ſemel habitæ, & ordinario inſinuatæ, vt ea neglecta alteri conferri non poſſit, ipſamque collationis gratiam præſentato, & nominato neceſſariò concedere teneatur, vnde inſtitutio, quæ nominationem patronorum ſubſequitur, inter neceſſarias collationes annumeratur, in *gloſſa capit. relatum 9. in verbo liberaliter de præb. capit. 1. de inſtit. in 6.* quia neceſſario defertur præſentato.

22. Sed aliud euenit, vbi ab Eccleſiaſtico patrono habita fuerit præſentatio perſonæ, quæ iure canonico indigna cenſeatur, tunc enim ea inſuperhabita, ordinarius libere conferre poteſt, quia patronus Eccleſiaſticus, indignum præſentando, cadit iure præſentandi pro hac vice, ſicut indignum eligendo, eligendi iure priuantur eligentes, *capit. cum in cunctis de elect. & el. poteſt.* nec eam dignioris nominatione emendare poteſt, quia variare non poteſt, quod aliter obſeruatur in patrono laico, qui digniorem ſubrogare poteſt, vt aliàs probauimus *ad verba definitionis cum ſuo reditu capit. 4. de onerib. & immun. Eccleſ. §. 7.*

23. Nec tantum nominatio, ſiue præſentatio habita, manus ordinarij alligat, ſed & ſummi Pontificis, ſi modo aures ordinarij tetigerit, hoc eſt ei intimata fuerit perſonaliter, nec enim rebus integris non amplius exſtantibus, vllus præuentionibus Apoſtolicis locus datur, ſed tota & plena inſtituendi poteſtas remanet penes ordinarium, cuius collatio ſuum omnino ſortitur effectum, vt pluribus probauimus ſupra *ad verba definitionis noſtræ beneficiaria inſtitutione §. 10. de collationibus Pontificiis iure concurſus vel præuentionis.*

Digitized by Google

§. OCTAVVS.

Quid collationes Canonicas efficiat.

1. *Collationis nomen generale, & varias ſpecies continet.*
2. *Collatio nomen iuris, quod generis, & ſpeciei locum tenet.*
3. *Generales inſtitutionum conditiones proponuntur.*
4. *Illæ conditiones accommodantur collationi ſpecialiter ſumptæ, quæ & definitur.*
5. *Eduntur generales illæ conditiones ex definitione.*
6. *Tres conditiones proponuntur, quæ canonicam collationem efficiant.*
7. *Conferentis poteſtas expoſita, & remiſſa* ad verba inſtitutione.
8. *Capacitas, & ſufficientia collatarij, remiſſa* ad verba idoneo.
9. *Collationis forma, remittenda ad ſingulares ſpecialium collationum tractatus.*
10. *Variæ collationum ſpecies proponuntur.*

1. COllationis nomen, quamquam inter ſpecies canonicæ inſtitutionis reputetur, vt notat *gloſſa capit. auctoritate 4. in verbo inſtituat. v. de inſtit. & capit. cum ex iniuncto de hæret.* tamen & illud generale eſt, & ad omnes inſtitutionum ſpecies extenſum, vt notat *Abbas Panormitanus ad capit. ex frequentibus de inſtit. num. 6.*

2. Eſt enim collationis nomen, vnum ex illis iuris canonici vocabulis, quæ & generis, & ſpeciei nomen obtinent, quaſcumque igitur diximus generales eſſe inſtitutionum conditiones, & qualitates, in principio huius capitis, eædem & collationibus accommodantur, imo & collationi ſpecialiter ſumptæ conueniunt.

3. Verum enim quod ibidem probauimus, inſtitutiones generaliter ſumptas, debere eſſe liberas, actus puros, certos, nec alternatiuos, nullo tempore, pacto, aut conditione ſuſpenſos, publicos, nec clandeſtinos, ex integro, & ſine vlla diminutione factos, gratis, & abſque vlla mercedis pactione, & intra legitimum, & canonicum tempus peragi debere, nec protrahi.

4. Illud equidem ſpecialius accommodatum habemus, collationi peculiarem collationis ſpeciem conſtituenti, de qua nunc agendum habemus, vt patet ex definitione quam præmiſimus in ſuperiori capite, vbi diximus *collationem eſſe liberam quamdam, & gratuitam, beneficij vacantis, ab habente poteſtatem, idoneo clerico, legitime factam aſſignationem.*

5. Namque ex huius definitionis verbis, generales illæ omnes, quas inſtitutioni canonicæ accommodauimus conditiones, & qualitates, eamque in ſpeciali forma conſtituere dicuntur, & collationis ſpecialiter ſumptæ formam conſtituunt, eamque canonicam pariter efficiunt, quod & ibidem probauimus.

6. Sed & præter illas, aliæ inſuper addendæ, quæ ex eadem definitione eliciuntur, quæque in tribus potiſſimum conſiſtunt, ſcilicet poteſtate conferentis, ſufficientia, & capacitate collatarij, & forma ſacris canonibus præſcripta, quæ ſingula his definitionis verbis proponuntur, *ab habente poteſtatem, idoneo Clerico, legitime facta aſſignatio.*

7. Quantum igitur ad conferentis poteſtatem, de ea copioſius egimus in ſuperiori capite *ad verba inſtitutione*, dum illam conferendi poteſtatem, variis perſonis competentem expoſuimus, ac primum ſummo Pontifici, Legato de latere miſſo, ordinariis, vt puta Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis, Abbatibus, Plebanis, & aliis, ac demum Regi noſtro Chriſtianiſſimo.

8. Sed & ſufficientia, & capacitas collatarij, abunde à nobis diſcuſſa, & propoſita *ad verba definitionis noſtra beneficiaria idoneo*, vbi omnes aptitudines, & capacitates, ordinandis, vel beneficiis Eccleſiaſticis donandis neceſſarias, late percurrimus, vt nihil hic amplius deſiderari poſſit.

9. Supereſt igitur explicanda, ſola forma collationi canonicæ addenda, vt talis efficiatur, ſed cum ea varia ſit, pro variis conferentium perſonis, & diuerſis ordinibus, variaſ-

que, & multiplices ſpecies conſtituat, ad ſingulas deueniendum, vt forma neceſſaria in ſingulis ſpeciebus commodius perquiratur.

10. Sed enim vt ſuprà diximus, collationis vocabulum, quamquam ſpeciale ſit, & inſtitutionis canonicæ ſpeciem conſtituat, & illud tamen generale eſt, pluresque ſpecies, ſuo generi ſubmiſſas agnoſcit, quæ inter ſe omnino differunt, & diuerſis regulis gubernantur, puta Pontificiæ, Legatorum ſummi Pontificis, ordinariæ, & Regiæ, quæ ſingulæ diuerſas formas exhibent, & ſeparatas ſpecies componunt.

---

§. NONVS.

De Pontificiis collationibus ad Canonicam formam reducendis, & primum vacantium in Curia beneficiorum.

1. *Tres ſpecies collationum Pontificiarum proponuntur.*
2. *Prima vacantium in Curia beneficiorum.*
3. *Collationis vacantium in Curia beneficiorum fauor.*
4. *Quibus caſibus beneficia in Curia vacare intelligantur.*
5. *Ius concordatorum, vacationem in Curia in maioribus beneficiis coarctauit.*
6. *In illis ſola morte adueniens vacatio, locum facit collationi.*
7. *Iure nouiſſimo, maiora beneficia non cenſentur vacare in Curia.*
8. *Iuri patronatus laici beneficia, non vacant in Curia.*
9. *Beneficia vacantia tempore Regaliæ apertæ, non cenſentur vacare in Curia.*
10. *Collationi beneficiorum in Curia vacantium, ab initio nullum tempus additum.*
11. *Hodie intra menſem vacationis, conferre debet ſummus Pontifex.*
12. *Iure concordatorum, in collatione maiorum beneficiorum in Curia vacantium, nullum tempus additum.*
13. *Ratio huius diſpoſitionis, & vt ceſſet ceſſante ratione.*
14. *Collatio vacantis in Curia beneficij, ſummo Pontifici reſeruanda, ſi ſede vacante contigerit.*
15. *Menſtruum tempus collationi datum, non currit niſi ab inauguratione noui Pontificis.*
16. *Collatio beneficij in Curia vacantis ab ordinario facta, nulla eſt.*
17. *An illa collatio, non conferente intra menſem ſummo Pontifice, conualeſcat.*
18. *Probatur collationem ordinarij conualeſcere.*
19. *Collatio ſummi Pontificis beneficij in Curia vacantis, indiget ſpeciali nota.*
20. *Collatio ordinarij, beneficij in Curia vacantis præueniens, impedit collationem Pontificiam, niſi ſpecialis iuris mentionem habeat.*
21. *Probatur ſpecialia indigere ſpeciali nota.*

1. COllationum Pontificiarum plures ſunt ſpecies, vt ſuprà diximus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ inſtitutione* §. 8. *& ſequentibus*, cum enim probauerimus ſummum Pontificem, dum confert omnia chriſtiani orbis beneficia, triplicis iuris ſibi competentis exercere facultatem, proprij ſcilicet; & ſpecialis communis vniuerſalis & ordinarij; ſupremi ſiue deuoluti, tot ſunt Pontificiarum collationum ſpecies, quot ſunt conferendi modi, quarum ea eſt conditio, vt cuique ſua forma ſpecialis, & propria ſit accommadata.

2. Primum igitur ſummus Pontifex, iure ſpeciali, & proprio, nec alteri indiſcrete communicando, confert beneficia in Curia vacantia, vt ſuprà oſtendimus *ad verba definitionis inſtitutione* §. 9. & probauimus *ex capit. licet, capit. ſtatutum, capit. præſenti, & capit. ſi Apoſtolica*

Digitized by Google

Apoſtolica de præb. in 6. de quo conferendi modo adeundus ſpecialis tractatus *Ioannis Lupi Palacios Ruuios Hiſpani de beneſic. in cur. vac.*

3. Huius autem collationis Pontificiæ, ſpecialis fauor, & priuilegium in eo eſt, vt in ea exercenda ſummus Pontifex, nullius ordinarij aut concurſum, aut præuentionem patiatur, *d. cap.* 2. quamuis in iis, quæ iure communi, vniuerſali, & ordinario procedere ſolent, cæterorum omnium collatorum concurſum, & præuentionem patiatur, vt mox, & in ſequenti §. probaturi ſumus.

4. Verum vt huic collationi Pontificiæ locus detur, & ad ſuum effectum perducatur, plura obſeruanda ſunt, & in primis, vt beneficia in curia vacauerint, quod multis modis contingere poteſt, vt docet *Probus in addit. ad gloſſam Ioann. Monachi in capit. licet de præb. in 6. num.* 21. puta morte, reſignatione, & aliis, quos ibidem enumerat *Probus, idemque Lupus in d. tractatu.*

5. Sed tamen illi omnes vacandi modi, non ſeruantur in concordatis Bononienſibus circa maiora beneficia, & prælaturas conferendas, quamuis ibi ſtatutum habeatur, ſummum Pontificem Abbatias, Prioratus conuentuales, Epiſcopatus, & alia maiora beneficia, ſiue maioris conſiſtorij dicta, libere, & abſque vlla Regis noſtri Chriſtianiſſimi nominatione conferre.

6. Namque vt ibidem notat *Rebuffus in tit. de Regia ad Præl. nominat* § 1. *in verbo obitum* ſolus caſus vacationis morte aduenientis comprehenditur, quæ vel in curia Romana, id eſt in ea vrbe, in qua ſummus Pontifex ſedem figit, vel intra duas dietas, debet contingere *d. capit. præſenti de præb. in 6.*

7. Verum nec illud diu obſeruauit Gallicana Eccleſia, cum ius eſſet inconſulto, & feſtinantius ſummo Pontifici conceſſum, & contra communes iuris canonici regulas, ex quibus, cum & illud pateat manifeſtius, electiua beneficia, vacationi in curia non ſubiacere, ſed tantum collatiua, nec ipſa Bononienſis conuentio illud immutare potuit, vel ſummo Pontifici ita reſeruare, vt nominationem Regiam electionibus ſubrogatam, in hoc vacandi genere excluderet, quod & ſæpius ſuis decretis confirmauit ſenatus Pariſienſis, vt ſuprà adnotauimus *ad hæc definitionis noſtræ verba conceſſa* §. 2. *qua forma fieri debeat nominatio Regia ad Prælaturas.*

8. Nec tamen cætera omnia collatiua beneficia, huic reſeruationi, vel collationi Pontificiæ ſubiacent, nec enim illi ſubiiciuntur, quæ iuri patronatus laici ſubſunt, cum illud in patrimonio laicorum quodammodo conſiſtens, reſeruationibus Apoſtolicis interuenientibus, nullam diminutionem pati poſſit, aut debeat, nec ſummus Pontifex, in meſſem alienam falcem immittere, quod & apud Hiſpanos obſeruari docet, *d. tractatus Ioannis Lupi, Palacios Ruuios de beneficiis in curia vacantibus.*

9. Et ex ſimili fere ratione natum eſt, vt beneficia iure Regaliæ vacantia, ab ea collatione, & vacandi genere ſubtrahantur, tum vero propterea quod vt ſuprà diximus, Regalia omni iure canonico antiquior, illius iuris regulis regi, & gubernari non ſoleat, vt circa vtramque beneficiorum præmiſſorum ſpeciem, pluribus probat idem *Probus in addit. ad gloſſam Ioann. Monachi in capit. licet* 2. *de præb. in 6 num.* 1. & 2.

10. Secundò obſeruandum eſt, ab initio hanc conferendi poteſtatem, ſummo Pontifici competentem, nullo tempore claudi ſolitam, aut terminari, ſicut quælibet alia Pontificia beneficiorum diſpenſatio, *capit. licet de præb. in 6.* & tamen quia hæc collatio, ordinariorum libertati obſtabat, & beneficiorum vacationem diutius protrahebat, certas, inducias datas fuiſſe, in aperto habemus.

11. Namque hodiè conſtat, ne ex diuturniori vacatione, ſalus animarum grauius diſpendium pateretur, certos peragendæ collationis terminos, ſibimet ipſis 'ediſſe ſummos Pontifices, in *capit. ſtatutum* 3. *de præb. in 6.* intra quos ſi habita non fuiſſet collatio, beneficia liberæ ordinariorum diſpoſitioni reddebantur, ille autem conferendi terminus, vnius menſis ſpatio claudebatur, in *d. capit. ſtatutum.*

12. Et illud tamen priſtini erroris ductu, & impulſu, obſeruatum non fuerat in concordatis, in diſpenſatione maiorum beneficiorum in curia vacantium, namque conuentum ſummum Pontificem, libere conferre poſſe, nec exſpectata Regis nominatione, nec vllo collationi habendæ tempore præſtituto, intra quod conferre deberet, ita vt vere dici poſſit, damnum Regiæ nominationi illatum, aliud longe peius induxiſſe, nempe diuturniorem vacationem, & viduitatem longius protractam.

13. Verum enim cum eam conferendi libertatem vacantis in curia beneficii maioris, ad ſolum caſum vacationis morte contingentis, coarctatam fuiſſe, contra communem huius collationis obſeruationem, dolerent, & quodammodo quererentur ſummi Pontifices,

Digitized by Google

quam perdidiſſe in vno caſu libertatem crediderant, in altero recuperare conati ſunt, ſed tamen nec illud apud nos inualuit, vt mox probauimus, nominationis Regiæ, etiam in eo vacandi genere, neceſſitate vtique ſeruata.

14. Hæc autem conferendi ratio ita eſt ſpecialis, & propria ſummo Pontifici, vt ſi vacante ſede Apoſtolica, vacatio in curia contigerit, remittatur collatio, & reſeruari debeat futuro ſucceſſori, ſicut quælibet alia collatio libera, nec neceſſaria, futuro Epiſcopo *cap. illa deuotionis ne ſede vac. aliquid innou. Clement. ne Romani de elect. & elect. poteſt.* illudque omnimodo ſeruatur, ne collationis commodo allecti Cardinales, electionem protraherent.

15. Sed & illud adeo verum eſt, vt menſis, huic collationi exequendæ præfinitus, eo caſu non currat, niſi à die, quo nouus ſucceſſor inauguratus fuiſſet, niſi Eccleſiæ parochialis vacatio contigiſſet, tunc enim, ne diutius prolata vacatio, grauius diſpendium ſaluti animarum inferat, collatio vlterius differri non debet ab ordinario, ſtatim ab elapſo tempore peragenda, *d. cap. ſi Apoſtolica de preb. in 6.*

16. Tertio & illud adnotandum eſt, ſummos Pontifices, huius conferendi poteſtatis, & vſus ita æmulos fuiſſe, & ſtudioſos obſeruatores, vt quidquid in contrarium, & damnum ab ordinario attentaretur, illud irritum, & inane declararent, *d. capit. licet de preb. in 6.* non minus quam in collationibus iure deuoluto peractis, de quibus infrà dicemus.

17. Et inde, interpretes iuris canonici, ad illud capit. quæſierunt, an collatio vacantis in curia beneficij, ab ordinario habita intra menſem ſummo Pontifici ſtatutum, ſaltem conualeſceret, ſummo Pontifice intra illud tempus non conferente, ita *Philipp. Francus ad d. capit. licet de preb. in 6. Probus in addit. ad Ioann. Monach. ad d. capit. licet*, & è pluribus aliis, *d. Ioann. Lupus Palacios Ruuios in libello de beneficiis in curia vacantibus.*

18. Sed enim poſt varias in vtramque partem diſputationes habitas, illi omnes concludunt, confirmari collationem ordinarij, exemplo deſumpto, & ratione, ab eiuſdem ordinarij collatione, in præiudicium patroni, intra tempus, quod patroni præſentationi præfinitum eſt peracta, quam patrono non conquerente, & intra debitum tempus non præſentante, confirmari diximus, ex *Carolo Molinæo ad reg. de infirm. reſign. num. 60. & 61. & pluribus aliis.*

19. Quarto aduertendum eſt, hanc collationis formam, ita eſſe ſummo Pontifici, & ſedi Apoſtolicæ propriam, atque etiam ſpeciali iure ſubnixam, vt collationi eo iure firmatæ, ſpecialis nota adeſſe debeat, hoc eſt, mentio habita, vacationis in Curia contingentis, in ipſis litteris Pontificiis, ſiue prouiſionibus beneficij in Curia vacantis.

20. Namque alias, ordinarij collatio præueniens, ſummi Pontificis collationem, licet beneficij in Curia vacantis, & intra præfinitum tempus, impediret, ſi ſpeciali nota non firmaretur, vt pluribus tractat idem *Probus in addit. ad gloſſam Ioann. Monachi in capit. licet de preb. in 6.* quaſi iure ordinario peracta haberetur, præuentioni, & ordinariorum concurſui ſubmiſſa.

21. Cum enim in d. capit. Clemens III. ſiue IV. beneficiorum in Curia vacantium collationem, ſpecialius cæteris, antiquam conſuetudinem, Romanis Pontificibus reſeruaſſe teſtetur, conſtat ea quæ ſpecialia ſunt, ſpeciali nota indigere, vt de collationibus habitis ab eminentiſſimis Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ patribus, & indultorum fauore ſubnixis vulgo obſeruatur, & aliis iure ſpeciali, & extraordinario conferentibus.

---

§. DECIMVS.

De collationibus Pontificiis iure concurſus, vel præuentionis, Canonicæ formæ reddendis.

1. *Alia conferendi ratio ſummo Pontifici competens iure concurſus, & præuentionis.*
2. *Præuentio Pontificia, non niſi rebus integris, locum habere poteſt.*
3. *Rationes, quibus ſuſtinentur præuentiones Apoſtolicæ, rebus integris.*
4. *Quando res integræ dicantur, vel non.*

Digitized by Google

5. *Quibus rationibus improbandæ præuentiones Apoſtolicæ.*
6. *Summi Pontifices, præuentionum Apoſtolicarum liberiorem vſum, ipſimet cohibuerunt.*
7. *Reſignationibus in fauorem fræni dati, per duas Cancellariæ Romanæ regulas.*
8. *Tres regulæ Cancellariæ Romanæ, præuentionum vſum coarctauerunt.*
9. *Quid regula de 20. diebus, & eius diſpoſitio explicatur.*
10. *Remiſsio amplioris notionis huius regulæ ad commentarios.*
11. *An regula de 20. diebus, locum habeat in ordinario.*
12. *Probatur ex Molinæo in ordinario locum non habere.*
13. *Renouatio huius quæſtionis temporibus Dionyſij Butillerij, & deciſio.*
14. *Quæritur an ſummus Pontifex derogare poſsit huic regulæ.*
15. *Vbi permutatio in fraudem exſpectantium habita, locus non eſt derogationi.*
16. *Explicatio, & reſtrictio facta huius quæſtionis.*
17. *Summus Pontifex huic regulæ, in fraudem indulti Cardinalium, derogare non poteſt.*
18. *Probatur auctoritate, & ratione ex compactorum fauore.*
19. *Tentatur in cæteris ordinariis & indultariis, locum eſſe derogationi.*
20. *Probatur decreto Curiæ Pariſienſis.*
21. *Derogatio regulæ de 20. diebus in ſtilum tranſiit.*
22. *Quid regula de publicandis reſignationibus, & quæ eius diſpoſitio.*
23. *Cenſura, & nota Caroli Molinæi, in textum regulæ, quænam ſint.*
24. *Exponuntur quatuor conditiones neceſſariæ vt locus fiat regulæ.*
25. *Viuo reſignante quocumque tempore publicari poteſt reſignatio.*
26. *Aliud ius inductum nouiſsimis edictis.*
27. *Duæ ſuperiores regulæ, ad eumdem finem tendunt.*
28. *Vtraque regula, nouam formam collationibus Pontificiis addidit.*
29. *Quæ differentia vtriuſque regulæ, & vt petendæ ex Molinæo.*
30. *Regula de publicandis, locum habet in ordinario.*
31. *Summus Pontifex regulę de publicandis derogare non poteſt.*
32. *Regula de veriſimili notitia alia eſt, quæ Pontificis collationibus remoram iniecit.*
33. *Quid hæc regula, & quænam eius diſpoſitio.*
34. *Regula de veriſimili, pars eſt regulæ de impetrantibus beneficia viuentium.*
35. *Regula de veriſimili, in ſola vacatione morte contingente locum habet.*
36. *Probatur locum non habere in reſignationibus in fauorem.*
37. *Regula de veriſimili, conuenit cum præcedenti, quod vtraque locum habet in ordinario.*
38. *Et in eo, quod vtrique ſummus Pontifex derogare non poteſt.*
39. *Fraus facta huic regulæ per reſignationes in fauorem.*
40. *Clauſulæ* aut alias aut alio quouis modo, *vis & poteſtas.*
41. *Vbi mortis cauſa concurrit cum reſignatione, non eſt locus regulæ, & quare.*
42. *Molinæus refellere tentat ſuperiorem ſententiam, & reſtringit.*
43. *Refellitur ſententia Molinæi, & reſtrictio data reſignationi.*
44. *Licet præcurrere Romam ex capite deuoluti.*
45. *Probatur decreto Curiæ vis clauſulæ* quouis modo.
46. *Vtrum ordinarius collator vti poſsit prędicta clauſula.*

1. EST & altera conferendi facultas, ſummo Pontifici competens, quam ex iure communi, vniuerſali, & ordinario, deſcendere diximus, quòd eo iure, in conferendis beneficiis concurrat, cum omnibus collatoribus ordinariis, & tanquam ordinarius ordi-

Digitized by Google

nariorum conferat omnia, & ſingula beneficia totius orbis Chriſtiani, *can. cuncta per mundum 9. quaſt 3.*

2. Et certè ad eam conferendi poteſtatem obſeruandum illud eſt, quod neceſſarium ſit, vt ſuum ſortiatur effectum, & canonicæ inſtitutionis formam induat, nempe rebus integris, nec-dum ab ordinario collatore incæpto negotio, collationem peragi debere, ſi enim canonicæ inſtitutionis fines, vel leuiſſime attigerit, quamuis ad exitum non perduxerit, tamen rebus integris non amplius exſtantibus, Pontificię collationi nullus locus dabitur.

3. Verum enim cum ſummo iure, poteſtas conferendi communis ſit inter ſummum Pontifiem, & collatorem ordinarium, per alterutrius occupationem, ſiue præuentionem, occupanti addicitur, & firmatur pro hac vice collatio, præuenienti in ſolidum adquiſita, vt paſſim de rebus communibus per occupationem adquiſitus, iactant iuris ciuilis interpretes, *in tit. inſtit. de rer. diuiſione in principio.*

4. Sed enim ſi in collatione beneficij, nominationi patroni ſubiacentis, litteras præſentationis emiſerit patronus, eæque aures ordinarij pulſauerint, id eſt ipſi exhibitæ fuerint, quamuis canonica inſtitutio non interuenerit, ea diligentia ſufficit, vt Apoſtolicæ præuentioni locus occludatur, quod & aliis exemplis iuris canonici, & ſenatus Pariſienſis præiudiciis alias probauimus, *ad verba definitionis inſtitutione §. decimo ex D. Louetio, & ſcholiaſte litt. P num. 25. & 43.*

5. Et quamuis in eo conferendi genere ſummus Pontifex, ordinarij perſonam exhibeat, tamen Pontificiæ collationes, eo ſunt grauiore odio proſequendæ, quod liberam conferendi poteſtatem, ordinariis iure naturali competentem, & adquiſitam præripiant, & ignotos, incapaces, & indignos, Eccleſiaſticis adminiſtrationibus obtrudant, quorum vitia facilius ſummo Pontifici obteguntur, quam ordinariis collatoribus, quibus omnia patent, & in aperto ſunt.

6. Et ex eo eſt, vt nimia illa, & laxior conferendi poteſtas, certis regulis cohibita fuerit, quarum obices ſibimet ipſis ſummi Pontifices innectunt, clades & damna edocti, quæ liberiores Pontificiæ collationes per præuentionem, Eccleſiæ inferrent, per varias ea de re Eccleſiæ Gallicanæ, ſummis Pontificibus exhibitas querelas, per oratores Regios, quæ exſtant paſſim & vbique in *collectione probat. ad Eccleſ. Gall. libert.*

7. Verum enim cum reſignationis in fauorem, & in curia Romana crebrior, & quotidianus vſus, plura hæc damna potiſſimum inferret, reſignationibus huiuſmodi, & gratioſis ciurationibus fræni dati ſunt, per duas regulas in Cancellaria Romana editas, & in hoc regno receptas, nec-non Pariſienſis curiæ ſcriniis demandatas, quas hodiè leges regni, ſiue patrias fecimus.

8. Et quidem illarum prima eſt, quæ 18. habetur regularum Cancellariæ Romanæ, & de infirmis & 20. diebus appellatur, altera quæ numero 34. de publicandis reſignationibus dicitur, quibus & licet addere tertiam, quæ & Pontificiarum collationum per præuentionem vſum cohibuit, quæ de veriſſimili notitia nomen habet, eſtque 28. inter regulas Cancellariæ Romanæ, & illæ tres regulæ, collationibus Pontificiis formam dare debuerunt in hoc regno, in quo omnium ordinum conſenſu probatæ ſunt.

9. Eſt autem regula de infirmis reſignantibus, ſiue de 20. diebus, Cancellariæ Romanæ diſpoſitio, qua placuit, reſignationes ab infirmis habitas in curia Romana, ſiue in fauorem, ſiue ex cauſa permutationis, ſiue ſimplices, ſiue ex quacumque alia cauſa, non aliter vires obtinere, quam ſi reſignans, vltra 20. dies, à die præſtiti conſenſus numerandos deceſſiſſet, ad eo vt, reſignante infrà 20. dies decedente, nullius roboris, & momenti haberetur reſignatio, & ita diſpoſitio beneficij, tanquam vacantis morte vltimi poſſeſſoris, ordinariæ collationi redderetur.

10. Sed & cum huius regulæ natura, & prouiſio, ex præmiſſis ſatis ſuperque pateant, non erit plura addere, maxime, cum antiquitati ſtudentibus, paſſim occurrant plures commentarij ad eamdem regulam editi, tum ab Anonimo gloſſatore vulgo dicto, vel vt dicitur à *Ioanne Achokier*, qui eidem notas addidit *Alphonſo Soto Hiſpano, Ludouico Gomeſio, Rebuffo, Carolo Molinao*, & pluribus aliis, ex quibus, regulæ originem, progreſſum, & vltimum complementum, addiſcere poterunt ſtudioſiores.

11. Verum cum ex ſuperioribus pateat, prædictam regulam, in fauorem collatorum ordinariorum inductam fuiſſe, quorum conferendi libertas, per huiuſmodi reſignationem, ipſis inuiam, nimium arctabatur, adeo vt, vix collationi ordinariæ locus daretur, inde quæſitum eſt à pluribus, an ordinarius huius regulę obſeruationi teneretur, in demiſſionibus coram eo habitis, vel ſimplicibus, vel ex cauſa permutationis.

12. Sed & hanc quæſtionem, cum vltro citroque agitatam in foro referat *Carolus*

Digitized by Google

Molinæus ad regulam de infirmis reſignantibus num. 30. *& ſequ.* tandem ei opinioni adhæret, & ſententiæ, in collationibus ordinariorum, nequaquam ſeruari prædictam regulam de 20. diebus, quamuis etiam ex cauſa neceſſariæ permutationis habitis, multo minus in demiſſionibus liberis, & voluntariis.

13. Nec-non renouatam eamdem quæſtionem ſuis temporibus varie exagitat *Dionyſius Butillerus*, rei Sacerdotalis, & beneficiariæ patronus peritiſſimus, in animaduerſionibus contra *Adrianum Behotium* Archidiaconum Rothomagenſem, ſed tamen ei videtur magis ſubſcribere ſententiæ, vt in quacumque collatione ordinaria locum non habeat, quam & tandem vterque probat, tum ſenatus Pariſienſis, tum Magni Conſilij pluribus decretis à *D. Louetio relatis in litt. I, num.* 5. *& litt. P, n.* 42. quibus & alia plura addit ſcholiaſtes.

14. Sed cum inductum per regulam Cancellariæ Romanæ remedium, derogationibus interpoſitis, nullum & inane reddere conarentur ſummi Pontifices, quæſitum eſt, vtrum ſummo Pontifici, huic regulæ derogare, eiuſque veniam facere liceret, & tandem communi ſententia, & calculo concluſum, & definitum eſt, & eius diſpoſitioni derogare poſſe, etiam in præiudicium graduatorum, & indultariorum Curiæ Pariſienſis, quod & iiſdem decretis Curiæ Pariſienſis, & Magni Conſilij confirmatum eſt.

15. Nec vero illud obſeruatur, vbi agitur de permutatione beneficiorum, in fraudem exſpectantium, indultariorum ſcilicet, vel graduatorum habita, tempore ipſis affecto, vel viciniori, cum enim poſt impletas, & firmatas concordatorum, & indultorum conditiones, Regia ſimul & Pontificia auctoritate accedente, vacantia beneficia ipſis debeantur exſpectantibus, ſi permutatione tranſmittantur in quoſlibet alios, dicuntur quodammodo in fraudem alienata, ideoque reuocanda, vt iiſdem addicantur, vt pluribus tractat idem *Molinæus ad d. regulam de infirm. reſig. num.* 111.

16. Sed & eo caſu locus ſit ordinariæ collationi, non tam ex vi regulæ de infirmis derogatione ſpreta, quam ex ipſius permutationis defectu, quę nulla dicitur, vt colligere eſt ex variis circumſtantiis fraudis, & fallaciæ, in necem & præiudicium exſpectantium peractæ, vt ibidem notat Molinæus, vnde firma remanet præmiſſa concluſio, ſummum Pontificem prædictæ regulæ vbique derogare poſſe.

17. Sed tamen dubitatum, an in fraudem, & præiudicium Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, indultorum fauori innitentium, quibus ordinaria conferendi poteſtas firmata eſt, derogare poſſet, de quibus ſuprà diximus *ad verba inſtitutione* § 10. ſed cum ſummum Pontificem indultorum obſeruationi, ex compacto cum Paulo IV. ſummo Pontifice in conclaui habito, & ab eodem ſub ipſa electione, & intronisatione iurato, obligatum referat Carolus Molinæus, rectè & illud concludit, eo caſu derogare non poſſe, *ad reg. de infirm. reſign num.* 165. *& pleriſque aliis.*

18. Namque ex compactis, & contractibus, ita obligantur ſummi Pontifices, vt eamdem cum cæteris legem patiantur, nulla diſpenſationis gratia ſolubilem, quæ aduerſus ea, quæ facti ſunt, & naturalia, vires ſuas obtinere non poteſt, vt de concordatis Bononienſibus aliàs probauimus, & generaliter confirmat, in quibuſcumque compactis, & contractibus, *Ioann. Dayma in comment. ad concord. de elect. & reg. ad prel. nom. fol.* 245. *col.* 2. *& ſeq.* vt de Regibus, & Imperatoribus ibidem, licet vinculo legum ſoluti dicantur, in *lege princeps dig. de leg.*

19. Verum extra hunc caſum, & fauorem Cardinalium, ſi cui alteri collatori ordinario, indultum pontificium conceſſum habeatur, conſtat, cum in generali compacto non includatur, ſummum Pontificem derogare poſſe, quia huicce indultario, & ordinarię iuriſdictioni ipſi competenti tuendæ, non alias obligatur ſummus Pontifex, quam ex iure communi, vel ſaltem ſpeciali indulto, quod in ſui necem, & præiudicium, conceſſiſſe non præſumitur ſummus Pontifex, nec eidem tantam poteſtatem tribuiſſe, quin ſibi maiorem retinuerit *capit. dudum de preb. in* 6.

20. Sed & illud nouiſſimis hiſce diebus decreuit ſenatus Pariſienſis die 20. Iunij anni 1651. perorantibus *Petro Couſturier pro Hilario Moriceau* collatatio Epiſcopi Cœnomanenſis, ad præſentationem Epiſcopi Pictauenſis, Abbatis de Cultura, nec-non patroni parochialis Eccleſiæ *de Boiſe, & de la Suze*, eidem annexæ, & indulto Pontificio in ſenatu Pariſienſi approbato gaudentis, *Gabriele le Mazier pro Remigio Forgetio*, reſignatario vltimi & immediati poſſeſſoris, cum derogatione regulę 20. dierum, nec-non *Hieronimo Bignonio* partes regias implente, qui reſignationi, & derogationi tuendæ adhæſit, quod & pariter ſenatus decreto probauit, quod vtique firmat regulam in cæteris caſibus non exceptis.

21. Verum & illud ex præmiſſis patet, derogatione ſemel admiſſa, præuentionum Apoſtolicarum liberiorem vſum permanſiſſe, vix eſt enim, vt infirmi reſignationes admit-

Digitized by Google

tant ſummi Pontifices, quin prędictę regulę in ipſiſmet litteris prouiſionum derogent, & ſtatutis Cancellariæ Romanæ, ſaltem vbi agitur de eius reſignatione, qui vltra montes degit, quod in ſtilum communem, & ordinarium Cancellariæ Romanæ tranſiit adeo vt ſi omiſſa fuiſſet, ſupleatur vtique, & pro exprĕſſa habeatur, cum ſit moris & conſuetudinis.

22. Eſt & altera Romanæ Cancellariæ regula, quæ reſignationum, ſiue demiſſionum laxiorem vſum cohibuit, quæ de publicandis reſignationibus appellatur, cuius decreto ſanxere Romani Pontifices, reſignationem in fauorem, & in Curia Romana habitam, & admiſſam, vel eiurationem ſimplicem, in manibus ordinarij, non alias valere, aut ſuum ſortiri effectum, reſignante decedente in poſſeſſione beneficij, extra tempus ſemeſtre, quam ſi infrà ſex menſes in Curia, & menſem in reſignationibus extra Curiam admiſſis, collationis publicatio admiſſa fuiſſet, & poſſeſſio realis vel accepta, vel ſaltem petita ab iis, quos contingebat.

23. Et inde natum, quod *Carolus Molinaus ad regul. de public. reſign. quaeſt. 1. & quaeſt. 7. num. 71.* alternatiua quam Paulus III. ſummus Pontifex in textum regulæ immiſerat, penitus eraſa, quam & ipſe *Rebuffus in gloſſa ad d. regulam*, à ſcriniis ſupremę Curię, quibus & demandata eſt, abeſſe teſtatur, quatuor conditionum, copulatiue exiſtentium vnionem, & concurſum omnino requirit, vt locus detur huic regulæ de public. reſign.

24. Sunt autem illæ conditiones, quæ prædictæ regulæ locum faciunt, nempe collationis, ſiue reſignationis admiſſæ publicatio, petitio poſſeſſionis vel aditio, deceſſus reſignantis extra ſex menſes, ſed & is deceſſus eſſe debuit, exiſtentis in poſſeſſione beneficij, quarum vel vna deficiente, locus non ſit amplius huic regulæ, & reſignatio ſuum omnimodo ſortiatur effectum.

25. Et quamuis prima pars regulæ, publicationem reſignationis, & petitionem poſſeſſionis, infrà ſex menſes fieri deſideraret, tamen & illud ex ſecunda parte concluſum habemus, & in forenſem vſum inductum, viuo adhuc reſignante, & in poſſeſſione beneficii exiſtente, quolibet tempore publicationem haberi poſſe, vt notat *Rebuff. in gloſſa ad dictam regulam & Molinæus, ibidem quaeſt. 3 num. 23.*

26. Verum illud paululum immutatum habemus, nouiſſimis edictis Regiis de inſinuandis, & contrarotulandis beneficiariis inſtrumentis, namque art. 20. edicti contrarotulationis, & 14. edicti inſinuationum Eccleſiaſticarum, ſtatutum agnoſcimus, reſignatarios in fauorem intra triennium, viuente adhuc reſignante, poſſeſſionem adire debere, ita vt, ſi vlterius differant poſſeſſionis ingreſſum, nullius roboris habeatur reſignatio, quamuis valente adhuc, nec infirmante reſignante poſſeſſio quæſita fuiſſet.

27. Nunc igitur, ex præmiſſis colligi poteſt, quam conformia ſunt, huius regulæ, & præcedentis, quæſita remedia, in eo ſcilicet, vt ad eumdem finem tendant, vt reſignatione excluſa, mortis vacationi locum præſtent, qui modus vacandi longe acceptior eſt cæteris omnibus, cum ab omni ſucceſſionis hereditariæ, aut nundinationis ſuſpitione plane ſemotus habeatur.

28. Sed & in eo maxime conueniunt, quod licet poſt admiſſionem reſignationis, ipſa collatione ſequuta, canonicam dixerimus inſtitutionem omnino induei, vtraque tamen regula, nouam formam collationibus ſuperaddidit, æque neceſſariam, cuius defectus, ita formã inficit, vt amplius canonica non dicatur inſtitutio, ſed informis habeatur, & inualida.

29. Quamuis autem in eo conueniant, quod ad eumdem finem, & ſcopum pariter colliment, vt notat *Molinæus ad regulam de publ. reſign. num. 436.* tamen, vt ibidem obſeruat, in nouem differunt, quæ & ipſe exponit ibidem, & ego breuitatis cauſa omitto, vt duo tantum ex illis ſeligam, quibus hęc materia pręcedenti coniungatur.

30. Primum eſt, quod licet dixerimus, præcedentem regulam de infirmis in ordinario locum non habere, hæc tamen in quibuſcumque reſignationibus, ſiue in Curia, ſiue extra Curiam habitis, vbique ſeruetur, vt patet ex textu eiuſdem regulæ, cuius æquitas vbique, & pariter cuſtodienda, cum vacationes morte contingentes ſimul tueatur, & defendat.

31. Secundum in eo eſt, quod etſi probauerimus, ſummum Pontificem regulæ de infirmis reſignantibus derogare poſſe, tamen huic regulæ de publicandis reſignationibus, nullo modo obeſſe poteſt, vt notat ibidem Molinæus, quod & apud nos æquiſſimo iure ſeruatur, ne beneficiorum hæreditaria ſucceſſio induci videatur, & ſanctuarium domini ſucceſſorio iure poſſideri.

32. Succedit & tertia Cancellariæ Romanæ regula, quæ Pontificiis collationibus, per præuentionem habendis, nouam formam addidit, eiſque quodammodo remoram iniecit: ea autem de veriſimili notitia vulgo appellatur, & 28. inter regulas Cancellariæ Romanæ

Digitized by Google

connumeratur eas ſcilicet, quæ Innocentium VIII. ſummum Pontificem auctorem agnoſcunt, quam tamen & Balthaſari Coſſæ, Ioanni 23. dicto, Carolus Molinæus adſcribit *in comment. ad reg. de veriſſ. notit. num.* 151.

33. Sed enim ea cautum eſt, collationes beneficiorum morte vacantium, nullius fore roboris, aut momenti, niſi ante datam, collatitiis litteris appoſitam, tantum temporis effluxerit, vt ex locis, vbi vacauit morte vltimi poſſeſſoris, & immediati beneficium, deceſſus notitia haberi potuerit, eóque perduci, quò collatio habenda erit.

34. Et inde concludunt interpretes, hanc regulam eſſe quodammodo appendicem, & ſequelam regulæ eiuſdem Cancellariæ Romanæ 20. numero, quæ de impetrantibus beneficia viuentium vulgo appellatur, quos ideo coniungit Carolus Molinæus, iiſdemque notis & commentariis vtramque illuſtrat, vt quæ ſibi inuicem mutuam opem ferant, & maiorem intelligentiam addant.

35. Ex ſuperioribus autem apparet, primùm ea, quæ inter hanc, & præmiſſas duas regulas, occurrit differentia, in eo, quod præcedentes duæ, reſignationibus in fauorem, & Pontificiis collationibus, quibus cauſam dederunt, formam Canonicam præſcripſerint, ea vero de qua nunc agitur, ſolis collationibus mortis cauſa habitis legem dederit.

36. Nec enim ad gratioſas collationes, ſiue in fauorem eorum, quos ſibi reſignantes elegerint emiſſas, extenditur huius regulæ obſeruatio, cum potiſſima ratio, quæ eamdem regulam induxit, votum captandæ mortis alienæ, reſignationibus in fauorem habitis, accommodari non poſſit, quidquid in contrarium tenet *Carolus Molinæus ad reg. de veriſſim. notitia quæſt* 5. *num.* 36. *& ſeq.*

37. Sunt tamen quædam, in quibus conueniat hæc regula, cum præcedenti de public. reſignat, & primùm in eo, quod in collatore ordinario pariter locum habeat, cum ratio eius inductiua, votum captandæ mortis alienæ pariter obſeruari debeat, in collationibus ab ordinario peractis, atque in his, quæ à ſummo Pontifice procedunt, vt pluribus probat *Gomeſius Rebuffus & Molinæus, item anonimus gloſſator ad dictam regulam de veriſ. notit.*

38. Secundum vero in eo, quod ſicut diximus ſummum Pontificem, regulæ de publica reſignat. derogare non poſſe, ita nec huic de regulæ veriſſimili notitia, cum ex iuris naturalis fontibus effluxerit, quod vbique ſeruari debet, & nulla humana diſpoſitione, ſiue diſpenſatione lædi, aut corrumpi poteſt, argumento *legis eas obligationes* 8. *dig. de capit. min.*

39. Verum etſi, huic regulæ derogandi facultas, omnino adempta ſit ſummo Pontifici, nec tamen illius remedium, aut cautela, præuentionum Apoſtolicarum laxiorem vſum cohibere potuit, cum feſtinandi Romam ex capite reſignationis in fauorem, libera ſeſe offerens occaſio, vt ſupra obſeruauimus, nulla veriſimilis notitiæ ratione habita, morientium, æque & infirmorum beneficia, tanquam in fauorem reſignata, à ſummo Pontifice impetrarentur, cum adiectione clauſulæ *aut alias aut alio quouis modo.*

40. Sed enim huius clauſulæ, ea vis erat, & poteſtas, vt ſi præmoriente reſignante, vel infrà 20. dies decedente, collationi in fauorem locus non foret, ſaltem reſignatarius, tanquam morte vacans beneficium conſequeretur, per præuentionem, & anteceſſum iuris, & tituli, quaſi hæc clauſula mortis caſum omiſſum ſuppleat, vt teſtatur *Anonimus gloſſator ad reg. de infirm. num.* 2. *&* 3. *& Ioann. à Chokier in addit. ad eumdem num.* 26. *gloſſa pragm. ſanct. tit. de cauſ.* §. *item quod monaſteria in verbo aut alias quouis modo Molin. ad reg. de publ. reſign. num.* 200. nec tamen interim, obſeruationi regulæ de veriſſimili notitia aſtrictus.

41. Namque cum ſpectato initio, non ex cauſa obitus, ſed ex cauſa reſignationis in fauorem, quæ huic regulę non ſubiacet, profectio, & Romam feſtinatio habita fuiſſet, merito huic regulæ locus non fuit, vt obſeruat *gloſſa pragm. ſanct. tit. de collat.* §. *neque etiam, in verbo faciendas, & ibi Probus in addit. Mathæus Pacus ad tit. de mand. Apoſt. in verbo iure præuentionis.*

42. Verum & illorum omnium, & authorum, & teſtimoniorum auctoritatem & rationes, vtique refellere tentat *Molinæus ad reg. de veriſim. notit. quæſt.* 5. ſed tandem rationum pondere obrutus, non concludit, ſed tranſit ad limitationem reſignationis, vt ſuum tantummodo ſortiri velit effectum, ſi inſtrumentum ea de cauſa confectum, reſignans tradi iuſſerit, Romamque emitti, & tantum à traditione inſtrumenti, ad datam litterarum collatitiarum tempus effluxerit, vt ſeruata veriſimili notitia, inſtrumentum ipſum Romam deferri potuerit.

43. Sed & illud nec credo, omni veritate ſuſtineri, alioquin, & in reſignationibus in

Digitized by Google

fauorem veriſimilis notitiæ obſeruatio ſenſim induceretur, quamuis & in illis, rationem huius regulæ inductiuam, ceſſare dixerimus, nec valet, aut ſpectanda vllatenus venit ea conditio, vel reſtrictio, gratioſæ collationi adiecta à Molinęo, quę mera cauillatio habenda eſt, & reſignationis fauorem omnimodo tolleret.

44. Nec tantum illud obtinuit, reſignationis in fauorem occaſionem, iuſtam præbere cauſam præcurrendi Romam, vt & adhibita pręmiſſa clauſula *quouis modo*, morte vacantia beneficia adſequi liceat, ſed & quamcumque beneficiarii incapacitatem, adeo vt ſi ante emiſſam collationem intitulatus deceſſerit, ea vis ſit clauſulæ, vt etiam morte vacua impetranti addicat, vt & decreuit ſenatus Priſienſis, in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Pariſienſi recitatis, die 31. Martii anni 1653. *Ludouico Dubois* patrocinium præbente *Leonardo de Courti*, deuolutario cum adiectione prædictæ clauſulę, prouocante à Præfecto Pariſienſi. & *Gabriele le Mazier*, *Ioanni Reynaldo*, intimato opem dante, *Hieronimo Bignonio* Aduocato Regio, prouocantis & deuolutarii partibus adhærente, cui prioratus & cura ſancti Martini *de Sarden*, diœceſis Lemouicenſis, plenum poſſeſſorium addictum eſt.

45. Sed vt prędictę clauſulę, ſua vis, & auctoritas omnino addatur, non omittendum, quod nouiſſimis hiſce diebus decreuit ſenatus Pariſienſis, inter diiudicandam litem & controuerſiam, ratione poſſeſſionis Prioratus conuentualis ſancti Benedicti *de Saltu*, in noſtra diœceſi Bituricenſi mota, inter *Georgium Daubuſſon* Archiepiſcopum Ebredunenſem, cui aderat *Angelus de Maſſac*, & *Paulum Huraldum de l'Hoſpital* Abbatem *de Belesbat*, cuius defenſionem ſuſceperat *Petrus Couſturier*, huic enim, ſubmota impetratione ob incapacitatem vltimi poſſeſſoris, ab Archiepiſcopo Ebredunenſi habita, ex ſuffragio *Dioniſij Talai* Aduocati Regii, morte vacans beneficium ſenatus addixit, die 16. Februarii anni 1654. quamuis in Bullis Pontificiis, nulla vacationis morte contingentis mentio habita fuiſſet, ſed generalis tantum clauſulę *quouis modo*, vt vndequaque aſſidentium patronorum conſeſſu patuit manifeſtius, ex recitatione litis.

46. Ex præmiſſis itaque patet, prędictam clauſulam huius eſſe ponderis, & momenti, vt quemcumque vacandi modum includat, & expreſſa trahat tacitum, & omiſſum quemlibet caſum, ex eadem perſona contingentem, vel alterius cuiuslibet, ſi addatur clauſula *vel ex cuiuſcumque perſona*, vnde dubitatum eſt, vtrum ordinarius collator, hac diſponendi formula vti poſſit in reſcriptis collatitiis, ſed tandem obtinuit, & communi calculo comprobatum eſt, nec etiam ordinario collatori, huiuſce clauſulæ vſum denegandum, quod & ſubſequenti §. 13. recte addi poſſit, ex doctrina *Molinæi ad reg. de publ. reſign. num.* 200. 330. *&* 360. *gloſſ. pragm. ſanct. tit. de cauſ.* §. *item quod monaſteria in verba alias quouis modo Rebuff. in tract. nominat. quæſt.* 17. *in fine* quamuis in ſua praxi ſibi contrarius videatur, *in forma collati ordin. num.* 15. *& ſeq.*

§. VNDECIMVS.

De Canonica forma Pontificiarum collationum, iure deuoluto peractarum.

1. *Conferendi poteſtas iure deuoluto quænam.*
2. *Duæ cauſæ conferendi iure deuoluto.*
3. *Ratio deuolutionis collatitiæ poteſtatis ob negligentiam.*
4. *Ratio deuolutionis collititiæ poteſtatis propter abuſum.*
5. *Vbi deuolutio fit ob negligentiam conferentis, neque niſi elapſo tempore ſemeſtri fieri dicitur.*
6. *Vbi deuolutio fit propter abuſum poteſtatis, ſtatim fieri dicitur.*
7. *Deuolutio ex primo capite fauorabilis, ex ſecundo odioſa.*
8. *Regula de annali poſſeſſore, Pontificiarum collationum iure deuoluto vſum cohibuit.*
9. *Quæ præcautio regulæ de annali poſſeſſore.*
10. *Edicti Blæſenſis, & Melodunenſis ſanctio, accedit ad illam regulam.*

11. *Perceptio*

Digitized by Google

11. *Perceptio fructuum à deuolutario facta ante vindiciarum ſententiam, iuris poſſeſſorij caſum infert.*
12. *Qualiter pœnas aduerſus deuolutarios dictas ſenatus coarctauerit.*
13. *Neceſſitas exprimendi ad omnes collationes Pontificias pertinet.*
14. *Ratio neceſſariæ expreſſionis ad omnes collationes Pontificias pertinet.*
15. *Subreptio, aut obreptio, reddunt gratiam ipſo iure nullam.*
16. *Series eorum quæ exprimenda ſunt, vnde petenda.*
17. *Clauſula* quod maior ſpecificatio *à ſubreptione excuſat.*
18. *Clauſulæ motus proprij vis, ac poteſtas.*

1. TErtia conferendi poteſtas, ſummo Pontifici adquiſita, eſt ea, quæ iure ſupremo, ſiue deuoluto procedit, cum ſummus Pontifex, beneficia inferiorum, & ordinariorum collatorum diſpoſitioni addicta, quaſi ad ſe deuoluta confert, vt iam attigimus *ad verba definitionis inſtitutione* §. 11. *de collat. iure deuolut. peractis.*

2. Sunt autem duæ huius deuolutionis cauſæ, prima eſt negligentia ordinarij collatoris, intra debitum tempus non conferentis, altera eſt abuſus collatiriæ poteſtatis ordinario competentis, cum indignum, & incapacem deſeruiendis beneficiis præficit, vtroque enim caſu, priuatur collator conferendi poteſtate pro hac vice exercenda, eaque deuoluitur ad ſuperiorem.

3. Cum enim Lateranenſi Concilio, ſemeſtre tempus ſtatutum fuiſſet, intra quod ordinarius collator Eccleſiæ regimini prouidere deberet, *capit. nulla de conceſſ. præb.* ſi ſuſceptæ obligationi intra illud tempus ſatisfacere neglexiſſet, conferendi poteſtas ad ſuperiorem gradatim deuoluebatur, vt habetur paſſim in *rubricis de ſuppl. neglig. præl.*

4. Sed & idem eueniebat, ſi abuſus ea poteſtate ordinarius, indigno, vel incapaci contuliſſet beneficium, *cap. cum in cunctis* §. *vlt. de elect. & el. poteſt. capit. quamquam de elect. in 6.* namque eo caſu collator ordinarius, omnino excidit conferendi poteſtate pro hac vice, quæ ſuperiori addicitur, æquiori & meliori iudicio exercenda.

5. Hæc autem erat differentia inter vtrumque conferendi caſum, quod in priori, cui negligentiam collatoris ordinarij locum præbere diximus, non aliàs ſummus Pontifex, vel alius ſuperior, deuolutam ſibi conferendi poteſtatem exercere poſſet, quam præfinitum ſemeſtre tempus effluxiſſet, qui terminus eſt, à quo deuolutio incipit, & collatio exerceri poteſt.

6. In poſteriori vero caſu, ſtatim atque ordinarius indigno, vel incapaci contuliſſet beneficium, poteſtate conferendi pro hac vice conſumpta, ſtatim redibat collatio ad ſummum Pontificem, vt mox diximus, nec enim variare poteſt collator ordinarius, cum variatio in perſonis Eccleſiaſticis maxime ſit vitanda, *capit. 1. de renunciat. in Clem.*

7. Sed & altera differentia inter vtrumque conferendi caſum, quod in primo, conferendi poteſtas iure deuoluto quæſita, omni fauore excipienda ſit, & latiſſime interpretanda, quæ vero ex ſecundo capite deſcendit, tanquam ambitioſa, & viuentium beneficiis inſidiata, omni odio proſequenda ſit, & reſtringenda, ſecundum regulam in vtroque iure vexatam, quæ odia reſtringenda, fauores ampliandos eſſe iactat, in *capit. odia de reg. iur. in 6. lege 19. dig. de lib. & poſth.*

8. Verum enim & illud, ipſimet Romani Pontifices perſpicientes, huiuſmodi collationum ambitioſarum & inſidiatricum, præcipitem, & velociorem curſum, modis omnibus cohibere tentauerunt, qua de cauſa, regulam Cancellariæ Romanæ trigeſimam ſecundam ediderunt, quæ de annuali poſſeſſore dicitur, ad quam Carolus Molinæus commentarium doctiſſimum ſimul & breuiſſimum edidit, cui addenda gloſſa Anonimi cum additionibus *Ioann. Ackier* Leodienſis Canonici.

9. Namque eâdem regulâ cautum habemus, collationes beneficiorum, per annum integrum, & immediate præcedentem poſſeſſorum pacifice, ob incapacitatem poſſidentium impetratas, non aliter valere, quam ſi impetrans pacifici poſſeſſoris nomen, cognomen, gradum, nobilitatem, tempus pacificæ poſſeſſionis, vacationis cauſam, & indebitæ occupationis titulum, in ſupplicatione expreſſerit, & inde intra ſex menſes, à die impetratæ collationis numerandos, poſſeſſorem in ius vocauerit, tuendæ poſſeſſionis cauſa, litemque infrà annum, ad definitiuam vſque ſententiam perduxerit.

Digitized by Google

10 Quod & moribus noſtris conuenit, & conſtitutionibus Regum noſtrorum prope confirmatum eſt *Bleſenſi art. 46. & Melodunenſi art.* 17. quibus ſtatutum, beneficiorum aucupes, ſiue deuolutarios, & quoſcumque alios, qui ob incapacitatem pacifice poſſidentium, collationes Pontificias obtinuerunt, omni poſeſſorio iure, in vim huiuſmodi ereptitiarum collationum excidere, niſi in ipſo litis moræ exordio, cautionem iudicatum ſolui præſtiterint, domicilium certum elegerint, & aduerſario denunciauerint, litem intra trimeſtre tempus conteſtati ſint, & ad eum caſum perduxerint, vt mox definitiua ſententia terminari poſſit, nec vllos beneficij fructus attingant, antequam vindiciarum ſententia prolata ſit, aut plenum beneficij poſeſſorium addictum.

11. Verum tamen, inter omnes illas conditiones à deuolutario ſeruandas, ſolam illam iuris poſeſſorij caſum inferre iudicatum eſt, quæ ſpectat fructuum beneficij lite pendente perceptionem, vt obſeruat *Antonius Mornacius ad leg. 6. dig. de his qui not. infam.* cæteræ enim cum comminationum magis, vel legum imperfectarum naturam ſortiantur, reparandæ, & exequendæ veniunt, vbi collitigans quæritur illis ſatisfactum non eſſe.

12. Sed & illud obſeruandum eſt, aduerſus quoſlibet deuolutarios, vt vocant, non debere, nec poſſe extendi, præmiſſarum conſtitutionum pœnas, nec enim aduerſus graduatos, à ſuperioribus in refutationem ordinariorum collationem iure deuoluto obtinentes, vel quoſlibet alios, morte vacantia beneficia impetrantes, ſi clauſulam vacationis per incapacitatem addant, *aut alias aut alio quouis modo*, ſaltem ſi à poſeſſoribus annalibus, beneficia non eripiant, ita enim præmiſſas pœnas in deuolutarios ſtatuens edictum Henrici III. anni 1557. Curia Pariſienſis interpretata eſt, eximens ab inflictione pœnarum prædictos deuolutarios.

13. Sunt & quædam aliæ Pontificiarum collationum conditiones, & qualitates, quæ omnes, & ſingulas, de quibus in præcedentibus §§. egimus, pariter ſpectant, & pertinent, omnibuſque nouam, & canonicam formam adiiciunt, & potiſſimum verſantur circa ea, quæ in impetrationibus beneficiorum exprimi debent, & quorum taciturnitas, & ſilentium, reddunt gratiam ipſo iure nullam.

14. Cum enim ſummo Pontifici in ſpecula conſtituto, & in dignitatum omnium apice, quæ in partibus, & regionibus longinquis accidunt, facile innoteſcere non poſſint, ſicut locorum ordinariis, qui omnibus adſunt, & quibus vel minima quæque patent, omnia, & ſingula, exprimi debent in impetrationibus beneficiorum Pontificiis, quæ vel auerterent à conceſſione gratiæ, vel difficiliorem redderent ſummum Pontificem, *capit. poſtulaſti de reſcriptis.*

15. Namque ceſſante exprimendorum vera & perſpicua expoſitione, litteræ, & impetrationum Pontificiarum reſcripta, vel vitio ſubreptionis, vel obreptionis laborant, quorum vel alterum, gratiam reddit ipſo iure nullam, *cap. ſuper litteris de reſcriptis* quæ pœna indicta eſt iure pontificio, mendax enim precator carere debet impetratis *d. capit. ſuper litteris de reſcript. can. dicenti §. reſcripta verſ. mendax* 25. *quaſt.* 2.

16. Cum autem plura occurrant in iure Pontificio, quorum mentio fieri debet in litteris, ſiue reſcriptis Pontificiis, quarum ſeries faſtidioſa, ab vtilioribus nos auocare poſſet, ideo qui ſingulorum notitiam habere voluerint, conſulent *gloſſam in d. capit. ſuper litteris de reſcript. & Felinum in capit. in noſtra de reſcript.* vbi tabulam, & ſeriem eorum quæ exprimi debent in precibus ſummo Pontifici porrectis, quaſi oculis ſubiicit, item & *Rebuff. in concord. in forma mand. Apoſt. in verbo pro expreſsis.*

17. Ab illa tamen pleniori, & latiori expreſſione, impetrantem abſoluit, primum clauſula, quę in Pontificiis reſcriptis apponi ſolet *quod maior ſpecificatio in confectione litterarum fieri poſsit* de qua *gloſſa regula* 63. *Cancellariæ Romanæ cum additionibus & Rebuff. in concord. in forma mand. Apoſt. in verbo pro expreſsis ſub finem*, cuius ea vis eſt, vt tacita pro expreſſis habeantur, vt quod in ſimplici ſignatura ſupprimitur, in bulla exprimi poſſit.

18. Sed & motus proprius ſummi Pontificis, ab illa exprimendi neceſſitate, impetrantem eximit, *capit. ſi motu proprio de præb. in 6. capit. ſi Romanus de præb. in Clementinis* cum enim gratia motu proprio conceſſa, ad nullius preces proceſſerit, neque vitium obreptionis, neque ſubreptionis incurrere poteſt, qui talem ſummi Pontificis gratiam meruit.

Digitized by Google

§. DVODECIMVS.

De Canonica forma in Legatorum collationibus obſeruanda.

1. *Collationes Legatorum iiſdem regulis gubernantur, quibus Pontificiæ.*
2. *Duobus tantum caſibus, deuolutionis, & concurſus confert Legatus.*
3. *Legatorum collationes obſeruationi regularum Cancellariæ Romanæ ſubiacent.*
4. *Eadem exprimenda in collationibus Legatorum, quæ in Pontificiis.*
5. *Legatorum collationes pendent à mandatis, ſiue facultatibus.*
6. *Pendent etiam à decreto Curiæ facultates approbante.*
7. *Collatio mandatorum quæ præſidibus dabantur, & facultatum Legatorum.*
8. *Vnde petenda plura exemplaria facultatum Legatorum.*

1. CVm Legatus ſummi Pontificis, omnem quam habet poteſtatem, in diſpenſatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, à ſummo Pontifice mutuetur, poſt quem in prouincia ſibi decreta, maiore pollet auctoritate, & imperio, in primis illud certum eſt, & indubitati iuris, collationes Legatorum ſummi Pontificis, iiſdem regulis ſubiacere, quibus reguntur Pontificiæ.

2. Sed & illis maxime, quæ ad concurrentes collationes, & præuentionis iure peractas, nec-non ad eas, quæ iure deuoluto procedunt, ſpectant, & pertinent, iis enim ſolis duobus caſibus, præuentionis, & deuolutionis, Legatus ſummi Pontificis, beneficia Eccleſiaſtica diſpenſare poteſt, cum vacantium in curia collatio, ſpecialis ſit ſummo Pontifici, vt dicitur in *capit 2. de preb. in 6.*

3. His itaque caſibus habita collatio, regulis Cancellariæ Romanæ de quibus egimus, nempe de infirmis reſignantibus & de 20. diebus, de publicandis reſignationibus, de veriſimili notitia obitus, nec-non de annali poſſeſſore, regi ſolet, & gubernari, vt paſſim probant *Gomeſius, Rebuffus & Molinæus ad prædictas regulas.*

4. Sed & præterea, ne ſubreptionis aut obreptionis vitio laborent, eadem etiam exprimenda veniunt, quæ in Pontificiis collationibus exprimi debere, probant *gloſſa d. capit. ſuper litteris in verbo litteras de reſcript. Felinus in cap. in noſtra eod. tit. & Rebuff. in concord. tit. de forma mand. Apoſt. in verbo pro expreſſis.*

5. Verum præter illas conditiones, & qualitates, in collationibus Legatorum cuſtodiendas, ſunt & aliæ, quæ vix definiri poſſunt, & circumſcribi, cum pendeant à mandatis, ipſi Legato in prouinciam proficiſcenti emiſſis, quæ vulgo appellantur facultates Legati, idiotiſmo noſtro Gallico *les facultez du Legat* quarum plura exempla patent in *altero volumine prob. ad lib Eccleſ. Gall. cap. 23.*

6. Verum etiam pendent & conditiones, in collationibus Legatorum ſeruandæ, ab ipſa probatione earumdem facultatum, facta decreto ſenatus Pariſienſis, quod & mandatis, & facultatibus Legatorum, ſuam formam, & auctoritatem præbere ſolet, cuius & fines, tum in iudicando, tum in beneficiorum diſpenſatione, egredi non debet, alioquin appellationis tanquam ab abuſu auxilio, quod mandatorum fines excederet, ad canonicam formam reduceretur.

7. Sed enim & qua ratione, miſſi in prouinciam Præſidis, aut Proconſulis juriſdictio, tum voluntaria, tum contentioſa, interpretationem ſuam accipere ſolebat, ab ipſis principum mandatis, quę proficiſcentibus dabantur, quorum fines diligenter cuſtodiri debebant, ita Legatorum poteſtas, tota pendet à mandatis, ſiue facultatibus ipſis delatis à ſummo Pontifice, *capit. 2. de offic. leg. cap. 3. §. 1. de elect. in 6.*

8. Et ex eo colligitur, quam difficile ſit, formam illam Legatorum collationibus addendam præſcribere, quam tamen ſtudioſiores petere poterunt, ab illis Legatorum Pontificiorum facultatibus, quarum exemplar, ipſi pragmaticæ ſanctionis textui ſubiicitur, ſed & plura alia habentur exempla, in *collect. probat. ad lib. Eccleſ. Gall cap. 23.*

Digitized by Google

§. DECIMVS-TERTIVS.

Quomodo collationes ordinariorum, ad Canonicam formam reducantur.

1. *Collationibus ordinariis ſpecialius conueniunt, quæ de collationibus, & inſtitutionibus.*
2. *Verbum collationis multimodè accipitur.*
3. *Collationes ſummi Pontificis, & Legatorum, propriè dicuntur prouiſiones.*
4. *Summus Pontifex in collationibus, ſupremi iudicis obtinet poteſtatem.*
5. *Collationes ſummi Pontificis, & Legati, mixtæ dicuntur.*
6. *Summus Pontifex, & Legatus, in adminiſtratione, Dei perſonam exhibent.*
7. *Vnde collationes ſummi Pontificis, & Legati, prouiſiones appellantur.*
8. *Conditiones generales canonicarum inſtitutionum, proponuntur.*
9. *Collationis ordinariæ definitio proponitur.*
10. *Definitio collationis, magis ordinariis conuenit, quam Pontificiis.*
11. *Libertas maior eminet in collationibus ordinariis, quam in Pontificiis.*
12. *Ampliore deliberatione vtuntur ordinarij in collationibus, quam ſummus Pontifex.*
13. *Summus Pontifex, & Legatus, beneficiandorum qualitates, alienis oculis inſpiciunt.*
14. *Vnde beneficiandorum ab ordinariis facta inquiſitio.*
15. *Probatur maiorem ineſſe libertatem in collationibus ordinariis, quam in cæteris.*
16. *Collationes ordinariæ, non omnibus Cancellariæ Romanæ regulis ſubiacent, nec vitio ſubreptionis, aut obreptionis.*
17. *Vnde collationes ordinariæ ſubreptionis, aut obreptionis vitiis non ſubiacent.*
18. *Speciale in collationibus ordinariis, vt ſint puræ.*
19. *Collationes ſummi Pontificis, & Legatorum, ad tempus, & ſub conditione peragi poſſunt.*
20. *Solus ſummus Pontifex, vel Legatus, reſignationes in fauorem admittunt.*
21. *Speciale in collationibus ordinariis, vt ſint publicæ, nec clandeſtinæ.*
22. *Regula de publicandis reſignationibus cur in collationibus ordinariis locum habeat.*
23. *Collationes ordinariæ, clandeſtinitatis vitio carere debent.*
24. *Collationis ordinariæ inſtrumentum, duorum teſtium fide obſignari debet.*
25. *Decretum curiæ clandeſtinitatis vitium in collationibus ordinariis reprobans.*
26. *Huius decreti diſpoſitio expenditur, & æquitas laudatur.*
27. *Maxime id ſeruatur in collationibus ordinariis, vt ex integro fiant.*
28. *Sectio beneficiorum reprobata in collationibus ordinariorum.*
29. *Annatarum retentio, huic gratificandi modo contraria.*
30. *Summus Pontifex, & Legatus, ex collatis beneficiis, partem fructuum aliis inferre ſolent.*
31. *Collationes ordinariæ, maxime debent eſſe gratuitæ.*
32. *Omnis diſpenſandi facultas circa pactiones beneficiarias, adempta ordinariis.*

Digitized by Google

33. *Alia ſunt prohibita quia ſimoniaca, in quibus ſummus Pontifex diſpenſare non poteſt.*
34. *Alia ſimoniaca quia prohibita, à quibus ſummus Pontifex diſpenſare ſolet.*
35. *Collationes ordinariæ intra ſex menſes peragi debent, aliàs poteſtas deuoluitur ad ſuperiorem.*
36. *Poſt tempus deuolutionis quæcumque collatio habita, nulla eſt ipſo iure.*
37. *Vbi deuoluta poteſtas ad ſummum Pontificem, nullo tempore arctatur.*
38. *Ratio huius deciſionis proponitur, & explicatur.*
39. *Primùm conferendi ratio vacantium in Curia beneficiorum, nullo tempore coarctabatur.*
40. *Iure nouo menſis collationi præfinitus, & quare.*
41. *Quæ differentia inter collationem, & inſtitutionem.*
42. *Collatio actus voluntarius, inſtitutio neceſſarius.*
43. *Collatio per ſe canonicus titulus, inſtitutio ab alio preparata.*
44. *Collatio abſenti facta acceptatione indiget vt dicatur canonica.*
45. *Argumentum à donatione abſenti facta, ad collationem.*
46. *Pendente acceptatione collationis, nulli alteri conferri poteſt.*
47. *Deficiente conditione acceptationis, veteri vacationi locus remanet.*
48. *Beneficium nondum vacans conferri non poteſt.*
49. *Quid regula de impetrantibus beneficia viuentium, & quæ eius diſpoſitio.*
50. *Regula de non impetrandis beneficiis viuentium, noſtro iure ſeruatur.*
51. *Filius non patitur pœnam regulæ, ob præmaturam impetrationem filio à patre factam.*
52. *Probatorium in id decretum Curiæ Pariſienſis refertur.*
53. *Deciſio huius decreti expenditur, & æquitatis ratio additur.*
54. *Quid importent verba definitionis collationis ordinariæ*, ab habente poteſtatem, idoneo Clerico.
55. *Remittitur tractatus qualitatum, collatoribus, & collatariis neceſſariarum, ad ſuperiora.*
56. *Quid verba definitionis* Canonice, vel legitime facta aſſignatio.
57. *Vt canonica dicatur collatio ſex conditiones deſiderantur, quæ & referuntur.*
58. *Continuatio huius tractatus, & ordo præſcriptus.*

1. QVæ de inſtitutionibus generaliter ſumptis, & collationibus, tum generaliter acceptis, tum propriam inſtitutionis ſpeciem conſtituentibus diximus, ea maxime conueniunt collationibus ordinariis, de quibus agimus, cum ſpecialius cæteris, ordinariæ collationes proprium ſibi nomen collationis aſſumant.

2. Verum enim, miſſis variis huius nominis acceptionibus, tum in iure ciuili, in quo ſumitur pro contributione, veluti in collationibus bonorum, tum in iure canonico, vbi quandoque habetur pro comparatione veluti in electionibus, ſæpius accipitur pro conceſſione, veluti *in titulo de conceſſione prebendæ*, quæ cum maximam libertatem ſapiat, donari enim intelligitur, quod nullo cogente iure conceditur, maxime conuenit diſpenſationibus beneficiorum, ab ipſis collatoribus ordinariis habitis.

3. Namque ſummi Pontificis, vel Legati à latere, quas generaliter loquendo, diximus collationes, ab illis perſonis procedentes, quos & ordinariorum numero admiſimus, prouiſionis denominationem, tanquam actioni quam exhibent, & miniſterio aptiorem, & magis conuenientem ſibi vindicant, & aſſumunt.

4. At vero præcipuè ex eo, quod in diſpenſatione beneficiorum, neque ſummus Pontifex, neque Legatus à latere, meram ordinarij perſonam exerceant, ſed ſupremi iudicis partes ſuſtineant, propter adiunctas deuolutionis, reſignationis in fauorem, aut aliarum vacationum inſolitarum cauſas, quæ ordinariis non conueniunt, nec ab illis vllatenus admitti ſolent, aut probari.

Digitized by Google

5. Et ex eo fluxit, quod huiuſmodi beneficiorum diſpenſationes mixtæ dicuntur, ſupremæ, ſiue ex iure deuoluto, ſimul & ordinariæ, quaſi ab iis collatoribus procedant, qui vtramque perſonam ſuſtinent, & poteſtatem exercent, ordinatij pariter, & ſupremi iudicis, vnde vix collationis generale nomen, ſed prouiſionis, quod ſpeciale eſt, aſſumunt, quod naturam ſuam conuenientius explicet.

6. Sed enim ſummus Pontifex, & Legatus à latere, qui in prouincia ſibi decreta, maiorem poſt ſummum Pontificem poteſtatem habet, & exercet, in ſupremo dignitatis apice conſtituti, in adminiſtratione ſpiritali Chriſtiani orbis ſibi demandata, Dei perſonam exhibent, tanquam vicaria poteſtate fungentes.

7. Et ideo, cum prouiſionis æternæ, ſiue prouidentiæ, qua cuncta Deus regit, & gubernat, actiones imitentur, illiſque propius accedant, eorum adminiſtratio, ſiue diſpenſatio circa beneficia Eccleſiaſtica, prouiſionis denominationem, tanquam diuinæ prouidentiæ viciniorem ſibi aſſumpſit.

8. Nunc igitur conditiones illæ & qualitates, quas collationibus, & generaliter ſumptis, & in propria ſpecie inſtitutionum conſtitutis, accommodauimus, puta vt ſint liberę nec neceſſariæ, puræ nec conditionales, publicæ nec clandeſtinæ, ex integro nec cum diminutione, gratis nec mercede interueniente, & intra præfixum tempus, propriam collationis ordinariæ formam, & canonicam conſtituunt.

9. Sed & illud patebit euidentius ex ea, quam præmiſimus collationis ordinariæ definitione, quæ his verbis concepta habetur *libera, & gratuita quædam, beneficij vacantis, ab habente poteſtatem, idoneo Clerico, legitime, & canonicè facta aſſignatio.*

10. Et quamuis collationibus, ſiue prouiſionibus ſummi Pontificis, aut Legati, à nobis accommodata ſit hæc definitio, propius tamen accedit ad diſpenſationes eorum, qui in partem ſollicitudinis vocati, Diœceſes ſpeciales ſibi creditas, vel congregationes regunt, & gubernant, quam ad illius, qui in plenitudinem poteſtatis vocatus, in ea diſpenſatione concurrit cum ordinariis.

11. Nec enim ea libertas, quę in fronte prœmiſſę definitionis eminet, & maximam eius partem conſtituit, ęque elucet in prouiſionibus, vel collationibus ſummi Pontificis, aut Legati, ac in ſpecialibus, & propriè ſumptis, ordinariorum collationibus.

12. Verum enim cum eorum, quibus conferunt Eccleſiaſtica beneficia, mores, qualitates, conditiones, ſcientiæ gradus, in regendo induſtriam, apprime calleant ordinarij in diſpenſatione, eorum omnium notitia, & cognitione vtentes, firmiori iudicio, & conſtantiori animi deſtinatione, Eccleſiarum regimini aptiores ſeligunt, & ſelectos præficiunt.

13. At vero ſummus Pontifex, aut Legatus, qui præ nimia rerum, vel negotiorum occupatione, à ſingulorum inſpectione auocati, præficiendis, & beneficiandis, qualitates neceſſarias, non niſi alienis oculis inſpiciunt, & perſcrutantur, obuios ſibi quoſcumque, & diligentiores, abſque vllo diſcrimine, Eccleſiaſticis adminiſtrationibus præponunt.

14. Quod vt euitaretur, & ordinariorum iuſtis, & legitimis conqueſtionibus ſatisfieret, qui dolebant Eccleſiaſticis adminiſtrationibus præficiendos ignotos quoſcumque ſibi emitti, ſtatutum eſt, in *Concil. Trident. ſeſſ. 7. de reformat. cap.* 13. vt à quibuſlibet inſtituti, ab ordinariis locorum examinarentur vtique, & probarentur, quod ſolet vltima parte Pontificiorum reſcriptorum committi ordinariis, hac clauſula *committatur ordinario in forma dignum antiqua*, eamque commiſſionem ordinarius exequens, teſtes litteras inſtituto porrigit, quæ vulgo *viſa* appellantur.

15. Primùm igitur, in collationibus ordinariorum ſpecialiter ſumptis, ſumma ineſſe debet libertas, quæ prioribus definitionis verbis prænotatur, licet enim aliis collationibus libertatem adſcripſerimus, tamen in collationibus ordinariis ſpecialiter ſumptis, maior eminere debet, quemadmodum in iure ciuili, quamuis bona fides omnibus contractibus adeſſe debeat, tamen iis, qui bonæ fidei dicuntur, maior prælucere debet.

16. Et ex eo fluxit, quod collationum ordinariarum libertas, pluribus Cancellariæ Romanæ regulis non aſtringitur, vt ſuprà monuimus, nec vitiis ſubreptionum, vel obreptionum, quæ ex ſuppreſſione dicendorum, aut impoſitione falſorum naſci diximus, collationes ordinariæ ſubiaceant.

17. Tum vero propter notitiam, & cognitionem omnium, quæ exprimi debent in collationibus, ipſis collatoribus ordinariis plenius adquiſitam, tum ex eo, quod ordinariorum collationes motu proprio, nec ad collatariorum preces procedant, cuius clauſulæ,

Digitized by Google

eam vim, & poteſtatem eſſe diximus, vt omnem ſubreptionis, aut obreptionis exceptionem excludat.

18. Secundò, quod diximus puras eſſe debere collationes, nec conditionales, ex præſenti die vires accipere, nec vllo vel temporis, vel conditionis interuallo ſuſpendi, illud ſpecialius in collationibus ordinariorum habetur, quam in cæteris aliis, aut ſummi Pontificis, aut Legatorum collationibus.

19. Namque illæ omnes collationes, & ad tempus peragi poſſunt, *capit. ſi gratioſe de reſcript. in 6.* & ſub conditione perfici, veluti cum reſignationes in fauorem, & gratiam certæ perſonæ admittunt, & electis à reſignante, in vim eiuratorij mandati, beneficia conferunt.

20. Sed enim id ſummus Pontifex ſolus, vel Legatus à latere ex mandato ſpeciali admittere poſſunt, nec vero quilibet ordinarius, qui & pure, & ſimpliciter, vel etiam nulla adiecta conditione, conferre debet, ne ſimoniæ vitium incurrat, quod huiuſmodi pactionibus contrahitur, & cuius labem, nullo modo abſtergere poteſt collator ordinarius.

21 Tertiò collationes debent eſſe publicæ, nec clandeſtinæ, quod maxime obſeruatur in his collationibus, quæ ab ordinariis peraguntur, vt patet ex *capit. vt noſtrum §. porro vt Eccleſ. benef. ſine diminut. confer.* quod vel ex eo patet, quod Epiſcopi, vel locorum ordinarij, quaſi lux mundi emittantur, quorum actiones, & maxime beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpenſationes, ſingulis prælucere debent, nec deliteſcere, vel clandeſtinitatis tenebris obrui.

22. Et quamuis pleræque Cancellariæ Romanæ regulæ, ordinariorum collationes coercere non ſoleant, vt de regula de infirmis reſignantibus ſupra adnotauimus, tamen ſtatutum, vt ea quæ de publicandis reſignantionibus decreta eſt, locum haberet in ordinariorum collationibus, & vt intra menſem publice ederentur, quod & apud nos decreto ſenatus Pariſienſis receptum eſt.

23. Nec tantum illud publicæ editionis teſtimonium, ſeruatur in collationibus ordinariorum, quibus reſignationes ſimplices, vel demiſſiones locum dederunt, ſed etiam in iis, quæ in vacantibus morte beneficiis expediri ſolent, quæ & ipſæ, clandeſtinitatis vitio carere debent, alio quin furtiuæ dicuntur, quaſi à furuo, ſiue nigo, & obſcuro ortu prodeuntes.

24. Namque ordinariorum quælibet collationes, vt publicæ redderentur, ſanxit curia Pariſienſis, edictum Henrici II. anni 1550. decreto ſuo approbans, vt collationum ordinariarum inſtrumenta conficerentur, quibus duorum ſaltem teſtium ſubſcriptio adderetur, eorumque, qui nec domeſtici, nec conſanguinei collatoris, aut collatarij eſſent, ſed omni exceptione maiores, vt obſeruat *Molinæus ibidem.*

25. Sed & in eo maxime, in collationibus ordinariorum, clandeſtinitatis vitium damnauit ſenatus Pariſienſis, vt nouiſſime decreto in publicis cauſarum actionibus prolato die 23. Nouembris anni 1649. peroranribus *Eleonorio Lhoſte*, pro Epiſcopo, & Duce Laudunenſi, *Claudio Lange pro Valeriano de Flanigni*, Doctore Theologo, & Socio Sorbonico, cui idem Epiſcopus Theologalem præbendam in Eccleſia Laudunenſi contulerat, & *Angelo de Maſſac pro Roberto Vaſlart* Profeſſore Pariſienſi, qui vacantem morte vltimi poſſeſſoris præbendam, à ſummo Pontifice, poſt deuolutionem decem & octo menſium impetrauerat.

26. Verum, nec alia ratione Curia Pariſienſis, decreto ſuo, collationi Epiſcopi Laudunenſis quamuis anteriori, auctoritatem ſuam denegauit, vt Pontificiæ locus foret, quam quod Epiſcopus Laudunenſis, collationis inſtrumentum ſibimet ipſi reſeruans, intra decem & octo menſium curſum, collatario emittere, & tradere neglexiſſet, vt ex eo poſſeſſionem adire poſſet, nec alias ſæculari Clerico viam fecerat Epiſcopus, quam vt regulari, alias incapaci, in ſuam Eccleſiam, & præbendam viam panderet, diſpenſatione impetrata à ſummo Pontifice, quam primum votis ſuis annuentem inueniſſet.

27. Quartò id in collationibus ordinariis requiritur, vt ex integro, & ſine vlla fructuum diminutione peragantur, quod præcipuè locum habet, in collationibus ordinariorum, qui ne vllum quidem, ex collationibus ſuis fructum, percipere debent, ſecundum veteres iuris canonici ſanctiones, quæ exſtant in rubricis iuris canonici *vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.*

28. Sed nec ex collatis beneficiis, vel ex fructibus eorum, in fauorem alterius & necem collatarij, partem aliquam delibare poſſunt, contra Turonenſis Concilij decretum in

cap. maioribus de præb. & dignit. de quo & aliàs abundantius diximus, *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ quadam capit. 2. de prohibita ſectione beneficiorum , & ad verba cum ſuo reditu.*

29. Nec tamen illud ita ſtrictè, & religioſe, ſummi Pontifices, vel Legati à latere, obſeruare ſolent, cum & illi, Annalium nomine, ſiue Annatarum, quandoque partem fructuum, in primo anno percipiendam ſibi receperint, quod cum Baſileenſis Synodus, & pragmatica ſanctio condemnaſſent, tandem conuentione Bononiæ habita, in compoſitionem mercedis, officiariis Cancellariæ Romanæ debitæ, annatarum collectio tranſiit.

30. Sed & aliis pleriſque, non tantum penſionum annuarum impoſitione, partem fructuum addicunt ſummi Pontifices, vt ſupra diximus, *ad verba cum ſuo reditu capit. 4. de oneribus Eccleſiarum* §. 10. *& ſequentibus*, vbi de penſionibus Eccleſiaſticis egimus, verum etiam ipſis collatoribus, variis ex cauſis gratiam illam indulgent, vt vacantium beneficiorum, ſuæ collationi ſubmiſſorum fructus, intra certa tempora percipiant, puta vt æri alieno diſſoluendo impendant, vt habetur in *capit. tua 32. de verb. ſignif.*

31. Quintò in collationibus obſeruandum, vt gratis fiant, & nulla mercedis conuentione interpoſita, quod & ſi in omnibus collationibus, ſiue ſummi Pontificis, ſiue Legatorum, ſiue ordinariis, æque obſeruari debeat, tamen in ordinariorum collationibus, religioſius cuſtoditur.

32. Verum enim illis omnibus, quælibet diſpenſandi facultas, circa conuentiones beneficiarias, quantumuis leuioris ſimoniæ labem redolentes, denegata eſt, quam plerumque ſibi vindicat ſummus Pontifex, maxime in iis, quæ ſimoniaca habentur de iure poſitiuo, in tantum ſimoniaca quia prohibita, vt explicat *gloſſa & Doctores in capit. cum pridem, in verbo illicite de pactis*

33. Sunt enim quædam ſimoniaca de iure diuino, quæ in *gloſſa capit. 11. in verbo dimittere de offic. iud. del g.* dicuntur prohibita quia ſimoniaca, ſcilicet iure veteris, vel noui teſtamenti, & ab illis diſpenſandi, ſummus Pontifex poteſtatem non habet, ſicut ab illis quæ iure naturali introducta ſunt, quia vt dicitur in lege eas obligationes dig. de cap. minu. ciuilis ratio id eſt humana, iura naturalia corrumpere non poteſt.

34. Et vero quædam alia, quæ dicuntur ſimoniaca quia prohibita, iure poſitiuo, & humano, & ab illis quotidie diſpenſat ſummus Pontifex, veluti in penſionum Eccleſiaſticarum aſſignatione, reſignationis in fauorem admiſſione, pactionis, vel tranſactionis circa beneficia approbatione, vt ſupra oſtendimus *ad verba Cæleſtis cap. 2.* vbi de ſimonia & *ad verba idoneo capit. 2.* vbi de diſpenſationibus Eccleſiaſticis.

35 Sextò in collationibus ordinariis, illud præcipuè obſeruandum, vt intra certum, & præfinitum tempus peragantur, cum enim diuturna vacatio, maximum regimini animarum inferret detrimentum, Concilio Lateranenſi cautum eſt, vt intra ſemeſtre tempus, collatio ab ordinariis collatoribus haberetur, adeo vt ſi intra ſtatutum tempus, vacanti Eccleſiæ præficere neglixiſſent, collatio deuolueretur ad proxime ſuperiorem gradatim, donec ad ſummum Pontificem perueniret.

36. At vero poſtquam deuoluta fuerit, propter negligentiam non conferentis, poteſtas conferendi, collatori ordinario ita adimitur, vt quamcumque poſt lapſum tempus peregiſſet collationem, nulla haberetur, propter decretum irritans, in Concilio Lateranenſi appoſitum, vnde patet conferendi neceſſitatem intra ſemeſtre tempus, in ſolis collatoribus ordinariis hodie ſpectari.

37. Cum enim ſemel deuoluta eſt conferendi poteſtas ad ſummum Pontificem, nullo amplius temporis interſtitio coarctatur conferendi facultas, quocumque tempore exercenda, cum ab eo ad alium non poſſit fieri deuolutio, vt ex *Ioanne Coraſio præſide Tholoſano in centuria ſenatuſconſultorum Tholoſanorum notat Laurentius Bochellus in ſumma beneficiali in verbo vacatio in Curia.*

38. Eſt enim in ſummo Pontifice, quaſi dignitatum omnium apex, & culmen, extra quod nulli datur aſcenſus, adeo vt in ſummo Pontifice, conferendi poteſtas ſiſtat, quaſi in ſolſtitio non amplius recurrenti, ſed fixo, & permanenti, nullibi, nec vltra, vel retrogreſſura, & eo ſolo caſu, temporis intercapedine coarctatur, cum agitur de collatione beneficij in Curia vacantis, vt ſupra oſtendimus.

39 Et quamuis iure antiquo, conferendi poteſtas eo caſu, quo in curia vacare contingebat beneficia, nullo tempore clauderetur, vt *ſupra* obſeruauimus, & probauimus ex *capit. 2 de præb. in 6.* & quocumque tempore conferre poſſet ſummus Pontifex, vt in cæteris omnibus caſibus, quibus conferre, & beneficia diſpenſare conſueuit.

40. Attamen

Digitized by Google

40. Attamen, quia huiuſmodi reſeruatio, propter notitiam ex partibus aduenientem collationem ſæpius protrahebat, ſibimet ipſis ſummi Pontifices, tempus menſtruum præfixerunt, intra quod vacantia in Curia conferre deberent, alioquin liberæ collationi ordinariorum reddebantur, vt habetur in *capit. ſtatutum de præb. in 6.* quod ſimiliter obſeruauerunt, in reſeruatione alternatiuæ ex concordatis Germanicis deſcendente, menſis indictione, in trimeſtre tempus immutata, vt habetur in *ipſis concordatis Germanicis articulo 4.*

41. Verum & præter ea quæ ſupra expoſuimus, & quæ collationis ordinariæ, formam canonicam ex maiori parte efficiunt, patet iterum ex prioribus verbis definitionis præmiſſę, *libera & ſpontanea* plures alias intereſſe differentias, inter inſtitutionem, & collationem, ſi vtraque intra propriæ ſpeciei terminos conſideretur, & circumſcribatur.

42. Prima eſt, quod collatio ſummam redoleat libertatem, quę & ſæpius donationis vocabulo effertur, in *capit. 3. de ſuppl. neglig. præl. capit. vnico vt Eccl. beneſ. ſine dimin. confer.* inſtitutio vero extremam neceſſitatem in ſe contineat, vt habetur in *capit. relatum in verbo liberaliter de præb. ex gloſſa.*

43. Secunda, quod inſtitutio per ſe ſumpta, canonicus titulus non cenſeatur, ſed alterius auxilio indigeat, puta nominationis patroni, aut alterius cuiuſcumque adminiculi, quod canonicæ inſtitutioni viam aperiat, collatio vero per ſe & abſolute ſumpta, & omni exteriori ope denudata, canonicam inſtitutionem prętet, canonicum titulum inferat, & ius in re, ſiue in beneficio, per ſe ſola adquirat.

44. Sed tamen illud vtique non ſeruatur, vbi collatio abſenti emiſſa eſt, tunc enim non prius canonicum titulum perficit, vel ius in re adquirit, quam ſi collatarij acceptatione firmetur collatio, & ſibi receptam teſtetur, *capit. ſi tibi abſenti de præb. in 6.* nemini enim inuito beneficium datur, vnde notat *Car. Molin. ad hoc cap. in verbo vt tuum*, non vacare in curia beneficium, ſi collatarius ante acceptationem in curia decedat, aut repudiet, ſed antiquam vacationem manere.

45. Nec alia ratione illud euenit, quam quod in iure ciuili vulgo obſeruatur in donationibus abſenti factis, quæ & acceptationem exigunt, vt perfectæ cenſeantur, *lege ſi abſenti dig. de donat.* quod pluribus explicat *Couarruu. lib. 3. var. reſol. cap. 16. num.* 1. vbi in eo paritatem donationis & collationis proſequitur, itaque collatio abſenti facta, ante acceptationem non dicitur Canonica inſtitutio, ſed remanet in ſuſpenſo, donec acceptatio ſequuta fuerit, & poſſeſſionis beneficiariæ aditio, vel altera quæcumque approbatio.

46. Nec tamen inutilis omnino redditur pendente acceptatione collatio, imo manus ordinarij ita alligat, vt interim alteri, nec ipſe collator ordinarius conferre poſſit, nec etiam ſummus Pontifex iure præuentionis vti, vel beneficio manus inferre, cum ordinarius conferendo licet abſenti, ſummum Pontificem anteuerterit, *d. capit. ſi tibi abſenti de præb. in 6.*

47. Si tamen defecerit acceptationis conditio, quæ collationis effectum ſuſpendebat, veteri vacationi ob mortem vltimi poſſeſſoris locus erit, quaſi numquam collatum fuiſſet beneficium, vt pluribus tractat *Molin. ad reg. de veriſſim. notit. n. 96.* ita vt ab eodem conferri poſſit ordinario, ſi adhuc intra ſemeſtre tempus, à die vacationis beneficij numerandum exiſtat, vel à ſuperiori iure deuoluto, ſi deuolutionis tempus acceſſerit.

48. Rurſus ex ſequentibus definitionis verbis *beneficij vacantis* colligitur, vt beneficium conferri poſſit, illud in primis neceſſarium, vt vere vacet, viuentium enim beneficia nec peti, nec obtineri poſſunt, *toto titulo de conceſſ. præb. vel Eccleſ. nond. vac.* ſicut in iure ciuili, de viuentium hereditatibus paciſci non licet, *capit. 2. de conceſſ. præb. lege vlt. cod. de pactis lege ex eo inſtrumento cod. de inutil. ſtipul.*

49. Quinimo qui beneficium viuentis petierit, & obtinuerit antequam vacet, ex regula 20. Cancellariæ Romanæ de impetrantibus beneficia viuentium, eam indignitatem incurrit, vt etiam opportuniori tempore, obtinere non poſſit, vt habetur in *d. regula* quæ eſt veluti appendix regulæ de veriſimili notitia, ex quo Molinæus vtramque coniungit, & eodem commentario illuſtrat.

50. Sed enim apud nos omnino ſeruatur huius regulæ diſpoſitio, quia verum iuris communis, & naturalis præceptum continet, quod vbique ſeruari debet, vt notat *Molinæus ad reg. de impetr. beneſ. viuent. & de veriſi. notit.* vt de pleriſque aliis Cancellariæ Romanę

Eee

Digitized by Google

gulis ſtatui poteſt, quæ communi vſu approbatę ſunt, & ipſo naturali iure dictante, & præcipiente, quod apud omnes gentes peræque cuſtoditur, vt obſeruat *idem Molin. ad reg. de annali num.* 111.

51. Nec tamen filius prædictæ regulæ pœnis ſubiicitur, quamuis pater ipſius nomine, beneficium viuentis petierit, & impetrauerit, dum temere factam impetrationem non probat, licet opportuniori tempore ab eodem patre impetratam collationem amplectatur, ſecundum *Petri Rebuffi mentem & opinionem ad regulam de reprobata beneficij viuentis impetratione*, nemo enim innocens alieno odio prægrauari debet, *capit. non debet de reg. iur. in 6.*

52. Sed& illud probauit Senatus Pariſienſis ſolemni decreto, in publicis cauſarum actionibus prolato die lunæ 19. Aprilis anni 1549. dum ageretur de poſſeſſorio prioratus ſanctæ Trinitatis *de Bellonone*, Diœceſis Lucionenſis, inter *Franciſcum Boier*, Clericum Pariſienſem, qui morte vltimi poſſeſſoris vacantem obtinuerat, cuique & ipſe aderam tanquam patronus, & *Petrum Deshaies*, eiuſdem vltimi poſſeſſoris reſignatarium, & alterius qui morte vacantem obtinuerat iura conſequutum, cui patrocinium præbebat, *Angelus de Maſſac.*

53. Namque idem *Franciſco Boyer*, prioratum prædictum addixit ſenatus, quamuis ex editione actorum nummularij, & trapeſitæ, cui pater obtinendum mandauerat, conſtaret patrem filij nomine, viuentis beneficium & petiiſſe, & obtinuiſſe, licet falſo rumore eluſius eſſet, quæ nec legitima excuſandi ratio, vt notat *Decius ad legem de quæſtione cod. de pactis*, qui ſunt autem vacationum modi legitimi, vel potius canonici, infrà dicemus *ad verba definitionis noſtra beneficiaria Canonica.*

54. Succedunt in defiitione collationis ordinariæ, verba *ab habente poteſtatem*, & illa *idoneo Clerico* quæ eas conditiones collationi ineſſe exigunt, vt ab eo procedat, qui conferendi poteſtatem habeat, & in fauorem illius, qui eas habeat in ſe qualitates, quæ inſtituendis adeſſe debent, ſecundum cuiuſque beneficij naturam, & conditionem.

55. Verum quænam ſint illæ qualitates, vel conditiones, ſiue eorum qui conferunt, ſiue eorum quibus conferri debent beneficia, ſuis locis commodius expoſuimus *ad verba definitionis noſtra beneficiaria idoneo*, & *ad verba inſtitutione*, dum varias collatorum perſonas propoſuimus, ſiue ordinariorum, ſiue extra ordinem conferentium, vt huic materiæ nihil amplius addi poſſit.

56. Tandem poſteriora verba præmiſſæ definitionis ipſius collationis ordinariæ *Canonice, vel legitime facta aſsignatio*, ſupperaddunt vltimam formam, collationi ordinariæ neceſſariam, quæ canonica eſſe debet, vt iuſtum adquirendi beneficij titulum præſtet, vt habetur in *capit. beneficium de reg. iur. in 6.* ſicut in iure ciuili vt mox præmiſimus numquam nuda traditio dominium transferre ſolet, ſed ita ſi legitima cauſa præceſſerit, in *lege* 31. *de adquir. rer. dom.*

57. Nunc igitur & nobis inquirendum venit, quænam conditiones, & qualitates adeſſe debeant, vt canonicę dicantur collationes, eas autem ad ſex potiſſimum articulos reduximus, nempe vt ſint liberæ & ſpontaneæ, nullo cogente iure aut homine peractæ, vt ſint puræ, nulla temporis, aut conditionis impoſitione ſuſpenſæ, publicæ, nec clandeſtinæ, ex integro, & ſiue vlla fructuum, aut tituli ſectione, gratuitæ, nec vlla mercedis pactione interueniente; vltimo vt intra præfixum, & præfinitum tempus celebrentur.

58. Sed & eas omnes prædictas qualitates, & conditiones collationis ordinarię, ſuo ordine expoſuimus, vt nihil addi poſſit Canonicæ formæ, niſi quod ex variis cauſarum figuris, & circumſtantiis poſſit euenire, ſed cum generales tantum regulas, qualitates, & conditiones perſcrutari inſtituerimus, ad ſpecialia deſcendere, & eorum diſputationem aggredi, alienum fuit à propoſita nobis materia, quia vt dicitur in *lege* 3. *& ſequentibus de legibus*, iura conſtitui oportet ex his quæ vt plurimum accidunt, itaque tranſeundum ad collationes Regias, quæ ordinarias non minus ſapiunt, quod Pontificiarum priuilegiis gaudeant.

Digitized by Google

§. DECIMVS-QVARTVS.

De collationibus Regiis, ſuæ ſpeciali formæ reddendis, & primum de collationibus iure Regaliæ peragendis.

1. *Rex Franciæ mediam perſonam inter ſummum Pontificem, & ordinarium ſuſtinet.*
2. *In collationibus Regiis, id mutuatur Rex quod plenius eſt in collatione Pontificia, & ordinaria.*
3. *Exempla iuris ciuilis, & Pontificij, rerum mixtarum, & quæ earum iura.*
4. *Progreſſus & ſeries tractandæ materiæ proponitur.*
5. *Vt locus detur Regaliæ, primum debet Epiſcopalis ſedes vacare.*
6. *Quibus modis vacet ſedes Epiſcopalis.*
7. *Quando Regalia claudi dicatur, & quomodo.*
8. *Quid* conſtitutio dum Epiſcopus, *& quæ eius ſolemnia.*
9. *Quid requiratur, vt beneficium iure Regaliæ vacare dicatur.*
10. *Quid ſit beneficium vacare vel de iure, vel de facto, remittitur ad ſuperiora plenior diſcuſsio.*
11. *Explicatur tamen vtraque vacandi ratio.*
12. *Regalia omnibus priuilegiis excipienda.*
13. *In conferendo iure Regaliæ, Rex mutuatur quæ ſunt Pontificiæ, & ordinariæ collationis priuilegia.*
14. *Rex Franciæ conferens iure Regaliæ, omnia exequitur, quæ ſummo Pontifici competunt.*
15. *Rex Franciæ conferens iure Regaliæ, nec regulis Cancellariæ, nec vitiis ſubreptionis ſubiicitur.*
16. Nota Deſiderij Heraldi ad vetus ſenatuſconſultum à *Regaliſtis authoribus laudatum.*
17. *Rex Franciæ conferens iure Regaliæ, ſuccedit loco Epiſcopi, boni, & legitimi adminiſtratoris.*
18. *Probatur ſpreto patrono Eccleſiaſtico conferre.*
19. *Probatur & in collatione ſocium pati non poſſe.*
20. *Probatur in alternatiuis conferre, quamuis locus non foret Epiſcopo.*
21. *Collatio Regia iure Regaliæ exequenda, neque præuentionibus, neque reſeruationibus Apoſtolicis ſubeſt.*
22. *Rex conferens iure Regaliæ, nullo gratiarum exſpectatiuarum onere grauatur.*
23. *Inſtrumentum collationis Regiæ nullis teſtibus firmari debet.*
24. *Nec tamen querela falſi argui poteſt.*
25. *Rex conferens iure Regaliæ, debet ſpecialem huius iuris facere mentionem.*
26. *Illa mentione omiſſa nulla remanet collatio.*
27. *Conferens authoritate Pontificij indulti, debet eius facere mentionem.*

1. DVm in ſuperiori capite Regem noſtrum Chriſtianiſſimum, inter collatores ordinarios conſtituimus, mox id rectè adnotauimus, in conferendi poteſtate, mediam quamdam inter ſummum Pontificem, & quemlibet ordinarium, perſonam ſuſti-

nexæ, ſiue mixtam, iuris vtrique competentis & priuilegij participem.

2. Et vero illud adeo conſtat, vt regulis Cancellariæ Romanæ, quæ liberiorem conferendi poteſtatem aſtringant, omnino non teneatur, vel aliis conditionibus, niſi ipſi collationi innatæ ſint, ſed ex priuilegiis, & facultatibus alterutri adquiſitis id ſeligat, & ſibi mutuetur, quo liberior reddatur collatio, & omnibus impedimentis, & obicibus facilius expediatur.

3. Nec longe differt, quod obſeruare ſolemus in pluribus rebus tum iuris ciuilis, tum iuris Pontificij, ex duabus naturis inter ſe diuerſis, & longe diſſitis coaleſcentibus, vt in iure patronatus mixto, & aliis, quæ ex iis quibus conſtant, & componuntur corporibus, id mutuari ſolent, & retinere, quod pinguius, & plenius habeatur in altero, dimiſſo quod peius fuerit.

4. Et in ſumma cum dixerimus Regem noſtrum Chriſtianiſſimum, duabus ex cauſis conferendi poteſtate vti, nempe vt vacantia iure regaliæ conferat beneficia, & ea, quæ dotationis, vel fundationis Regiæ gratiam meruerunt, libere diſpenſet, noſtri inſtituti ordo id poſtulat, vt in vtraque collatione Regia inquiramus, quà forma, quibuſue regulis collatio procedat.

5. Primum igitur, miſſis pluribus, quæ Regaliæ naturam, & originem, eiuſque vſum aperiant, quia iam à nobis abunde diſcuſſa fuerunt, *ad verba definitionis inſtitutione*, vbi de collationibus Regiis egimus, illud aduertendum eſt, collationi Regiæ peragendæ vt locus detur, neceſſarium eſſe in primis, vt ſedes Epiſcopalis vacet, cuius demum vacatione adueniente, dicitur aperta regalia, vt docent huius materiæ interpretes, *Arnulphus Ruſæus & Philippus Probus in ſupplementis ad eumdem, & patet in veteri conſtitutione dum Epiſcopus quæ exſtat in priori volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 16. art* 42.

6. At vero, & quibus modis ſedes Epiſcopalis vacare intelligatur, pluribus tractant ibidem *Ruſæus & Probus, & paſsim in pluribus aliis articulis*, ex quibus colligitur, non ſolum mortem naturalem vacationi locum dare, ſed & ciuilem, nec-non ab Eccleſia, in Eccleſiam alteram canonicam tranſlationem, ac demum in Collegium Cardinalium cooptationem, & quamlibet aliam mutationem, quæ nouum hominem efficiat, quarum exempla patent in *priori volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. d. cap. 16. num. 38. & 39. & notis ibidem ſubiectis & art. 45.*

7. Verum quà ratione, ſedis Epiſcopalis vacatione occurrente, Regalia aperiri dicitur, ſic nouo Epiſcopo, ſedem Epiſcopalem canonice intrante, eadem Regalia claudi intelligitur, iis tamen ſolemnibus de more ſeruatis, quæ late exponuntur in dicta conſtitutione, & ordinatione Regia, quæ à prioribus quibus concipitur verbis, *dum Epiſcopus* appellari ſolet.

8. Sed enim illa ordinatio exigit, vt fidelitatis ſacramentum Regi præſtitum ſit ab Epiſcopo, præſtationiſque teſtes litteras, cameræ computorum exhibuerit Epiſcopus, & ipſis ſcriniis cameræ demandatæ ſint, nec-non vt ipſa computorum camera, mandatum œconomis, regiiſque officialibus in partibus emiſerit, quo manum regiam, bonis Epiſcopatus vacantis impoſitam, auferri iubeat, quod patet ex ipſiſmet eiuſdem conſtitutionis verbis, & clauſulis.

9. Nunc igitur aduertendum, ſede illa Epiſcopali vacante, ſi quod beneficium, Epiſcopi collationi aſſignatum, vacare contigerit, vel ante ſedis Epiſcopalis vacationem, ſuo rectore carens, vacatione occurrente vacuum permanſerit, nemine de iure, vel de facto occupante, Regiæ collationi ſubeſſe, tamdiuque ſubiici, donec Rex Chriſtianiſſimus manum apponens, alicui contulerit, *Ruſæus in tract. regal. priuileg. 2. Probus in ſupplemento quæſt. 24. vt & probatur in d. conſtitutione dum Epiſcopus.*

10. Nunc vero, quid ſit beneficium de iure, vel de facto vacare, vel vtroque modo ſimul, fuſius explicant *Arnulphus Ruſæus in priuilegiis Regaliorum priuileg. 1. & Philippus Probus in ſupplem. & addit. quæſt. 27. & ſeq.* noſque pariter expoſuimus *ad verba definitionis inſtitutione*, vt hic nihil amplius deſiderari poſſit, quod non ſuppleatur abundantius ex Philipina conſtitutione, quæ exſtat *in primo volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. d. cap. 16. num. 32.* & ex his quæ ibidem tractauimus.

11. At enim ibi diximus beneficium de facto vacare, quando canonice quidem inſtitutus corporalem adire neglexit poſſeſſionem, vel eam quidem adiit, ſed procuratoris miniſterio interueniente, de iure vero, quando realis quidem, ac corporalis poſſeſſio beneficij adita exſtitit, ſed ex eo titulo, quod vtique iure Canonico ſtare non poteſt, de facto vero ſimul & de iure, quando neque realis poſſeſſio adepta fuit, neque Canonicus titulus adfuit.

12. Poſtquam igitur expoſuimus, quid Regiæ collationi, iure regaliæ exercendæ locum præſtet, inquirenda nobis eſt forma, per quam beneficium vacans, iure regaliæ conferatur, & quidem cum auguſtiſſimum ſit regium ius illud conferendi, ipſi Coronæ Regiæ adhærens, quibuſcumque priuilegiis, libertatibus, & exemptionibus honorandum fuit, propter conferentis maieſtatem, argumento *capit. ſi à ſede de preb. in 6.*

13. Ex his itaque patet illud ius regium, omnibus gratiis, & auxiliis, quibus Apoſtolicæ collationes ſuſtineri ſolent, adiuuari, omnium vero priuilegiorum, quibus ordinariorum collatorum libertas defenditur, aduerſus Cancellariæ Romanæ obices, mutuari, cuius etiam impedimentis omnino ſolutum habetur, vt teſtatur *Probus in ſuplementis ad Ruſaum quæſt.* 55. *&* 31. & patet ex memoriali inſtrumento in forma adnotationis in lite habitæ, vulgo dicimus *aduertiſſement*, temporibus Philippi Valeſij facto, quod exſtat in *priori volumine prob. ad lib. Eccleſ. Gall. cap.* 16. *art.* 33.

14. Et ex eo eſt, quod vulgo iactari ſolet, Regem noſtrum Chriſtianiſſimum, iure regaliæ conferentem, reſignationes in fauorem admittere poſſe, legum & canonum gratiam facere, conditiones collationibus apponere, nullo temporis lapſu coarctari, omnibuſque facultatibus, quibus ſummus Pontifex in conferendo vtitur, frui, & gaudere, vt paſſim probant *Ruſæus & Probus in tractatibus regaliorum*, & confirmatur paſſim, in *d. cap.* 16. *probat. & commentario ad collectionem libert. Eccleſ. Gall. Petri Pithæi art* 66.

15. At enim cum ordinariis collatoribus concurrens Rex noſter, eo communi iure vtitur, vt nuſquam ſubreptionis, aut obreptionis vitiis, collatio regia ſubiaceat, tanquam motu proprio facta, & ad nullius ſupplicationem, vt nullis Cancellariæ Romanæ regulis, conferentis libertas aſtringatur, niſi & illæ ſint, quæ ex iuris naturalis fontibus effluant, vt quæ de impetrantibus beneficia viuentium decreta eſt, & pleriſque aliis eiuſdem naturę & conditionis.

16. Et ea ratione obſeruauit *Deſiderius Heraldus Pariſienſis Aduocatus lib.* 2. *de auct. rer. iud. cap.* 19. Regem noſtrum Chriſtianiſſimum iure regaliæ conferentem, regulæ 14. Cancellariæ Romanæ, quæ de minoribus 14. annis ad Cathedrales Eccleſias non promouendis lata eſt, obſeruatione alligari, contra ſententiam *Ruſæi in priuilegiis regal. priuileg.* 24. *& Prob. in ſuplementis quæſt.* 55. qui auctoritate ſenatuſconſulti contra fidem & veritatem relati deluſi, in eumdem errorem cæteros interpretes induxerunt, *Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſſ. num.* 178. *& ſeq. Carolum de Graſſalio lib.* 2. *regal. Franc. iure* 1.

17. Et in ſumma Rex noſter Chriſtianiſſimus, iure regaliæ innixus, vacante ſede Epiſcopali, ſuccedit loco ordinarij, boni & legitimi adminiſtratoris, vt patet ex veteri ordinatione *dum Epiſcopus*, ſupra laudata ex *capit.* 16. *primi voluminis probat ad lib. Eccleſ. Gall. art.* 32. vt omnia exequatur, quæcumque poterat Epiſcopus, verum meliori, & ampliori iure, & cum participatione eius, quod ſummo Pontifici competit in diſpenſatione beneficiorum, vt conferat omnia & ſingula beneficia, quæ Epiſcopus de iure conferre poterat, vel ſolus, vel coniunctim cum aliis, vel alternatiue, vel mediante patroni nominatione, ita tamen vt nec ſocium patiatur, nec alterius mediationem, aut alternationem exſpectare debeat, aut admittere.

18. Verum enim, vt hos omnes articulos ſuo ordine exequamur, & rerum iudicatarum præiudiciis confirmemus, conſtat pluribus decretis ſtatuiſſe Curiam Pariſienſem, Regem Chriſtianiſſimum ſpreto patrono Eccleſiaſtico conferre poſſe, quod & deciſum habemus in publicis cauſarum actionibus die 4 Februarii anni 1638. perorantibus *Angelo de Maſſac*, in gratiam *Nicolai Picquenet* collatarij capituli Conſtantienſis ſede Epiſcopali vacante, Capellæ ſancti Ioannis Baptiſtæ in Eccleſia *de Valloignes*, deſeruiri ſolitę, in vim præſentationis Rectoris Eccleſiæ parochialis *de Valloignes* eiuſdem patroni, & *Carolo Gallot* pro *Stephano de Leſpine* qui collationem Regiam meruerat eiuſdem Capellæ, tanquam vacantis iure regaliæ, licet ſpreto patrono Eccleſiaſtico factam, huic enim regaliſtæ, cuius & defenſionem ſuſcepit *Hieronimus Bignonius* Aduocatus Regius, Capellam ſenatus addixit, cuius decretum exſtat in *priori volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap.* 16. *art. vlt. & in collectione decretorum ſecundum ordinem ſeſſionum Ioannis du Freſne lib.* 3. *cap.* 28.

19. Sed & idem obſeruandum in iis beneficiis, quorum collatio ſpectat coniunctim ad Capitulum & Epiſcopum, quamuis & Epiſcopus ſolius vocis ſuffragio vtatur, vt in Eccleſia Baionenſi obſeruari ſolet, quæ electione facta ex canonicorum & Epiſcopi ſuffragiis deferuntur, namque vacante Epiſcopali ſede, omnimodam collationem Regi addixit ſenatus Pariſienſis, & præbendam *Dionyſio Sauuat*, qui collationem Regis meruerat capituli etiamnum conſortio excluſo, & interceſſione facta in fauorem *Michaelis du Verger*,

Digitized by Google

qui electionem capituli meruerat, cauſa primum perorata in publico auditorio die 14. Iunii anni 1646. deinde ex litis recitatione deciſa, cuius decreta exſtant in *collectione ſecundum ſeſsionum ordinem habita à prædicto Ioanne du Freſne patrono Pariſienſi lib. 4. cap. 41.*

20. Et tandem in alternatiuis, quorum collatio ad capitulum & Epiſcopum pertinet, alteruis vicibus exercenda, ſtatuit ſenatus & Regiæ collationi ſubeſſe, quamuis vacante ſede, Epiſcopali collationi locus non foret, quia rex iure Regalię conferens, primæuo iure & antiquiori vtitur, quod alternationes illas in collationibus Epiſcoporum non admiſerat, ſed omnes Baſilicas diſpenſationi eius ſubmiſerat, vt habetur in *can. omnes Baſilicæ 16. quæſt.* 7. quod & decreuit ſenatus die 7. Iunii anni 1652. *Petro Couſturier*, Regio collatario patrocinium prębente *Ioanne Martinet*, aſſiſtente collatario capituli ſancti Seuerini Burdegalenſis, cui idem capitulum, præbendam eiuſdem Eccleſiæ contulerat, cum mutuis vicibus & poſteriori ab Archiepiſcopo Burdegalenſi collatione habita, ad ſe rediiſſe aſſereret, ſed hac diſtinctione inſuperhabita, & ſpreta ab *Audemaro Talæo* Aduocato Regio omnimoda collatio Regi adiudicata fuit.

21. Sed & inſuper conferentis libertatem auget, quod nullis præuentionibus Apoſtolicis, nullis reſeruationibus, etiam in corpore iuris clauſis, vt quæ de vacantibus in Curia beneficiis ſeruari ſolet, Regia collatio coarctetur, vt probant idem *Ruſæus in tract. regal. priuileg. 9. & priuileg. 31. & Probus in ſuplementis Ioannes Galli quæſt. 20. & quæſt. 150. & ibi Molinæus & ad conſuetud. pariſ. §. 27. num. vlt. & ad reg. de infirm. reſign. num. 406. itemque præſes Magiſtri in tract. regal. cap. 11.*

22. Item collatio Regia iure regaliæ peragenda, nullis mandatariorum, graduatorum, indultariorum, vel aliorum exſpectantium requiſitionibus retardari ſolet, vt probant *ibidem Ruſæus priuileg 9. n. 3. & Probus in ſupplementis quæſt. 25.* cum in eo conferendi genere, Rex Chriſtianiſſimus, iuris patronatus laici, quod & illi cauſam dedit, priuilegiis frui ſoleat, quod omnibus hiſce oneribus non grauatur, vt alias probauimus ex Molinæo & aliis, qui patronos laicos neque mandatis, neque præuentionibus Apoſtolicis, vnquam colla ſubmiſiſſe iactant.

23. Verum ea collationi Regię habenda fides, & auctoritas, vt quamuis ordinariæ collationis inſtrumentum, duorum teſtium fide muniri debeat, vt ſuprà diximus *in §. 13. huius capitis art. 24. & ſeq.* tamen relationi vnius è quatuor Regiis Amanuenſibus, collatum iure Regaliæ beneficium atteſtantis, firma auctoritas, & plena fides adhiberi ſolet.

24. Nec tantum collationibus Regiis, ſed etiam breuiculo auctoritate Regia, & iuſſa ab altero Amanuenſium confecto, celtiſmo noſtro dicimus *Breuet*, ita vt querela falſi argui, vel accuſari non poſſint, vt quælibet priuatæ collationes, vt alias decreuit ſenatus in publicis cauſarum actionibus, die iouis nona Aprilis anni 1609. perorantibus *Antonio Mornacio, & Ludouico Dolæo*, tandem Comite Conſiſtoriano, cuius decreti teſtimonia exſtant in matricula, & catalogo Aduocatorum Pariſienſium, ea parte qua fit mentio *Antonij Mornacij*, quę nobis prodeunt beneficio *Claudij Ioli*, Canonici Pariſienſis, & alias in forenſi palæſtra exercitatiſſimi.

25. Sed & illud obſeruandum, cum eo iure innixa conferendi poteſtas, tot tantiſque priuilegiis decoretur, quæ nulli alteri communicanda veniunt, in collationibus iure Regaliæ peractis id neceſſario exigi, vt peculiaris mentio fiat, vacantis iure regalię beneficii, nec illud omittatur Regem Chriſtianiſſimum, poteſtate ſibi innata, & coronæ adhærenti, beneficium contuliſſe.

26. Verum enim alias priuilegiis omnibus, & gratiis regalię adhærentibus, collatio deſtituta permaneret, quæ cum ſint ſpecialis, & inſoliti iuris, ſpeciali nota indigent, adeo vt ſi omiſſa fuerint, nullo modo ſuppleri ſoleant, vt notat *Probus in ſuplementis ad Ruſæum quæſt.* 59. nec vt ea quę moris, & conſuetudinis eſſe dicuntur *lege 31. §. qui aſsidua dig. de ædil. ed. l. 17. §. 1. dig. de aq. & qu. pleuu. arc. act.*

27. Et vero illud pariter ſeruatur in eminentiſſimis Curiæ Romanæ Cardinalibus, cæteriſque indulti Pontificii, dum conferunt beneficia, fauori innitentibus, cum enim gratiæ Pontificię auxilio ſuffulti, præuentionibus Apoſtolicis, aut aliis reſeruationibus non ſubiaceant, non alias eo priuilegio vtuntur, & collationes eorum ſpeciali iure reguntur, quàm ſi gratiæ, & priuilegii, in collationibus ſpecialis mentio habita fuerit, alioquin iuri communi, & ordinario reddità, præuentionibus Apoſtolicis ſubiacent, quod pluribus decretis probauere magni Conſilij Patres.

Digitized by Google

§. DECIMVS-QVINTVS.

De forma, & conditione regiarum collationum, iure fundationis regibus noſtris competentium.

1. *Rex Franciæ confert pleno iure beneficia fundationis Regiæ.*
2. *Beneficia fundationis Regiæ, potius profanam, quam ſpiritalem naturam induunt.*
3. *Nullis regulis Canonicis coarctatur collatio Regia iure fundationis procedens.*
4. *Unde fundationes priuatorum, naturam Eccleſiaſticam neceſſario mutuantur.*
5. *Regiæ fundationes ſolam Regiam manum patiuntur.*
6. *Collationes Regiæ iure fundationis, nullis aut mutationibus, aut reuocationibus ſubiacent.*
7. *Beneficia fundationis Regię, vnde ſolis Clericis adſcribantur.*
8. *Clericis aulicis maxime debentur beneficia fundationis Regiæ.*
9. *Rex conferens iure fundationis, nullis Cancellariæ Romanæ legibus aſtringitur.*
10. *Rex conferens iure fundationis, nullo tempore coarctatur.*
11. *Reges iure fundationis conferentes, quandoque collationes regulis Canonicis ſubmiſerunt.*
12. *Probatur decreto Curiæ Pariſienſis collationem Regiam regulæ 20. dierum ſubiiciendam.*
13. *In militiis profanis reſignandis, locus eſt obſeruationi 40. dierum.*
14. *Vtrum regula de 20. diebus locum habeat in regalia.*
15. *Probatur decreto Curiæ Pariſienſis locum habere in regalia.*
16. *Rex Franciæ conferens iure fundationis, obſeruare debet conditiones ipſi fundationi dictas.*
17. *Vnde Rex conferens iure fundationis, non poſſit eximere à conditionibus fundationis.*
18. *Vbi lege fundationis qualitas requiritur, tempore collationis adeſſe debet.*
19. *Cur non fuerit hic ſpecialiter dicendum, de collationibus extraordinariis ad ſpecialem formam reducendis.*
20. *Continuatio, & progreſſus propoſitæ materiæ ſubiiciuntur.*

1. EX his quæ ſupra diximus *ad verba definitionis inſtitutione* §. 15. cum de collationibus Regiis agebamus, illud patet, Regibus noſtris Chriſtianiſſimis conferendi poteſtatem omnino adquiſitam eſſe, propter fundationes, & dotationes Eccleſiarum, quas ſuis reditibus dotauerunt.

2. Sed enim illud conſtat fundationes illas, cum ſola Regia auctoritate innitantur, nec decretis ordinariorum confirmari ſoleant, Imperialibus contractibus, ſiue donationibus, aut fundationibus, legis vicem obtinentibus, minimeque opitulatione quadam publica extrinſecus egentibus, vt innuit ipſe Iuſtinianus Imperator in *lege penult. cod. de donat. inter vir. & vx.* profanam potius, quam ſpiritalem naturam mutuari, vt adnotauit *Carolus Molinæus ad reg. de infirm. num.* 416. *& ſeq.*

3. Et ex eo eſt, quod nullis iuris canonici regulis, in diſpenſatione præbendarum dotationis Regiæ facienda, ſubmittuntur Reges noſtri, ſed ad libitum fundatoris conferuntur, beneficia & arbitrium, ſoliſque legibus, & conditionibus Regiis fundationi dictis teneantur, vt ex re, & conuenienter probatum habemus, in veteri inſtrumento temporibus *Philippi*

Valeſij facto, in formam adnotationis in lite, quod exſtat in *priori volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 16. art. 33.*

4. Verum enim fundationes, & dotationes, à laicis priuatis hominibus, vel Eccleſiaſticis confectæ, ex eo ſolo Eccleſiaſticam, & ſpiritalem naturam accipiunt, quod ordinariorum decretis, quæ ſola ius in fundationibus Eccleſiæ adquirunt, confirmatæ ſint, adeo vt ante confirmationis decretum, tanquam profanæ donationes reuocationibus ſubiaceant; vt pluribus Curiæ Pariſienſis decretis, confirmatum eſt, relatis à *D. Louëtio, & eius ſcholiaſte in litt. d. num. 3.*

5. At vero fundationes Regiæ, Eccleſiaſticum, & alienum caracterem quemlibet admittere, nec pati poſſunt, cum ſolam manum regiam agnoſcant, eique ſoli ſubmittantur, quæ in temporalibus, quales ſunt fundationes, nullum ſuperiorem agnoſcit, nec opitulatione quadam extrinſeca adiuuari ſolet, vt ſupra obſeruauimus ex Imperatore Iuſtiniano; vnde nulli alteri ius adquiritur, ſed totum Regi Chriſtianiſſimo reſeruatur.

6. Nec tamen mere laicam, aut profanam naturam accipiunt, aut quæ mutationibus, aut reuocationibus quibuſlibet obnoxia ſit, cum enim Reges noſtros Chriſtianiſſimos, mixtam quamdam ſuſtinere dixerimus perſonam, regiæ ſimul, & ſacerdotalis participem, teſte vel *Ioanne Monacho ad cap. 2. de præb. in 6.* Regeſque ipſos nullis mutationibus, quæ regiam conſtantemque maieſtatem vel paululum lædant, obnoxios eſſe conſtet, inde ſequitur regias fundationes, ſpiritualis quodammodo, conſtantiſque naturæ participes, nulliſque reuocationibus obnoxias eſſe.

7. Et quidem ex his illud primum naſcitur, per huiuſmodi fundationes aſſignatas præbendas, & reditus, beneficiorum quodammodo naturam ſortiri, ſoliſque Clericis, & Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptis conferri ſolere, quia ea mens fuiſſe intelligitur Regum noſtrorum, regiis munificentiis Eccleſias ditantium, vt ſolis Eccleſiaſticis viris, & Clericis, conferenda beneficia addicerentur.

8. Et illud maxime ita ſeruatur, vt veluti quodam præcipui iure, capellæ regiæ ſodalibus & muſicæ in ea Clericis inſeruientibus addicantur, quod maxime in collationibus præbendarum fundationis Regiæ ſeruandum fuit, tanquam ſacra lex fundationi dicta, quodque hodie frequentius obſeruatur, vt hæc beneficia fundationis regiæ, aulicis clericis conferantur, tanquam famulatui, & obſequio regi exhibendo debita præmia, ipſiſque æquiori iure, quam cæteris aliis repenſanda.

9. Nec tamen cæteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulis, quæ in diſpenſatione beneficiorum Eccleſiaſticorum ſeruari ſolent, Rex noſter Chriſtianiſſimus præbendas dotationis ſuæ Regiæ conferens aſtringitur, verum illis neglectis, & omiſſis conferre poteſt, vt in fauorem certæ perſonæ, certam ſpem ad vacatura beneficia concedere, & alias conditiones adiicere, quæ canonicis regulis improbantur, vt obſeruat *idem Molinæus ad reg. de infirm. reſign. num.* 418.

10. Nec etiam vllo tempore coarctatur libertas conferentis, vel propter negligentiam deuolutionibus Pontificiis, multominus præuentionibus ſubeſt, cum nequaquam in huiuſmodi beneficia, tanquam in meſſem alienam ſummus Pontifex falcem immittat, in quibus Rex noſter nec ſuperiorem, nec æqualem agnoſcit, cui vel deuolui poſſit neglecta conferendi facultas, vel qui cum Rege concurrere poſſit in conferendi facultate.

11. Et quamuis nullis, aut Cancellariæ Romanæ regulis, aut iuris Pontificij decretis, collationes regiæ iure fundationis adquiſitæ ſubmittantur, ſed in illis pleniori libertate reges noſtri vti conſueuerint, tamen, vt digna vox eſt maieſtate regnantis, etſi legibus ſolutus ſit, earum obſeruatione ſeſe ſubmiſſum profiteri, ita reges noſtri, ſæpius iure fundationis conferentes, iuris Canonici, & Cancellariæ Romanæ regulis, collationes, ſuas ſubmiſerunt, maxime cum æquitati naturali innitantur, vt obſeruat *Carol. Molin. ad reg. de infirmis num.* 409. *& ſequentibus.*

12. Et ex eo notat idem *Molinæus ad d. regulam de infirm. reſign. num.* 416. Curiæ Pariſienſis decreto anni 1444. die prima Decembris iudicatum fuiſſe, & deciſum, collationem Regiam ſacelli ſancti Laurentij in Eccleſia Meldenſi, morte vltimi poſſeſſoris vacantis habitam, potiorem eſſe, & præferendam antiquiori collationi regiæ, eiuſdem ſacelli ex cauſa reſignationis peractæ, ex eo quod ipſe reſignans, intra viginti dies deceſſiſſet.

13. Nec vero longius abſuerit, vt adnotauit *idem Molinæus ad d. reg. de infirm. reſig. num.* 424. quod Rex noſter Chriſtianiſſimus reſignationes, & prouiſiones regiorum munerum, 40. dierum obſeruationi ſubmiſit, vt extra illud tempus reſignans vitam protrahere debeat,

Digitized by Google

beat, ad firmandam reſignationem, quamuis non ab infirmis, ſed prouectę ætatis, & firmæ valecudinis hominibus habeantur, quod & pariter in collatione beneficiorum fundationis Regiæ obſeruari voluere, ſed arctiori & breuiori tempore viginti dierum præfixo.

14. Et ad illud quæſitum, quod & ſuperiori §. addi poſſit, vtrum in collatione Regia iure regaliæ peracta, locum haberet regulæ de 20. diebus obſeruatio, quod & ſi *Renatus Chopinus* contendat & in illis locum habere *lib. 2. de dom. tit. 9. num. 15. & lib. 2. monaſt. tit. 3. num. 19.* & edicto Regio firmatum aſſerat, apud prætorianos iudices approbato, tamen aliud probat Scholiaſtes *D. Louetij* & decreto Curiæ Pariſienſis confirmat, & in *litt. R. num. 47.* nec enim edictum prætorianis iudicibus inſcriptum, & ab illis probatum, ad regaliam extendi potuit, in quam ipſi nec manum, nec falcem, tanquam in meſſem alienam mittere debuerunt.

15. Verum etſi prædicta regula, vt pleræque aliæ Cancellariæ Romanæ ſanctiones, collationibus modum dare non ſoleant, ſeruatur vtique, vel vt Regiæ donationi adiecta conditio, quod & probauit ſenatus in publicis cauſarum actionibus, die iouis 13. Martij anni 1653. dicentibus *Claudio Pucelle*, in tuitionem *Gerardi Handri*, qui præbendam Remenſem, iure Regaliæ & morte vltimi poſſeſſoris *Caroli Potteuin* vacantem meruerat, *Ludouico Dubois*, in patrocinium *Nicolai Thullier*, qui pariter à Rege ex cauſa permutationis cum vltimo poſſeſſore habitæ præbendam impetrauerat, ſub ea demum conditione, ſi 20. diebus ab ipſa collatione numerandis ſupereſſet, cum enim ipſa die vigeſima incepta, necdum completa deceſſiſſet, decreuit ſenatus, ſoli collationi Regiæ ex cauſa mortis habitæ locum remanere.

16. Sed & illud potiſſimum aduertendum eſt, Reges noſtros iure fundationis præbendas, aut alia beneficia conferentes, id ſpecialiter obſeruare debere, vt conditionibus, aut legibus fundationi appoſitis exequendis, & implendis religioſiſſime adhęreant, nec ab illis vel paululum diſcedant, à quibus, cum iure apud nos ſeruato, & in libertates Eccleſiæ Gallicanæ transſcripto in *art. 30.* collectionis Pithæanæ, ſummo Pontifici diſpenſandi facultas non detur, nec pariter ſibi conceſſam voluere Reges noſtri.

17. Quamuis enim vt dicitur in *capit. innotuit. 20. de elect. & elect. poteſt.* anteriores principes leges dicendo, aut iura conſtituendo, non potuerint ſubſequentibus eam facultatem adimere, vt legum gratiam faciant, tamen cum ipſæ conditiones in fundationibus dictæ, in contractum auctoritate publica obfirmatum tranſierint, & legis auctoritatem obtinuerint, ab illis diſpenſare non ſolent Reges noſtri, dum beneficia iure fundationis conferunt, vt notat *Ioannes Dayma in commentariis ad concordata tit. de elect. & reg. ad præl. nominat. fol. 245. col. 2.*

18. Sed & illud adeo verum eſt, vt conditiones illæ fundationibus præſcriptæ, veluti ſacerdotij, ipſo collationis momento adeſſe debeant, nec ſuperueniens, aut adquiſita poſt collationem qualitas, aut conditio, collationem confirmare poſſit, vt alias probauimus in beneficiis, certum ordinem fundationis lege, aut conuentione præſcriptum habentibus, quod & in fundationibus Regiis ſeruari debuit, cæterorum enim contractuum legibus, & conditionibus ſubmittuntur, vt *ibidem probat Dayma.*

19. Hoc vnum ſupererat, vt extraordinariis collationibus ſuam formam adderemus, & §. 16. præcedentis diſputationis ad verba definitionis *inſtitutione* quodammodo reſponderemus, & propoſito nobis ordini ſatisfaceremus, ſed cum variæ in prædicto §. præmiſſæ collationes extraordinariæ, quibuſlibet ordinariis accedant, & in eo potiſſimum, quod iiſdem & qualitatibus, & conditionibus conſtent, non fuit vt à prædictis regulis diſcederemus, & ſpecialem tractatum hic ſubiiceremus, cum nihil foret noui addere, & quod à præcedentibus vel minimum differret.

20. Hæc igitur ſufficiant vt propoſito ordini ſatisfiat, ad exponendas vel aperiendas formas, conditiones, & qualitates, quæ inſtitutiones canonicas efficiant, quod fuit propoſitum huius tractatus, ad verba definitionis *Canonica*, quibus addi potuit generalis illa conditio, quæ beneficium vacaſſe deſiderat, antequam ad eius collationem procedendum ſit, ſed quia hæc conditio, omnes quibus vacare ſoleant beneficia modos includit, quæ paululum diffuſior materia, ſpecialem tractatum exigit, ideo ſubſequenti diſputationi ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ *conceſſa* reſeruanda fuit.

Digitized by Google

AD VERBA CONCESSA

CAPVT PRIMVM.

De variis modis, quibus beneficia vacare ſoleant, vel amitti.

1. *Continuatio tractatus, & connexio huius materiæ cum ſuperiori.*
2. *Cur ad verba* conceſſa *agatur de modis vacationum.*
3. *Beneficium quod nondum vacauerit peti non poteſt.*
4. *Argumentum ab hæreditatibus deſumptum.*
5. *Altera ratio huius continuationis, & connexionis.*

1. IMMENSVM rei beneficiariæ pelagus peragrantes, tandem appulimus ad portum, ſiue ad vltima noſtræ definitionis beneficiariæ verba *conceſſa*, quæ beneficia nobis exhibent, in ſtatu adquiſito, omnibus conditionibus, & qualitatibus, quas adquirendo neceſſarias eſſe diximus, inſtructo, & compoſito.

2. Cum igitur is ſit rerum fluxus, & recurſus, vt fixa quæque, & adquiſita, labantur in exitum, non potuit ad verba definitionis *conceſſa*, magis accommodata, vel conueniens haberi diſputatio, quam ea quæ de modis, quibus vacare ſolent, vel amitti, tractare conſueuit, nec potuit præcedenti diſputationi, quæ de formis, conditionibus, & qualitatibus, inſtitutionum canonicarum habita eſt, alia commodius ſubiici.

3. Verum & ob illud præcipuè, quod in præcedenti §. eam canonicarum inſtitutionum conditionem maxime ſpectandam eſſe diximus, vt altero ex canonicis vacandi modis vacent conferenda beneficia, namque in iure canonico illud conſtat, beneficium quod nondum vacauerit, conferri non poſſe, *toto titulo de conceſſ. præb. & Eccleſ. nond. vac.*

4. Sed & illud ſummi Pontifices probauerunt, argumento ab hæreditatibus viuentium deſumpto, in *capit. nulla Eccleſiaſtica de conceſſ. præb.* quæ nec pactionibus ſubiici, nec deferri poſſunt, quod ita certum eſt, vt in regulam Cancellariæ Romanæ tranſierit, quæ de impetrantibus beneficia viuentium dicitur, de qua & ſupra egimus.

5. Verum & illud adde, quod cum in ſuperiori capite, de canonicis inſtitutionibus, ſiue modis adquirendi beneficij actum ſit, id vnum maxime ſpectandum oſtendimus, vt

Digitized by Google

ſingulis ſua canonica forma addatur, & inter cætera id præcipuè ab impetrantibus obſeruandum, vt verus, & canonicus vacandi modus exprimatur in litteris collationum, vt colligitur ex *can. presbiteri diſtinct.* 24.

§. PRIMVS.

De vacatione ipſo iure.

1. *Quatuor modis vacant beneficia, quæ & referuntur.*
2. *Quid ſit ipſo iure vacare beneficia.*
3. *Vacatio ipſo iure quare ipſo facto fieri dicatur.*
4. *Quid ſit in canonem latæ ſententiæ incidere.*

1. BEneficia itaque quatuor potiſſimum modis vacare intelliguntur, ipſo iure, per ſententiam, facto tantum, iure & facto ſimul vt habetur in *gloſſa capit.* 1. *ne ſede vac. aliq. innou. in extrauag. commun. in verbo vacantium*, quæ & ſingula explicanda veniunt ex ordine.

2. Et primùm ipſo iure beneficia vacare intelliguntur, quando iure ita decernente, nec vlla iudicis auctoritate, aut decreto interueniente, priuatio beneficij inducitur, vt conſtat ex *gloſſa legis iubemus § æconomus cod. de ſacroſ. Eccleſ. capit. finali de præſcript. in* 6. *capit. ambitioſæ de rebus Eccleſiæ non alien. in extrauag. commun.*

3. Sed & illud aduertendum eſt, ibidem priuationem beneficiorum, quæ ipſo iure inducitur, dici & ipſo facto fieri, & contingere, quia ſtatim atque quid admiſſum eſt, aut quid omiſſum, inde ſequitur beneficiorum priuatio, ſiue vacatio, tanquam pœna ſacris canonibus præſcripta, quamuis nec auctoritate iudicis inducta fuerit, nec etiam pronunciata.

4. Et ex eo eſt, quod qui talia committunt, vel omittunt, in canonem latæ ſententiæ incidere dicuntur, quaſi iam pronunciatæ, vel promulgatæ, vt patet ex *gloſſa can. ſi quis ſuadente diabolo* 17. *quæſt.* 4. *in verbo ſubiaceat capit. finali de offic. iud. ordin. Durandus in repertorio iuris canonici tit. in quibus caſibus aliquis ipſo iure excommunicatus vel ſuſpenſus.*

§. SECVNDVS.

De vacatione ex delicto.

1. *Beneficia vacant ipſo iure, vel ex delicto, vel ex quaſi delicto.*
2. *Simonia vacationem beneficiorum ipſo iure inducit.*
3. *Crimen hæreſeos vacationem inducit ipſo iure.*
4. *Probatorium in id Curiæ Pariſienſis decretum.*
5. *In crimine hæreſeos pœnitentiæ locus datur.*
6. *Edictis pacificationis beneficiariis hæreticis datæ induciæ.*
7. *Noua cautela conſilij Regij, vt patroni hæretici ſuo iure non omnino defraudentur.*
8. *Differentia in quærendis, & adquiſitis beneficiis ab hæreticis.*
9. *Meditati homicidij admiſſione vacant ipſo iure beneficia.*
10. *Vnde petenda vocabuli Aſſaſini, & Aſſaſinorum explicatio.*
11. *Alia crimina innominata referuntur ad ſuperiora accedentia, & vacationem ipſo iure inferentia.*

Digitized by Google

12. *Falſificatione litterarum Apoſtolicarum vacant ipſo iure beneficia.*
13. *Idem probatur in qualibet alia falſificatione.*
14. *Intruſio vacationem beneficiorum ipſo iure infert.*
15. *Item vis illata reſignanti, vacationem ipſo iure importat.*
16. *Argumentum deſumptum ab his qui teſtari coegerunt.*
17. *Schiſma, vel adhæſio profitentibus, vacationem infert ipſo iure.*
18. *Qui ad preces hæreticorum promoti, priuandi beneficiis.*
19. *Cædes quæcumque proprij paſtoris vacationem infert ipſo iure.*
20. *Item qualibet Cardinalis percuſsio, quæ ad crimen læſæ maieſtatis accedit.*
21. *Qui ſententiam ſanguinis dixit priuandus beneficiis.*
22. Nota Caroli Molinęi ad can. quæſitum 23. quæſt. 3.
23. *Probatur decretis Curiæ Pariſienſis ſententiæ capitalis dictionem vacationem inferre beneficij.*

1. HVic ergo vacationi, quæ ipſo iure fieri dicitur, cauſam præſtat delictum à beneficiario commiſſum, vel quaſi delictum, non quodlibet, ſed illud tantum, cuius in pœnam beneficiorum vacatio ſacris canonibus præſcripta eſt, & definita, namque hæc pœna, cum ſit è grauioribus, ipſamque beneficiorum naturam, quæ perpetua eſſe debet, vt ſupra oſtendimus *ad verba definitionis noſtræ ad vitam*, corrumpat non fuit mero iudicis, & collatoris ordinarij arbitrio committenda.

2. Tres ſunt autem potiſſimum delictorum ſpecies, priuationem beneficiorum ipſo iure inducentes, quæ in plures alias ſubdiuiduntur: prima eſt ſimonia, ſiue deteſtanda beneficiorum, aut aliarum rerum ſpiritualium nundinatio, *capit. inſinuatum de ſimonia capit. deteſtabile eod. tit. in extrauag. commun.* de qua, quia alias fuſius diximus in proprio & ſpeciali capite *ad verba definitionis noſtræ cæleſtis*, ideo hæc pauca dixiſſe ſufficiet, vt quæ deerunt ex eodem loco & petantur, & hic ſubnectantur.

3. Secunda eſt hæreſis *capit. ad abolendum 9. de hæret. capit. cum ſecundum legem de hæret. in 6.* quippe cum clericis, ſiue militiæ Eccleſiaſticæ adſcriptis, ſors quædam Eccleſiæ, ſiue portio obtigerit, à qua nomen habere diximus, in ea hęretici partem habere non merentur Eccleſia, à qua voluntarie diuerterunt, imo vt alias iudicio de moribus vxor, à viro diuertens dotis amiſſione plectebatur, ita & hæretici beneficiorum priuatione mulctari debent.

4. Et inde eſt, quod ſenatus Pariſienſis nouiſſime decreuit in publicis cauſarum actionibus die 6. Februarij anni 1648. perorantibus *Guilelmo Adamo* pro appellante, *Claudio Roberto* pro Epiſcopo Carnotenſi liti adſiſtente, *Ludouico Dubois* pro intimato cauſam dicente, patronum laicum in hæreſim delapſum, iure patronatus vti non poſſe, donec ipſius Eccleſiæ gremio redderetur.

5. Nec enim qui hæreſim profeſſus eſt, aut ſtatim ſpoliandus venit beneficio, quamuis ipſo iure aut conferendi, aut præſentandi poteſtate priuandus, illud enim ſpeciale eſt in crimine hęreſeos, quod à cæteris omnibus alienum, vt etiam poſt admiſſum crimem pœnitentiæ locus detur, vt adnotauit ipſe *Rebuffus in tertia parte praxis beneficiariæ tit. de mod. amitt. benef. num. 7.*

6. Et ex eo eſt, quod in articulis ſecretioribus ad edictum Nannetenſis pacificationis additis, & promulgatis *art. 55.* beneficiariis, qui nouæ ſectæ adhærentes, in ipſam beneficiorum ſuorum priuationem inciderant, induciæ ſex menſium indictę ſint, intra quos beneficiis cedere poſſent, & in fauorem alterius clerici capacis, & idonei, religionem Catholicam profitentis eiurare, vt iuxta reſignationem inſtitueretur.

7. Et ad illud quodammodo accedit, quod in correctionem ſuperioris decreti Pariſienſis Curiæ, edixit conſilium Regium, vt querelæ nouæ ſectæ adhærentium quacumque ratione ſatisfieret, patronos hæreticæ prauitatis profeſſionem agentes, donec Eccleſiæ gremio redderentur, poſſe procuratores catholicos demandare, ad quorum nominationem, & præſentationem clericorum idoneorum factam, ordinarij inſtituere tenerentur, quod decretum exſtat in *additionibus ad D. Lepreſtre cent. 2. cap. 32.*

8. Sed & in ea priuatione, & inhabilitate ad beneficia, facienda differentia, inter ea quæ iam adquiſita ſunt, & adipiſcenda, in quærendis enim, hæreticis etiam conuerſis, & pœnitentibus, nec-non ipſius Eccleſiæ gremio redditis, omnis ad beneficia aditus occlu-

ditur, quia hæreſis notam quamdam inurit, & cicatricem indelebilem, quæ non tantum excludit hæreticos, ſed & filios eorum, & nepotes, *cap. quicumque §. credentes capit. ſtatutum de haret. in 6.* quod introductum exemplo legum ciuilium, in puniendo crimine læſæ maieſtatis etiam in perſona filiorum, *lege quiſquam cod. ad leg. iul. maieſt.* cuius tamen iuris rigorem antiquari voluit *Vid. Conchil. in poſthum. memor. reformat. Eccleſ. pag. 129. in principio.*

9. Tertia ſpecies criminis, & delicti, priuationem beneficij ipſo iure inducentis, eſt homicidium, non quodlibet, nec quacumque occaſione perpetratum, ſed illud tantum, quod ex præuia meditatione perpetratum eſt, vulgo aſſaſinatus dicitur, & idiotiſmo noſtro Gallico frequentiori *aſſaſinat de guet-à-pend.*

10. Et quidem de ea criminis ſpecie, & vocabuli ſignificatione, & origine, differentem habemus Innocentium IV in Concilio generali Lugdunenſi relato in *capit. 1. de homicid. in 6.* vbi Doctores & illud vocabulum interpretantur, & nos alias expoſuimus *ad verba definitionis noſtra cœleſtis cap. 1.* vbi de vita & honeſtate Clericorum agentes, varios caſus aperuimus, in quibus clericatus priuilegia amittunt, inter quos & locum dedimus aſſaſinatui.

11. Verum ex his tribus delictis, quæ iure canonico, ſuum & ſpeciale nomen ſortita ſunt, alia plura ſuboriuntur, quæ proprio nomine vacant, & ad ea reducuntur, tanquam ad origines ſuas, & capita, & ſunt veluti mali corui oua peſſima, ex quibus & illud mutuantur, vt beneficiati iis criminibus irretiti, ſua beneficia ipſo iure amittant.

12. Ecce enim, ad ſimoniam quodammodo accedit falſificatio litterarum Apoſtolicarum, quæ & ipſa priuationem beneficij ipſo iure inducit, *capit. ad falſariorum de crim. falſi* & vtraque pariter vitioſum præbet ad beneficia ingreſſum, *can. ordinationes 1. quæſt. 1.* vbi ordinationes pretio interueniente habitæ, & falſæ dicuntur & ſimoniacæ.

13. Nec tantum illud admittimus in falſificatione litterarum Pontificiarum, ſed etiam in qualibet falſi admiſſione ad inſtrumenta beneficiariæ poſſeſſionis comparandæ neceſſaria, ſiue à ſede Apoſtolica, ſiue ab ordinaria poteſtate emanauerint, vt innuit ipſum *Henrici II. edictum anni 1550. art. 17.* quod ipſoſmet falſarios omni iure poſſeſſorio beneficij excidiſſe declarat, quæ verba Gallice reddita *ſeront declarez deſcheus* priuationem ipſo iure inducunt, quam & *Molinæus in commentario Gallico ad idem edictum*, à ſenatu Pariſienſi anteriori tempore, anno ſcilicet 1540. indictam teſtatur, vt inde pateat quolibet tempore illud ius obtinuiſſe.

14. Sic & intruſio ad ſimoniam accedit, & in regula Cancellariæ Romanæ, quæ de pacificis poſſeſſoribus decreta eſt, ſimoniæ ipſi comparatur, quia & vtraque pariter vitioſum præbet in Eccleſiam ingreſſum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum priuationem ipſo iure inducit, *capit. eum qui 18. de præb. in 6.*

15. Nec-non ad ſimoniam referri poteſt, vis facta in reſignatione, quæ induci, & adhiberi dicitur, dum aliquis beneficiarium, vi illata ad reſignationem perficiendam adigit, quæ & ipſa, beneficiorum, hac ratione quæſitorum ſpoliationem infert, cum vis poſſeſſionem quæſitam inficere ſoleat, *capit. multorum de pœnis in Clement.* vt & ſimonia, & in iure ciuili vis, & furtum.

16. Nec alia ratione in eodem iure ciuili ſeruatur, vt teſtamenta eorum, qui vi condere coacti ſunt, nulla, & inualida eſſe cenſeantur, *toto titulo ſi quis aliq. teſt. prohib. vel coeg.* nec tantum vis in reſignatione adhibita, ſed & ſequeſtro illata, qui fructuum ſeruandorum cauſa demandatus eſt auctoritate iudicis, vel electione litigantium, *Clement. vnica de ſequeſt. poſſeſſ.*

17. Et vt ex infauſta ſimoniæ radice, infœliciores ſurculi prodeunt, eidem pœnæ priuationis beneficiorum addicti, ita & ex fœdiſſima hæreſeos ſcaturigine, impuriores riuuli profluunt, primæuæ naturæ, & pœnæ participes, & in primis eſt ſchiſma, *cap. 1. de ſchiſmat. apud Greg.* ſiue adhæſio illud profitentibus, *capit. olim de accuſat.* quicumque enim tali crimine inficitur, & notatur, beneficiis omnibus ipſo iure ſpoliandus eſt.

18. Sic & ille, qui ad preces hæreticorum, vel ſchiſmaticorum beneficia obtinuit, pari pœna plectendus eſt, *capit. 2. §. ad hæc de hæret. in 6.* nam qua ratione ipſos hæreticos, ſuis beneficiis ipſo iure exuendos diximus, ſic & eos omnes, qui ipſorum partibus adhærentes, beneficia tanquam nefandę adhæſionis præmia conſequuntur, namque pariter omnes ab Eccleſia diuertiſſe noſcuntur, in qua nec partem facere merentur, nec communionem, vel conſortium habere.

19. Verum etiam ad homicidium conſulto admiſſum, ſiue aſſaſinatum accedit, proprij paſtoris cędes, & quælibet mutilatio, *capit. in quibuſdam 12. §. ſacri de pœnis apud Greg.* quam-

Digitized by Google

nis enim conſulto non fiat, vel prçuia meditatione, ſed qualibet occaſione, nec etiam prçuiſa, tamen propter perſonæ dignitatem, & religionem, atrocior redditur, eademque priuationis beneficiorum pœna vindicari ſolet.

20. Nec alia ratione quælibet Cardinalis percuſſio, paris pœnæ emendationi ſubiicitur, *capit. fœlicis de pœnis in 6.* & cum perſonę dignitas, & commendatio, crimen augere ſoleat, non tantum ad homicidium conſulto factum, ſed & ad læſæ maieſtatis reatum accedere, iactant interpretes, & beneficiorum Eccleſiaſticorum priuationem importare, ex *d. capit. fœlicis de pœn. in 6.*

21. Et vero ad homicidium accedit, iiſdemque pœnis vindicari ſolet, ſententiæ criminalis dictio, vel pronunciatio ab Eccleſiaſticis perſonis habita, ſiue beneficiariis, ſi modo pœna ſanguinis indicta fuerit, *cap. 5. & 9. ne Cler. vel Mon. capit. ex litteris* 10. *de exceſſ. pral.* quod primum *Concilio Antiſsiodorenſi can.* 34. ſtatutum fuerat, & poſtea repetitum in *Concilio Toletano* 4. *can.* 30. qui refertur in *can. ſæpe principes* 23. *quæſt.* 8. ex quibus & illud patet, eo caſu proprij gradus priuationem inductam.

22. Et recte quidem diximus, primum Concilio Antiſſiodorenſi, & Toletano 4. illud fuiſſe conſtitutum, nam vt notat *Carol. Molinæus ad can. quæſitum* 23. *quæſt.* 3. *de his qui ſententiam capitalem ferebant, adhuc poſt annum Domini* 420. *nec erant, nec cenſebantur irregulares,* & in eadem ſententia permanere videtur, & irregularitatis relaxationem extendere in ſimili ſpecie *d. capit. ex litteris de exceſſ. pral.* quem in *commentariis ad reg. de infirm. num* 371. propter nimium rigorem merito exoleuiſſe affirmat.

23. Nec tamen omnino, huic ſententiæ adhæſerunt Curiæ Pariſienſis ſenatores, quinimo vacationem beneficiorum ipſo iure illatam, propter ſententiam criminalem, à beneficiario latam probauerunt, & pluribus decretis amplexi ſunt, quæ referuntur tum à *D. Louetio in poſthuma decretorum collectione, tum à ſcholiaſte litt. B. num.* 1. ſi modo vt mox diximus, pœna ſanguinis, & capitis ademptio pronunciata fuerit, nec vero ob ipſam verberum caſtigationem, aut aliam ſimilem emendationem, vt notat *Antonius Mornacius ad leg.* 17. *cod. ex quib. cauſ. infam. irrogatur Boet. Epo ad cap. ſententiam ſanguinis ne Cler. vel Mon. in quæſt. Eccleſ. & heroicis.*

---

§. TERTIVS.

De vacatione ex quaſi delicto.

1. *Ex quaſi delicto vacant beneficia, & quibus modis.*
2. *Adeptione beneficij incompatibilis, vacat primum ipſo iure.*
3. *Beneficiorum curam animarum habentium, dignitatem, vel perſonatum, cumulatio damnatur.*
4. *Probatur variis Eccleſiæ decretis, ſecundum diuerſa tempora.*
5. *Veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruatio circa ſimplicia beneficia.*
6. *Innouatio adoleſcentis Eccleſiæ circa eadem beneficia.*
7. *Beneficiorum ſimplicium adiectio permittitur alteri curam animarum, vel dignitatem habenti facta.*
8. *Probatur in cæteris beneficiis cumulationem damnatam.*
9. *Quid temporibus Alexandri III. ante tempora Lateranenſis Concilij ſeruatum.*
10. *Quid ſtatutum Concilio Lateranenſi ſub eodem Alexandro.*
11. *Quid generali Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III.*
12. *Quid inductum* extrauaganti conſtitutione Ioannis 22.
13. *Non ſola adeptione beneficij incompatibilis vacat primum, ſed & pacifica poſſeſſione.*
14. *Quid in pluribus Eccleſiæ decretis verbum illud* receperint.
15. *Quæ interpretatio decreti* dimittendi intra duos menſes.

Digitized by Google

16. *Promotione ad Epiſcopatum vacant omnia beneficia, & quare.*
17. *Vt beneficia vacent, electioni, & nominationi, debet accedere inſtitutio, & poſſeſſionis aditio.*
18. *Probatur in promotione Abbatum, benedictionem non requiri, vt vacent priora beneficia.*
19. *Matrimonio, & ſponſalibus de præſenti, vacant ipſo iure beneficia.*
20. *Nota ad textus aſſerentes coniugatum clericum beneficiis ſpoliandum.*
21. *Diuortio ſoluitur & matrimonium ſpiritale, & corporale.*
22. Nota ad gloſſam cap. vlt. de Cler. non reſid. in verbo redierint.
23. *Minorum Clericorum matrimonia legitima, & ideo vacationem beneficiorum inferunt.*
24. *Maiorum Clericorum matrimonia non valent, & tamen beneficiorum vacationem inducunt.*
25. *Probatur hæc ſententia auctoritate, & ratione.*
26. *Tentatur maiorum Clericorum matrimonio beneficia non vacare, ſed per ſententiam declaratoriam.*
27. *Probatur hæc opinio à Papone decreto Curiæ Pariſienſis.*
28. *Nota ad eam opinionem, & decreta à Papone relata.*
29. *Defectus ordinis inducit vacationem beneficiorum ipſo iure.*
30. *Quis ſit effectus huius vacandi modi.*
31. *Quando pacifica dicatur poſeſſio, & quomodo.*
32. *Vacatio non inducitur, niſi anno pacificæ poſeſſionis elapſo.*
33. *Lugdunenſis Concilij Generalis Decretum, in Curatis beneficiis tantum locum habet.*
34. *Probatur ratione, & Decreto Curiæ Pariſienſis.*
35. *Ingreſſu religionis vacant ipſo iure beneficia.*
36. *Ingreſſui religionis monaſtica profeſſio addi debet, vt vacare dicantur beneficia.*
37. *Comparatio matrimonij ſpiritalis per profeſſionem monaſticam inducti, cum corporali.*
38. *Profeſſione monaſtica vacat & commenda beneficij regularis.*
39. *Probatur decreto curiæ Pariſienſis, & nouo decreto opus eſſe.*

1. SVccedit, & iterum diſcutienda venit vacatio, quæ ex quaſi delicto naſci dicitur, quatuor autem potiſſimum cauſæ, huic vacationi locum præſtare ſolent; adeptio noui beneficij, matrimonium, defectus ordinis, & ingreſſus religionis, ſiue profeſſio monaſtica, quas ſuo ordine exequemur.

2. Primum igitur vacant ipſo iure beneficia, adeptione noui beneficij, non cuiuſlibet, ſed incompatibilis, ſunt enim quædam beneficia, quæ ſimul ſtare poſſunt, & proptèrea ſociabilia dicuntur, ſiue compatibilia, quædam quæ ſimul iuncta ſeſe inuicem obtrudunt, vnde incompatibilia dicuntur, quorum fit mentio in *capit. gratia de reſcript. in 6. Clementina gratia eod. tit.* & ſpecialem tractatum edidit *Alphonſus Heieda de compat. & incompatib. benef.*

3. Ecce enim beneficiorum curam animarum habentium, item dignitatum, & perſonatuum, in vnam eamdemque perſonam cumulatio nequaquam admittitur, vt ſupra oſtendimus *ad verba definitionis noſtræ militia capit. 3. de pluralitate beneficiorum damnata*, & probauimus tum generalibus Eccleſiæ decretis, in *capit. multa de præb. Clement. ſi plures eod. tit. & conſtitutione Ioannis 22. quæ dicitur execrabilis in extrauagant. eod. tit.*

4. Tum vero ſingularibus iuris canonici deciſionibus, nec-non ad quaſlibet beneficiorum curam animarum habentium ſpecies accommodatis auctoritatibus, deſumptis ex *cap. 1. de offic. vic. Clement. 1. eod. tit. capit. litteras de conceſſ. præb. capit. 3. de tranſlat. præl. can. ſi quis Epiſcopus 7. quæſt. 1.* quod adeo verum eſt, vt de eo nec amplius quæſtio, nec controuerſia fieri poſſit.

Digitized by Google

5. Nec tamen illud admittitur in beneficiis ſimplicibus, quamuis iure veteri, & ex præſcriptis naſcentis Eccleſiaſticæ diſciplinę legibus, beneficiorum etiamnum ſimplicium cumulatio condemnata fuerit, & ſtatutum, vt in quacumque Eccleſia Clericus intitulatus fuiſſet, in ea perpetuo perſeueraret, *can. ſanctorum diſtinct.* 70. *can. ſingula diſtinct.* 80. *can.* 1. *&* 2. *cauſa* 21. *quæſt.* 1. *capit. quia in tantum de preb.*

6. Verum enim aliud adoleſcentis Eccleſiæ, vel potius corrupti Eccleſiaſticorum mores induxerunt, eo prætextu, & quaſi colore quæſito, quod ſimplicia beneficia aſſiduitatem non requirant perſonarum, quod tamen quodammodo ab Innocentio III. in *capit.* 6. *de conſtit.* approbatum eſt.

7. Et ex eo eſt, quod non tantum duo, pluraue beneficia ſimplicia ſimul obtineri poſſunt, ſed cum ſimplici aliud quod non ſit ſimplex, puta vel curam animatum habens vel dignitatem adiungi, *capit. ſuper eo de preb.* vt alias fuſius probauimus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ militia in proprio & ſpeciali capite de pluralitate beneficiorum damnata.*

8. Et hæc quidem exceptio in ſimplicibus beneficiis admiſſa, non tantum firmat regulam in cæteris beneficiis, curam animarum, vel dignitatem, vel perſonatum habentibus non exceptis, ſed & plures pontificiæ ſanctiones in id promulgatæ, de quibus ſupra, ex quo & illud ſequitur veriſſimum, adeptione noui beneficij incompatibilis, cætera omnia vacare ipſo iure.

9. Sed & in eo diſtinguenda tempora, namque temporibus Alexandri III. quæ Lateranenſis Concilij conuocationem ab eo factam præceſſerunt, adeptione noui beneficij quantumuis incompatibilis, non vacabat ipſo iure beneficium prius adquiſitum, ſed ipſi intitulato dabatur electio dimittendi alterum ex beneficiis, ſibi retento quod optaſſet, *capit. præterea, capit. referente de preb. cap.* 4. *de æt. & qualit.* quemadmodum in iure ciuili ſeruabatur, vt qui duobus collegiis adſcriptus eſſet, alterum eligere poſſet in quo remaneret, altero dimiſſo, *lege* 1. *in fine dig. de collegiis.*

10. Verum & illud immutatum eſt, Lateranenſi Concilio ſub eodem Alexandro III. habito, quo cautum eſt, adeptionem incompatibilis beneficij, alteriuſue eiuſdem qualitatis & naturæ adiectionem, nullam eſſe ipſo iure, nec tantum nouo beneficio inueſtitum carere debere, ſed & collatorem conferendi poteſtate, prioris beneficij poſſeſſione pacifica remanente, *capit. de multa in principio de preb. capit. quia nonnulli de Cler. non reſid.*

11. Sed & ſucceſſere Innocentij III. tempora, ſiue generalis Concilij Lateranenſis ſtatuta, quibus id maxime cautum, vt adeptione noui beneficij incompatibilis, primum vacaret ipſo iure, *capit. dudum de elect. & el. poteſt. capit. licet Epiſcopus de preb. in* 6. *capit. de multa de preb.* in quo, licet ex generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. petitum ſit, laudantur ſtatim in principio decreta Lateranenſis Concilij ſub Alexandro III. habiti.

12. Sed & illud addit *Ioannis* 22. *conſtitutio in extrauaganti execrabilis de preb.* vt is, qui nouum beneficium incompatibile adeptus fuiſſet, ſtatim primum dimitteret, alioquin vtroque careret, & ſpoliaretur, propter contumaciam non dimittentis, & ambitionem nimiam impetrantis.

13. Verum illud maxime adnotandum eſt, ſola adeptione beneficij incompatibilis, priora non vacare ipſo iure beneficia, ſed titulo adiiciendam eſſe pacificam poſſeſſionem, *d. capit. licet de preb. in* 6. *cap. commiſſa de elect. & el. poteſt.* cum enim beneficiorum vacatio ſit potius facti, quam iuris, illud neceſſe eſt, vt iuri per titulum canonicum adquiſito, poſſeſſio, quæ magis facti eſt quam iuris adiiciatur.

14. Et inde eſt quod in *d. capit. de multa de preb. extrauaganti execrabilis Ioannis* 22. *eod. tit. de preb.* & pleriſque aliis iuris canonici ſtatutis, verba illa *receperint*, non inconſulto addita fuere, quæ poſſeſſionem cum effectu ſignificant, qua nondum adepta, ſi non ſteterit per eum qui adipiſci debuit, quo minus adipiſceretur, libertas remanet intitulato alterutrum dimittendi.

15. Sed & illud ſæpius occaſionem dedit addendi reſcriptis Pontificiis clauſulam, ſiue decretum dimittendi intra duos menſes, cui ea pœna additur, vt ſi non ſatisfactum fuerit, & noua, & vetera beneficia vacent, nec enim duo menſes decretorij computari ſolent, niſi à die adeptæ pacificæ poſſeſſionis, vt vulgo *Doctores ad prædictum capit. licet de preb. in* 6. *& cap. commiſſa de elect. & el. poteſt.*

16. Secunda cauſa vacationis beneficiorum ipſo iure, ex quaſi delicto enata, eſt promotio ad Epiſcopatum, ex qua quælibet beneficia, etiam ſimplicia vacare intelliguntur, *capit. cum in cunctis* §. *cum vero de elect.* Epiſcopatus enim, vnicum hominem deſiderat, non in plura

Digitized by Google

plura diuiſum, & Epiſcopum oportet vnius vxoris eſſe virum, quod & confirmauit Guielmus Epiſcopus Pariſienſis, dum ei oblata fuiſſet Abbatia cum Epiſcopatu iungenda, *abſit enim* inquit *vt cum vxore habeam concubinam.*

17. Verum illud ita intelligendum eſt, ſi electioni canonicæ, aut vt nunc viuitur, Regiæ nominationi acceſſerit Pontificia inſtitutio, & ad eam conſecratio, & in corpoream poſſeſſionem inductio, vel bonorum temporalium adminiſtratio, vt paſſim probant Doctores *ad capit. cum in cunctis de elect. & el. pot.*

18. Et vero quidam alij, & in abbate viſi ſunt requirere, vt priora beneficia vacare dicerentur, ſuperioris inaugurationem, ſiue luſtralem benedictionem, quod tamen rectè explodit *Chriſtophorus Roſiniacus Pariſienſis ſenatus Præſes huius rei beneficiariæ peritiſſimus in tract. de reſacerd. lib. 3. tit. 5. & cap. 5. ſub finem*, cum ea benedictio, præter confirmationis, & inſtitutionis canonicæ gratiam aliunde adquiſitam, nihil addat.

19. Item matrimonio vacat ipſo iure beneficium, *capit. 1. capit. 3. capit. diuerſis 5. de Cler. coniug.* quod idem de ſponſalibus per verba de præſenti contractis, licet copula carnalis non interceſſerit, huiuſmodi enim ſponſalia in matrimonium tranſeunt, vt probat *Chaſſaneus in conſuet. Burg. rub. 3. §. 2. in verbo mariée, & conſ. 2.* vbi concludit auctoritate *Panormitani in capit. 1. de Cler. coniug.* per huiuſmodi ſponſalia, vacationem beneficiorum ipſo iure inferri.

20. Verum enim quamuis in dictis capitulis, Clerici coniugati beneficiis priuandi dicantur, vel ad Eccleſiaſtica ſi quæ habent beneficia relinquenda compellendi, ea loquendi forma, priuationem ipſo iure nequaquam excludit, verum vt dicitur in *gloſſa d. capit 1. in verbo relinquenda*, referenda eſt ad poſſeſſionem facti, ſiue detentionem beneficij, à Clerico iure prohibente factam, quæ iudicis auctoritate coerceri debet.

21. Sed enim cum alias dixerimus, maximam ineſſe, inter matrimonium ſpiritale, & corporale cognationem, quod probatur *capit. inter corporalia de tranſlat Epiſcop* qua ratione iure ciuili diuortio diſſoluebatur matrimonium corporale, ſiue ea, quæ inter virum & vxorem interceſſerat coniunctio, ita in iure canonico, diuortio interueniente, quod per ſubſequens matrimonium contrahitur, diſſoluitur ſpiritale matrimonium, quod inter Clericum & Eccleſiam contractum fuerat.

22. Et ex eo eſt, quod *gloſſa in capit. vlt. de cler. non reſid. in verbo redierint* notat Epiſcopos, ſiue collatores ordinarios, eorum, qui vel matrimonium contraxerint, vel militiæ Caſtrenſi nomen dederint, ſtatim beneficia conferre poſſe, adeo vt, nec exſpectanda ſit ſententia iudicis vacationis declaratoria, quod idem eſt ac ſi diceret gloſſator, ipſo iure, vel ipſo facto vacare

23. Quamuis autem illud generali iuris canonici regula conſtet, tamen diſtinctionem quamdam admittit, ecce enim in minoribus ordinibus conſtituti infrà ſubdiaconatum, qui vulgo Clerici ſimpliciter, ſiue cantores dicuntur, matrimonium legitime contrahunt, eoque iuſto, & legitimo remanente, ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas vxores, diſtrictione Eccleſiaſtica compelluntur, vt dicitur in *capit. 1. de Cler. coniug.*

24. Qui vero in maioribus ordinibus conſtituti, qui & ſacri dicuntur, à ſubdiaconatu, qui & hodie ſacer eſt, vt alias oſtendimus numerandis, matrimonium contrahunt, quamuis contra interdictum Eccleſiæ habeatur, vt alias probauimus *ad verba definitionis cæleſtis capite 1. de vita & honeſtate Clericorum §. 20. de Clericis coniugatis*, non minus beneficiis ſuis exuendi.

25. Verum etiam illorum quæ poſſident beneficiorum vacationem ipſo iure contingere, probat pluribus argumentis *Chriſtophorus Roſiniacus lib. 3. de reſacerd. cap. 3* ſed ea potiſſimum ratione, ne male & perperam agentibus Clericis, & contra interdictum Eccleſiæ contrahentibus, plura concedantur priuilegia, quam illis, qui ſuffragante, vel ſaltem conniuente Eccleſia, matrimonium contraxerunt.

26. Nec tamen illud omittendum, quod alij notant, in maioribus ordinibus contracto matrimonio, quia vires ſortiri non poteſt, ipſo iure non vacare beneficia; ſed per ſententiam iudicis, beneficiorum vacationem pronunciantis, hac ratione ducti, & regula, tum iuris ciuilis, tum iuris canonici, quæ dictat, quod nullum eſt, nullum parere poſſe impedimentum in *capit. non præſtat de reg. iur. in 6.*

27. Sed enim illud probare tentat Ioannes Papo decreto Curiæ Pariſienſis, quod retulit in *2. parte notariorum lib.* 8. illudque interueniſſe teſtatur, in eiuratione, ſiue reſignatione in fauorem habita, à quodam rectore Eccleſiæ parochialis ſancti Ioannis Panniſſerij aliàs *Panniſsier*, in Foreſiorum prouincia, poſtquam presbyter factus, neglecto, & ſpreto ordine, ad ſecunda vota conuolaſſet.

28. Verum quamuis maximus *Cuiacius ad capit. penultimum de appellat. in decretal.* ipſi Paponi, non niſi intra modum fidem adhibendam dixerit, tamen vt domeſtico teſti, & populari, eius quod in prouincia, & quaſi ſub oculis geſtum eſt, non eſt omnino deneganda, ſed tamen aliud vſus noſter inuexit, vt beneficia etiam eorum, qui ad maiores ordines promoti, matrimonia prohibente Eccleſia contraxerunt, vacarent ipſo iure, propter rationem ſupra allatam.

29. Tertia cauſa vacationis beneficiorum ipſo iure illatæ, & ex quaſi delicto deſcendentis, eſt defectus ordinis, eaque potius in omiſſione, quam in admiſſione conſiſtit: ſunt enim quædam beneficia, quæ ſacrum preſbyteratus ordinem, tanquam à lege præſcriptum requirunt, vt iniuncto ipſis miniſterio vacare poſſit beneficiarius, vt ſupra diximus de omnibus beneficiis curam animarum habentibus, & probauimus *capit. cum in cunctis* §. *inferiora de elect. & elect. poteſt.*

30. At vero conſtat eos, qui huiuſmodi beneficiis intitulantur, ſtatim ab adepta pacifica poſſeſſione, ad ſacrum preſbyteratus ordinem promoueri oportere, alioquin abſque vlla præuia monitione, beneficia ſacro ordini addicta vacant ipſo iure, ita vt ſtatim conferri poſſint ab ordinariis collatoribus, *capit. licet canon*, *capit. commiſſa de elect. in 6.*

31. Quod autem diximus, ſtatim ab adepta pacifica poſſeſſione, beneficij vacationem induci, ſuam interpretationem mutuatur, & recipit, à *d. capit. licet canon*, *& gloſſa eiuſdem capituli in verbo annum*, vbi pacifica tantum dicitur poſſeſſio, poſt annum incæpta, & completa, cui & ſæpius in Pontificiis reſcriptis, adduntur duo menſes, vt quotidiana ſignaturarum Apoſtolicarum inſpectione, ſatis ſuperque probari poteſt.

32. Sed & illud adeo verum eſt, vt quamuis præſcripti temporis id ſpatium effluxerit, vt quod ſupereſt canonicæ promotioni non ſufficiat, vacatio tamen nequaquam admittatur, cum vel ex diſpenſatione extra tempora promoueri poſſit, *capit. commiſſa de elect. in 6.* tum vero ex eo, quod pœnalia decreta extendi non ſoleant, ſed potius coarctari, cum odioſa ſint, *capit. odia de reg. iur. in 6.*

33. Et ex eo eſt, quod cum ſtatutum generalis Lugdunenſis Concilij, ſit mere pœnale, ideo ad ſolas parochiales Eccleſias extendi debet, *capit. ſtatutum de elect. in 6.* nec ad conuentuales, aut alias, ſacrum preſbyteratus ordinem lege fundationis requirentes, in quibus quamuis ſtatim, & ſub ipſa ordinatione, & collatione, preſbyteratus ordinem deſiderari dixerimus, *ad verba definitionis idoneo cap.* 1. §. 2. *de ætate beneficiandorum*, tamen ſi abſfuerit præſcriptus ordo, non alias vacatio inducetur, quam ſi præuia monitio interfuerit, vt patet ex *capit. cum in cunctis de elect. & elect. poteſt.*

34. Verum enim cum diſpoſitioni generali, & ad omnia beneficia curam animarum habentia extendendæ, Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi relato in *d. capit. licet canon* vacationem ipſo iure, quoad parochiales Eccleſias addiderit, ius priſtinum Lateranenſi Concilio inductum, in cæteris obſeruatum permanſit, atque ita decretum à ſenatu Pariſienſi refert *ſcholiaſtes D. Louetij litt. b. num.* 4.

35. Poſtremo vacationi beneficiorum ipſo iure illatæ, & ex quaſi delicto naſcenti, cauſam præſtat ingreſſus religionis, ſiue profeſſio monaſtica, *can. Gonſaldus cauſa* 17. *quæſtione* 2. *capit. ex tranſmiſſa de renunciat. capit. beneficium* 4. *de reg. & tranſ. ad monaſt. in 6.*

36. Et recte ingreſſui religionis, ipſa profeſſio monaſtica adiungitur, illudque accidit pari ratione, qua in matrimonio corporali ſponſalia, quæ nuptias præcedere debent, & ſunt veluti futurarum nuptiarum repromiſſio, beneficiorum vacationem non important, ſed tantum quod ſubſequitur matrimonium, vt docet *Cardinalis Zabarella ad capit. Ioannes de Cler. coniug.*

37. Namque & eadem ratione contingit, vt ingreſſus religionis, ſiue habitus monaſtici ſuſceptio, quæ ſponſalibus æquiparatur, vacationem beneficiorum ſola, & per ſe non inducat, ſed ipſa profeſſio, *cap.* 4. *de regul. & tranſ. ad monaſt. in 6.* vt enim vulgo iactatur apud canoniſtas, habitus monachum non facit, ſed ipſa regularis profeſſio, *capit. porrectum de regul. & tranſ. ad monaſt. apud Greg.*

38. Quod autem diximus per ingreſſum monaſterij, ſiue profeſſionem monaſticam, vacare ipſo iure beneficia, adeo verum eſt, vt ſi cui regulare beneficium fuerit tantummodo commendatum, qui poſt impetratam commendam, profeſſionem regularem emiſerit, in eo ordine, vel etiam monaſterio, quorum regulæ, & familiæ beneficium adſcriptum ſit, non minus commendatum beneficium profeſſione regulæ monaſticæ vacet, quamuis profeſſo titulus beneficij deferri potuerit.

Digitized by Google

39. Namque illud certum eſt, noua prouiſione opus, nec commendam abſque illius ope, & auxilio, in titulum tranſire poſſe, vt decreuit ſenatus Pariſienſis in 5. Inquiſitionum Decuria referente *D. Boucher* 2. Martij anni 1603. in cauſa cuiuſdam *Petri Brandis*, cui prioratus de Molendinis aliàs *de Moulins* cum cura animarum regulare beneficium Abbatiæ *de Mauleon* eiuſdemque regulæ, quæ erat Diui Auguſtini addictum, vtique commendatum fuerat, cuius regulam profeſſus, ipſam commendam in titulum tranſiiſſe contendebat, quam tamen ipſius profeſſione vacaſſe iudicauit ſenatus, decreto quod refertur à *D. Louetio in poſthuma decretorum collectione litt. b. num. 19.*

---

§. QVARTVS.

De vacatione per ſententiam.

1. *Vacatio per ſententiam, opponitur vacationi ipſo iure.*
2. *Quid ſit beneficia vacare per ſententiam.*
3. *Quid canon ferendæ, & latæ ſententiæ.*
4. *Criminum vacationem inducentium, vel non, plures ſunt ſpecies.*
5. *Vbi vacatio inducitur ipſo iure, ſententia non inducit, ſed inductam declarat.*
6. *Vbi per ſententiam inducitur vacatio, pendet à pronunciatione iudicis.*
7. *Non omne delictum Clerici vacationem inducit beneficii.*
8. *Cur leuiorum criminum ſpecies non facile poſſint exprimi.*
9. *Modus inueſtigandi crimina, quæ vacationem per ſententiam inferant.*
10. *Crimina quæ non numerantur in catalogo, vacationem tantum per ſententiam inducunt.*

1. VAcationi quæ fit ipſo iure opponitur ea, quæ per ſententiam tantum induci dicitur, quemadmodum in iure ciuili, quod ipſo iure fieri dicitur, opponitur ei quod prætoris tuitione ſuſtinetur, in *lege 1. dig. quib. mod. vſuſruct. amitt. lege 1. in fine dig. de ſuperficiebus lege 1. §. penult. quod falſo tutore Durandus in repertorio iuris canonici lib. 5. in poſterioribus rubricis in quibus caſibus ſuſpenſio, interdictum, irregularitas ineſt ipſo iure, vel per ſententiam.*

2. Verum enim, vt diximus vacationem ipſo iure induci iure ita decernente, nec vlla iudicis auctoritate interueniente, ita per ſententiam inferri intelligendum eſt, quando non alias ex delicto, quamuis à beneficiario admiſſo naſcitur beneficiorum vacatio, quam ſententia iudicis in id pronunciata, & in pœnam criminis admiſſi irrogata fuerit.

3. Et ex eo eſt, quod modernus quidam rei beneficiariæ interpres, priuationem, ſiue vacationem quæ fit per ſententiam, canonem ferendæ ſententiæ appellat, vt ex eius mente vacationem ipſo iure illatam, canonem latæ ſententiæ appellauimus, cuius interpretationis veſtigia quædam exſtant, apud *Felinum in capit. Rodulphus de reſcript. & gloſſam in cap. cum tu verbo priuandus de ſimonia.*

4. Namque delictorum, quæ vacationem beneficiorum inferunt, alia ſunt grauiora, & quæ vacationem beneficiorum ipſo iure inducunt, de quibus ſupra egimus, alia leuiora, quæ quidem beneficiorum vacationem important; ſed ex arbitrio iudicis omnimodo pendentem, alia demum leuiſſima, quæ ſola pœnitentia, vel leuiori ſatisfactione elui debent.

5. In primis igitur, & priorem præmiſſorum criminum ſpeciem conſtituentibus, illud adnotandum eſt, pœnam ipſo iure indictam, & ſacrorum canonum ſanctione pronunciatam eſſe, adeo vt ſententia iudicis, quæ crimen admiſſum declarat, ipſam beneficiorum vacationem non inferat, ſed iam illatam, & commiſſam pronunciet, ab admiſſo crimine non à die pronunciatæ ſententiæ

6. In ſecunda vero delictorum ſpecie, non alias beneficiorum vacatio inducitur, quam ſi ſententia iudicis, quæ crimen admiſſum declarat, ſimul & priuationem beneficiorum inferat, adeo vt tota pendeat à pronunciatione iudicis, non iudicta, vel omiſſa ſuppleri

poſſit, etiamſi tale ſit crimen, quod eam pœnam mereatur, *Durandus in repertorio iuris in rubrica in quibus caſibus aliquis excommunicatus eſt ipſo iure vel excommunicandus.*

7. Nec enim mere arbitrariæ ſunt pœnæ, ſed delictis congruentes infligi debent, nec in leuiſſimis criminibus, irrogari poteſt pœna, beneficiorum vacationem inferens, *capit. ſatis peruerſum, diſtinct. 56. can. præcepta diſtinct.* 55 alioquin locus eſſet prouocationi ad ſuperiorem iudicem, cuius officio ſententia temperanda eſſet, & mitiganda.

8. Et quamuis delictorum, ſiue quaſi delictorum, vacationem beneficiorum ipſo iure inducentium, ſpecies omnes enumerare, & definire datum ſit, non eadem libertas dabitur, & facilitas, aliorum omnium criminum, & delictorum, quæ eamdem pœnam merentur, ſed arbitrio iudicis infligendam, ſpecies deſcribere, eorum tamen aliquam notionem petere poteris, ex *eodem repertorio Durandi in iiſdem rubricis.*

9. Nec enim peruerſi omnes Clericorum mores, in hac ſæculi noſtri intemperie, modum aliquem, aut numerum admittunt, verum ea regula certa, & conſtante definiri poſſunt, & circumſcribi, vt præter ea, quæ in §§. præcedentibus enumerauimus, & quorum propriam, & ſpecialem mentionem habuimus, cætera omnia, ſententia iudicis declaratoria egeant, vt ex his beneficiorum vacatio inferri poſſit.

10. Et ea ratione *Rebuffus in praxis beneficiariæ tertia parte tit. de modis amittendi beneficia* poſtquam ſingulares ſpecies delictorum expoſuit, quæ beneficiorum vacationem ipſo iure inferunt, cætera omnia ſimul congregat, quæ ratio definiendi quamuis incerta, in iure ciuili, & canonico plerumque probatur, vt in actionibus bonæ fidei, & ſtricti iuris ex *§. actionum autem inſtit. de act.* definiendis.

---

§. QVINTVS.

De diuerſis vtriuſque vacationis effectibus, & differentiis.

1. *Vacatio ipſo iure, vel per ſententiam inducta, diuerſos producunt effectus.*
2. *Vbi vacatio inducitur ipſo iure, reus ab admiſſo crimine, fructus nullos percipit.*
3. *Quid ſeruetur iure ciuili in criminibus proſcriptionem ipſo iure inducentibus.*
4. *In criminibus in quibus vacatio pendet à ſententia, reus pendente appellatione fructus ſuos facit.*
5. *In iis delictis pendente appellatione, omnis adminiſtratio reo defertur.*
6. *In criminibus vacationem ipſo iure inducentibus, beneficia ſtatim peti poſſunt, & impetrari.*
7. *In cæteris præmatura habetur impetratio ante ſententiam.*
8. *Argumentum à confiſcatione bonorum petenda.*
9. *Etiam in criminibus vacationem ipſo iure inferentibus, impetrans non debet ante ſententiam vindiciarum fructus attingere.*
10. *Quæ ereptitio collatario ſeruanda ex conſtitutionibus Regiis.*
11. *Vbi vacatio infertur ipſo iure, reus ab admiſſo crimine renunciare non poteſt ſimpliciter, nec in fauorem.*
12. *Probatur hæc ſententia decreto Curiæ Pariſienſis.*
13. *Item & altero decreto eiuſdem Curiæ confirmatur.*
14. *Vbi per ſententiam inducenda vacatio, pendente accuſatione renunciari poteſt beneficio.*
15. *Opinio Molinæi ad vacationem ex delicto, vel quaſi delicto refellitur.*
16. *Etiam pendente appellatione, in criminibus vacationem per ſententiam inferentibus, beneficio renunciare licet.*
17. *Probatur hæc ſententia decretis Curiæ Pariſienſis.*
18. *Probatur à Papon., decreto ſuppreſſis nominibus relato.*

Digitized by Google

19. *Probatur argumento donationum à reo pendente accuſatione, vel appellatione habitarum.*

1. PRopoſitis variis deliƈtorum ſpeciebus, quæ vacationem beneficiorum vel ipſo iure, vel per ſententiam inferre diximus, nunc explicandi nobis incumbunt varij illarum effeƈtus, & quidem in primis illud obſeruandum eſt, vt oppoſitas diximus vacationes, quæ ipſo iure inducuntur, & eas, quæ per ſententiam, ita oppoſitos, & contrarios effeƈtus producere, quos inueſtigare conuenit.

2. Primus eſt in eo, quod qui tale crimem admiſit, ex quo vacatio beneficiorum ipſo iure inducitur, fruƈtus beneficij ab ipſo crimine admiſſo nullos faciat, & lucretur, ſed etiam perceptos, & quos percipere potuit, aut debuit, reſtituere cogatur, *capit. cum deteſtabile de ſimon. in extrauag. commun.* tanquam malæ fidei poſſeſſor, ex iniuſto, & nullo titulo, *gloſſa in can. non liceat Papæ 12. quæſt. 2.*

3. Et illud quidem accidit eadem ratione, qua in iure ciuili qui ex eo crimine condemnatus eſt, ex quo ipſo iure bonorum proſcriptio infertur, ſtatim ab ipſo crimine, fruƈtus reſtituere cogitur, tanquam malæ fidei poſſeſſor, ita vt ei omnis adminiſtratio ſit penitus interdiƈta, argumento *legis eum qui de his quibus vt indignis lege donationes 31 §. vlt. de donat. lege penult. & vlt. cod. ad legem Iuliam maieſt.*

4. Namque in cæteris deliƈtis, in quibus proſcriptio bonorum, per ſententiam tantum infligitur, reus criminis, fruƈtus tantum à die litis conteſtatæ, vel vt alij volunt à condemnatione, reſtituere cogitur, tanquam malæ fidei poſſeſſor, qui per litis conteſtationem, cæpit habere notitim, & conſcientiam rei male adquiſitæ, vt & in bonæ fidei poſſeſſoribus obſeruari ſolet.

5. Et illud adeo verum eſt, vt pendente accuſatione, omnis ipſi deferatur, & libera maneat adminiſtratio, argumento *legis poſt contraƈtum is dig. de donat. legis 414. dig. de ſolut. legis 46. §. 6. dig. de iure fiſci*, quod & in ipſa beneficiorum adminiſtratione probauerunt *Panormitanus in capit. item cum quis de reſtit. ſpoliat. Rebuff. in traƈt. de pacif. poſſ. num. 263.*

6. Verum ex præmiſſis duo alij effeƈtus prodeunt, inuicem pugnantes, & contrarij, & veluti duo riuuli, ex eodem fonte, & capite ſcaturiunt, in diuerſa tendentes, quorum primus in eo eſt, vt in criminibus, in quibus vacatio beneficiorum ipſo iure infertur, etiam ante ſententiam, & reorum condemnationem, beneficia peti, & obtineri poſſint, ſtatim ab admiſſo crimine.

7. Et tamen in cæteris criminibus, ex quibus vacatio non niſi per ſententiam infertur, præmatura habetur impetratio, quæ ſententiam præceſſit, & veluti ambitioſa, nullius roboris, & momenti cenſetur, vt pluribus traƈt. *Chriſtophorus Roſiniacus ſenatus Pariſienſis Præſes lib. 3. de re ſacerdot. tit 21.*

8. Nec ab eo longius differt, quod ſacris Regum noſtrorum conſtitutionibus cautum eſt, vt confiſcationis bonorum gratia, & indulgentia, quæ ereptitiis hiſce impetrationibus ſæpius comparatur, à principe impetrari non poſſit, ante ſententiam reo pronunciatam, vel contumaci diƈtam, vt habetur in *conſtitutione Aurelianenſi art. 87. & Bleſenſi articulo 204.*

9. Quamuis autem vbi vacatio ipſo iure inducitur, etiam ante ſententiam incapacitatis prænunciam, beneficia obtineri poſſint, verum in corpoream, & realem poſſeſſionem, qui impetrauit, induci non poteſt, vel fruƈtus etiam leuiſſime attingere, priuſquam poſſeſſore licet iniuſto, & non canonico in ius vocato, ſententiam vindiciarum obtinuerit, aut eam, qua in plenam manum, & poſſeſſionem induƈtus fuerit, & conſeruatus, *capit. licet Epiſcopus 2. de reſcript. in 6.*

10. Et ex eo compoſitum habemus *articulum 46. Bleſenſis ediƈti*, *Aurelianenſis ſanƈtionis articulum* 4. emendantis, in vacationibus etiam ipſo iure induƈtis, cui & tres alias conditiones addidit, ab ereptitio collatario pariter obſeruandas, præſtationem ſcilicet cautionis idoneæ, domicilij eleƈtionem, litiſque conteſtandæ neceſſitatem intra tres menſes, à die poſſeſſionis aditæ numerandos, de quibus alias diximus.

11. Secundus effeƈtus, ex diuerſis vacationibus, vel ipſo iure, vel per ſententiam induƈtus exoriens eſt, vt in vacationibus ipſo iure illatis, nulla relinquatur reo beneficij adminiſtratio, ſiue diſpoſitio ab ipſo crimine admiſſo, vt ſupra diximus, ita vt nec ſimpliciter, nec in fauorem alicuius eiurare poſſit beneficium, vt alias decreuit ſenatus Pariſienſis duobus ſenatuſconſultis, iiſque celeberrimis.

12. Et quidem illorum primum habemus circa Prioratum Vallis Alneæ, aliàs *Valdoſne*, pronunciatum die 5. Decembris anni 1625. in cuius poſſeſſione ſoror Maria *de Malaba*,

Digitized by Google

quæ ordinarij collationem meruerat, conſeruata eſt, ſubmota ſorore *Eliſabetha Argentier,* licet ex ſororis *Emundè Teſtart* Prioriſſæ nouiſſimæ reſignatione, collatum habuiſſet beneficium, quia meditati homicidij rea condemnata fuerat, & poſt admiſſum crimen beneficio renunciauerat.

13. At vero alterum ſequenti anno 1616. pronunciatum fuit die 11. Iulij circa poſſeſſionem Eccleſiæ parochialis *ſancti Laurentij de Baugé*, Diœceſis Audegauenſis, vacantis ex admiſſione criminis adulterij, & inceſtus ſpiritualis à *Renato Sophier*, eiuſdem legitimo poſſeſſore accuſato, & damnato, qui cum pendente appellatione *Ioanni Hunault* reſignaſſet, vt præuerteret impetrationem *Michaelis Hamelim* eiuſdem beneficij, iure deuoluto habitam, ſubmota reſignatione tanquam in fraudem criminis facta, deuolutarius admiſſus, & conſeruatus eſt in beneficio, litem referente *D. Palluau* in 5. inquiſionum Decuria.

14. Nec idem euenit in eo, qui tale admiſit crimen, vt per ſententiam priuandus ſit beneficio, cum ante ſententiam omnimodam diſpoſitionem beneficij retineat, vt innuit *gloſſa in capit. 2. in verbo finita vt lite pendente nihil innou. gloſſa pragm. ſanct. §. inſuper in verbo diſponere. Aufrerius in addit. ad deciſ. cap. Tholoſ. 436. Loetius in deciſ. 206. & è modernis ſcriptoribus Gerardus Mainardus ſenator Tholoſanus deciſ. 61.*

15. Sed & ibidem Mainardus, contrariam *Caroli Molinæi opinionem, in commentariis ad reg. de infirmis à numero* 367. *ad numerum* 397. refellit, quæ cum ſententiæ communi, & receptę contradicat, merito in foro admiſſa non fuit, ſicut nec ab eodem recepta, & probata diſtinctio qua teſtatur reſignationem ab euentu pendere condemnationis, vel abſolutionis, nec enim incerta, aut fluctuans deciſio potuit, aut debuit approbari in iure.

16. Verum vt certior regula firmaretur, receptum eſt, condemnatum ex eo crimine, quo priuatio beneficij per ſententiam inducenda foret, pendente appellatione beneficium ſimpliciter, aut in fauorem eiurare poſſe, eamque opinionem decretis Curiæ Pariſienſis firmatam refert *Rebuffus in praxi tit. de modis amitt. benef. num. 52. & in tract. de pacif. poſſeſſ. num. 362. & ſeq. Probus in addit. ad gloſſam pragm. ſanct. tit. de collat. in verbo diſponere addit. 12. Roſiniacus lib. 3. de re ſacerdot. tit. 20.*

17. Verum & illam opinionem, communi calculo à ſupremis omnibus regni Curiis approbatam, teſtantur *Boerius deciſ. Burdegal.* 200. *& prædictus Mainardus deciſ. Tholoſan. 61.* cui addere licebit & aliud Curiæ Pariſienſis decretum, relatum à *Ioanne Papone in tertio volumine notariorum lib. 8. tit. 1. de interd. & act. poſſeſſ.* ſuppreſſis nominibus, quamuis ſuo tempore notiſſima fuiſſe teſtetur, ne pudor nimius reis ſuffunderetur, & Eccleſiæ dedecus inferretur.

18. Namque ſenatum iudicaſſe refert ibidem Papo, reum raptus, & ſtupri in ſanctimonialem, accuſatum, & damnatum, pendente appellatione beneficio cedere potuiſſe, ipſamque ceſſionem vires ſuas obtinere, ſubmoto ereptitio collatario, qui præmature, & pendente appellatione impetrauerat.

19. Sed & illud confirmat argumento, *legis qui à latronibus §. vlt. dig. qui teſtam. fac. poſſ. & legis poſt contractum 15. dig. de donat.* vbi teſtamenta, & donationes eius, qui capitale crimen admiſit, valere dicuntur, ſummumque ſortiri effectum, vel non ſecuta condemnatione, vel ſi interuenerit, pendente appellatione, in quam rem videndus late diſſerens *Antonius Mornacius ad tit. dig. de his qui not. infamia.*

---

§. SEXTVS.

De vacatione ipſo facto tantum.

1. *Triplici modo vacant beneficia, iure tantum, facto tantum, iure & facto ſimul.*
2. *Quid ſit de iure vacare beneficia.*
3. *Quid ſit facto tantum vacare beneficia.*
4. *Quid ſit de iure & facto ſimul vacare beneficia.*
5. *Primum exemplum vacationis facto tantum.*

Digitized by Google

6. Alterum exemplum eiuſdem vacationis.
7. Tertium exemplum vacationis de facto tantum contingentis.
8. Item & quartum exemplum proponitur.
9. Vacationis de facto non maxima habetur ratio in beneficialibus.
10. Quando conferens abſenti nec acceptanti, alteri conferre poſſit.
11. In Regalibus maxime locum habet vacatio de facto.
12. Qualibet vacatio locum facit vacationi de facto.
13. Singularia multa in Regaliæ vſu introducta.

1. SVccedit vacationi ipſo iure, quæ fuit materia præcedentium §§. ex quæ facto euenire dicitur, non iure, triplici enim modo vacare intelliguntur beneficia, iure tantum, facto tantum, iure & facto ſimul, vt patet ex *gloſſa capit. ſuſcepti in verbo vacantium ne ſede vac. aliq. innou. in extrauag. commun.*

2. Et primum iure tantum vacare intelliguntur beneficia, quando reali, & corporeæ poſſeſſioni incũbente beneficiario, ex titulo tamen non canonico quæſita exſtitit, cum enim in beneficiis Eccleſiaſticis, ius metiamur ex titulo, qui plurimum in iure canonico ſpectatur, *capit. 1. de reg. iur. in 6.* vbi deficit titulus, de iure vacare beneficium intelligitur, quia plus iuris habet quam facti.

3. At vero facto tantum vacare beneficia intelliguntur, quando iuſto, & canonico titulo exiſtente, poſſeſſio quæ plurimum facti habet, vt dicitur in *lege 1. §. furioſus de adquir. vel amitt. poſſ.* adiecta non eſt, ſed & vtriuſque vacationis exempla habemus, in *capit. cum noſtris de conceſſ. præb.* cuius & conſulenda *gloſſa in verbo plus habet.*

4. Et in ſumma, de iure & facto ſimul vacare dicuntur beneficia, quando beneficium prætendenti, deficit & titulus, & poſſeſſio, quæ cum & iuris, & facti plurimum habeant, imo tota ſint in iure, & facto, vtroque deficiente, pariter iure & facto ſimul vacare beneficia intelliguntur, qui tamen caſus minus frequens in iure habetur.

5. His itaque expoſitis, vacant de facto tantum beneficia, pluribus modis, quos refert *Gregorius Tholoſanus in partitionibus iuris Canonici lib. 1. tit. 28. capit. 6. & inſtit. benef. cap. 27.* primum cum beneficiarius, vero & canonico exiſtente titulo, de poſſeſſione vi deiectus eſt, vel quominus adipiſceretur vi illata præpeditus, vt habetur in *capit. accepta conqueſtione 3. & capit. cum olim 18. de reſtit. ſpoliat.*

6. Secundo vacant facto tantum beneficia, ſi vi & metu beneficiarius iuri ſuo, ſiue titulo Canonico cedere, & renunciare impulſus eſt, *capit. ad aures, capit. ad audientiam de his quæ vi metuſue cauſa*, nec enim illa renunciatio, qua ius abdicare ſolemus, valet, cum nihil ſit tam contrarium conſenſui, qui renunciationem ſuſtinet, quam vis ipſa, aut metus, qui libertatem tollit.

7. Tertium vacationis de facto tantum caſum referunt iuris Canonici interpretes, in eo, qui per aliquod tempus, ſacro miniſterio præſens eſſe negligit, ex *capit. 2. & 3. & pleriſque aliis de Cler. non reſid.* tunc enim cenſetur abſens beneficiarius habere Eccleſiam pro derelicto, *gloſſa in capit. vlt. in verbo redierint de Cler. non reſid.* vnde non mirum ſi facto excidere dicatur, cum & iure priuandus videretur, argumento *§. qua ratione 47. de rer. diuiſ. in inſtit.*

8. Quartam verò de facto tantum vacationis rationem conſtituunt in eo, cui abſenti dum collatum fuerit beneficium, non ſibi recepit, vel probauit collationem factam poſſeſſione adita, nec alia ratione, vel cum præſenti conceſſum fuerit, perſonalem, & realem poſſeſſionem ingredi diſtulit *capit. ſi tibi abſenti de præb. in 6.*

9. Verumtamen cum in beneficialibus, ius potiſſimum metiamur ex titulo, non ex poſſeſſione, *capit. 1. de reg. iur. in 6.* vacationis, quæ facto tantum contingere dicitur, non maxima habetur ratio, in hac beneficiaria diſputatione, nec impetrationi beneficiorum, non niſi perraro viam aperit.

10. Et ex eo eſt, quod in *capit. ſi tibi abſenti 17. de præb. in 6.* dicitur Epiſcopum, qui abſenti contulit beneficium, quique poſſeſſionem adire neglexit, licet eo caſu de facto vacare beneficium dixerimus, tamen alteri tanquam vacans conferre non poſſe, niſi adſignato termino, & collatione intimata, & cognita, collatarius ipſam beneficij poſſeſſionem ingredi neglexit.

11. Attamen vt iam adnotauimus, in beneficiis iure Regaliæ vacantibus conferendis,

Digitized by Google

nonnulla habetur ratio vacationis quæ de facto tantum contingit, vt habetur in conſtitutione Regia, quæ de approbatione iuris Regaliorum lata eſt à Philippo Pulchro in ſaltu Vicennarum, vnde vulgo Philippina dicitur, quæ exſtat in *priori volumine probat. ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 6. num.* 32.

12. Namque ex illa ordinatione conſtat, tandiu collationi iure Regio exercendæ locum ſubeſſe, quamdiu beneficium vacuum remanet, vel de iure tantum, vel de facto, vel de iure & facto ſimul, vt alias probauimus ex commentariis Arnulphi Ruſæi, & Philippi Probi circa Regaliorum priuilegia vbi ipſius *Ruſæi priuilegium laudauimus, & Probi quæſt.* 29. & 27.

13. Ex his enim patet, id vnum Regaliæ priuilegium maxime attendi, vt vacatio de facto tantum ei locum præſtare ſoleat, quod tamen iuri communi plurimum aduerſari videtur, cuius ſtrictioribus regulis contraria multa in Regaliæ vſu, & exercitio introducta ſunt, nulli alteri collationi communicanda, propter non ſimilem aliarum collationum prærogatiuam, & auctoritatem, quod inuidiæ, aut odio cedere non debere ſupra oſtendimus.

§. SEPTIMVS.

De vacatione iure, & facto ſimul.

1. *Explicatur vacatio quæ de iure & facto ſimul contingere dicitur.*
2. *Explicatur per expoſitionem eius quæ fit de iure tantum.*
3. *Item exponitur per oppoſitionem vacationis de facto tantum.*
4. *Duobus modis vacant beneficia, per ceſſum, & deceſſum.*

1. SVpereſt vt dicamus de vacatione, quæ iure & facto ſimul contingit, nam cum in beneficialibus duo potiſſimum ſpectari debeant, ius quod in ſpiritualibus conſiſtit, puta in canonico habere ſtallum in choro, & vocem in capitulo, & poſſeſſio, quæ vt mox diximus, plurimum facti habet, & quid mere temporale continet, cum beneficiarius ex cuiuſlibet facti admiſſione, iure & poſſeſſione ſui beneficii excidit, iure & facto ſimul beneficium vacare dicitur.

2. Sed & illud manifeſtius patet, ex ſuperiorum vacandi cauſarum præuia expoſitione, vbi enim iure tantum vacare oſtendimus, & illud accidere euicimus, beneficiario remanente in poſſeſſione beneficii, ſaltem reali, & corporea, ſiue in ipſa detentione beneficii, quæ facti magis, quam iuris eſt.

3. At vero vbi facto tantum vacare contingit beneficium, totum ius beneficii ſaluum permanet, ſola poſſeſſione beneficii, quæ facti eſt deficiente, quod in ſpeciali expoſitione cauſarum, quæ huic vacationi de qua agimus locum præſtant, in aperto erit, vt inde pateat, quando iure & facto ſimul beneficia vacare intelligantur.

4. Verum duobus potiſſimum modis, iure & facto ſimul beneficia vacare intelliguntur, morte ſcilicet, & renunciatione, ſiue, vt vulgo iactant canonici iuris interpretes, per ceſſum, & deceſſum, quod in ſingulis quibuſque huius vacationis ſpeciebus explicandis, patebit euidentius, quas ſuo ordine, & ex propoſito expediemus.

§. OCTAVVS.

De vacatione per mortem.

1. *Morte vacat beneficium de iure, & facto ſimul.*
2. *Cur morte vacare dicantur beneficia de iure, & facto ſimul.*
3. *Probatur exemplo vſus, & vſusfructus, qui morte interit.*

4. *Morte*

4. *Morte naturali, non ciuili, vacant de iure & facto ſimul beneficia.*
5. *Ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non poteſt.*
6. *Profeſſione monaſtica, ſimul & deportatione, vacat beneficium de iure, non de facto.*
7. *Beneficium ante mortem legitimi poſſeſſoris obtineri non poteſt.*
8. *In id duæ regulæ Cancellariæ Romanæ latæ proponuntur.*
9. *Canonicatus extra numerum creatus morte noui canonici non vacat, ſed extinguitur.*
10. *Parochiales Eccleſiæ menſis vnitæ non vacant morte vicarij temporalis.*
11. *Suppreſſa, & extincta beneficia morte non vacant.*

1. PRimum igitur iure & facto ſimul beneficia vacare dicuntur, vbi mors beneficiarij interuenit, *capit. ſuſceptum de reſcript. in 6. gloſſa in capit. quia ſæpe in verbo vacat de præb. in 6. capit. quamuis tibi de præb. apud Gregor. capit. vlt. de verb. ſignif* vbi cedentium, vel decedentium fit mentio, ex quibus vſurpauimus vulgarem vacationis vſum, & formulam, per ceſſum, & deceſſum.

2. Et recte morte beneficiarij vacare dicitur beneficium, iure & facto ſimul, cum mors omnia ſoluat, vt vulgo dicit *gloſſa in capit. valida de pœnitent. diſtinct. 2. gloſſa in extrauag. ſuſcepti in verbo vacantium ne ſede vac. aliq. innou. in extrauag. commun. nou. 4. de nuptiis §. deinceps* non tantum ea quæ ſunt iuris, ſed etiam ea quæ ſunt facti, quæ fuſius enumerat *gloſſa d. nou. in verbo mors.*

3. Sed cum inter ea quæ intermiſcet, & explicat exempla, vſum, & vſumfructum reponat, quorum vſusfructus plus iuris habeat, vſus vero facti plurimum, ex his facile patet morte totum ius beneficiarij omnino extingui, & id quod iuris eſt, & quod facti habetur, cum alias *ad verba definitionis reditu capit. 3. §. 17.* vſuariis, vel ſaltem vſufructuariis beneficiarios adæquauerimus, quorum morte adueniente omne ius extinguitur.

4. Nunc vero aduertendum eſt, quod diximus morte vacare beneficia iure & facto ſimul, de morte naturali vtique intelligendum eſſe, non vero de ciuili, mors enim ciuilis quæ deportatione, vel alia ſtatus mutatione, aut capitis diminutione contingit, illa tantum perimit quæ ſunt iuris, nec vero illa quæ ſunt facti, *lege eas obligationes dig. de capit. diminut. Carol. Molin. ad reg. de infirm. num. 351. & 366.*

5. Namque facta cum naturalia ſint, & fictionem non admittant, vt pote quæ pro infectis haberi non poſſint, mutationibus iure introductis nullatenus ſubiacent, & ciuilis, ratio, ciuilia quidem iura corrumpere poteſt, naturalia vero non vtique, *d. lege eas obligationes 8. & duobus ſequent. dig. de cap. diminut. lege 1. §. ſi vir. dig. de adquir. vel amitt. poſſ.*

6. Et ad illud accedere videtur quod ſupra diximus, profeſſione monaſtica, quæ mortem ciuilem inducit, iure vacare beneficium, non facto, ſic & deportatus, vel ex eo crimine, quod vacationem ipſo iure inducit, quamuis beneficij iure excidat, tamen poſſeſſioni de facto incumbere ſolet, ſed tamen hæc poſſeſſio redditur inutilis, deficienti iure, & titulo, cum beneficia ſine canonica inſtitutione obtineri, nec retineri poſſint, *capit. 1. de reg. iur. in 6.*

7. Verum etiam quod dicitur morte vacare beneficia, adeo certi, & conſtantis iuris eſt, vt nullam amplius dubitationis occaſionem admittere poſſit, nec ante mortem poſſeſſorum canonicorum, beneficia aut peti, aut obtineri poſſint, vt patet euidentius *ex rubricis de conceſſ. præb. & Eccleſ. nond. vacant pluribuſue capitulis iiſdem rubricis tum apud Gregorium tum apud Bonifacium ſubiectis.*

8. Sed & illud adeo indubitati iuris eſt, vt cauſam dederit duabus Cancellariæ Romanæ regulis, & priori quidem quæ de impetrantibus beneficia viuentium dicitur, poſteriori vero quæ de veriſimili notitia obitus appellatur, de quibus ſupra egimus, vnde hic ſuperfluum foret ſuperioribus aliquid annectere, cum & ex his amplior notio peti poſſit, & ex variis gloſſematibus, & commentariis ad eaſdem habitis.

9. Nec etiam ſua obſeruatione carere debet, quod dicitur morte vacare beneficium, quaſdam exceptiones admittere, primum, vbi certus, ac definitus numerus canonicorum eſt, tunc enim ſi quis in canonicum, & in fratrem, vel ex mandato ſummi Pontificis, vel ex conſenſu canonicorum, ſub exſpectatione præbendæ electus fuerit, cum eo & canonicatus beneficium enaſcitur, eodemque decedente exſpirat, vt certo, & definito numero red-

Digitized by Google

datur, *cap. dilecto 25. de præb. capit. ex parte de conc. præb. & Eccleſ. nond. vac.*

10. Secundo non vacant morte beneficia, cum Eccleſiæ parochiales menſæ Abbatiali, vel Epiſcopali ita vnitæ ſunt, vt in iis vicarius non perpetuus, ſed ad tempus tantum præficiatur, nec enim vicario temporali decedente, vacare intelliguntur ſic vnita beneficia, *Clement. vnica §. quadam de exceſſ. præl. gloſſa in capit. 1. in verbo haberent de reſcript. eod. Clem. vnica de ſuppl. neglig. præl.*

11. Tertio morte vacare beneficia non intelliguntur, cum auctoritate ſuperioris, & ex communi conſenſu ſodalium, beneficium ſuppreſſione extinctum eſt, vt in ſpecie *capit. cum acceſſiſſent de conſtit. apud Greg.* primiceriatus officium, in Eccleſia Tullenſi, & de ea beneficiorum extinctione ſupra egimus abundantius *ad verba definitionis noſtræ quadam cap. 4. & pluribus tractat. Petrus de Peruſio in tract. de mut. ſtatus Eccleſ.*

§. NONVS.

De vacatione per renunciationem.

1. *Renunciatione vacat iure & facto beneficium.*
2. *Renunciationum duæ ſpecies expreſſa, & tacita.*
3. *Quid expreſſa renunciatio, quid tacita.*
4. *Renunciatione tacita vacant tantum de iure beneficia, non de facto, & exempla.*

1. ITem renunciatione vacat iure & facto beneficium, qui enim renunciat beneficio, omne ius beneficij abdicat, nec tantum ea quæ ſunt iuris exuit, ſiue ipſum ius beneficij, ſed & ea quæ ſunt facti, vt puta poſſeſſionem, modo voluntaria ſit renunciatio, non coacta, vt ſupra diximus, quæ ſaluo iure, ſiue titulo beneficij, poſſeſſione tantum, ſiue de facto poſſeſſorem ſpoliare ſolet.

2. Sed & illud de expreſſa renunciatione intelligendum eſt, non tacita, ſunt enim duæ renunciationum ſpecies, quarum altera expreſſa dicitur, altera tacita, ſicut in iure ciuili, pactorum alia dicuntur expreſſa, alia tacita, *lege labeo 2. dig. de pact.* ſicut & hypotheca *toto titulo in quibus cauſis pig. vel hypoth. tac. contrah.*

3. Expreſſa dicitur, quæ verbis in id conceptis nominatim exprimitur, iiſque liberi conſenſus indicibus, tacita quæ educitur, ſiue præſumitur ex ea actione, quam profeſſioni, & vocationi ſuæ contrariam, & oppoſitam, clericus admiſiſſe comperitur, vt alias diximus *ad verba definitionis noſtræ cæleſtis cap. 1. §. 6. quibus caſibus Clericus Clericatus priuilegia amittat.*

4. Verum eius renunciationis tacitæ, in iure canonico exempla paſſim prodeunt, veluti ſi beneficiarius matrimonium contraxerit, ſi miles factus fuerit, ſi primo adepto beneficio ſecundum incompatibile adiecerit, & alia admiſerit de quibus ſupra, tunc enim beneficium iure tantum vacare dicitur, non facto, maior enim vis eſt expreſſi, quam taciti, ſecundum regulam in vtroque iure receptam, *lege 195. de reg. iur. capit. finali in verbo expreſſi de procurat. gloſſ. can. turbatur in verbo nolite 1. quæſt. 4.*

§. DECIMVS.

De renunciatione ſimplici.

1. *Renunciationis etiam ſimplicis vſus condemnatur.*
2. *Certis ex cauſis renunciare licebat, & quibus ſolemnibus.*
3. *Definitio renunciationis, ex qua patet proprij beneficij fieri debere.*
4. *Renunciatio debet fieri ex auctoritate ſuperioris.*

Digitized by Google

5. *Magiſtratus Populi Romani, propria auctoritate renunciare non poterant.*
6. *In manibus Aduocati facta renunciatio non valet.*
7. *Renunciatio beneficij ex iuſta, & legitima cauſa fieri debet.*
8. *Renunciatio bona gratia fieri debet.*
9. *Renunciatio debet eſſe libera ex parte renunciantis.*
10. *Probatur renunciationes debere eſſe liberas ex parte admittentis.*
11. *Reprobatio renunciationis conditionalis à Synodo Epiſcoporum.*

1. PRimum igitur illud obſeruandum eſt, renunciationis cuiuſlibet etiam ſimplicis, omnem vſum fuiſſe condemnatum, ea ratione, quod cum per inſtitutionem canonicam, ſpiritale matrimonium contrahatur inter Clericum & Eccleſiam, vt patet ex *capit. inter corporalia de tranſlat. Epiſcop. capit. cum inter canonicos de elect.* & alias probauimus *ad verba deſinitionis ad vitam* non licet temere ab ea diuertere, vel renunciationis, aut repudii libellum offerre.

2. Verum enim, cum parciſſime id fieret, & Clerico Eccleſiæ ſuæ tanquam vxori in perpetuum, & ad vitam remanente alligato, aliquando tamen, iuſtis ex cauſis renunciandi dabatur licentia, ſi modo cauſa prius in ſynodo approbata, coram ſuperiore libellus renunciationis oblatus, & ab eo admiſſus fuiſſet, quod patet pluribus exemplis, ex actis ſacrarum ſynodorum petitis, quæ abundantius ſubminiſtrabit *Franciſcus Florens ad titulum de renunciat.*

3. Et quidem ex his vulgo educunt definitionem renunciationis beneficiariæ, vt ſit *proprij beneficij, in manibus ſuperioris, ſponte, & libere, cum cauſa facta dimiſſio*, ita *ſummiſta plerique in verbo renunciatio & doctores in rubrica de renunciat.* vel verbis ad id proxime accedentibus, ex qua plures concluſiones elici poſſunt, quarum prima eſt, renunciationem debere fieri proprii beneficii, non alieni, *capit. vnico de rerum permut. in 6. & ibi gloſſa in verbo ſuorum.*

4. Secundo euincit renunciationem fieri debere in manibus ſuperioris, vel coram ſuperiore, nec vero priuata auctoritate, cum enim ſpiritale illud matrimonium, Eccleſiæ auctoritate intercedente contractum fuerit, eadem accedente diſſolui debet, ſecundum vtriuſque iuris regulam, in *lege nihil tam naturale 35 dig. de reg. iur. cap. 1. de reg. iur. apud Greg.*

5. Et huic regulæ videtur accedere, quod in iure ciuili Legatus Cæſaris, Præſes, Proconſul, aut Corrector prouinciæ, aut alii magiſtratus, Imperatoria auctoritate, vel Populari demandati, qui & militiam palatinam, vel forenſem exercent, vt beneficiarii cœleſtem, magiſtratum aut militiam, propria auctoritate abdicare non poſſunt, ſed populi, aut principis accedente imperio, *lege penult. dig. de off. præſid.* ad quam *Antonius Mornacius* varia exempla profert, huic diſputationi beneficiariæ conuenientiſſima.

6. Verum ad hanc conditionem, & renunciationum formam, quærunt vulgo interpretes, ex *can. Gonſaldus 17. quæſt. 2.* vtrum in manibus Aduocati, vel Oeconomi, facta beneficii refutatio valeret, & concludunt ex *d. can.* non valere, vnamque fuiſſe ex cauſis, propter quas Gonſaldus in *d. canone*, refutato beneficio reſtitutus eſt, quod & magis obfirmat quod ſupra diximus, renunciationem coram ſuperiore fieri debere.

7. Tertio patet ex definitione, renunciationem nec poſſe, nec debere fieri, niſi iuſta, & legitima cauſa interueniente, cùm enim Clericus, cui adſcriptus fuerit Eccleſiæ, perpetuo adhærere debeat, & in ea perſeuerare, vt patet ex *can. nemini in can. ſanctorum diſtinct. 70.* ab ea temere diuertere non debet, nec ad aliam tranſmigrare.

8. Nec enim niſi bona gratia, vt alias fiebat diuortium apud Romanos, vt teſtatur *Imperator Iuſtinianus in nou. 22. cap. 4. & 5.* renunciatio fieri debuit, imo cauſa renunciationis à ſuperiore probanda fuit, ſex autem cauſæ enumerantur in *capit. 10. de renunciat. apud Greg.* quæ renunciationi locum præbere ſolent, & quæ hîc ſubnecti poterunt, à ſtudioſo lectore, ne actum agere videamur.

9. Quarto ex præmiſſa renunciationis definitione id infertur, ſummam ineſſe debere libertatem in renunciationibus beneficiorum, non tantum ex parte ipſius renunciantis, ſed etiam ex parte ſuperioris, renunciationem factam admittentis, & approbantis, vnde vis, & metus, & quodlibet aliud libertatis impedimentum, à renunciatione procul abeſſe debet, *capit. ad audientiam de his quæ vi metuſue cauſa.*

10. Verum enim ex parte ſuperioris, ſiue ordinarii, renunciationem beneficiariam

amplectentis, ſumma libertas prælucere debet, vnde & omnes conditiones, & quælibet pacta exulare debent, *capit. cum pridem capit. vlt. de pact. apud Greg.* & alia ſimilia, quæ collatorem ordinarium conferendi neceſſitate aſtringant, vel conferentis gratiam aliqua ex parte imminuant, vt pluribus probat *Flaminius Pariſius in tract. reſignat. benef. paſſim & vbique.*

11. Et vt vero, ſimile quid notat *Theodorus Balſamon ad can. Apoſtolorum 76.* dum ibidem refert Maximum Philippi Metropolitanum, à ſynodo Epiſcoporum congregata repulſam paſſum ex eo, quod ea conditione renunciaret Eccleſiæ, vt Oeconomum ſedi Metropolitanæ ſynodus præficeret, eamque conditionem, tanquam libertati, quæ renunciationibus beneficiariis ineſſe debet, inimicam condemnatam fuiſſe.

---

§. VNDECIMVS.

De renunciatione in fauorem.

1. *Prima renunciationis forma, & qualitas, vt omnis conditio abſit.*
2. *Reſignationis in fauorem condemnatio ex prioribus Eccleſiæ decretis.*
3. *Duplex ſimoniæ ratio, & circa vtramque, varia diſpenſandi facultas.*
4. *Reſignationis in fauorem vſus inductus, ex diſpenſandi conſuetudine circa ſimoniam.*
5. *Probatur iterum ex diſpenſandi facultate, inductum reſignandi in fauorem vſum.*
6. *Quibus differant renunciationes puræ, à conditionalibus.*
7. *Differunt, quod pura conferentis libertatem non aſtringat, altera aſtringat.*
8. *Renunciatio conditionalis non ſortitur effectum, niſi impleta conditione.*
9. *Quo modo renunciationis in fauorem neceſſaria facta fuerit executio.*
10. *Gallicanæ Eccleſiæ ſententia circa reſignationis in fauorem vſum.*
11. *Quod remedium Regum noſtrorum cohibendis reſignationibus in fauorem.*

1. EX præmiſſis patet, quænam fuerit prima renunciationum qualitas, & forma, eamque fuiſſe præcipuam, vt omnis conditio abeſſet, nondum enim deprauati, & corrupti Eccleſiæ, vel potius Eccleſiaſticorum mores, renunciationis conditionalis ſiue in fauorem vſum inuexerant, poſterioribus tantum, & ſequioribus ſæculis exauditum, & frequentiori obſeruatione cuſtoditum.

2. Quinimo in beneficiis omni ſucceſſionis ſpe damnata, renunciantibus beneficia, ſucceſſores ſibi ſubrogare non licebat, quod primum *can. Apoſtol. 75. deinde Antiochena ſynodo vetitum fuit can. 22. qui refertur in can. Epiſcopo 8. quæſt. 1. quod & probatur à Theodoro Balſamone ad d. can. 76. Apoſtol. & confirmatur Concilio Londinenſi ſub Honorio II. cap. 5. & Lateranenſi ſub Innocentio II. cap. 16. relatis tomo 3. Concil. parte 2. Biniana editionis.*

3. Sed cum duplicis ſimoniæ diſtinctio admiſſa fuiſſet ab ipſis iuris canonici interpretibus, nempe realis, & præſumptiuæ, ſiue eorum quæ iure diuino ſimoniaca dicebantur, & eorum quæ iure poſitiuo ſimoniæ labem contraxerant, vel vt ait *gloſſa in capit. 12. in verbo dimittere de offic. & poteſt. iud. deleg.* quæ cenſebantur prohibita quia ſimoniaca, iure diuino, veteris, vel noui teſtamenti, & ea quæ dicebantur ſimoniaca quia prohibita, iure poſitiuo, ſiue ſummi Pontificis conſtitutionibus, aut aliis Eccleſiæ decretis.

4. Et inde fluxit vt conditiones, pacta, cæteræque priuatæ leges, renunciationis ipſius libertatem imminuentes, receptæ fuerint, & admiſſæ, ſi modo à ſede Apoſtolica approbarentur, nec enim priuata auctoritate adiici poſſunt, cum ius publicum, & Eccleſiaſticum imminuant, quod priuatorum pactis lædi non poteſt *lege ius publicum dig. de pactis gloſſa in capit. cum dilectus in verbo conſtitutum de conſuet. gloſſa 1. in capit. ſi diligenti de foro compet.*

5. Sedenim cum omnimoda poteſtas, circa beneficiorum diſpenſationem, ſummo Pontifici data ſit, & maxime de iure ſupra ius diſpenſandi facultas, *capit. pro[illegible]it de con-*

Digitized by Google

ceſſ. præb. ex plenitudine poteſtatis enata, in quam vocatus eſt, *capit. 4. de auct. & vſu pallij* remanſit & facultas eas omnes conditiones approbandi, vt vulgo tradunt interpretes *ad d. capit. 12. de off. & poteſt. ind. deleg.* & maxime *Panormitanus & Felinus in capit. ad audientiam 2. de reſcript.* cæteris omnibus collatoribus ordinariis adempta, qui in partem tantum ſollicitudinis aſſumpti ſunt, *d. capit. 4. de auct. & vſu pallij, Flamin. Pariſ. in tract. de reſignat. benef. lib. 9. quæſt. 5. num. 4. & 5.*

6. Et ex eo nata eſt altera diuiſio renunciationum, in puras, & conditionales, vt puræ ab ordinariis vtique admitterentur, conditionales vero ſoli ſedi Apoſtolicæ reſeruarentur, nec etiam Legato de latere ſummi Pontificis miſſo concederentur, vbi enim facultatibus Legatorum, & mandatis ea conferendi poteſtas continetur, nequaquam decretis ſuis illam approbare ſolet ſenatus, tanquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ contrariam, vt patet ex veteri Curiæ Pariſienſis decreto die 23. Decemb. anni 1511. relato in *parte 7 ſtyli Parlamenti art. 85.* & pluribus aliis ad facultates Legatorum datis, quæ extant in *altero volumine probat. ad lib. Eccl. Gall. cap. 23.*

7. Sed & inter eas diuerſas renunciationis ſpecies, hæc erat altera differentiæ ratio, vt pura renunciatio, collatoris libertatem nullo modo coarctaret, conditionalis vero, ſummi Pontificis libertatem, ad certam, & electam à reſignante perſonam aſtringeret, & conditionis renunciationi dictæ obſeruationem, quia non erat alias reſignaturus, vt paſſim probat *idem Flamin. Pariſ. in d. tract. de reſignat. benef. lib. 1. quæſt 2. num. 17. & ſeq.* quod exprimitur manifeſtius clauſula, in reſignationibus apponi ſolita, *nec alias, nec aliter, nec alio quouis modo*, cuius vim ibidem explicat.

8. Et vero illud adeo conſtat, vt ſi neglecta fuiſſet conditio, reſignationi adiecta, nequaquam ſuum ſortiretur effectum renunciatio, nec à reſignante ius abſceſſiſſe prius diceretur, quam ſi reſignatario, ſecundum legem renunciationi dictam, quæſitum fuiſſet, vnde remanere dicitur penes reſignantem, adeo vt quidam male aſſerant, quaſi regredi, & redire, cum numquam abſceſſerit.

9. Sed & illud ſenſim in Eccleſiam inductum fuit, quamuis enim ab initio conferentis libertas, non omnino præſcinderetur, tandem per varios gradus, ad eum finem deuentum eſt, vt ſummi Pontifices, etiam conferendi neceſſitati, ſecundum legem renunciationi appoſitam colla ſubmiſerint, quod mire explicat *Carolus Molinæus ad reg. de veriſsim. notit. num. 99. & ſeq.* vt nihil amplius deſiderari poſſit.

10. Verum enim cum hæc renunciandi facultas, veteribus Eccleſiæ ſanctionibus, quæ omnem in beneficiis ſucceſſionis hereditariæ ſpem adimunt, contraria eſſet, & priſtinam collatorum libertatem oppugnaret, non mirum ſi Reges noſtri, Legatis ad Tridentinam ſynodum emiſſis, in mandatis expreſſius dederint, vt renunciationes in fauorem oppugnantes, earumdem abrogationem proponerent, iterumque inſtarent, vt procul ab Eccleſia exularent.

11. Sed cum illud Legati obtinere non potuerint, ſaltem id remedij induxerunt, quamuis cohibendis reſignationibus in fauorem minus vtile, vt regulas Cancellariæ Romanæ, quæ de publicandis reſignationibus, & de infirmis reſignantibus vulgo appellantur, regni ſui leges facerent, de quibus quia alias fuſius diximus, ideo hæc pauciſſima ſufficient.

§. DVODECIMVS.

De aliis conditionibus renunciationi adiectis, quæ in varias ſpecies transformant.

1. *Renunciationis ſimplicis admiſsio, renunciationis in fauorem vſum inuexit.*
2. *Renunciatio in fauorem admiſſa, quaſlibet alias conditiones inuexit, quarum ratione reſignatio in fauorem ſimplex dicitur.*
3. *Renunciationum aliæ ſunt ſimplices, aliæ qualificatæ.*
4. *Renunciatio penſionaria, prima qualificatarum, & quæ.*
5. *Renunciatio regreſſoria in ſimplicem deſinit, duplici ex cauſa.*

Digitized by Google

6. *Quid mutua, & reciproca permutationis cauſa facta.*
7. *Quando impleta habeatur beneficiorum permutatio.*
8. *Quid edictum contrarotulationis in id exigeret.*
9. *Ius nouæ conſtitutionis inſinuationum Eccleſiaſticarum laudatur, & expenditur.*
10. *Permutatio debet fieri propriorum beneficiorum.*
11. *Quid ſit duplex renunciatio, & quomodo reciprocæ opponatur.*
12. *Quomodo differant renunciatio ſimplex in fauorem, à mutua & reciproca.*
13. *Permutatio beneficiorum condemnata Turonenſi Concilio, & quare.*
14. *Permutationis inducendæ, & neceſſario exequendæ varij gradus.*
15. *Origo permutationis inducendæ inquiritur, &* notatur Boetius Epo.
16. *Benignior vſus permutationis canonicæ.*
17. *Patronus Eccleſiaſticus, permutationi neceſſario exequendæ aſtringitur, non laicus.*
18. *Hodiernus vſus clauſulæ* non alias, nec aliter, nec alio modo.
19. *Translatio permutationis æmula, & pariter condemnata.*
20. *Cur translatio Epiſcoporum condemnata veteribus Eccleſiæ decretis.*
21. *Quandoque permiſſa translatio Epiſcoporum, & quibus ex cauſis.*
22. *Permutatione, & translatione, vacat de iure & facto ſimul beneficium.*

1. PRimum igitur, & ex præmiſſis conſtat, ſimplices renunciationes ſiue demiſſiones, in Eccleſiam inuectas, reſignationum in fauorem vſum induxiſſe, ea vtendi ratione, quod cum vel paululum à ſeuerioribus iuris regulis deflectimus, in quælibet alia loca, licet inuia, nec aliàs adiri ſolita facilior tranſitus datur.

2. Et vero, vt ex malo ouo, fœtus peiores enaſcuntur, ex eo tempore quo in vſum tranſiit renunciatio, etiam pura, ſiue ſimplex, & demiſſio, tot inſolitæque conditiones renunciationibus adiici cæperunt, vt reſignatio in fauorem certæ perſonæ concepta, quæ puræ oppoſita conditionalis dicebatur, nouis hiſce fœtibus adæquata, pura, & ſimplex habita fuerit.

3. Renunciationum itaque conditionalium aliæ ſimplices, aliæ qualificatæ dictæ ſunt, quarum plures ſpecies & gradus enumerat *Carolus Molinæus ad regulam de infirmis num.* 13. *& ſeq. Flam. Pariſius in tract. de reſignat. benef.* quas omnes præſcribere facultas non datur, cum ex variis paciſcentium conditionibus pendeant, quæ tanquam pacta in continenti adiecta, transformare ſolent renunciationes, argumento *legis iuris gentium* 7. §. *quinimo dig. de pactis.*

4. Prima eſt, cum retenta penſione, in fauorem certæ perſonæ, & nominatæ, beneficium dimittitur, ne reſignans aliunde commode viuere non valens, mendicare cogeretur, in opprobrium, & dedecus cleri, cuius penſionis quænam moderatio eſſe debeat, patet ex ſupra dictis *ad verba definitionis noſtræ cum ſuo reditu cap.* 4. §. 12. *de penſionis moderatione*: vnde quę hîc deſiderari poſſent, abundantius ſuppleri poterunt, huicque diſputationi ſubnecti.

5. Secunda, quæ fit ſub ſpe futuri regreſſus, pręmoriente reſignatario, & illa ſæpius in ſimplicem reſignationem tranſit, vel enim præmoriente reſignante, qui ſibi regreſſum ſtipulatus fuerat, fit pura, vel alias, regreſſus clauſula pro non ſcripto habita, tanquam abuſiua in hoc regno, propter decretum de reſeruationibus ſublatis, pura redditur reſignatio, vt innuit *Molinæus ibidem num.* 15. vbi docet regreſſus clauſulam, quamuis vitietur, tamen non ſolere vitiare reſignationem.

6. Tertia, quę dicitur mutua, ſiue reciproca, & fit per mutuam, & reciprocam beneficiorum reſignationem, cum permutationis exequendę gratia, beneficiarij inuicem, & in gratiam cuiuſque, beneficia ſua dimittunt, vnde definiri ſolet permutatio, *ſpontanea, per duos, ſuorum beneficiorum, ſine fraude, de conſenſu ſuperioris, mutuo facta commutatio, de qua Boetius Epo in quæſt. Eccleſiaſt. lib.6. de ſaturnino permutationis genere & Ioannes Acokser Canonicus Leodienſis in ſimili tractatu.*

7. Et ex his patet, miſſis cęteris conditionibus, quę renunciationi ſimplici conueniunt, illam eſſe pręcipuam permutationis canonicę conditionem, vt renunciatio ex

Digitized by Google

vtraque parte ſequuta fuerit, & procuratorij ad reſignandum exhibitio, & traditio compermutantibus facta, vt inde vterque compermutantium, collationem obtinere poſſit.

8. Verum enim, quamuis abrogata Regia conſtitutio anni 1639. quæ circa notificationem, & contrarotulationem, vt vocant, collationum beneficiariarum edita fuerat, permutationibus beneficiariis, certam formam addere tentauerit, tamen eiuſdem ſanctionis *art.* 21. illud ſolum ſtatutum fuerat, vt perfectæ, & completæ dicerentur permutationes, nimirum quando compermutantes omnia quæ in ſe erant exequerentur, vt inuicem compermutatis beneficiis donarentur.

9. Sed & illud additum in noua ſanctione anni 1647 in ſenatu Pariſienſi publicata, quæ beneficiariarum inſinuationum dicitur *art.* 14 vt ex vtraque parte, & ante alterutrius compermutantis deceſſum, prouiſiones beneficiorum compermutatorum inuicem habitæ fuiſſent, quod tamen paulo durius eſſe videtur; ſed reſponderi poteſt, duram quidem eſſe legem, ſed ſcriptam, & obſeruandam, vt notat idem *Boetius Epo in tract. permutat. benefic. num.* 151. *Federicus Senenſis in ſimili tractatu quæſito* 11. vbi notant debere fieri permutationem in eodem inſtanti, nec ex interuallo.

10. Nec vero omittendum, quod ex verbis præmiſſæ definitionis *ſuorum beneficiorum colligitur*, nempe permutantes ſua beneficia inuicem commutare debere, non aliena, aut nondum quæſita, *capit.* 1. *de rerum permutat. in* 6. ſicut in permutationibus rerum profanarum Pedius ait, in *lege* 1. §. 1. *dig. de rerum permutat.* alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem, cuius diſpoſitionem huicce permutationi beneficiariæ accommodat, *Boet. Epo in tractatu ad capit. vnicum de rerum permut. in* 6. *in verbo ſua beneficia.*

11. Sed & his definitionis præmiſſæ verbis *ſuorum beneficiorum*, excluditur altera renunciationis ſpecies, quę dicitur duplex à *Carolo Molinæo ad reg. de infirmis reſign. num.* 15. & eſt veluti quarta ſpecies earum renunciationum, quæ qualificatæ dicuntur, & vocatur duplex, non mutua, aut reciproca, licet inter duos peragi ſoleat.

12. Verum enim illa renunciatio fieri dicitur, cum beneficiarius quilibet, reſignat beneficium in fauorem, & ad effectum concordati, quo reſignatarius debet certum aliud beneficium tertio reſignare, tunc enim non dicitur habita permutatio, ſed duplex reſignatio, non mutua, aut reciproca, nec enim inuicem permutant ſua beneficia, verum alter ſuum reſignando, aliud extraneo reſignandum, & conferendum procurat, quod & mali mores inuexere.

13. Et vero illud obſeruandum eſt, eam eſſe differentiam, inter reſignationem ſimplicem, & eam quæ permutationis gratia habetur, vt quamuis reſignatio ſimplex, ſiue in fauorem concepta, à ſummo Pontifice tantum probari poſſit; vt ſupra diximus, ea tamen quæ permutationis gratia habenda eſt, à quocumque collatore ordinario poſſit approbari.

14. Et quamuis beneficiorum permutatio, in Concilio Turonenſi condemnata ſit in maioribus beneficiis, *capit. maioribus de præb.* quia ſtabilitatem Eccleſiæ debitam oppugnabat, quam beneficiarios omnes, ſub ipſa inſtitutione iurare ſolitos diximus, poſtmodum ad alia quælibet beneficia extenſa, tamen poſterioribus ſæculis magis condemnanda fuit.

15. Namque vt notat *Boetius Epo antiquitatis Eccleſiaſticæ perſcrutator diligentiſſimus in d. tract. permut. benef. ad capit. quæſitum de rerum permut. apud Greg. ſtatim in principio*, permutatio beneficiaria, eſt ſchiſmatum in Eccleſia ſuborientium malus partus, cum alij veri & legitimi Pontificis, alij furtiui & illegitimi partibus adhærentes, vt in diuerſas regiones ſeſe transferrent, inuicem beneficia commutabant, quod & recte adnotauit, ſi illud demas, quod Galliæ noſtræ huicce malum fœtum tribuat, quod Turonenſi Concilio nationis Gallicæ damnatus ſit.

16. Attamen benigniori vſu permutatio admiſſa fuit, & cum primum fauore Eccleſiæ, & ipſius commodo inducta fuiſſet, tandem ad ipſammet Eccleſiaſticorum vtilitatem traducta fuit, à quocumque collatore ordinario, primum quidem cauſa cognita, & libere exequenda, ſed poſtea neceſſitate iniecta collationis indulgendæ, *capit. inter cætera de præb. capit. vnico de rer. permut. in* 6. *Clement. vnica eod. tit.*

17. Verum enim illa conferendi neceſſitas in permutationibus exequendis, non ſolum ſummum Pontificem, & collatorem ordinarium aſtringit, ſed & patronum Eccleſiaſticum, libero manente patrono laico, quod inductum teſtatur *Molin ad reg. de infirmis num.* 41. *& ſeq.* ne permutationis peragendæ cauſa tranſmigtandi Romam locus daretur, &

Digitized by Google

ſic iuriſdictionis ordinariæ innuadendæ occaſio, quod veteres Eccleſiæ canones ferre non potuerunt, *can. ad hoc* 89. *diſtinct. can. eſto* 95. *diſtinct.*

18. Sed enim cum hodie in permutationibus beneficiariis, conferendi neceſſitas ipſis ſummorum Pontificum ſanctionibus inducta fuerit, nempe *Bonifaciana, & Clementina prædictis* notat idem *Boetius Epo in d. tractatu permutationis beneficiariæ num.* 235. hodie inutilem in concordatis permutationum clauſulam, *nec alias, nec aliter, nec alio modo* cum ipſimet ſummi Pontifices ſibi hanc legem permutationis neceſſario exequendæ dixerint, à qua recedere non poſſunt.

19. Nec-non etiam huic beneficiorum permutationi accedit, tranſlatio Epiſcoporum, quam permutationis ęmulam diximus in Synopſi huic diſputationi beneficiariæ præmiſſa, vnde & pariter condemnata fuit, antiquioribus Eccleſiæ decretis, generali ſcilicet Nicæna ſynodo relata in *can. oportet* 7. *quæſt.* 1. *Calchedonenſi in can. propter eadem cauſa, & quæſt. Carthaginenſi* 4. *in can. Epiſcopos* 7. *quæſt.* 1.

20. Et illud quidem ita ſancitum habemus, propter ſpiritale coniugium, quod firmiori vinculo contrahitur inter Eccleſiam & Prælatum, cuius morte adueniente viduata dicitur Eccleſia, *capit. inter corporalia de translat. Epiſcop.* vel ipſo teſte *Lupo Ferrarienſi Abbate in epiſt.* 29. *ad Guenilonem Senonenſem Archiepiſcopum.*

21. Quandoque tamen Eccleſiæ vtilitate ſuadente, tranſlationis venia datur, verum à ſolo ſummo Pontifice, cum tranſlatio Epiſcoporum inter maiores cauſas annumeretur, in *capit.* 1. *& capit. inter corporalia de translat. Epiſcop.* quamuis permutatio, ordinariæ iuriſdictioni exequendæ relicta fuerit.

22. In ſumma igitur, vt huic diſputationi conuenienter agamus, concludendum eſt, tranſlatione, & permutatione canonica, vacare de iure & facto ſimul beneficia, quia in vtraque vacandi forma, renunciatio interuenit *d. capit. inter cætera de preb.* qua interueniente ius, id eſt ipſum beneficij titulum, & factum, ſiue poſſeſſionem, à renunciante abdicari diximus.

---

§. DECIMVS-TERTIVS.

Continens generalia quædam ad prædictos omnes vacandi modos.

1. *Renunciatio quælibet, inter modos adquirendi non numeranda.*
2. *Non mutat, quod priuatio generationis cauſa dicitur.*
3. *Renunciatio eſt diſpoſitio tantum canonico titulo inferendo.*
4. *Gomeſij error refellitur, circa renunciationis effectus.*
5. *Ante admiſſam reſignationem, pœnitentiæ locus datur.*
6. *Probatur ea ſententia decreto Curiæ Pariſienſis.*
7. *Huius decreti diſpoſitio huic ſententiæ accommodatur.*
8. *In vacandi modis, non fit extenſio caſus omiſſi, ad expreſſum.*
9. *Qui beneficium reſignatione vacans impetrat, non obtinet ſi morte vacauerit.*
10. *Qui morte vacans impetrat, non poteſt obtinere tanquam vacans ex veteri cauſa.*
11. *In iure ciuili quandoque caſus omiſſus continetur ſub expreſſo, & quæ differentia.*
12. *Quis effectus clauſulæ* etiam per obitum, vel alio modo, vel ex cuiuſcumque perſona.
13. *Comparatio huius clauſulæ, cum clauſula codicillari.*
14. *Probatur effectus clauſulæ* vel alias quouis modo.

1. IN primis illud adnotandum eſt, prædictos omnes vacandi modos, renunciationem ſcilicet, ſiue ſimplicem, ſiue in fauorem, vel ex cauſa permutationis factam, malè à quibuſdam, inter modos adquirendi beneficij connumerari, cum potius inter modos amittendi beneficij

beneficij locum tenere debuerint, quos ideo in vltima definitionis noſtræ beneficiariæ verba *conceſſa* reiecimus, vt ſolet in cæteris iuris ciuilis, & Canonici diſputationibus.

2. Niſi dixeris, renunciationem inter modos adquirendi beneficij reputari, ea ratione, qua corruptio vnius dicitur generatio alterius, vel apud phyſicos, priuatio habetur inter cauſas generationis, quia ſtatim atque deficit vna forma, alia ſubiicitur, quod non omnino congruit modis adquirendi beneficij, qui ipſo iure induci non poſſunt, ſed indigent collatoris miniſterio, & auxilio.

3. Verum enim cum dixerimus ſupra *ad verba definitionis noſtræ inſtitutione, & ad verba Canonica* beneficia Eccleſiaſtica, abſque canonica inſtitutione obtineri non poſſe, vt innuit *capit. 1. de reg. iur. in 6.* conſtat omnes præmiſſos vacationis modos eſſe quidem præparationes, ſiue diſpoſitiones proximas, ad canonicum titulum inducendum, ſed tamen canonicæ inſtitutionis vicem non obtinere, quæ à ſola priuatorum auctoritate dependere non poteſt.

4. Et huic quidem ſententiæ accedit quod *Carolus Molinæus ad regulam de infirm. ſub ipſo principio* Ludouici Gomeſij opinionem explodit, dicentis ſola reſignantis ceſſione, ipſum ius beneficij tranſire à reſignante, in reſignatarium recta via, vt in iure ciuili, à teſtatore, in legatarium, ipſique omnimodo adquiri, abſque vllo altero hominis miniſterio, quaſi & in donationibus contigit, quæ tamen traditionem ſiue veram, ſiue fictam deſiderant.

5. Namque illud adeo fallit in renunciationibus expediendis, vt ante reſignationis approbationem, ſiue admiſſionem à ſuperiore factam, locus omnis pœnitentiæ relinquatur, & interim qui dimiſit beneficium, rebus integris reuocare poſſit ceſſionis mandatum, ſi modo procuratori, vel ſuperiori, qui ceſſionem debuit admittere, notam fecerit reuocationem, vt patet ex *Clement. vnica de renunciat.*

6. Sed & illud ſenatus Pariſienſis decreto confirmatum eſt, in publicis cauſarum actionibus pronunciato die lunæ 19. Aprilis anni 1649. circa contentionem in foro agitatam, ratione poſſeſſionis Prioratus ſanctæ Trinitatis *de Bellenoue* diœceſis Lucionenſis, inter *Petrum Deshaies* vltimi poſſeſſoris reſignatarium, appellantem à recuperatoribus palatij, cui patrocinium præbebat *Angelus de Maſſac & Franciſcum Boier*, cui & ipſe aderam.

7. Namque cum prædictus *Boier*, morte vltimi, & immediate præcedentis poſſeſſoris vacantem prioratum obtinuiſſet, poſt reuocationem ceſſionis ab ipſo reſignante factam, licet ſoli Nummulario, & Trapeſitæ, cui vices reſignans ipſe commiſerat, intimata fuiſſet reuocatio, qua neglecta tamen, à reſignatario impetrata fuerat collatio, prædictum enim *Boier*, quamuis morte tantum vacantem Prioratum præmiſſum obtinentem, in poſſeſſione d. beneficij confirmauit ſenatus, inſuperhabita collatione facta in gratiam reſignatarij.

8. Sed & illud aduertendum eſt, prædictos omnes vacandi modos, inter ſe ita ſeparatos eſſe, & diſtinctos, vt neuter ad alium trahatur, vel extendatur, nec omiſſus caſus, per expreſſionem alterius ſuppleri poſſit, vel adiuuari, quinimo ſoli vacationis modo expreſſo, applicari poterit collatio beneficij ab ordinario expedita; nec vltra poterit extendi.

9. Et ex eo patet, quod qui beneficium tanquam reſignatione vacans impetrauit, ſi ex quacumque cauſa vires ſortiri non poſſit renunciatio, quamuis interim morte reſignantis vacatio contigerit, nihilominus beneficium tanquam morte vacans obtineri non poſſit ab eodem in vim collationis, cui alia vacandi ratio puta renunciationis cauſam dederit.

10. Sed & idem euenit, ſi tanquam morte vacans beneficium impetraturus, quod alias ex eo crimine vacare contigit, quod vacationem ipſo iure inducebat, ex veteri illa vacatione, quamuis omiſſa, ſibi collatum contendat, nec enim ex rigore iuris ex eo vacandi modo qui omiſſus eſt, conſequi poteſt beneficium, vt vulgo doctores *ad capit. ſuſceptum de reſcript. in 6.*

11. Et tamen aliud ſeruari videtur in iure ciuili in cauſa ſubſtitutionis, in qua pater qui in vſum caſum filio ſubſtituerit, in vtrumque ſubſtituiſſe intelligitur, *lege iam hoc iure* 4. *dig. de vulg. & pupill. ſubſtit.* quod in pluribus aliis iuris articulis locum habuit, cum enim ea expreſſi caſus extenſio ad omiſſum, ab ipſa teſtantis præſcripta voluntate pendeat, nequaquam id ſeruari potuit in vacationis caſu omiſſo, cum de eo nec cogitatum fuerit, nec cogitari potuerit.

Digitized by Google

12. Et inde fluxit vt huius periculi euitandi gratia, & celeritatis ſtudio, abbreuiatores Cancellariæ Romanæ illius clauſulæ vſum inuexerint *etiam per obitum, vel alio modo, & ex cuiuſcumque perſona vacet*, de qua Doctores *ad d. capit. ſuſceptum de reſcript. in 6. Caſſad. deciſ. 5. de præb. Staphilaus de vi & poteſtate clauſularum, vetus gloſſator regularum Cancellariæ Romanæ ad regulam* 18. *de infirm. reſign. num.* 2. *& ſeq. & ibi Ioann. A chokier litt. d. num.* 26. *Molin. ad reg. de publ. reſignat. num.* 200.

13. Namque huius clauſulæ ea vis eſt, & poteſtas, vt quoſcumque vacandi modos comprehendat, ſicut clauſulæ codicillaris in teſtamentis obſeruari ſolitæ, cuius hæc eſt auctoritas, vt omnia iuris ſolemnia, in teſtamentis cuſtodienda ſuppleat, & habeat pro impletis, quamuis eorum nulla, vel leuior habita fuerit obſeruatio, cum omnia ſub eius clauſulæ contextu includat, ſicut præmiſſa clauſula omnes vacandi modos.

14. Namque illud idem probauit curia Pariſienſis, vel in ſola clauſula, in litteris collationum Pontificiis, & ordinariis adhiberi ſolita, *vel alias quouis modo* etiamſi mortis nulla habita fuerit mentio, quæ tamen habetur pro expreſſa, propter efficaciam prædictæ clauſulæ, vt ſupra obſeruauimus *ad verba definitionis canonicæ* §. 10. *de Pontif. collat. iure conc. ad can. form. reduc. ſub finem*, ex duobus ſenatus Pariſienſis decretis in id nouiſſime emiſſis, quæ diligens quiſque poterit hîc ſubnectere.

CAPVT SECVNDVM.

Quibus modis conſeruari ſoleant beneficia.

1. *Ratio continuationis, & ſubiectionis huius materiæ præcedenti.*
2. *Cur modis vacandi, ſubiiciantur modi conſeruandi beneficij.*
3. *Tres modi conſeruandis beneficiis inuenti proponuntur.*

1. CVm ſupra dixerimus *ad verba definitionis ad vitam*, præcipuam beneficiorum naturam in eo verſari, vt perpetua ſint, & ad vitam concedantur, non abs re fuerit, diſputationi habitæ de modis, quibus vacare ſoleant beneficia, quæ ipſorum naturam quodammodo lædit, & vitiat, eam ſubiicere, quæ tractare ſolet, de modis quibus conſeruantur.

2. Et quidem illud æquius, & conuenientius fuerit propoſito nobis ordini, vel ex eo, quod conſeruandorum beneficiorum modi, ad priſtinam naturam, vnde exierant beneficia, quodammodo reducant, ſuæque perennitati reddant, vel ex eo quod obſeruari ſolet, vt morbis, & vitiis, remedia ſubiiciantur, quorum ope, & auxilio, ab illis præſeruari poſſint.

3. Verum cum beneficiis conſeruandis, plures modi dati ſint, ſique paſſim occurrant in iure canonico, ad tres potiſſimum reduci poſſunt, iudicia ſcilicet, ſiue actiones, quæ beneficiorum conſeruandorum cauſa comparatæ ſunt, ſubrogationem iudiciariam, & triennalem poſſeſſionem, qui omnes ſuo quoque ordine exponendi nobis incumbunt.

Digitized by Google

§. PRIMVS.

De iudiciis beneficiorum ſeruandorum cauſa comparatis, & primum de iudiciis poſſeſſoriis.

1. *Iudicia exercenda circa beneficia, verſantur circa titulum beneficij, non circa prouentus.*
2. *Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, diſtincta in beneficiis.*
3. *Duplex actio beneficiaria, poſſeſſoria & petitoria.*
4. *Cur actiones beneficiorum poſſeſſoriæ, interdicta vocentur.*
5. *Duplex actio poſſeſſoria retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis.*
6. *Quid ſit interdictum retinendæ poſſeſſionis, & vnde appellatur* maintenuë.
7. *Quis effectus interdicti retinendæ poſſeſſionis, & vnde duplex actio dicitur.*
8. *Quid recuperandæ poſſeſſionis interdictum, & quis effectus.*
9. Quomodo *intelligendum ſpoliatum ante omnia reſtituendum eſſe.*
10. *Vnde interdicta poſſeſſoria momenti actio appellantur, & quæ differentia inter ea.*
11. *Poſſeſſoriæ actiones circa beneficia fori laici ſunt, & ſæcularis.*
12. *Vnde poſſeſſoria beneficij actio, coram iudice laico tractari ſoleat.*
13. *Cur ſolius iudicis Regij notio ſit poſſeſſorium beneficiorum.*
14. *Martini V. reſcriptum, circa iudicium poſſeſſionis beneficiariæ in foro laico exercendum.*
15. *Martini V. reſcriptum nihil noui iudicibus ſæcularibus conceſſit.*
16. *Probatur Alexandri III. reſcripto, poſſeſſorias actiones rei ſpiritalis, iudicis laici notioni incumbere.*
17. *Cur lites beneficiariæ præſcindendæ.*
18. *Vbinam recredentiæ adiudicandæ locus datur.*
19. Quid ſit recredere, & recredentiæ verbum.
20. *Vnde vindiciarum denominatio, recredentiæ aptatur.*
21. *Vindiciæ ex prima tabularum inſpectione addici debent.*
22. *Falſi allegatio, aut alterius vitij, non obeſt vindiciarum addictioni.*
23. *In beneficialibus vindiciæ ex titulis addicuntur, non ex poſſeſſione.*
24. *In profanis litibus, pleni poſſeſſorij addictio fit ex ſola poſſeſſione.*
25. *Vindiciarium iudicium, non niſi datis prædibus exequendum.*
26. *Vindiciæ ſupremæ Curiæ decreto addictæ, abſque cautione præſtita exequendæ.*
27. *Quid ſtatuendum, vbi ſtatim vindiciæ adiudicari non poſſunt.*
28. *Tunc ſequeſtro adminiſtratio committenda, & quæ eius partes.*

1. CVm agimus de iudiciis, ſiue actionibus beneficiorum nomine comparatis, de his intelligendum eſt, quæ ratione tituli competunt, non de illis, quæ ratione prouentuum, & redituum, qui beneficio accedunt, dari ſolent, quippe cum profanis non abſimiles ſint, in noſtram diſputationem, quæ in ſacris tantum conſiſtit, & ſpiritualibus, nec cadere, nec admitti poſſunt.

2. At vero cum in titulo beneficij, quamuis ſacro, & ſpirituali, duplex cauſa ſpectari ſoleat, proprietatis, & poſſeſſionis, ſicut in profanis, & temporalibus, *Clem. vnica de cauſ. poſſeſſ. & propriet. cap. Paſtoralis eod. tit. apud Greg.* quæ nihil inter ſe commune habent *lege naturaliter* §. *nihil commune de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* ideo ſeparatur petitorium, à poſſeſſorio.

Digitized by Google

3. Ex his itaque conſtat, duplicem actionem ratione beneficij competere, alteram, quæ poſſeſſorium ſpectat, alteram, quæ petitorium, & cum in ipſa beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſione, tota verſetur vtilitas, ideo ſæpius à poſſeſſione iudicia incipiunt, vt peracta per legitimam conteſtationem, tandem ad petitorium deſcendamus, vt patet ex *rubricis de ordine cognitionum.*

4. Et primum ſciendum eſt, illas actiones, quæ de poſſeſſione beneficij habentur, interdicta vulgo nuncupari, ſicut in profanis rebus ex eo, quod ſæpius in id tendant, vt interdictio, ſiue prohibitio à prætore pronuncietur, nequid fiat quod poſſeſſioni obſtet, celtiſmo noſtro dicimus, *defenſes de troubler:* ita *Donatus in Hecyra Terentij, Plautus in Aſinaria & Cicero in 7. Verrina & plerique alij probi auctores.*

5. Sunt autem duæ potiſſimum ſpecies interdictorum, altera retinendæ poſſeſſionis, altera recuperandæ dicitur, vt inde manifeſtius pateat, actiones illas conſeruandis beneficiis datas eſſe, & in id tendere, vt turbatus in poſſeſſione conſeruetur, in quo maxime officium prætoris conſiſtit, vt in omnibus quies & tranquillitas ſeruetur, *lege congruit de offic. præſ.*

6. Verum enim, vbi quis poſſeſſionem beneficij adeptus ex canonico titulo, vel canonica inſtitutione, in ea controuerſiam patitur ab alio poſſeſſionem eiuſdem beneficij ingreſſo, vi huius actionis, ſiue interdicti, poſſeſſionem ſuam interuerſam inclamare poteſt, & ſimul conqueri, propter nouam poſſeſſionem adeptam, vnde idiotiſmo noſtro Gallico, hæc actio vulgo appellatur, *complaincte.*

7. Namque in id tendit, vt turbatus in ſua poſſeſſione conſeruetur, eaque actio refertur ad illud interdictum, quod à primis edicti prætorij verbis *vti poſſidetis* appellatur, quodque ex eo duplex actio dicitur, tum in profanis, tum in Eccleſiaſticis negotiis, quod in mouenda nouitatis querela, litigantium vterque actor, vterque reus habeatur, *lege 2. dig. de interd.*

8. Eſt & altera interdicti ſpecies, quæ recuperandæ poſſeſſionis gratia moueri dicitur, quod appellatur vnde vi, dum poſſeſſione beneficij ſpoliatus, in eam reſtitui ſe ſe deſiderat, & cuius deſiderium eo ardore amplexi ſunt iuris ciuilis, & canonici interpretes, vt in vulgatiſſimam regulam abierint, ſpoliatum ante omnia reſtituendum, *can. oportet 2. quæſt. 2. canone redintegrandæ 3. quæſt. 1 toto tit. de reſtit. ſpoliat.*

9. Et quidem illud eo dictum voluere, vt in primis, ſtatim, & ab initio mouendæ litis, huic reſtitutioni ſatisfieri debeat, antequam ad ampliorem rei beneficiariæ diſceptationem, ſiue poſſeſſionis interuerſæ pleniorem addictionem progredi detur, vt paſſim obſeruauere praxis beneficiariæ auctores, & probatur *capit. conquerente de reſtit. ſpoliat. & pleriſque aliis eiuſdem tituli.*

10. Sed enim ea agendi forma, apte reſpondet ei interdicto, quod vulgo vnde vi appellatur, quod apud veteres iuris auctores, momenti beneficium dicitur, & in *lege qui momentaria cod. vnde vi* & à ſuperiori differt, quod in ea quælibet poſſeſſio, ſiue breuioris temporis attendi conſueuerit, in altera autem, quod retinendæ poſſeſſionis dicitur, ſola poſſeſſio ſpectetur, quæ toto vltimo, & præcedenti anno proceſſit, neque vi, neque clam, neque precario, vt paſſim docent interpretes *ad leg. 1. §. 4. dig. vti poſſidetis.*

11. Sed & illud aduertendum eſt, circa illas actiones, & interdicta, beneficiariæ poſſeſſionis vel retinendæ, vel recuperandæ nomine comparata, quod licet beneficia, quorum gratia inducta ſunt, quid ſpiritale eſſe dicantur, & Clericorum militia cœleſtis, tamen iudiciariis perſecutionibus, etiam in foro laico, & ſæculari exercendis, ſubiici.

12. Verum enim cum beneficiorum poſſeſſio, quid mere temporale contineat, à iure ſpiritali diſtinctum, & ſeparatum, vt vulgo docent iuris canonici interpretes, à *Guidone Papaeo relati in deciſ. ſenat. Gratianop. deciſ. 1.* ideo eas moueri, & exerceri ſolitas coram ſæculari iudice, modo Regia poteſtate fungatur, non dominica, aut priuata, vt ibidem probat *Guido Papaus.*

13. Namque ſolius Regis Curæ incumbit, vt puta totius Eccleſię Gallicanę cuſtodi, & patrono, paciſque interruptæ inter Eccleſiaſticos, vindicis acerrimi partes tenenti, clericos, à contentionibus circa poſſeſſionem beneficiorum commotis, auertere, & in poſſeſſione pacifica tueri, & conſeruare, vt paſſim confirmatur *in collectione probat ad lib. Eccleſ. Gall. cap. 26.*

14. Et ex eo natum eſt, vt cum Martinus V. ſummus Pontifex, ſuo diplomate, quod refertur ab eodem *Guidone Papao ibidem & à collectoribus probationum ad libertates Eccleſiæ Gallicanæ d. cap. 26.* Eccleſiaſticam iuriſdictionem tueri, & à ſæcularium, vt dicebat, inuaſione

incolumem ſeruare tentaſſet, eodem reſcripto, & ad preces Caroli VII. Francorum Regis declarauerit, nequaquam Regiæ iuriſdictioni circa poſſeſſionem beneficiorum exerceri ſolitæ, obeſſe voluiſſe.

15. Et inde concludendum eſt, non omni veritate ſubnixum, quod quidam inferunt, nouo hocce reſcripto, iuriſdictionem Regiam circa beneficia inniti, & ſuſtineri, cùm ex eo illud euidentius pateat, priſcis Gallorum moribus obſeruatam, & per continuam poſſeſſionem, in hæc noſtra tempora tranſmiſſam, atque etiam iure communi fundatam.

16. Namque & illud iamdudum Alexander III. in *capit. cauſam. qui filij ſint legitimi* Londonenſi, & Vigorienſi Epiſcopis reſcribens, teſtatus fuerat, ad Regem, non ad Eccleſiam pertinere, de poſſeſſionibus etiam rei ſpiritalis iudicare, cum poſſeſſio, vel rei ſpiritalis, mere temporalis ſit, eiuſque perſecutio extra forum Eccleſiaſticum, vt probatur paſſim in *capit. 26. probat. ad lib. Eccleſ. Gallic.*

17. Sin autem lis circa beneficii poſſeſſionem inſtituta, longiori tramite decurrat, ita vt ex tempore, in fauorem alterutrius litigantium, poſſeſſio pacifica addici non poſſit, cum publicæ vtilitati expediat, diutius non vacare beneficia, in quibus regendis, & adminiſtrandis ceſſatio, vel nimia dilatio, ſaluti animarum, quæ pretioſiſſima res eſt, & præſentiſſima, non leue periculum illatura, ideo lis præſcindenda.

18. Et vero pendente lite vindiciæ, ſiue fiduciaria poſſeſſio ei credi debet, & mandari, qui viſis tabulis, & leuiſſime diſpunctis rationibus, potior in iure apparebit, quod vulgo recredentia dicitur, celtiſmo noſtro *la recreance* cuius iure, cui mandata eſt poſſeſſio, interim fructus beneficii percipit, reſtituendos ei, qui vicerit in lite plenioris poſſeſſorii, alias dicunt *pleine maintenuë*.

19. Sed enim *recredere* eſt reſtituere apud veteres & probos auctores, *Plautum*, *Terentium*, *& alios*, & in iure canonico, vt in *capit. 55. de appellat. vt & apud Iuonem Carnotenſem Epiſcopum epiſt. 275.* Goffridum, *Vindocinenſem lib. 2. epiſt. 30. Marculphum in formulis & in notis ad veteres formulas cap. 1.*

20. Sed etiam recredentia vindiciæ appellatur in qualibet lite, ſiue de re Eccleſiaſtica & ſpiritali, ſiue de profana & temporali inſtituta, ex eo quod vindiciæ momentanea poſſeſſio nominentur apud probos auctores, quod mire explicat Aſconius in 3. Verrina, ſic dicta quod in actione petitoria, & poſſeſſoria, litigantes inuicem manum conſererent, vnde vindiciæ dictæ.

21. Et ex his omnibus præmiſſis, tria illa patent, in controuerſia poſſeſſionis momentaneæ maxime ſpectanda, primum de quo præmonuimus, vindicias, ſiue fiduciariam poſſeſſionem, ex prima tabularum inſpectione addici, remiſſa diligentiori litis diſcuſſione, in iudicium plenioris poſſeſſorii.

22. Et ex eo ſequitur, nec falſi, nec cuiuſlibet alterius vitii allegationem, vindiciarum adiudicationi obeſſe poſſe, argumento *legis 2. cod. de ed. diui Hadriani tollend.* modo illud vitium non tale ſit, quod in prima figura appareat, vt dicitur in *d. lege* cui accedit *conſuetudo noſtra Bituricenſis cap. 18 de teſtamentis art. 21.* dum teſtamentum ait executioni mandari debere, ſi modò vitio careat, quod in prima figura appareat, *vice viſible.*

23. Secundum, quod & ſpeciale eſt, in controuerſia beneficiaria vindicias, ſiue fiduciariam poſſeſſionem, non ex ſola poſeſsione adiudicari, ſed ex titulis, quia beneficia Eccleſiaſtica, ſine canonica inſtitutione poſsideri nequeunt, *cap. 1. de reg. iur. in 6.* nec ſola poſeſsio titulum tribuit, ſiue canonicam inſtitutionem, vt ſupra confirmauimus *ad verba canonica ſtatim in principio Brodeus ad Louetium litt. R. num. 29.*

24. Verumtamen aliud in profanis litibus ſeruatur, in quibus, & in fiduciariæ, vel momentaneæ poſſeſſionis addictione facienda, ſola attendi debet poſeſsio, titulorum diſcuſſione reiecta in litem proprietatis, ampliori iudicio terminandam, vt patet ex *tit. dig. & cod. vti poſſidetis, & pleriſque aliis ad interdictorum materiam pertinentibus.*

25. Tertium & illud adnotandum, vindiciarum, ſiue recredentiæ adiudicationem, executioni mandari non poſſe, niſi datis prædibus, ſiue cautione præſtita à fiduciario poſſeſſore, fructum reſtituendorum nomine, contendenti aduerſario, in caſum victoriæ, ſiue adiudicationem plenioris poſſeſſorii, ipſius gratia & fauore pronunciatam *Aſconius in 3. Verrina.*

26. Sed aliud ſeruatur, vbi decreto ſupremæ Curiæ fiduciaria poſeſsio alteri litigantium addicta eſt, vt vulgo tradunt noſtri iuris interpretes, propter maiorem reuerentiam, & honorem, decretis ſupremarum curiarum debitum, quorum executio nulla ratione retardari debet, *Louet. lit. R. num. 28. & ibi ſcholiaſtes.*

Digitized by Google

27. Nec illud omittendum, vbi ex leuiori, & prima titulorum inſpectione, nec facile colligi poteſt, cuinam ex litigantibus, tanquam potiori iure ſubnixo, vindiciæ, aut fiduciaria poſeſsio credi, aut committi poſsit, nec illud iudicem pati debere, vt pendente lite, miniſtro ſuo viduata Eccleſia permaneat, præſertim cum beneficio vacanti cura animarum, aut ſacri miniſterii adminiſtratio incumbit.

28. Verum huius periculi effugiendi occaſione, ſequeſtro vel à partibus electo, & nominato, vel auctoritate iudicis deputato, poſeſsio beneficii committi debet, qui pendente lite omnia onera ſuſtineat, tum ſpiritalia, tum temporalia, fructuſque interim percipiat, adminiſtrationis ſuæ rationem redditurus ei, cui vel plena poſeſsio, vel ex titulorum inſpectione diligentiori, fiduciaria poſeſſio poſtmodum credita fuerit, vt patet ex *tit. de ſequeſt. poſeſſ.*

§. SECVNDVS.

De petitorio iudicio.

1. *Quid petitoria actio, & quod ad eam progredi non liceat, donec plenior poſeſsio addicta fuerit.*
2. *Idem de vindiciarum addictione, niſi apud ſupremos iudices.*
3. *Petitorio agendum iudicio coram ſolo iudice Eccleſiaſtico.*
4. *Vltimum remedium conſeruandis beneficiis, eſt petitorium iudicium.*
5. *Poſt finitum poſeſſorium decreto ſupremi ſenatus, non datur locus petitorio iudicio.*
6. *In id ſupremæ Curiæ Pariſienſis probatorium decretum.*
7. *In beneficiis iure Regaliæ vacantibus, cumulatur & petitorium & poſeſſorium.*
8. *Aſſeritur, & probatur hæc indiciorum cumulatio.*
9. *Quid ſtatus in regalia, & cur pro poſeſsione, & recredentia.*
10. *Vnde ſtatus nomen poſeſsioni datum, maxime in regalia.*
11. *In beneficiis fundationis Regiæ, fit cumulatio iudiciorum.*
12. *Magni Conſilij Patres ius dicunt de beneficiis fundationis Regiæ, & vnde.*

1. QVemadmodum igitur, poſeſſionis beneficiariæ nomine datur actio, ſic & proprietatis ratione, quæ & petitoria dicitur, *toto tit. de cauſ. poſeſſ. & propriet.* eaque non prius agendum, & experiendum, quam ratione poſeſſionis lis omnimodo finita fuerit, & ſententia penitus executioni mandata, tam circa principalem fructuum reſtitutionem, quam circa expenſarum condemnationem, cui omnino ſatiſfieri debet, vt definitum eſt *conſtitutione Regia anni* 1639. *art.* 49. *& ibi Molinæus.*

2. Sed & illud vulgo obſeruari dicitur & de ipſa vindiciarum lite, qua non peracta, ad plenioris poſeſſionis diſquiſitionem progredi non licet, quod tamen poſterius, non vſquequaque obſeruat maior Curia Pariſienſis, ne huius executionis prætextu, & colore, litis poſeſſoriæ iudicium, diutius retarderetur, aut longius protrahatur.

3. His igitur actionibus poſeſſoriis omni ex parte completis, procedere licet ad petitorij iudicij inſtructionem, coram iudice Eccleſiaſtico: cum enim beneficiorum ſpiritalis ſit natura, & Eccleſiaſtica, ideo (ſi quæ eorum proprietas) cum eamdem naturam ſapiat, inter clericos canonicæ inſtitutionis ſolos capaces, apud iudices Eccleſiaſticos diſcutienda venit.

4. Et quidem illud vltimum eſt beneficij conſeruandi remedium, poſt tentatam, & diſcuſſam omni ex parte, poſeſſionis beneficiariæ litem, vt obſeruari ſolet circa contentiones rerum profanarum nomine inſtitutas, & patet manifeſtius *ex rubricis tum iuris canonici, tum iuris ciuilis de ordine cognitionum*: quod tamen apud nos non abſolute ſeruatur.

5. Nam cum ſupremæ Curiæ decreto lis poſeſſoria terminata eſt, & finita, vltra non datur diſcutiendæ liti circa poſeſſorium locus, adeo vt, ſi neglecta huius iuris & diſpo-

Digitized by Google

ſitionis æquitate, officialis Epiſcopi, ſiue iudex Eccleſiaſticus, ratione petitorij citationis libellum emiſerit, ab ea tanquam ab abuſu prouocari poſſit, & debeat, vt alias & ſæpius decreuit ſenatus Pariſienſis, referente *D. Louetio & ſcholiaſte litt. R. num. 23.*

6. Sed & præciſe in publicis cauſarum actionibus, ex catalogo Pictauenſi recitatis, die lunæ 15. Iunij anni 1626. inter capitulum Andegauenſe, prouocans tanquam ab abuſu à citatione emiſſa ab officiali Archiepiſcopatus Turonenſis, & Epiſcopum Andegauenſem intimatum, nec-non impetrantem huiuſmodi citationem, in cauſa exemptionis capitulo quæſitæ, in cuius poſſeſſione, cum decreto ſenatus Pariſienſis conſeruatum fuiſſet capitulum, rurſus Epiſcopus in petitorio quæſtionem mouere contendebat, abuſiuam enim citationem pronunciauit ſenatus.

7. Quamuis autem dixerimus petitoriam actionem, beneficiorum nomine comparatam, coram iudice Eccleſiaſtico inſtitui debere, & terminari, illud tamen quaſdam exceptiones admittere ſolet, veluti in beneficiis iure Regaliæ vacantibus, quæ & ſpeciales, & proprias regulas habet, ab auguſtiſſimo Regiæ coronæ iure mutuatas, nullique communicandas.

8. Nam & de beneficiis iure Regaliæ vacantibus, ſola Curia ſuprema Pariſienſis ius dicit, tam circa poſſeſſorium, quam petitorium, quod & vno, eodemque iudicio definire ſolet, quamuis in aliis controuerſiis, actionum cumulationem condemnauerit *Regia ſanctio anni* 1539. *art.* 49. vnde tanquam in profana, & ordinaria lite, pronunciare ſolet curia, hac vulgari addictionis formula, *la Cour a adiugé & adiuge le benefice vacant en regale.*

9. Sed & illud ſpeciale in regalia, vt fiduciaria poſſeſſio, quæ in cæteris aliis beneficiariis litibus, recredentia appellatur, ſiue vindiciæ, in vacantibus iure regaliæ beneficiis, ſpeciali nomine ſtatus nuncupetur, vt patet ex veteri ſenatus-conſulto Curiæ Pariſienſis à *Ioanne Gallo relato, quæſt.* 161.

10. Et ex eo eſt, quod in forenſi expeditione vulgo dicimus *ſeſtat*, quod inde dictum auguror, quod poſſeſſio quæ per illud vocabulum prænotatur, à poſitione pedum nomen habet, *lege* 1. *dig. de adquir. vel amitt. poſſ* quæ ſtantis figura eſt, & conſtantis, à qua & ſtatus appellatur, poſſeſſio Regia, quia firma & permanens eſſe debet, vt quælibet gratia à rege proueniens, cuius & beneficium decet eſſe manſurum.

11. Nec tantum illud ſeruatur in beneficiis iure regaliæ vacantibus, vt iudices laici in iis ius dicant, & circa petitorium, & circa poſſeſſorium, ſed & in his, quæ fundationem Regum noſtrorum agnoſcunt, veluti ſacrarum, & Regiarum capellarum canonicatus, & præbendę, & alia ſimilia, de quibus ſupra diximus, *adverb. deſinitionis noſtræ inſtitutione* §. 15. in quorum contentionibus, pariter vno eodemque iudicio petitorium & poſſeſſorium cumulatur.

12. Sed & in illis beneficiis prætoriani iudices, ſiue magni Conſilij Patres, ius dicere ſolent, tam circa poſſeſſorium, quam circa petitorium vt docet *Carol. Molin. ad reg. de infirm. reſignat. num.* 416. *& ſequent.* quod natum puto ex delegatione iuriſdictionis ordinariæ, ipſis in hac parte demandata, propter aſſiduitatem, & præſentiam, quam iure dicundo circa aulam regiam præſtare debent, qua ratione, pleræque aliæ iuriſdictionis partes, ipſis creditæ ſunt, & à iudicibus ordinariis, ſimul & à Curia Pariſienſi abſciſſæ.

---

§. TERTIVS.

De ſubrogationibus iudiciariis.

1. *Quid ſubrogatio iudiciaria, & vt vnum ſit conſeruandis beneficiis remedium.*
2. Nota ad capit. 2. vt lite pendente nihil innou. in 6.
3. *Regula Cancellariæ de ſubrogandis, primum in fauorem collitigantium inducta.*
4. *Explicatur beneficium ſubrogationis ex lege ab Anaſtaſio deſcendens.*
5. *Extraneus etiam hodie in gratiam demortui ſubrogari poteſt.*
6. *Quis ſit ſubrogationis iudiciariæ effectus.*

Digitized by Google

7. *Subrogatus debet prædeceſſoris & ius, & poſeſſionem probare.*
8. *Succedens pacifico poſeſſori, debet tantum probare poſeſſionem.*
9. *Olim collatores ordinarii ſubrogationis gratiam indulgebant, & quare exoleuerit vſus.*
10. *Vſus Gallicus circa ſubrogationes iudiciarias.*
11. *Subrogationis iudiciariæ diſceptatio intra annum moueri debet.*
12. *Subrogatus fiduciario poſeſſori poſt annum agens, beneficio vindiciarum carere debet.*
13. *Subrogatus ei contra quem vindiciarum iudicium datum eſt, fructus à deceſſore perceptos reſtituere tenetur.*
14. *Quæ onera tranſmittuntur in eum, qui in ius alterius ſubrogatur.*
15. *Quid amotio manus Regiæ, & vt conſeruandorum beneficiorum remedium eſt inuentum.*
16. *Quis vſus amotionis Regiæ manus apud nos ſeruatus.*
17. *Differt manus Regiæ amotio, à recredentia, & vindiciarum iudicio.*
18. *Manus Regiæ amotionis executio, per appellationem, aut oppoſitionem retardatur.*

1. SVccedit & altera ratio conſeruandorum beneficiorum gratia inducta, quæ & ſubrogatio iudiciaria dicitur, cum duobus ſuper poſſeſſorio, vel petitorio cuiuſlibet beneficij litigantibus, contigit alterutrum decedere, tunc enim vel ſuperſtes in locum & ius defuncti ſubrogari ſe procurat, vel extraneus morte vacans beneficium impetrans, in eiuſdem locum ſeſe ſubiici impetrat.

2 Quamuis enim ex *capit. 2. vt lite pendente nihil innouetur in 6.* pateat, huiuſmodi ſubrogationes condemnatas à Bonifacio VIII. ſummo Pontifice, tamen vt adnotauit *Carolus Molinaus ad idem capit.* ea conſtitutio hodiè non ſeruatur, nec in foro Eccleſiaſtico, nec in ſæculari, imo nec in ipſa Cancellaria Romana.

3. Nam primùm regula Cancellariæ Romanæ enata, quæ de ipſis ſubrogandis collitigantibus, qua cautum erat, vt primum collitigantes ſubrogarentur, excluſis extraneis, ne multis expenſis, & laboribus, & veluti bona fortuna adquiſitum beneficium, per adiectionem nouæ perſonæ rurſus in controuerſiam deducatur, & diutius iudicium protelетur.

4. Nec longe differt quod in ſubrogationibus, ſiue ceſſionibus rerum profanarum euenire ſolet, & apud nos ſeruari, ex *legis ab Anaſtaſio & legis per diuerſas cod. mandati* diſpoſitione, vt conſortes, excluſis extraneis ex ceſſione ius habentibus ſufficiantur, quarum diſpoſitio variis Curiæ Pariſienſis decretis approbata, relatis à *D. Louetio & ſcholiaſte litt. C. num. 5. & 13. & litt. L. num. 11.*

5. Sed tandem vſus inualuit, vt quicumque licet extraneus, ſiue morte, ſiue renunciatione alterius litigantis vacans beneficium obtinere poſſit, & in eius locum ſubrogari, vt facilius, & citius Eccleſiæ, nouis miniſtris replerentur, & idoneis, nec in beneficiis ſucceſſionis damnatæ per ſubrogationem conſortis aliqua veſtigia permanerent.

6. Huius autem ſubrogationis iudiciariæ vis eſt, & poteſtas, vt qui in locum cedentis vel decedentis litigantis ſubintrauit, non tantum in ius, & poſeſſionem eius ſuccedat, ſed etiam in litem, eo ſtatu perſequendam, quò defunctus deſiit, vt paſsim probant huius regulæ de ſubrogandis collitigantibus commentatores.

7. Et ex eo eſt, quod non tantum ius ſuum, & ex propria perſona, qui ſubrogatur probare debeat, ſed etiam ex perſona defuncti, aut reſignantis, vt docet *Duarenus in tractatu de ſacris Eccleſiæ miniſteriis lib. 7. cap. 13.* quod confirmatur auctoritate *Ægidij Bellameræ deciſ. 112. Caſſadori deciſ. 2. de cauſa poſeſſ. & propriet. & ex recentioribus Chriſtophori Roſiniaci Præſidis Pariſienſis lib. 3. de re ſacerd. tit. 6.*

8. Et tamen illud certum eſt, eum qui ſucceſsit in beneficio pacifico poſeſſori, ſolam prædeceſſoris poſeſsionem, tempore mortis, aut renunciationis probare debere, vt docet *Abbas Panormitanus ad capit. cum venerabilis de except. num. 24.* nec qualitates, aut conditiones cedentis, aut decedentis in beneficio probandas habere, cum nec ei ſucceſſerit, nec ius ab illo habuerit.

9. Nec

9. Nec etiam illud omittendum, quod iure noſtro Gallico ſpecialiter inductum eſt, veteri iure abrogato, vt quamuis olim id obſeruaretur, vt collatores ipſi, litigioſa beneficia morte vel renunciatione vacantia conferentes, ipſam ſubrogationis gratiam ſimul indulgerent, tamen hodie illud non poſſe, maxime cum lis beneficiaria, ſaltem poſſeſſoria, mere temporalis ſit, & fori laici, quam nec collatores ordinarij, ob eam cauſam in collatarium transſcribere poſſunt.

10. Namque hunc vſum apud nos inualuiſſe agnoſcimus, vt qui cedentis, vel decedentis collitigantis beneficium obtinuiſſet, regios codicillos mox impetraret, quibus facultas daretur, litem quodammodo ſopitam inſtaurare, & iura proſequi anteceſſoris, pro vt in iudicium deducta ſunt, vt patet ex variis exemplis ſubrogatitiarum litterarum, ex officinis codicillaribus depromptarum.

11. Verum illud obſeruandum eſt, cum ſæpius apud nos poſſeſſionis beneficiariæ vel retinendæ; vel recuperandæ nomine controuerſia moueatur, quæ annalis eſt, ſicut cætera ciuilia interdicta, vt dicitur in *lege 1. dig. de interd.* ideo & ſubrogatoria diſceptatio, quæ in temporalem, & intra annum mouendam controuerſiam incidit, intra annum exerceri debuiſſe, alias enim perimendæ liti locus eſſet, vt in annalibus actionibus apud nos cuſtoditur.

12. Sed & illud quidem tunc maxime obſeruatur, ſi ille qui ſe ſubrogari deſiderat, ei ſucceſſerit, qui in poſſeſſione beneficij, ſaltem fiduciaria fuerit, cuius & poſſeſſionis beneficio vti voluerit (quod & recte deſiderat) vt innuit *Chriſtophor. Roſiniacus in d. tract. de re ſacerd. lib. 3 cap. 6.* ſi enim extra annum ſubrogationis diſceptationem moueat, vindiciarum iure, & beneficio carere debet.

13. Quod ſi nouus collatarius, in eius litigantis locum ſucceſſerit, & actionem in ſe tranſcribi petierit illius, aduerſus quem vindiciarum ſententia pronunciata fuerit, & fiduciaria poſſeſſio credita, non alias admittetur in iudicium poſſeſſionis, quam ſi vindiciarum ſententiam omni ex parte adimpleuerit, fructuſque à defuncto perceptos, poſt creditam poſſeſſionem reſtituerit.

14. Namque hæc reſtituendorum fructuum obligatio, poſt vindiciarum addictionem contracta, onus reale, & ipſi beneficio inſidens cenſetur, vel ſaltem litis reparatio, quæ in ſubrogatum tranſcripta eſt, quam ſucceſſor quilibet litis, & beneficij, ſubire debet, non cætera omnia, quæ ſolam cedentis, vel decedentis perſonam aſtringunt, vt docet *ibidem Roſiniacus.*

15. Sed & ſubrogationis iudiciariæ gratiam ab extraneo impetrandam, anteuertere ſolent litigantes ſuperſtites, dum manum regiam, vel priuatam beneficiis, iniectam, ſibi amoueri poſtulant, quod & aliud eſt, conſeruandis beneficiis inductum remedium, in foro maxime obſeruatum, quod & ſæpius præmittitur ſubrogationis beneficio, ab ipſo vel collitigante impetrando.

16. Verum enim vbi in fauorem cedentis, vel decedentis vindiciarum iudicium pronunciatum eſt, ſuperſtes in lite, antequam nouus collatarius ſubrogationis litteras impetrauerit, & admittendas, & probandas ſenatui obtulerit, manum iniectam à fiduciario poſſeſſore ſibi auferri facile impetrat, viſis tabulis, & inſtitutionis canonicæ inſtrumentis, quod vulgo & idiotiſmo noſtro Gallico appellatur *main leuée des fruicts.*

17. Nec tamen ea manus Regiæ, vel priuatæ amotio, vindiciarum, aut recredentiæ vicem obtinet, cum hæc viſis, & collatis vtrinque tabulis obtineri ſoleat, non tantum ex poſſeſſione, ſed etiam ex beneficialibus inſtrumentis, & titulis, illa vero ſæpius nullo contradicente, vnde non eodem, nec pari auxilio, vel fauore ſuſtinetur.

18. Sed enim vindiciarum iudicium, nullo appellationis grauamine obſtante executioni mandari ſolet, manus vero Regię, aut priuatæ amotionis executio, interpoſita appellatione, aut alio legitimo obice retardatur, vt docet *Ioannes Papo in Rapſodia Arreſtorum lib. 8. tit. 11. art. 2.* ſed etiam vindiciarum iudicium, non niſi prædibus datis executioni mandatur, manus Regiæ amotionis iudicium, iis ſecuritatibus exhibendis non ſubiacet.

§. QVARTVS.

De pacificis Poſſeſſoribus.

1. *Quid decretum de pacificis poſſeſſoribus, & eius effectus.*
2. *Decretum de pacificis poſſeſſoribus, ad exemplum Concilij Africani.*
3. *Decretum de pacificis poſſeſſoribus receptum in ſynodo Baſileenſi, & pragmatica.*
4. *Regula de pacificis poſſeſſoribus lex regni effecta.*
5. *Verba concordatorum referuntur collata cum regula Cancellariæ.*
6. *Quæ vitia triennali poſeſsioni obſtent.*
7. *Vt triennalis poſeſsio procedat, vitioſus non debet eſſe ingreſſus.*
8. *Quis ſit coloratus titulus, qui triennali poſeſsioni locum præſtat.*
9. *Explicatur coloratus titulus ex* lege 3. cod. de ed. D. Hadr. toll. & ex pragmatica.
10. *Coloratus titulus dicitur, qui proceſsit ab eo qui fuerit in poteſtate conferendi.*
11. *Poſeſsio pacifica cauſam dare ſolet huic decreto, & quænam dicitur.*
12. *Lis cum altero mota, licet eiuſdem beneficij ratione, non impedit aduerſus alterum qui ceſſauit à lite, triennalis poſeſsionis beneficium.*
13. *In decreto de pacificis poſeſsio debet eſſe continua.*
14. *Continuatio ſumitur ex ſola poſsidentis perſona, & beneficium impetrantis.*
15. *Quis effectus huius decreti, & regulæ de pacificis.*
16. *Quid in regula de pacificis* antiquas lites extinguendas.
17. *Triennalis poſeſsionis beneficium, non tantum parit exceptionem, ſed & actionem.*
18. *Decreti de pacificis poſſeſſoribus executio, Regibus noſtris commiſſa.*
19. *Quis ſit vſus huius decreti in Gallia.*
20. *In iudicio pacificæ poſeſsionis id ſolum inquirendum, an quiete poſſederit.*

1. RESTAT nunc vltimum remedium conſeruandis beneficiis inductum, ſiue decretum de pacificis poſſeſſoribus, & triennali poſſeſſione, cuius fauore, & auxilio qui ſubnixus eſt, omnem actionem, vel litem, tam circa petitorium, quam beneficij poſſeſſorium motam, vel mouendam, quaſi exceptione, vel præſcriptione legitima excludit, & poſſeſſorem ab omni controuerſia immunem præſtat.

2. Et illud quidem ad exemplum cuiuſdam Concilij Africani, de quo in *capit. 1. de præſcript. apud Greg.* introductum eſt, quo cautum fuerat, vt Epiſcopus qui à Donatiſtarum hæreſi conuerſam regionem, & prouinciam, licet alterius diœceſis partem exhibentem, per triennium poſſediſſet, ſuæ ditioni, & iuriſdictioni adieciſſe cenſeretur, & adiectam pacifice poſſideret.

3. Namque *ſynodi Baſileenſis Patres in ſeſſ.* 21. ad quoſlibet beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores, huius Concilij diſpoſitionem traduxerunt, quod ita placuit Gallicanæ Eccleſiæ Patribus, vt Pragmatica ſanctione, illud ſynodi Baſileenſis decretum probauerint, tanquam ſummum, & præſentiſſimum litibus, quæ in beneficiis vix haberi deberent, finiendis remedium.

4. Sed & illud decretum, cum in regulam Cancellariæ Romanæ tranſiiſſet, quæ 33. dicitur regularum Innocentij VIII. ſummi Pontificis, à ſubſequentibus omnibus, abſque vlla immutatione recepta, tandem publica Regni Gallici lex habita eſt, & in concordata noſtra Bononienſia tranſcripta, nec non decretis ſupremæ Curiæ Pariſienſis confirmata eſt, & vulgari tritura fori recepta.

Digitized by Google

5. Nunc igitur, vt concordatorum verbis vtar, quæ ex ſynodo Baſileenſi, & ex noſtra pragmatica ſanctione tranſcripta, *quicumque non violentus, ſed habens coloratum titulum, pacifice, & ſine lite, prælaturam, dignitatem, beneficium, vel officium, triennio proximo hactenus poſſedit, vel in futurum poſſederit, non poſſit poſtea in petitorio, vel poſſeſſorio, à quoquam, etiam ratione iuris nouiter impetrati, moleſtari.*

6. Et primum ex præmiſſis patet, & ex verbis *dummodo non violentus*, triennalis poſſeſſionis gratiam, non procedere, niſi ex iuſto & legitimo principio prodeat, vnde non tantum violenti, ab eius beneficio excluduntur, quemadmodum & à legitimæ, & ciuilis præſcriptionis auxilio, ſed & ſimoniaci, & intruſi, tanquam fures, & per poſticum ingreſſi, atque etiam inhabiles, & incapaces collationis beneficiorum.

7. Namque ea omnia poſſeſſorum vitia, triennalis poſſeſſio purgare non poteſt, vt pluribus in hanc materiam inquirit *Rebuffus in tractatu de pacif. poſſeſſ.* vnde hæc regula elici poteſt, quæ omnia vitia ſimul comprehendat, nempe ex parte collatarij, ſiue poſſidentis, vitioſum ingreſſum nequaquam patere debere, vt locus detur huic regulæ, imo per oſtium, ſiue canonicam inſtitutionem, non vero per poſticum.

8. Secundo ex verbis *coloratum titulum habens* patet, eum qui triennalis poſſeſſionis beneficio vti deſiderat, ſaltem titulo colorato inniti debere, non quidem eo, qui iuſtus, & legitimus ſit omni ex parte, ſiue canonicus, ſicut in præſcriptione legali requiritur, ſed qui ſaltem ſpeciem, colorem, vel vmbram iuſti, & legitimi tituli habeat.

9. Et quidem illud Iuſtinianus Imperator in materia non diſsimili expreſſit, in *lege* 3. *cod. de ed. D. Hadr. toll.* dum ait inſtitutum hæredem, in poſſeſſionem bonorum ex eo teſtamento mitti debere, quod in prima figura, ſine omni vituperatione appareat, cui accedit quod *gloſſa pragmaticæ ſanctionis tit. de pacif. poſſeſſ. in verbo coloratum* definit coloratum titulum, & dicit eum cenſeri, qui bonitatem extrinſecam habeat, licet interiori minime ſubnixus ſit.

10. Verum illud interpretes iuris canonici, generali hac regula concludunt, è multis facti ſpeciebus deprompta, coloratum titulum eum dici, qui ab eo proceſſerit collatore, qui in conferendi poteſtate, vel etiam poſſeſſione fuerit, licet canonicam conferendi formam non omnino ſeruauerit, vel qui in opinione fuerit collatoris ordinarii, licet verus collator non fuerit.

11. Tertio ex his verbis *pacifice, & ſine lite poſſedit*, ea concluſio educitur, poſſeſſionem ipſam, cauſam dare decreto huius regulæ, non quamlibet, ſed eam tantum, quæ pacifica fuerit, & ſine lite, & controuerſia, cum poſſidente mota, nec enim quælibet actio, vel circa poſſeſſorium, vel circa petitorium beneficii mota, præſcriptionem triennalem interrumpit, ſed ea ſola, quæ contra poſſidentem inſtituta fuerit, vt docet *gloſſator regularum Cancellariæ ad dictam regulam de triennali poſſ. num.* 12.

12. Et ex eo ſequitur, pluribus circa poſſeſſionem beneficii litigantibus, ſi alter pacifice poſſederit, nec in iudicio pulſatus fuerit, pacifice poſſediſſe intelligi, eique huius decreti exceptionem profuturam, vt notat *gloſſa pragm. ſanct. tit. de pacif. poſſeſſ.* §. *lis autem in verbo terminorum*, ex cuius auctoritate idem probat *Rebuffus in tract. de pacif. poſſeſſ. num.* 167. illudque decreto ſenatus Pariſienſis firmatum aſſerit.

13. Quarto colligitur ex his verbis *triennio proximo poſſedit* poſſeſſionem illam, quæ huic decreto cauſam præbet, procedere debere per triennium, illudque continuum, quod denotat dictio *per* in regula Cancellariæ inſumpta, vt notat *gloſſator eiuſdem regulæ & Ioann. AchoKier in addit. num.* 63. non qua ratione in definitione vſucapionis legalis, progredi dicitur per continuationem poſſeſſionis, cum in ea computanda, inter emptorem & venditorem, defunctum & hæredem, poſſeſſionum tempora coniungantur, §. 12. *& ſeq. de vſucap. in inſtit.*

14. Hæc enim continuatio reprobatur iure canonico, in quo omnes ſucceſſionis ſpecies condemnantur in beneficiis, ex quo patet triennalem illam poſſeſſionem, quæ poſſidentem beneficium tuetur, & defendit, ex ſola poſſidentis perſona procedere debere, & eius qui decreti gratiam impetrat, vt notat *gloſſa pragm. ſanct. tit. de pacif. poſſeſſ. in verbo poſſedit & ibi Probus addit.* 4. continuatione legali, & ciuili penitus exploſa.

15. Tandem ex poſtremis verbis patet, quinam ſit effectus huius decreti; qui potiſſimum in eo verſatur, vt ſupra admonuimus, lites, & controuerſias, poſt quæſitam pacificam, & triennalem poſſeſſionem motas ſopire, & litigantibus ipſis ora præcludere, imo & antiquas lites, etiam ante pacificam poſſeſſionem motas, contra alium, quam triennalem, & pacificum poſſeſſorem, vel etiam contra eumdem, ſed quæ per triennium continuum obdormierit.

Digitized by Google

16. Sed & illud ipſiſſimis verbis, & in id proxime conuenientibus, explicat regula Cancellariæ Romanæ in id edita, dum ſtatuit *antiquas lites penitus extinguendas* quibus extinctis, poſſeſſor remanet in pacifica poſſeſſione beneficii, quæ verba mire explicat *gloſſator regularum Cancellariæ ad d. reg. 33. de trienn. poſſeſſ. in hæc verba: antiquas lites penitus extinguendo.*

17. Verum illud non tantum in id procedit, vt exceptionem pariat, quâ & futurâs, & mouendas actiones excludat poſſeſſor, ſed etiam vt præſtet actionem quamlibet, vel fructuum repetendorum nomine, vel cuiuſlibet alterius controuerſiæ gratia, vt & in iure ciuili comparatum eſt de præſcriptione legali, quæ & vtilem actionem producit, vt patet ex *tit. inſtit. de vſucap. & long. temp. præſcript.*

18. Nunc igitur ſupereſt illud addendum, vt inquiramus, quiſnam ſit huius decreti, & regulæ de pacificis poſſeſſoribus vſus in Gallia, cuius cum finis & terminus in id potiſſimum tendat, vt pacificam poſſeſſionem tueatur, & defendat, Regum noſtrorum inclamanda poteſtas, & protectio imploranda, maxime cum illorum curæ incumbat, poſſidentes ab omni perturbatione vindicare, & in pacifica poſſeſſione tueri, & defendere.

19. Nec igitur alienum fuerit, Regiam ſubire protectionem, & adire maieſtatem, vt pacificus poſſeſſor ab ea impetret litteras, iis iudicibus emiſſas quorum notio eſt, & poſſeſſoriæ litis diſceptandæ cura incumbit, quibus mandet, poſſeſſorem in pacifica poſſeſſione ſi quæ fuerit ei quæſita, conſeruandum, & litem hoc ſolo temporis beneficio terminandam & finiendam.

20. Verum illarum tenorem quia aliunde petere facile eſt, ideo huic diſputationi ſubiiciendum non putauimus, vt præmonendi locus ſuperſit, iudicis qui de lite cognoſcit eas partes eſſe, vt inſpecta veritate litterarum, poſſidentem tueatur, & defendat, eoque ſolo prætextu, nec diſcuſſis aliunde titulis, aut probatoriis inſtrumentis, liti finem faciat, ſi modo, vt ſtatim in principio monuimus, ſaltem coloratus titulus adfuerit.

CAPVT TERTIVM.

De editione titulorum, conſeruandis beneficiis neceſſaria.

1. *Editio titulorum primum in controuerſiis beneficialibus neceſſarium*
2. Titulus de edendo, & de libelli oblatione, *ſibi inuicem reſpondent.*
3. *Ratio continuationis huius materiæ, & ſubiectionis præcedenti.*
4. *Altera ratio continuationis, & connexionis.*
5. *Quid titulus in propoſita materia.*
6. *Varia Pontificiarum, & ordinariarum collationum denominandarum ratio.*
7. *Collationes ordinariæ inſtrumentis probari debent.*
8. *Quæ ſolemnia inſtrumentorum collationum ordinariarum, & qui teſtes adhibendi.*
9. *Teſtium adhibitio procedit ex probatione edicti anni 1550. à ſenatu facta.*
10. *Ratio ordinis, & progreſſus huius diſputationis ſtatuitur.*
11. *Cur inſtrumenta Pontificiis prouiſionibus probandis adhibenda.*
12. *Quid Bulla, quid ſignatura, & quomodo inter ſe differant.*
13. *Vtriuſque natura, qualitas, & conditio exponitur.*
14. *Vnde Bullæ nomen inditum, aperitur.*
15. *Vnde ſignatura ſimplex dicitur.*
16. *An ſignatura ſimplex authentica dicatur, & ex ea poſſeſſio adiri poſſit.*

Digitized by Google

17. *Ex ſignatura ſimplici, vt ex publico inſtrumento, adiri poteſt poſeſſio.*
18. *Verificatio Bancariorum adiicienda, vt fides ſignaturæ ſimplici adhibeatur.*
19. *Quædam beneficia ex Bullis, quædam ex ſimplici ſignatura impetrari ſolent.*
20. *Maiora, & conſiſtoralia, non niſi ex Bullis, minora ex ſimplici ſignatura impetrantur.*
21. *Vnde reductio minorum beneficiorum ad 24. ducatos auri de camera.*
22. *Virtutes aut vitia Bullæ, aut ſignaturæ, ſpectant ſubſtantiam, aut veritatem.*
23. *Quæ ſpectant ſubſtantiam, vnde petenda.*
24. *Vnde quæ ſpectant veritatem, & quę differentia inter Pontificias, & ordinarias collationes.*
25. *Quid Breue Apoſtolicum, & vnde ſic appelletur.*
26. *Quomodo diſtet à ſignatura Breue Apoſtolicum.*
27. *Quomodo diſtet à Bullis Pontificiis Breue Apoſtolicum.*

1. EX ſuperioribus patet, omnes præmiſſos conſeruandorum beneficiorum modos, in diſceptationem iudiciariam, ratione poſſeſſionis, vel recuperandæ, vel retinendæ incidere, in quibus expediendis primum occurrit, edendorum inſtrumentorum neceſſitas, tum in ciuili & temporali, tum in beneficiaria & Eccleſiaſtica controuerſia introducta.

2. Et vero illud probatur tum in iure ciuili, tum in iure canonico, & patet manifeſtius ex *rubricis iuris ciuilis de edendo*, quibus quodammodo reſpondet *titulus iuris canonici de libelli oblatione*: ex quibus ſequitur, præcedenti materiæ non potuiſſe aptius, & ad rem magis accommodatum aliam ſubiici, quam quæ de editione titulorum, ſiue inſtrumentorum tractare ſolet.

3. Sed & illud maxime probatur ex eo, quod primum litis beneficiariæ inueſtigandæ iudicium apud nos, & in tritura fori, dici ſoleat, mutua & reciproca titulorum communicatio inter collitigantes habenda, quod idiotiſmo noſtro Gallico dicere ſolemus *appoinctemen à communiquer tiltres:* quibus ex vna parte non editis, diligentiori addici ſolent vindiciæ, quod hac pronunciandi formula apud Proprætorem Pariſienſem effertur *permis au diligent*.

4. Et certe eò commodius hæc tractandi materia ſubiicitur, quod cum mox præceſſerit diſputatio de pacificis poſſeſſoribus, ſiue triennali poſſeſſione, primum id in exceptione huius regulæ proponenda obſeruandum diximus, vt titulus ſaltem coloratus ſtatim, & in ipſo litis principio exhibeatur, cuius fauore, & auxilio, prædictæ regulæ ſuſtinetur beneficium.

5. Cum autem loquimur de titulis beneficiorum, non de his intelligendum, de quibus ſupra diximus *ad verba definitionis noſtræ beneficiariæ quadam* quos in ſacro miniſterio, certæ & particulari Eccleſiæ exhibendo, verſari diximus, ſed de inſtrumentis beneficiarij tituli probandi gratia comparatis, quæ vt varij ſunt collatorum gradus, & perſonæ, ita variam denominationem patiuntur.

6. Namque ordinariorum ſi quæ ſunt collationes, propriam ſibi collationis appellationem aſſumpſiſſe diximus, *ad verba definitionis noſtræ canonicæ* §. 13. *quomodo collationes ordinariorum ad canonicam formam reducantur*, cum Pontificiæ, ſiue Apoſtolicæ gratiæ, ſpecialem prouiſionis denominationem ſortitæ ſint, vt & ibidem probauimus.

7. Collatorum igitur ordinariorum inſtitutiones quælibet, ſiue liberæ, ſiue neceſſariæ, & ad patronorum præſentationes habitæ, ſiue beneficiorum morte vacantium, vel ex ſimplici demiſſione, & pura renunciatione titulariorum conceſſæ, publicis, & authenticis tabulis interuenientibus confici debent, & probari, vt & monuimus *ad verba definitionis canonicæ* §. 13.

8. Et certe vt fidem faciant, in primis oportet manum ſecretarij ipſius collatoris adiici, cum atteſtatione, & ſubſcriptione duorum ſaltem teſtium, idoneorum, certam ſedem habentium, non domeſticorum, & affinium, vel conferentis, vel collatarij, vt vitetur fraudis ſuſpicio, cum inter coniunctas perſonas, facile quiduis, pro negotij opportunitate confingi ſoleat, vt ait *Conſtant. Imperator in lege data 27. cod. de donat.*

9. Verum enim illud ſenatus Pariſienſis addidit, ordinationi Regiæ Henrici II. circa

beneficiorum impetrationes habitę anno 1550. dum eam ſolemni decreto approbauit, eiuſdem anni die 4. Iulij, quod ex eo tempore quotidiano vſu confirmatum eſt, & in beneficiariis litibus obſeruatum, adeo vt in nouiſſimam inſinuationum beneficiariarum ſanctionem *art.* 9. tranſierit, qui deſumptus eſt ex *art.* 23. prioris edicti, quod contrarotulationis dicebatur.

10. Quod autem ſpectat ad cæteras omnes conditiones, & formas, collationibus ordinariis adhibendas, quantum in nobis fuit, & huic diſputationi beneficiarię conueniens, abunde ſatisfactum credimus eodem loco, vt ratio opportunitatis ſe ſe offerebat, quæ & aliò nos auertit, vt propoſitam materiam expleamus, cum hic illud tantum tractandum ſuſceperimus, quod ad probationem huiuſmodi titulorum deſiderari poſſit.

11. Reſtat igitur dicere de Pontificiis collationibus, ſiue prouiſionibus, quæ & publico inſtrumento probari debent, quamuis enim ſolo verbo fieri gratia vulgo iactetur, tamen facta probari debet, quod certe non poteſt niſi per ſcripturam, quę interuenire ſolet, vt probetur quod per eam geſtum eſt, illudque ita religioſè cuſtoditur in prouiſionibus Pontificiis, vt in his quæ referuntur geſta non credamus, niſi conſtet per ſcripturam, abrogata Clementina litteris, tum in pragmatica ſanctione, tum in concordatis.

12. Verum collationis pontificiæ probatoria inſtrumenta, duplicis ſunt generis, Bulla, & ſignatura, quę inter ſe eodem modo ſe habent, quę apud nos ſcheda, ſiue breuiculum, vel minutior ſcriptura, ab ipſis notariis exſcripta, quę idiotiſmo noſtro dicitur *minute breuet*, & ea ſcriptura quę ex ſceda, ſiue minutiori inſtrumento educitur, & in mundum redigitur, vt dicitur in lege *contractus cod. de fide inſtrum.* vel in prolixiorem ſermonem extenditur, celtiſmo noſtro *la groſſe*, quę & publica auctoritate, & Regio ſigillo vallari debet.

13. Et ex his patet Bullam Apoſtolicam, dici ſcripturam authenticam, ex ſignatura prouiſionis Apoſtolicæ deſumptam, cuius clauſulę paululum extenduntur in Bulla, & cum in ſchedula, ſiue ſignatura prouiſionis, certis quibuſdam notis, abbreuiaturis, & ziferis, plura deſignantibus contractæ, in Bulla longiori oratione, & pleniori ſermone gratia concipitur.

14. Et ex eo concludi facile poteſt, Bullam nihil aliud eſſe, quam ſignaturam extenſam, ſi & illud addas, quod Bullę nomen indidit, ſigillum plumbeum, imaginibus ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli depictum, Bullę Apoſtolicę apponi ſolitum, vt & ſcripturis noſtris in mundum, & longiorem ſermonem redactis, publicis, & authenticis, ſigillum Regium.

15. At vero ſignaturæ prouiſionis Apoſtolicæ, ſola ſummi Pontificis, vel alterius vices gerentis Cardinalis manus, aut ſignatura adiicitur, quę & nomen dedit, huic prouiſionum Apoſtolicarum ſpeciei, quę ſimplex ſignatura dicitur, cum neque ſigillum, neque aliud auctoritatis publicę ſignum adhibeatur, vt nec in minutioribus ſcripturis noſtris, vel breuiculis.

16. Sed & ex eo quæſitum fuit, vtrum ſignatura ſimplex, authentici inſtrumenti vim, & auctoritatem obtineret, vel etiam ex illa poſſeſſio adiri poſſet, quod pleriſque alienum videbatur, ab huius ſignaturæ auctoritate, cuius & priuatam ſcripturam dicebant, cum nullo publico ſigillo muniatur, poſſeſſio autem adiri non ſoleat, niſi ex publico, & authentico inſtrumento.

17. Verumtamen cum verbo ſolo gratia perficiatur, & ſcriptura nihil addat ponderis, & momenti, habitis negotiis, ſed tantum interuenire ſoleat, vt facilius probetur, quod per eam geſtum eſt, vt dicitur *lege 4. dig. de pign. & hypoth* vſu noſtro Gallico receptum eſt, vt ex ſimplici ſignatura poſſeſſionem beneficij poſſimus adipiſci, quod & quotidie obſeruatur.

18. Sed etiam illud inductum, vt in iudiciis, fidem plenam conſequeretur ſimplex ſignatura, regula Cancellariæ Romanæ *de non iudicando iuxta formam ſupplicationis* minime admiſſa, illud tamen additum, vt per publicos Trapeſitas, ſiue in Curia Romana expeditionem litterarum Apoſtolicarum proſequi ſolitos, ſignatura approbetur, eorumque teſtimonio ſua fides, & veritas adiiciatur, quod dicere ſolemus *verifier les ſignatures.*

19. Sunt tamen quædam beneficia, quæ & apud nos, & ex conuentionibus inter ſummos Pontifices & Reges noſtros habitis, abſque Bullarum Pontificiarum expeditione obtineri non poſſint, quædam, quæ ex ſimplici ſignatura impetrari ſolent, & ex ea poſſeſſio adiri, vnde Bullata dicuntur beneficia, alia vero ſimplicia, ratione habita ad impetrandi formam, quamuis aut dignitas, aut Cura animarum ipſis immineat.

Digitized by Google

20. Ecce enim maiora beneficia, quæ & conſiſtorialia dicuntur ex eo, quod pleniori Cardinalium conſiſtorio adſidente conferantur, non niſi ex Bullis indulgeri conſueuerunt, ſed & alias cætera omnia, & ſingula beneficia, 20. ducatorum auri de camera valorem excedentia, & maxime dignitates omnes, quæ ſunt poſt Epiſcopalem maiores.

21. Et ex eo illud apud nos inductum eſt, vt quælibet beneficia, præter illa maiora & conſiſtorialia, Abbatias ſcilicet, Epiſcopatus, & poſt Epiſcopalem dignitatem maiores ad valorem ducatorum auri de camera, ex communi æſtimatione reducantur, tum vt vitetur annatarum ſuperindictio, tum Bullarum expediendarum neceſſitas, cum vtrumque onus maioribus tantum beneficiis inſideat, vt obſeruat *Guido Conchilius in memorialibus reformat. Eccleſiaſt. pag. 96.*

22. Nunc igitur, & ex præmiſſis colligere eſt, quid ſit Bulla Apoſtolica, quid ſignatura ſimplex, quantum enim ſpectat ad virtutes, & vitia, quæ in vtramque incidere poſſunt, vel illæ ſubſtantiam inſtrumenti attingunt, vel ipſam inſtrumenti veritatem, quæ ad ſubſtantialia pertinent, à nobis ſupra expoſita ſunt plenius, *ad verba noſtræ definitionis canonicæ,* dum de Pontificiis collationibus, vel ordinariis egimus.

23. At vero ſi quid deerit in paululum diffuſiore materia, id peti poterit, ex variis iuris canonici interpretibus, Bullarum, & prouiſionum ſimplicium clauſulas explicantibus, & maxime ex *Rebuffo in praxi beneficiaria in forma ſignaturæ ſimplices & nouæ prouiſionis: & Ludouico Gomeſio in tract. de reſcriptis & natura breuium, & aliis ſimilibus.*

24. Sed & ea, quæ ad probandam veritatem ſpectant, deſumi poſſunt, & colligi, ex *cap. 5. de crim. falſi apud Greg. & variis interpretibus ad illud capitulum Panormitan. & aliis*, item ex præmiſſis, ex quibus patet ea differentia inter collationes ordinarias, & Pontificias, quod in codicillis ordinariarum collationum, teſtes adhiberi debeant, at vero in prouiſionibus Pontificiis, nullum exterius teſtimonium ſpectetur, propterea quod diuerſorum officialium manus appoſita, omnem falſi ſuſpicionem excludat.

25. Verum his Pontificiarum prouiſionum inſtrumentis addere poſſis, & Breue Apoſtolicum, quod quamuis breuioris, & ſtrictioris ſcripturæ nomen præferat, tamen cum ſimplici ſignatura nihil commune habet, imo tertiam inſtrumenti, ſiue diſpenſationis Pontificiæ, in beneficiis Eccleſiaſticis ſpeciem conſtituit, à Bulla, & ſimplici ſignatura longe diuerſam.

26. Nec enim tantum à ſignatura differt, quod ſigillo publico muniri ſoleat, quod dicitur annulus piſcatoris, verum etiam ex eo, quod Breui Apoſtolico nuſquam beneficium Eccleſiaſticum conferri ſoleat, ſed plerumque obtento, & iam quæſito conſeruando indulgentia neceſſaria concedi, puta ſuperuenientis incapacitatis rehabilitatio, circa defectum diſpenſatio, & alia quælibet, ex variis caſibus concedenda iuris venia, & canonum ſolutio, de quibus egimus *ad verba definitionis noſtræ idoneo capit. 2. de diſpenſationibus Eccleſiaſticis.*

27. Diſtat à vero Bullis Pontificiis Breue Apoſtolicum, primo, quod Bullis ſigillum plumbeum apponi ſoleat, Breui autem Apoſtolico ſigillum ſoli Ceræ rubeæ impreſſum: ſecundo, quod Bullis beneficia Eccleſiaſtica concedi ſoleant, Breui autem Apoſtolico nequaquam, vt iam monuimus, & pluribus docet, & confirmat exemplis *Ludouicus Gomeſius in tractatu Breuium Apoſtolicorum*, cui addere poſſis & illud tertium, quod Bulla pergameno expediri ſoleat, Breue autem Apoſtolicum in papyro, adeò vt ex vtroque inſtrumento quid mutuetur.

CAPVT QVARTVM.

Quibus legibus lites beneficiariæ componi ſoleant, & Terminari.

1. *Series huius diſputationis, & cum ſuperiori connexio.*
2. *Ex iure Pontificio inſtituendarum, & finiendarum litium ratio petenda.*
3. *Reges noſtri poſſunt leges ſtatuere, quibus beneficiariæ lites præſcindantur.*

4. *Probatur ratione, Reges noſtros poſſe & ipſi Eccleſiæ regendæ leges dicere.*
5. *Probatur auctoritate S. P. leges ciuiles, ſimul & Eccleſiaſticas, litibus beneficiariis componendis inſeruire.*
6. *Conſuetudines cuiuſque Eccleſiæ, componendis litibus beneficiariis adhiberi ſolent.*
7. *Quæ ſanctiones Eccleſiaſticæ ſeruandæ, in compoſitione litium beneficiariarum.*
8. *Eccleſia Gallicana vnde libertatis patria dicta, ad differentiam regionum obedientiæ.*
9. *In quibus conſiſtant libertates Eccleſiæ Gallicanæ.*
10. *Qua ratione collectiones veterum canonum prodierunt.*
11. *Quid collectio canonum Eccleſiæ vniuerſæ, & quo modo ſola ſuperſit inter Græcas.*
12. *Enumerantur variæ collectiones canonum ſynodorum Latinarum, ſiue Occidentalium.*
13. *Qua ratione Gratiani collectio ſucceſſerit, & ex quibus compoſita exſtat.*
14. *Quæ fides collectioni Gratiani danda, & quod prima ſit pars iuris canonici.*
15. *Decreti Gratianei collectio, auctoritatem mutuata ex partibus, ex quibus coaluit.*
16. *Quo modo diuerſa fides adhibenda iis, quæ referuntur in Gratiani decreto.*
17. *Vt fides ſeruetur relatis in collectione Gratiani, recurrendum ad fontes.*
18. *Quid collectio decretalium Gregorij IX.*
19 *Ex quibus compoſita exſtitit, & cuius induſtria.*
20. *In decretal. Greg. IX. collect. interpretanda, veritas perſcrutanda ex veteribus collectionibus.*
21 *Gallicana Eccleſia non omnes decretales S. P. admiſit.*
22. *Quid collectio ſexti decretal. & quæ fides adhibenda.*
23. *Quid collectio Clementinarum, & extrauagantium, & quæ fides.*
24. *Quæ ſtatuuntur ad fidem firmandam in Conciliis, vbique ſeruanda, quæ ad mores non vbique.*
25. *Deciſiones rotæ non omnino ſeruantur apud nos.*
26. *Quæ auctoritas regularum Cancellariæ, & vt quaſdam regni leges fecimus.*
27. *Leges Romanæ, vt & capitula Regum noſtrorum, quandoque adhibentur finiendis litibus*
28. *Quid pragmaticæ ſanctiones, & primum Diui Ludouici.*
29. *Quid decreuit Baſileenſis ſynodus, & vt Pragmatica Caroli VII. eius decreta probauerit.*
30. *Quibus modis Pragmaticam oppugnauerint ſummi Pontifices.*
31. *Quomodo Pragmaticæ ſucceſſerint concordata, & quid ipſis ſtatutum.*
32. *Quid edictum Henrici II. contra paruas datas, & qua de cauſa inductum.*
33. *Quid edictum Ludouici XIII. contrarotulationis, & quæ eius ſanctio.*
34. *Quid nouum edictum Ludouici XIV. inſinuationum Eccleſiaſticarum, & quæ eius præcautio.*
35. *An edictum contrarotulationis omnino abrogatum.*
36. *Quænam aliæ ſanctiones Regiæ, contentionibus beneficiariis ſedandis applicari ſolitæ.*
37. *Quæ diuiſio iuris ſcripti, & non ſcripti, & quid vtrumque.*
38. *Traditiones Eccleſiaſticæ aliæ generales, aliæ particulares, vt & conſuetudines.*
39. *Traditiones, & conſuetudines Eccleſiaſticæ, iuris non ſcripti partes dicuntur.*
40. *Quamuis ſcriptis mandatæ ſint, vt & conſuetudines noſtræ Gallicæ.*

Digitized by Google

41. *Vt in veteri Eccleſia litigandi ſtudium de beneficiis exoſum fuerit.*
42. *Confirmatio illius vſus temporibus Iuſtini Imperatoris.*

1. QVoniam beneficiorum conſeruandorum cauſa diſputatio mox inſtituta, ad contentiones beneficiarias, ſiue controuerſias circa titulum beneficiorum motas, aut mouendas ſenſim nos deduxit, nunc id vnum curandum videtur, vt diſputationibus beneficiorum nomine ſubortis, quam primum ſua deciſio reddatur, maxime cum id vnum Chriſtianæ tranquillitatis interſit, ne diutius in incerto, & dubio euentu, beneficiorum tituli remaneant, ex quo ſalus animarum, graue diſpendium pati poſſit.

2. Et vero cum ex iure Pontificio, ſiue ex poſterioribus ſummorum Pontificum decretalibus epiſtolis, beneficiariarum litium mouendarum forma prodierit, toto decretalium libro 2. iudiciorum ordinem variis titulis exponente, ex quibus omnis fere pendet apud nos controuerſiarum, tum de re ſpirituali, tum profana inſtituendarum ratio, ideo & ex eodem fonte, finiendarum modum petere debuimus, vn vnde rei ſacerdotalis clades exoriebatur, inde reſtituendæ, & reparandæ modus exſurgeret.

3. Verum cum beneficiarias contentiones, maxime circa ſacerdotiorum poſſeſſionem verſari dixerimus, quæ mere temporalis eſt, & fori ſæcularis, ſimul & Regij, cum id potiſſimum Regiæ Curiæ incumbat, beneficiorum poſſeſſores in pacifica poſſeſſione tueri, & deffendere, & Eccleſiaſticis addictos miniſteriis, ab huiuſmodi contentionibus auocare, ideo & ipſorum Regum partes ſunt, & maxime Chriſtianiſſimorum, eas leges ſtatuere, quibus contentiones beneficiariæ præſcindantur.

4. Namque & illud conſtat, cum vt alias ex *Optato Mileuitano lib. 3. de ſchiſmate Donatiſtarum* monuimus, Eccleſia ſit in imperio, & republica, nec reſpublica ſit in Eccleſia, Reges, & Principes, quibus totius reipublicæ regendæ cura incumbit, leges, & ſtatuta condere poſſe, & debere, quibus & ipſa Eccleſia, ſaltem exterius gubernetur, vnde plura Imperatorum Romanorum decreta, plures Regum noſtrorum ſanctiones, ex capitularibus Caroli Magni, Lud Pij & Car. Calui in canonum collectionem, & decretalium relatas habemus, ſiue, vt vocant, canoniſatas.

5. Ex præmiſſis itaque patet, contentiones beneficiarias, duplicis iuris deciſionibus ſubeſſe, Eccleſiaſtici, & ciuilis, quod & ipſi Romani Pontifices agnouerunt: namque *Lucius III. in capit. 1. de op nou. nunciat. apud Greg.* Paduano Epiſcopo reſcribens his verbis reſtatur, *ſicut leges, non dedignantur ſacros canones imitari, ita ſacrorum ſtatuta canonum, principum conſtitutionibus adiuuantur*, quod deſumptum videtur, & tranſcriptum, ex *nou. Iuſtin.* 83. *vt eccleſ. apud Prop. iud. ſtatim in principio.*

6. Sed etiam contentiones illæ beneficiarię, cuiuſlibet Eccleſię decretis, & conſuetudinibus, ſiue legibus fundationi dictis, & ordinariorum auctoritate approbatis, regi ſolent, & terminari, ſiue priuilegiis, quibuſdam Eccleſiis, auctoritate Pontificia ſimul & Regia conceſſis, quæ & priuatæ leges dicuntur, in *can. priuilegia diſtinct.* 3. ea ſcilicet ratione, qua cum generi per ſpeciem derogari conſueuerit, ſecundum vulgatam in vtroque iure regulam *lege in toto de reg. iur. capit. generi de reg. iur. in* 6. à pręſcriptis iuris communis regulis recedere ſolemus, vbi iuris priuati diſpoſitio occurrit, quod & ipſa Tridentina ſynodus approbaſſe videtur, cum laudandas conſuetudines cuiuſque Eccleſię confirmauit, vt & conſtitutiones Regię ſacrę ſynodi veſtigiis inhęrentes.

7. His itaque generalibus regulis pręmiſſis inquirendum venit, quęnam ſint illę leges ſiue Eccleſiaſticę, ſiue ciuiles, quarum deciſioni beneficiarię quæſtiones ſubiaceant, vtque ab Eccleſiaſticis exordiamur, ſciendum eſt: primùm antiquioribus Eccleſię decretis maxime inhęrendum, in compoſitione litium beneficiariarum, ſiue Apoſtolicis traditionibus, & generalium Conciliorum decretis, nec-non veteribus ſummorum Pontificum ſanctionibus, non vero nouiſſimis, & ambitioſis reſcriptis, quæ bene firmatam diſciplinam Eccleſiaſticam peruertere cœperunt.

8. Nam & illud obſeruandum eſt, ſi quid per gratiam, aut ambitum, Romani Pontifices, à veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeueritate, & rigore deflectentes ſtatuerint, ſiue mandatis ad vacatura beneficia emiſſis, & exſpectatiuis litteris, ſiue reſeruationibus, ordinariam beneficiorum diſpoſitionem præuenientibus, ſiue quibuſcumque aliis ſibi adſcribendi modis, id continuo non admiſiſſe Gallicanam Eccleſiam, ſed veteribus Eccleſiæ decretis firmiter inſtitiſſe, adeo vt, cum noua illa, & inſolita iura, à pluribus aliis regionibus indiſcrete ſuſcepta fuiſſent, patriæ obedientiæ dictæ ſint, ad differentiam libertatis antiquioris, qua ſemper vſa eſt Gallicana Eccleſia.

Digitized by Google

9. Et quidem illæ ſunt libertates Eccleſiæ Gallicanæ dictæ, in quas Romanæ aulæ ſectarores toties inclamarunt, quas priuilegiorum, gratiarum, & immunitatum nominibus, fruſtra appellare conati ſunt, vt nos earumdem probationi, per codicillos, ſiue reſcripta Apoſtolica faciendæ aſtringeterent, cum potius ſint veteris, & communis iuris obſeruatio, antiquioribus Eccleſiæ decretis conſignata, à cuius vſu, & ſtrictiori obſeruantia, numquam deflectere potuit Eccleſia Gallicana, vt paſſim confirmatur in *collectione lib. Eccleſ. Gall. & probat.*

10. At vero, cum illæ veteres Eccleſiæ ſanctiones, in immenſum numerum excreuiſſent, & abſque vllo ordine paſſim vagarentur, animum ſubiit diuerſis, ſed priuatis hominibus, antiquiores Eccleſiæ canones, ex Conciliis, ſiue generalibus, ſiue prouincialibus & ſpecialibus, ſiue Græcis, ſiue Latinis ſynodis depromptos, in vnum quaſi corpus, ſiue codicem congerere, quibus addidere & ſummorum Pontificum decreta, & ſanctorum Patrum dicta, & ſententias, eadem ratione, qua anteceſſores componendis Pandectarum libris præpoſiti, eos ex variis iuriſprudentum reſponſis, quaſi in vnum volumen collectis ediderunt.

11. Namque & exſtant hodie, variæ illæ, veterum canonum collectiones, tum Græcarum, tum Latinarum ſynodorum, & prima eminet inter Græcas ea, quæ ſub nomine, & titulo codicis canonum Eccleſiæ vniuerſæ circumfertur, cum potius dici deberet Eccleſiæ Orientalis, continet enim ſolos Orientalium ſynodorum canones, quæ & confirmata dicitur ab Imperatore Iuſtiniano *nou.* 131. *de eccleſ. reg ſiue confirmat. eod. can. eccleſ. vniu.* vt exſtat in collectione à Chriſtophoro Iuſtello edita & notis illuſtrata, cui eadem conſtitutio ſubiicitur, & hæc quidem collectio ſola hodie exſtat, aliis vel nondum editis, vel plane deperditis.

12. Verum longe plures exſtant veterum canonum Latinæ collectiones, & in primis ea quæ dicitur codex canonum Eccleſię Romanæ, ſine authore circumſcripta, tum Fulgentij Ferrandi Eccleſiæ Africanæ Diaconi, quæ breuiatio canonum dicitur, cui ſucceſſit Dionyſij Exigui collectio, cuius index à Creſconio Afro Presbytero editus, qui & Breuiarium canonum dicitur, eam auctoritatem meruit, vt collectionis canonum titulo appellaretur, in *can.* 1. *diſtinct.* 19. tum Martini Braccarenſis Epiſcopi collectio, cuius canones ſæpius Martini Papæ nomine laudantur à Gratiano, quia ea denominandi forma, aliàs communis erat omnibus Epiſcopis, vt ſæpius adnotauit doctiſſimus *Sauaro ad Sidonium Apollinarem & Antonius Auguſtinus in dialogis de emendat. Grat.* quam excepit Iſidori aut Hiſpalenſis aut Mercatoris collectio: cui ſucceſſere tum Buchardi Vormatienſis Epiſcopi, tum Yuonis Carnotenſis decretorum compilatio.

13. Et quidem ex his omnibus decretorum, ſiue canonum collectionibus, & maxime ex duabus poſterioribus, Burchardi, & Yuonis, ſuam edidit, & compoſuit Gratianus monachus, quam & concordiam diſcordantium canonum vocauit, eumdem ordinem, & rationem ſequutus, quem Iuſtinianus Imperator obſeruari iuſſit, in noua codicis editione, dum ex tribus anterioribus codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano, Iuſtinianeum compoſuit, ſed non eodem ſucceſſu, cum enim nulla publica auctoritate accedente, collectionem ſuam edidiſſet, priuatam effecit, quamuis vulgo auctoritate Eugenij III. ſummi Pontificis confirmata iactetur, quod tamen vſque hodie probari non potuit, vel ipſius confirmationis inſtrumentum edi.

14. Nec tamen huic Gratiani collectioni, omnino denegari potuit, aut debuit vis, aut ſua fides detrahi, quamuis enim nulla auctoritate publica confirmata fuerit, nec etiam Gregorius XIII. emendationi manum vltimam apponens, aliquid noui roboris addiderit aut momenti, tamen & illud conſtat, eamdem collectionem, primas iuris communis partes tenere, ſiue eius quod in libris iuris canonici continetur, & compoſitum exſtat, decreto Gratiani, decretalibus Gregorij IX. ſexto decretalium Bonifacij VIII Clementinis conſtitutionibus, ſiue Clementis V. in generali Concilio Viennenſi ſanctionibus, & extrauagantibus tum Ioannis XXII. tum communibus, cuius & quælibet pars ſuum robur obtinet, ſed diuerſum, & minus perfectum.

15. Verum enim, cum ipſe Gratianus monachus ſuam collectionem ediderit, & compoſuerit, tum ex Conciliorum & generalium, & prouincialium ſanctionibus, tum ex quibuſdam ſummorum Pontificum decretalibus epiſtolis, tum ex dictis, & ſententiis ſanctorum Patrum, vt Iuſtinianus pandectas ex ſententiis, & reſponſis prudentum, quæ quibuſlibet hiſce collectionis partibus inerat auctoritas ante editionem Gratianei decreti, collectione facta detracta non fuit, aut imminuta, ſed tanquam ex ſuis fontibus mutuata tota permanſit ſingulis, decreti partibus communicata.

Digitized by Google

16. Et ex his patet quam diuerſa ratio habenda ſit eorum, quæ in decreto Gratiani referuntur, conſtat enim maiorem fidem adhibendam his, quæ ex Conciliis generalibus mutuatus eſt, ſaltem quæ fidem ſpectant, imo & omnem, cum de illis dubitare non liceat, quæ ad fidem edocendam ſtatuta ſunt, minorem his, quæ ex prouincialibus ſynodis aſſumuntur, tum vero ſummorum Pontificum decretalibus epiſtolis, in Gratianea collectione relatis maiorem, dictis vero, & ſententiis ſanctorum Eccleſiæ Patrum, minorem auctoritatem addendam, non vt in iure ciuili reſponſis prudentum, quibus datum erat à Cæſare de iure reſpondere, quia in iure canonico, ſoli ſupremæ ſedi iura ſtatuendi poteſtas competit.

17. Sed enim cum ex variis quaſi fontibus, ſuæ collectionis partes exhauſerit, ad eos omnino recurrendum fuit, vt ex puriori capite limpidiores riuuli deducantur, & cuilibet collectionis parti, tum primæua fides, & veritas reddatur, tum capiti debita auctoritas conſeruetur, eadem plane ratione, qua cum Irnerius vetus iuris interpres, partes nouellarum Iuſtinianearum, & membra quædam, quæ authenticæ dicuntur, variis codicis Iuſtinianei titulis, & rubricis, prout ſuppoſita materia poſtulabat inſeruerit, ex integris nouellis & fides certior, & veritas firmior petenda eſt, vt paſſim conſulerunt iuris interpretes, & ex pluribus *Anaſtaſius Germonius Taurinenſis Archidiaconus in paratitl. decretal. tit. de rer. permut.*

18. Hæc igitur Gratiani collectio eſt prima pars iuris communis, ſiue Pontificij, cui ſuccedit altera, quæ in ſummorum Pontificum decretalium epiſtolarum collectione conſiſtit, quę extra decretum Gratiani vagabantur, vnde & vetus mos citandi per verbum *extra* ex quo & extrauagantes dictæ ſunt, vt notauit *Ant. Auguſt. ad proœm. collectionis* 1. quod contigit ea ratione, cum ab eo tempore, quo Gratianus ſuum decretum collegerat, quod incidit in annum 1150 vſque ad tempora Gregorij IX. ſuccedentium ſibi inuicem Pontificum decretales epiſtolæ, in varias collectiones tranſiiſſent, quæ ab *Hoſtienſi in ſumma decretalium*, ad octo, ſæpius tamen ad quinque reducuntur, cuius & diuerſæ reductionis conciliandæ rationem videre eſt, apud *Franciſcum Florentem in tract. ad nouem priores titulos decretalium in præfatione pag.* 28.

19. Verum enim, cum quinque illarum antiquiorum collectionum duæ priores, priuata tantum auctoritate confectæ, tres poſteriores Pontificia manu editæ, & confirmatæ haberentur, Innocentij ſcilicet III. & Honorij III. ſummorum Pontificum beneficio, tandem Gregorius IX. ſummus Pontifex, ad exemplum Iuſtiniani Imperatoris, qui ex tribus codicibus prædictis ſuum compoſuerat, ex his omnibus diuerſis collectionibus tum priuatis, tum publicis, opera Raymundi A Penna-forti Barcinonenſis, Capellani vtens, ſuam effecit qua hodie vtimur, quam & Pontificia auctoritate confirmauit.

20. Sed & circa hanc collectionem duo maxime obſeruanda ſunt: primum, quod cum ex antiquioribus præmiſſis compacta fuerit, quarum decretales, aliæ amputatis principiis & capitibus inſeruntur, aliæ quamuis vtiles (quod maxima pars Gallicanæ Eccleſiæ commendandæ gratia compoſitæ fuerant) à Gregoriana collectione abſceſſerunt, ſemper ad primæuos fontes, ex antiquis collectionibus emanantes recurrendum eſſe, qui & nobis abundantius profluunt, quatuor ſcilicet priores beneficio Antonij Auguſtini, poſterior quæ eſt Honorij III. ſtudio & opera Innocentij Cironij Tholoſanæ Academiæ Cancellarij, qui eamdem nuper publici vſus fecit, & notis illuſtrauit.

21. At vero alterum, quod ſuccedit aduertendum in hac collectione Gregoriana, in eo eſt, quod cum ſummi Pontifices, plerumque ſuis commodis & compendiis nimium ſtudentes, & à veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ, generalibus ſynodis, & antiquioribus ſummorum Pontificum decretis conſignatæ, ſeueritate, & rigore deflectentes, plura in hiſce collectionibus immutauerint, vt & ipſe Gregorius IX. vt ambitioſa iura ſubrogarent, eas ſanctiones non vſquequaque admiſiſſe Gallicanam Eccleſiam, vt veteribus Eccleſiæ decretis obſeruandis ſedulo inhæreret.

22. Tandem & Gregorianæ decretalium collectioni ſuccedit ſexta collectio, quæ Bonifacij VIII. nomine, & auctoritate proceſſit, his ſanctionibus compoſita, quæ ſummos Pontifices, qui Gregorio IX. ſucceſſerant, & ad Bonifacij VIII. tempora peruenerant, auctores habent, hoc eſt Clementis IV. Innocentij IV & Gregorij X. atque etiam ipſius Bonifacij, ſed tamen huic collectioni non eſt tanta fides adhibita ac cæteris, propter authoris odium, & contentiones ab eo male excitatas in hoc regno, aduerſus Philippum Pulchrum Gallorum Regem, eoque odio ſubmoto, maiorem fidem habere cæpimus conſtitutionibus Innocentij IV. & Gregorij X. quam illis quæ Bonifacium auctorem agnoſcunt de quibus *Car. Molin. in comment. ad ſenat. contr. parn. dat. num.* 129. *in Latina editione &*

Digitized by Google

450. *in Gall. verſione*, refert Eudonem Burgundiæ Ducem conſilium dediſſe Regi ne Bonifacianas decretales admitteret.

23. Supereſt vt dicamus de Clementinarum editione, quæ Clementis V. ſanctiones in Concilio Viennenſi editas continet, ab auctoris nomine appellatas, itemque extrauagantium collectione, ſiue Ioannis XXII. ſiue communium, quæ eo dictæ, quod extra corpus iuris vagarentur, vt & decretales antiquas diximus, quod extra decretum Gratiani, & cum Pontificia auctoritate confirmatæ ſint, iuris robur obtinent, & auctoritatem, atque etiam apud nos paſſim admittuntur, modo nihil in ſe contineant, quod libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ obſtet, quamuis enim maxima pars illarum ſanctionum, in Concilio generali Viennenſi inducta fuerit, tamen & illud obſeruandum eſt, nec etiam omnium quę in Conciliis generalibus ſtatuta ſunt, obſeruationem paſſim, & vbique induci.

24. Namque & illud generali iuris regula conſtat, differentiam eſſe faciendam inter ea, quæ generalibus Conciliis decreta ſunt fidei firmandæ cauſa, & ea, quæ ad diſciplinam, vel directionem morum, ſiue politiam Eccleſiaſticam ſtatuendam: quæ enim ſpectant ad fidem, generaliter, & in omni Chriſtiano orbe ſeruanda veniunt, cum fides vna ſit, diffuſa per totum orbem, vbique pariter obſeruanda, & profitenda, at vero quæ ad mores dirigendos tendunt, non poſſunt vbique eamdem obtinere firmitatem, cum vel ipſa ratio locorum, vel temporum, vel regionum, item perſonarum, plerumque aliud inducendum ſuadeat, vnde nec eorum inconcuſſa auctoritas remanet, ſed variis, & quotidianis mutationibus ſubiicitur, vt pluribus exemplis confirmat *in poſthumis Guido Conchibus.*

25. Sunt & qui contentionibus beneficiariis componendis, addant & ipſas Rotæ Romanæ deciſiones, & regulas Cancellariæ; ſed quod ad priores ſpectat, cum pluribus & diuerſis negotiis, ex quibuſlibet orbis Chriſtiani regionibus Romam confluentibus applicari ſoleant, aliis tamen quam ex partibus Gallicanis, propter decretum de cauſis, quod habetur in Pragmatica, & Concordatis, adeo vt vel noſtris non conueniant, vel ſecundum mores cuiuſque regionis pronunciati conſueuerint, non mirum ſi in noſtris tribunalibus non omnino obſeruentur, non magis quam decreta, aut ſententiæ, in tribunalibus alienis dictæ, quæ territoria ſua egredi non poſſunt, argumento *legis vltimæ de iuriſd. omni. iud.*

26. Sed nec ipſæ regulæ Cancellariæ Romanæ, quæ cum ſæpius à veterum canonum obſeruatione deflectere noſcantur, quibus cuſtodiendis ſemper inſtitit Gallicana Eccleſia, nec etiam eas indiſcrete admiſit, ſed prout regni vſibus & conſuetudinibus conueniunt, & naturali æquitati conformantur, qua ratione quaſdam ex illis regni leges fecimus, vt eas quæ de 20. diebus & de infirmis reſignantibus, quæ de publicandis reſignationibus, de veriſimili notitia obitus, & de impetrantibus beneficia viuentium, de annali, & triennali poſſeſſore, de idiomate, de vnionibus, de ætate canonicorum Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, & ſi quæ ſimiles latæ ſint, & Curiæ ſcriniis demandatæ, quarum plures tanquam patrias doctiſſimis & analyticis commentariis Carolus Molinæus illuſtrauit, & cæteras quæ in hoc regno ſeruantur, paribus notis adiunctis expedire in animo fuiſſe pluribus locis teſtatur, quod & exequi potuit, ſed præreptas nobis per iniuriam temporum, vt plura alia dolere debemus.

27. Expoſitis variis, & diuerſis iuris Pontificij, ſiue communis ſanctionibus, quæ contentionibus beneficiariis finem imponere ſolent, reſtat vt propoſitum nobis ordinem proſequuti, quædam dicamus de principum conſtitutionibus, quæ & ipſis diſceptationibus beneficiariis leges dare conſueuerunt, & quidem omiſſis iuris ciuilis, ſiue Romani deciſionibus, quæ & ſæpius à ſummis Pontificibus applicantur iudiciis beneficiariis componendis, vt conſtat ex *capit. 1. de op. noui nunciat. apud Greg.* primum occurrunt Regum noſtrorum ſanctiones Eccleſiaſticæ, quę vulgo Capitularia appellantur, tum Caroli Magni, tum Ludouici Pij, ab Anſegiſo Abbate, & Benedicto leuita collectæ, tum Caroli Calui, & ſucceſſorum quorumdam capitularia, quæ Iacobus Sirmundus meliori ordini reſtituit, & notis illuſtrauit, quorum omnium deciſio adeo probatur in hiſce negotiis, vt ſæpius in canones relatam agnoſcamus, vt patet vbique in libris iuris canonici, & de eorum auctoritate adeundus *Ant. Auguſtinus lib. 2. de emend. grat. dialogo* 10.

28. Verum hiſce generalibus principum noſtrorum conſtitutionibus, ſuccedunt longe proximiores, & diſpenſationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum propius accommodatæ, quæ dicuntur Pragmaticæ ſanctiones, ſiue decreta principum noſtrorum, accedente tractatu cum regni proceribus, & ordinibus, & maxime Eccleſiaſticis emiſſa, ea enim ratione, cum Diuus Ludouicus Francorum Rex, reſeruationibus Apoſtolicis, quæ & electiones canonicas, & collationes beneficiorum ordinarias anteuertebant, obuenire decreuiſ-

Digitized by Google

ſet, Pragmaticam ſanctionem edidit, iuris communis in electionibus & collationibus obſeruationis tuendæ gratia, quæ exſtat in *collection: tractatuum ad Clerum gallicanum pertinentium volum. 3. ſtatim in principio & collectione probat. ad lib. Eccleſ. gall. volum. 1. cap. 15. num. 33.*

29 Sed & cum Diui Ludouici, & poſteriorum Regum ſanctiones, reſeruationum Apoſtolicarum, & gratiarum exſpectatiuarum, quæ in totum orbem Chriſtianum late effundebantur, vſum cohibere non potuiſſent, tandem vtile, & Eccleſiaſticæ adminiſtrationi conueniens viſum fuit Baſileenſis ſynodi Patribus, canonicarum electionum, & ordinariæ collationis vſum reuocare, omnibus reſeruationibus Apoſtolicis, & gratiis exſpectatiuis, ſiue mandatis de prouidendo ad vacatura beneficia longe ſemotis, & excluſis, ſub interminatione, vt quidquid in contrarium attentatum fuiſſet, irritum nuntiaretur, & inane, vt patet ex decretis eiuſdem ſynodi de electionibus, de reſeruationibus, & de collationibus beneficiorum, quæ & Pragmatica ſanctione Caroli VII. auctoritate edita, in conuocatione totius Cleri Gallicani in vrbe Bituricenſi facta, approbata fuere, & in hanc ſacratiſſimam ſanctionem tranſcripta, vt perenni obſeruationi mandarentur.

30. Verum & cum illæ ſanctiones, ſummæ, ac ſupremæ, qua Romani Pontifices, in beneficiorum diſpenſatione vtebantur, poteſtati nimium obſtarent, earum obſeruationem diutius ferre non potuerunt ſubſequentes Pontifices, quin etiam totis viribus euellere conati ſunt, variis Legatis, & Nunciis, in id Regibus noſtris demandatis, vt Pragmaticæ noſtræ ſanctionis abrogationem ſuaderent, quibus ſruſtra obſtitere totius Galliæ ordines, namque Leo X. ita hoc Eccleſiæ Gallicanæ præſidium, vel vt ait Budæus, Palladium oppugnauit, vt penitus euerteret, & in pragmaticæ noſtræ ſanctionis locum, conuentionem Bononienſem ſubrogaret.

31. Sed enim ea interueniente, & tractatu habito inter ſummum Pontificem, & Franciſcum I. Gallorum Regem, nouum ius plane inductum eſt, ſi non omnino alienum à iure pragmaticæ ſanctionis, ſaltem longe diuerſum, & ex maxima eius parte immutatum: namque electionibus penitus antiquatis, nouum ius nominationis Regię ad Prælaturas locum ſubiit, cui adeſſe debuit Pontificia inſtitutio, quę & pariter annatarum exſoluendarum obligationem inuexit, vel ſaltem eius in leuiorem, quam dicunt compoſitionem, hac conuentione Bononienſi, vel poſteriori factam commutationem; & cuius iure hodie vtimur, in conuentionibus beneficiariis ſedandis, & componendis.

32. Nec vero illis omnibus tum Pontificiis, tum Regiis ſanctionibus, fraudibus in beneficiorum Eccleſiaſticorum impetratione exerceri ſolitis, occurri potuit, aut mederi, quibus beneficiorum hereditaria ſucceſſio inducebatur, quapropter Henricus II. anno Incarnationis Dominicæ 1550. ſuam conſtitutionem edidit, quæ vulgo edictum contra paruas datas appellatur, cuius cautione interpoſita, noua forma impetrationibus beneficiorum data eſt, & eius obſeruatio ita religioſe ſeruanda viſa eſt; vt illud decreto ſuo probauerit ſenatus Pariſienſis, & vtrumque commentario celebri adnotauerit Carolus Molinæus, qui & in vtrumque ſermonem Gallicum & Latinum ab eo tranſcribi meruit.

33. At vero cum eius præcautio, impetrantium fraudes omnes vincere, & expugnare non potuiſſet, malitia hominum prudentiam legum ſuperante, tandem edicto Ludouici XIII. anni 1637. quod contrarotulationis appellatum, vulgo *du Controlle*, nouæ cautiones additæ ſunt, quibus fraudibus iretur obuiam, quaſcumque prouiſiones Pontificias, collationes ordinarias, cæteraſque beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpenſationes, & quoſlibet actus præparatorios, & habendæ collationi neceſſarios, vel habitæ complementum addentes, publice edendo, & regiſtris contrarotulationis inſinuando; vt patet ex ipſiſmet edicti verbis, cuius obſeruatio ſtrictiori lege, & ſeueriori præcepto demandata eſt.

34. Sed enim cum huius nouiſſimi edicti Prætorianis iudicibus, ſiue Patribus Magni Conſilij inſcriptio habita, & ab iiſdem probatio facta, iuriſdictionis ordinariæ notionem interuerteret, & litigantes ipſos inſolitis ſumptibus, & inauditis vexationibus oneraret, dum contentionum in executione edicti, vel omiſſione ſubortarum, diſceptationem ſibimetipſis Magni Conſilij Patres euocarent, ideo ne vllus vexandi locus ſupereſſet, & iudicibus ordinariis ſua iuriſdictio ſeruaretur, ad petitionem Cleri Gallicani Procuratorum, Rex noſter Chriſtianiſſimus Ludouicus XIV. recens & nouum edictum promulgari iuſſit quod inſinuationum Eccleſiaſticarum dicitur.

35. Namque vt omnibus vexandi occaſionibus occurreretur, quæ iuriſdictionis ordinariæ interuerſio producere poterat, & ſua cuilibet ſeruaretur iuriſdictio, huius edicti probationem faciendam ſenatui Pariſienſi inſcribens, præcedentis edicti contrarotulatio-

Digitized by Google

nis executionem mandauit in ſingulis articulis, quæ nouo edicto abrogata non forent, contrarotulationis ex præcedenti edicto deſcendentis neceſſitate, in inſinuationem actis & regiſtris Eccleſiaſticis faciendam inuerſa, quod & edictum, cum ſenatus Pariſienſis probauerit decreto die 2. Auguſti anni 1649. pronunciato, ſequitur eius ſanctiones, contentionibus beneficiariis legem imponere debere, & obſeruatione iudices quoſlibet aſtringi.

36. Sunt & aliæ plures principum noſtrorum ſanctiones, quæ & his contentionibus beneficiariis accommodari poſſint, quæ cum ſparſim in generalibus conſtitutionibus, ad querelas omnium ordinum Gallicanorum habitis Aureliæ, Molinis, Blæſis, & quibuſcumque aliis locis, inſitæ reperiantur, è ſuis ſedibus educendæ ſunt, vt quibuſcumque negotiis decidendis applicentur, quarum omnium collectionem pleniſſimam habemus in *compilatione negotiorum Cleri Gallicani in volum. 3. & 4. editionis Vitreana anni 1646.* adeo vt hæc ſufficere debeant, patrias ſimul & Regias leges inueſtiganti, quæ beneficiariis contentionibus decidendis applicari ſolent.

37. Ex præmiſſis itaque patet, ius ipſum quod diſceptationibus beneficiariis dici ſolet, in duplicem ſpeciem abire, eius ſcilicet quod ex ſcripto venit, & quod ſine ſcripto ipſomet vſu dictante proceſſit, cuius diuiſionis exempla habemus & in iure ciuili Romanorum, in *tit. inſtit. de iure nat. gent. & ciuili & in hoc noſtro iure Gallico*, iuris itaque ſcripti partes faciunt, quæ ſcripturis ſanctis, Conciliis Generalibus, & prouincialibus, decretalibus epiſtolis ſummorum Pontificum, dictis & ſententiis Patrum, item principum noſtrorum Eccleſiaſticis ſanctionibus conſignatæ ſunt, de quibus ſpeciatim diximus.

38. Ius vero non ſcriptum maxime conſiſtit in traditionibus Apoſtolicis, & cæteris aliis Eccleſiaſticis regulis, quæ vt ait *Tridentina ſynodus in ſeſſ. 4. de ſcript. ſanctis* ex ipſius Chriſti ore, ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos peruenerunt, quibus *D. Auguſtinus relatus in canon. in his diſtinct.* 11. non minorem fidem adhibendam eſſe ait, quam cæteris ſcripturis ſanctis.

39. Verum & ex eodem *D. Auguſtino in libro de fide Catholica*, cuius fit mentio in *can. Catholica Eccleſia ead. diſtinct. apud Grat.* conſtat traditiones illas vel eſſe vniuerſales, vel proprias, & ſpeciales cuiuſque Eccleſiæ, quod & præmonuimus laudabiles cuiuſque Eccleſiæ conſuetudines pro lege ſeruandas, & negotiis componendis plurimum prodeſſe, ſolet enim ex poſſeſſione plerumque ius dici, & immemorialis maxima auctoritas eſſe dicitur in vtroque iure, vt patet ex pluribus articulis iuris ciuilis, & canonici.

40. Et quamuis illæ traditiones, ſiue conſuetudines Eccleſiaſticæ, ſcriptis conſignatæ fuerint, tamen inſpecta origine, quæ ſine ſcripto proceſſit, non minus iuris ſcripti partes eſſe noſcuntur, quemadmodum apud nos inualuit, cuiuſque regionis conſuetudines, quamuis Caroli VII. Regis Galliæ iuſſu ſcriptis mandatæ fuerint, tamen iuris non ſcripti partes obtinere, ratione originis habita, quæ ſine ſcripto prodiit, adeo vt cum de illarum vſu dubio, & incerto quæſtio ſit, inquiſitio fieri ſoleat, turmatim, vt aiunt, pragmaticis in teſtimonium productis, idiotiſmo noſtro Gallico dicimus *enqueſte par turbes*.

41. Et quamquam neceſſitati temporis indulgentes, & progredientis diſputationis curſu abrepti, beneficiariis litibus ſedandis operam dare debuerimus, atque etiam ſacrarum ſanctionum remedia inquirere, quibus medela adhiberetur, tamen & illud præmonere debuimus, antiquos Eccleſiæ mores, nunc primum in vſum reuocandos eſſe, quibus omnis de beneficiis Eccleſiaſticis litigandi ratio, ita exoſa videbatur, vt quicumque per ambitionem, nec vocatus, Eccleſiaſticæ adminiſtrationi ſeſe immiſceret, vel præficiendum vltro ſe præberet, continuo à ſacris miniſteriis arcendus eſſe diceretur, quibus hi ſoli præponendi erant, qui regendis Eccleſiis ſeſe ſubtraherent, vt habetur in *can. ſicut 1. quæſt. 7.*

42. Sed & illud temporibus Iuſtini Imperatoris inualuerat, vt & ipſe teſtari videtur in *lege repetita cod. de epiſc. & cler. lege conſulta diualia cod. de teſtam.* dum ait *abſurdum, imo etiam probroſum clericos videri, ſi peritos ſe velint oſtendere, diſputationum eſſe forenſium*; ſed quoniam peruerſi Eccleſiaſticorum mores, ſequiora induxerunt, quibus inueteratis nec obſiſtere nobis datur, nec ſuccurrere, alio pergere debemus, vt propoſitæ diſputationi finem imponamus vnico capite, quod generalia quædam continebit, ad eadem & poſtrema definitionis noſtræ beneficiariæ verba *concepto*.

Digitized by Google

CAPVT VLTIMVM.

Continens quædam alia, ad verba definitionis *Conceſſa*, maxime ſpectanda.

1. *In conceſſionibus beneficiorum, perſona dantis, & accipientis, debent eſſe diſtinctæ.*
2. *Nemo ſibimet ipſi conferre poteſt beneficium.*
3. *Patronus ſemetipſum præſentare non poteſt.*
4. *Clerici non debent admitti, niſi vocati ſint.*
5. Nota ad gloſſ. capit. cum in iure, in verbo conſentiat de elect.
6. *An pater patronus præſentare poſſit filium.*
7. *Probatur patrem patronum filium præſentare poſſe.*
8. *In ſpiritualibus non eſt locus patriæ poteſtati, nec adquiſitioni peculiari.*
9. *Filius Patronus patrem præſentare poteſt.*
10. *An Vicarij Epiſcoporum ipſis beneficia conferre poſſint.*
11. *Probatur Vicarios Epiſcopis beneficia conferre non poſſe.*
12. *Non prouocari ſolet ab Officiali Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum.*
13. Nota ad gloſſ. cap. vlt. in verbo dantem, de inſtit.
14. Nota ad decretum ſenatus Rothomagenſis, & Forgetij ſententiam.
15. *In ciuilibus, & profanis, quiſque propria auctoritate, adire poteſt poſſeſſionem.*
16. *In ſpiritalibus, & beneficiariis, non licet ingredi poſſeſſionem propria auctoritate.*
17. *Ingreſſus poſſeſſionis propria auctoritate eſt ſpecies intruſionis.*
18. *Poſſeſſio beneficij de mandato collatoris adiri debet.*
19. *Solæ perſonæ Eccleſiaſticæ mittere poſſunt in poſſeſſionem.*
20. *Variæ ingrediendæ poſſeſſionis beneficiariæ formulæ.*
21. *Ingrediendæ poſſeſſionis formæ per aſpectum primaculi.*
22. *Quid ingreſſus poſeſionis in æde viciniori, & mutuata.*
23. *Poſſeſſionis aditæ inſtrumentum quomodo conficiendum.*
24. *Inſtrumentum adeptæ poſſeſſionis edi debet in iudicio poſſeſſorio.*
25. *Conſecratio operis Deo optimo maximo facta.*

1. SVnt etiam qui ex poſtremis definitionis noſtræ beneficiariæ verbis *conceſſa*, id concludi velint, diſtinctam, & ſeparatam eſſe debere perſonam dantis, & accipientis beneficium, quemadmodum in donationibus rerum profanarum, diſtant inuicem perſonæ donatoris, & donatarii.

2. Et ex eo id aliud inferunt, neminem conferendi poteſtate vtentem, ſibi ipſi beneficium conferre poſſe, verum alteri idoneo concedere debere, quod & probare contendunt ex *capit. vlt. de inſtit. apud Greg. gloſſa in can. qui epiſcopatum in verbo appetitur* 8. *quæſtione* 1.

3. Sed & illud adeo verum eſt, vt in *capit. per noſtras de iure patron. apud Greg.* Innocentius III. ſummus Pontifex ad quæſtionem propoſitam ab Archiepiſcopo Rotho-

Digitized by Google

magenſi conſultus reſpondeat, eum qui ius patronatus in aliqua obtinuit Eccleſia, ſemetipſum, quamuis capacem, & idoneum, regendæ Eccleſiæ inſtituendum offerre non poſſe.

4. Et quidem illud ipſum confirmat Pontifex, eleganti ratione ducta ex eo, quod cum clerici à ſorte dicti ſint, ſiue vocatione, nemo ſe ingerere debet prælationis officiis, niſi vocatus, vel vt dicitur in *can. in ſcripturis* 8. *quæſt.* 1. *ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus.*

5. Et tamen illud maxime notandum eſt quod dicitur in *capit. cum in iure de elect.* electum ex numero eligentium, qui mediæ partis eligentium ſuffragia meruit, electioni conſenſum præſtando, eligentium locum ſubire, & inter eos connumerari, adeo vt, ea pars quæ ipſum elegit, electi acceſſione vincat numero aliam partem, quæ ſibi extraneum elegit, quod & explicat *gloſſa finalis eiuſdem capituli in verbo conſentiat*, notat tamen in fine, id hodie locum non habere.

6. Sed & illud quæſitum, vtrum cum in iure ciuili paſſim eadem ſit perſona patris & filii, & vox eadem, vt dicitur in §. 4. *inſtit. de inutil. ſtipul.* pater in qualibet Eccleſia iure patronatus potitus, proprium filium, collatori ordinario inſtituendum, præſentare poſſit.

7. Verum ad hanc quæſtionem conſultus *Panormitanus abbas reſpondit in* 2. *parte Conſil.* 96. *& ad capit. conſuluit de iure patron.* & ipſum patrem, filium ſuum inſtituendum ordinario præſentare poſſe, cum in iure canonico ius patriæ poteſtatis ceſſare intelligatur, vt & obſeruauit *Antonius Mornacius ad legem* 3. *quod quiſque iuris in nouiſſima editione.*

8. Et ex eo notat *Panormitanus ad d. capit. conſuluit de iure patron.* in ſpiritualibus filium, quantumuis patris poteſtati ſubditum, nihil ex his ipſi adquirere poſſe, quia ex tali cauſa adquiſita, cenſentur eſſe in peculio quaſi caſtrenſi filij, cum & ipſos clericos militare dixerimus, quæ adquiſitionem patris effugiunt, ſecundum regulam in vtroque iure probatam.

9. Verum & ex eadem ratione deficientis iuris patriæ poteſtatis in ſpiritualibus euenit, vt filius patronus alicuius Eccleſiæ effectus, ipſummet patrem clericum, & idoneum, inſtituendum ordinario præſentare poſſit, ita vt pater ex filii præſentatione canonice facta, beneficium conſequi poſſit.

10. Sed & illud in diſputationem venit, vtrum Vicarii generales collatorum ordinariorum, ex ſpeciali tamen mandato conferendi poteſtate vtentes, ipſiſmet collatoribus, quorum vices in hac parte gerere noſcuntur, conferre poſſint beneficia, ordinariæ collationi addicta quaſi extraneis, ſiue perſonis plane diſtinctis.

11. Et quidem communi iuris canonici interpretum calculo deciſum habemus, illud non poſſe, vt inter alios notat *Felinus in capit. ſane de offic. & poteſt. iud. deleg.* cum vna eademque perſona eſſe cenſeatur delegantis & delegati, Epiſcopi & Vicarii, collatoris, & collatarii, quas in collationibus beneficiorum, diſtinctas eſſe debere iam probauimus.

12. Nec etiam longe differt, quod dicitur ab Officialis, ſiue Vicarii Epiſcoporum ſententia, ad Epiſcopum qui commiſit prouocari non poſſe, ne ab vno, ad eundem prouocatio interpoſita cenſeatur, *cap. Romana* §. *ab Archidiacono de appellat. in* 6. cum enim prouocatio fieri ſoleat per gradus, ab inferiori, ad ſuperiorem, diſtinctio debet eſſe perſonæ, ſicut gradus, alioquin ſemper ibidem ſtare diceretur iudicium.

13. Nec vero illud omittendum, quod notauit *gloſſa in d. cap. vlt. de inſtit. in verbo dantem & accipientem* eum qui conferendi poteſtate fruitur, ſi ad alium eamdem poteſtatem transferat, poſſe ab eo ad quem poteſtatem tranſtulerit, beneficium quod vacauerit recipere, quaſi per manum alienam, & plane diſtinctam.

14. Namque & *Germanus Forgetius in tractatu rerum Eccleſiaſticarum cap.* 49. præmiſſam, & notatam à gloſſa ſententiam, decreto ſenatus Rothomagenſis confirmatam refert, die 23. Decembr. anni 1504. de quo tamen maxime dubitandum auguror, ne per interpoſitionem perſonæ, vt ait *D. Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum* legibus illudatur, ſicut de altera cautela, in eodem capite expoſita, qua placuiſſe refert eum qui contulit beneficium ſuæ collationi addictum, poſſe à collatario eiuratum accipere.

15. Et vero ea diſtinctio perſonarum in collationibus, non tantum locum habuit, ſed & in poſſeſſionis beneficiariæ adeundæ neceſſitate, quamuis enim in rebus corporalibus, & profanis, quiſque propria auctoritate poſſeſſionem ingredi poſſit, eamque ſolo animo adipiſci, vt dicitur in *lege* 3. §. 3. *dig. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* tamen aliud placuit in beneficiariis.

16. Sed

Digitized by Google

16. Sed enim vt adnotauit *gloſſa pragm. ſanct. tit. de pacif. poſſeſſ.* § *ordinarii in verbo inquirant* in beneficiis nec ſolo animo, nec propria auctoritate, poſſeſſio adquiritur, ſed per interpoſitionem alterius, alioquin propria auctoritate poſſeſſionem ingreſſus, intruſus dicitur, in *capit. enim qui de præb. in 6.*

17. Nec enim is, qui propria auctoritate, beneficij poſſeſſionem ingreditur, intruſionis vitium minus incurrit, quam is, qui aut ex nullo titulo, aut non canonico, aut non ſeruatis ſolemnibus poſſeſſionem adiit: plures enim intruſionis ſpecies enumerat *Felinus in capit. in noſtra num.* 10. inter quas, & præmiſſas omnes conſtituit, de quibus ſingulis & alias diſſeruimus *ad hæc verba definitionis conceſſa capit.* 2. §. 4. *de pacif. poſeſſ.*

18. Sunt enim quædam adeundæ poſſeſſionis beneficiariæ ſolemnia, quæ non licet egredi & primum quia ſpiritualis eſt beneficij poſſeſſio, & titulo, qui ſpiritualem naturam ſortitur, quodammodo cohæret, de mandato collatoris adiri debet, vt habetur in *capit. illa deuotionis ne ſede vac. aliq. innou.* qui non ſolet mandatum inſcribere, niſi perſonæ Eccleſiaſticæ.

19. Et ex eo naſcitur, quod ſolæ perſonæ Eccleſiaſticæ, beneficiarios in poſſeſſionem inducere poſſunt, nec enim notarij ipſi ſiue Regij, ſiue Apoſtolici, ex edicto regio anni 1550. immatriculati, in poſſeſſionem beneficij mittere poſſunt, ſed tantummodo miſſionem ſolemniter, & ab Eccleſiaſtica perſona canonice factam, inſtrumento in id confecto certam facere.

2. Sunt & aliæ præſcriptæ in iure canonico ingrediendæ poſſeſſionis formulæ, veluti ingreſſus Eccleſiæ, oſculum maioris altaris, tactus librorum Eccleſiaſticorum, ſeſſio in cathedra vel ſtallo, viſitatio Fontium Baptiſmalium, pulſus Campanarum, domus Curialis aditio, & alia ſimilia, de quibus fuſius *Rebuffus in praxi benefic. tit. de miſſ. in poſeſſ.*

21. Verum & illis ingrediendæ poſſeſſionis formulis, addit & ipſe *Rebuffus ibidem* aliam, quæ obſeruari ſolet in caſum denegati ingreſſus, vel acceſſus ad domum Curialem, vulgarem ſcilicet, & ſæpius frequentatam poſſeſſionis aditionem, per aſpectum pinnaculi, vel oſculum peſſuli, quæ & in quotidiana fori tritura probatur.

22. Sed & huius difficultatis occurſu, vel periculi imminentis fugiendi cauſa, puta peſtis, vel incurſus latronum, aut hoſtium, ipſe iudex ordinarius id concedere poteſt, vt in proximiori æde ſacra, ſolemnia adeundæ poſſeſſionis peragantur, repromiſſione facta iterandorum ſolemnium in ipſa Eccleſia cui intitulari oportet, quam primum amotum fuerit periculum.

23. Nec vero omittendum, earum omnium ſolemnitatum peractarum inſtrumentum confici debere, publici notarij Regij, vel Apoſtolici manu vallatum, nec-non duorum teſtium omni ſuſpicione maiorum fide obſignatum, cuius in litis poſſeſſoriæ decidendæ iudicio, non minor edendi neceſſitas, quam collationis ordinariæ, aut prouiſionis Apoſtolicæ exhibendæ neceſſariam obligationem eſſe diximus.

24. Verum enim cum in iudiciis beneficiariis præiudicialibus, & ex tempore mouendis, poſſeſſionis aut retinendæ, aut recuperandæ quæſtio ſit, primum de adepta poſſeſſione fides fieri debet, vt docet ibidem *Rebuffus & Greg. Tholoſ. in inſtit benefic. cap.* 4. *num.* 13. *& ſequent.* cuius & prioritas aliquando ſpectatur, in dubiis quæſtionibus.

CONSECRATIO OPERIS.

25. Huc vſque impoſitum munus, ſiue ſelecta rei beneficiariæ diſputatio, quam Deo fauente ad finem toties optatum deduximus, in immenſas, & late patentes iuris Pontificij plagas nos perduxit: itaque eodem auxiliante portui redditi, licebit Virgilianum illud inclamare:

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et iam tempus adeſt ſpumantia ſoluere colla.

Verum antequam exoptatæ quieti nos, & otio reddamus, æquum fuerit, & omnino neceſſarium, eius tutelam, & nauigationi noſtræ toties præſtitam cuſtodiam agnoſcere, qui cymbam noſtram procellis expoſitam dirigens, tot Syrtes, & ſcopulos, quibus iter impediebatur, leui aura afflante, euadere dedit, eorumque exemplo edoctus, qui maioribus

Digitized by Google

periculis expediti, & naufragiis elapſi, tabellam præteruecti periculi teſtem, & nunciam, propitianti, & auxilianti Deo appendere ſolent, tibi ſumme Deus, cuius adiuuantem manum toties expertus ſum in hoc ſuſcepto opere peragendo, hanc meorum laborum quaſi votiuam tabellam offero, tuo nomini conſecro, tuæ perenni gloriæ addico, & ſi quid Eccleſiaſticæ reipublicæ regimini vtile, & idoneum habeatur, illud piæ matri Eccleſiæ, filius obſequentiſſimus collatum velim, ſi quid (quod abominor) ab Eccleſiaſticis traditionibus exciderit alienum, illud totum Eccleſiaſticæ cenſuræ ſubmitto, nulli ſententiæ, aut opinioni addictus, quam ab Eccleſia improbari ſenſerim, in omnibus ſolam Dei gloriam quæſiturus.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX EORVM QVÆ IN HOC TRACTATV CONTINENTVR.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, SECVNDVS EIVSDEM paginæ numerum ſiue articulum denotat.

A

ABBATIS dignitas quæ, & quem locum in Eccleſia obtineat. 25. 1
Olim Abbates & Monachi ſæcularibus Clericis ſubiiciebantur. 25. 2
Abbates quando primum ad Clericatum promoti. 25. 3
Vnde Abbatis nomen & eius condemnatio. 25. 4
Vnde reduplicato nomine Abba pater dicebatur Abbas. 26. 5
Vbi primum Abbates & Monaſteria. 26 6
Abbates & Monachi iure communi Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiiciuntur. 26. 7. & ſeq.
Abbas in iis quæ peccata ſunt in regulam, & intra clauſtra, omnimodam habet coercitionem. 26. 9
Abbas commendatarius priorem clauſtralem deſtituere non poteſt. 27. 4
Commendatarij Abbates non habent iuriſdictionem in monachos. 27. 16
Abbatiſſę & prioriſſæ habent iuriſdictionem ſimul & dignitatem. 28. 1
Abbatiſſa Iotrenſis caput & patrona monialium & clericorum. 28. 2
Abbatiſſa Fontis-Ebraldi caput & patrona ſibi ſubditorum clericorum. & monialium. 28. 3
Abbatiſſæ & prioriſſæ non habent clauium adminiſtrationem. 28. 4
Quam cenſuram Abbatiſſa aut prioriſſa inferre poſſit. 28. 5. & ſeq.
Abbates & priores ſæculares quandoque præſunt Eccleſiis. 31. 1
Abbatum & priorum ſæcularium exempla in quibuſdam Eccleſiis. 31. 2
Abbates & priores ſæculares iuriſdictionem habent correctionalem, vt decani. 31. 3
Epiſcopi quandoque & Abbates dicti. 57. 39
Cœtus canonicorum Cathedralis Eccleſiæ præcedit Abbates. 57. 47
Abbates nec Eccleſias quas pleno iure poſſident vnire poſſunt. 78. 11. & ſeq.
An Abbates ius vniendi præſcribere poſſint. 78. 15
Abbates res monaſterij regere ſoliti, qua de cauſa habuere œconomos. 147. 38
Synodo diœceſanæ Abbates aut monachi intereſſe non tenentur. 183. 4
In alienatione rerum monaſterij conſenſus Abbatis & monachorum ſimul neceſſarius. 199. 4
Conſenſus Abbatis & monachorum neceſſarius in alienatione rerum monaſterij, licet diuiſo patrimonio vtantur. 199. 5
Abbates commendatarij non ſuccedunt monachis, niſi ſint Cardinales. 222. 11
Vſus Galliæ ad ſucceſſionem Abbatum commendatariorum in monachos. 222. 13
Abbas qui monacho ex ſuo monaſterio dependenti beneficium obtinenti tranſlationis gratiam denegauit, non poteſt concedere. 222 14. & ſeq.
Abbas peculium monachi vindicans diſſoluendo æri alieno obligatur. 223. 16. & ſeq.
Iuris Regij emittendi domicellas in Abbatias monialium veſtigia. 250. 10
Quænam Abbatiæ aut prioratus oblatorum onere grauari poſſunt. 250. 11
Abbates, & plebani inter ordinarios reputantur. 323. 13
Quibus de iure communi competat ius eligendi Abbatem. 340. 6
Hodie ſæcularibus Abbatiæ in perpetuum commendantur. 349. 19
Commenda Abbatiæ debet concedi ex conſenſu Regis ſimul & S. P. 349. 20
S. Papa tranſlationis poteſt alterius ordinis Abbatem præficere. 350. 25
Ius patronatus Academiæ Pariſienſis cuius ſit ſpeciei. 236. 3
Probatur Curiam Pariſienſem numquam definiſſe cuius ſit ſpeciei illud ius patronatus. 236. 5
Tentatur ius patronatus Academiæ Pariſienſis eſſe laicum. 236. 4
Probatur ius patronatus Academiæ Pariſienſis eſſe Eccleſiaſticum. 237 6
Nominationis gratia, ab Academia vniuerſali concedi debet. 359. 22
Nominationes ab Academiis famoſis procedere debent. 360. 36
Cur nominationes ab Academiis impetrandæ. 360 37
Quænam Academiæ nominationes concedere poſſunt. 361. 39

Mmm ij

Digitized by Google

Quid importet verbum *Academiæ Regni Gallici* in concordatis 361. 40
Nouæ Academiæ nominationis iure vtuntur. 361. 42. & ſeq.
Duplex actio beneficiaria, poſſeſſoria, & petitoria. 436. 3.
Cur actiones beneficiorum poſſeſſoriæ interdicta vocentur. 436. 4
Duplex actio poſſeſſoria retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis. 436. 5
Poſſeſſorię actiones circa beneficia fori laici ſunt & ſæcularis. 436. 11
Quid Aditiale in minoribus clericis in poſſeſſionem inducendis. 249. 11
Vtrum Adminiſtrationes Eccleſiaſticæ ſint beneficia. 298. 41
Adminiſtrationes Eccleſiaſticę aliæ perpetuæ, aliæ temporales. 298. 42
Difficiliores adquirendi, quam conſeruandi conditiones. 281. 11. & ſeq.
Origo aduocatorum, defenſorum, & Guardianorum cuiuſque Eccleſiæ. 231. 2
Præficiendus Eccleſiæ parochiali debet 25. annos attigiſſe. 50. 3
Ætas canonicorum cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum olim controuerſa. 58. 48
Canonicorum Ætas definita ex regulis Cancellariæ. 58. 49
Quæ Ætas requiſita in prioratibus ſimplicibus 61. 6
Quid in Ætate beneficiandorum inductum Concilio Tridentino, quid moribus. 61. 7
In beneficiandis, & ordinandis, Ætatis maturitas requiritur. 270. 1
Tonſuræ clericalis ſuſcipiendæ Ætas eſt ſeptem annorum. 270. 2
Beneficiis ſimplicibus obtinendis ſola Ætas ſeptem annorum ſufficit. 270. 3
Concilij Tridentini ſanctio non ſeruatur in Ætate ſimplicibus beneficiis neceſſaria. 270. 4
Beneficiandorum Ætas numeranda ab ordine beneficiis adſcripto. 272. 19
Singulis minoribus ordinibus Ætas ſeptem annorum ſufficit. 272. 20
Ætas maioribus ordinibus præſcripta varia ex varietate temporum. 272. 21
Quid Iuſtinianus, & aliæ Imperatoriæ ſanctiones in Ætate maiorum ordinum. 272. 22
Quid ſanctio Concilij Tridentini & conſtitutio Blæſenſis ad Ætatem ordinibus neceſſariam. 272. 23
In beneficiis curam animarum habentibus Ætas 25. annorum requiritur 273. 24
Vel ſaltem ea vt intra annum pacificæ poſſeſſionis ad Presbyteratus ordinem promoueri poſſit. 273. 25.
Quæ Ætas requiratur in perſonatibus & dignitatibus obtinendis. 273. 26
Quæ requiratur Ætas in regularibus beneficiis. 273. 27
Quæ Ætas requiratur in regularibus in commendam obtinendis. 273. 29
Quæ Ætas in beneficiis curam animarum habentibus. 273. 28
Vbi ex lege requiritur ordo ſufficit beneficiandum in ea Ætate eſſe, vt intra annum promoueri poſſit. 273. 30
Quæ ætas in militia armata & forenſi requiratur. 274. 34
Quæ ætas in palatina militia. 274. 35
Olim in Epiſcopis ætas 30. annorum deſiderabatur. 348. 7
In Epiſcopis poſterioribus temporibus ætas 27. annorum incępta, non cōpleta deſiderata. 348. 8
Nominandus ad Abbatias debet 23. ætatis annum attigiſſe, non compleuiſſe. 350. 27
Vigintiquinque anni exiguntur in beneficiis curam animarum habentibus. 350. 28
Differentia inter maiora vel minora beneficia curam animarum habentia, in incipienda, vel complenda legitima ætate. 350. 29
Quid ætatis gratiam facere. 285. 4
Agaparum origo apud Chriſtianos. 136. 9
In Eccleſia Agapæ haberi non debent. 254. 1
Probatur Agapas in priuatis ædibus haberi debere. 254. 2
Quid Albergariæ, quid fodruum, quid regium. 233. 8
Aleæ luſus clericis interdictus. 108. 1
Non tantum ludere prohibentur clerici, ſed & ludentibus adeſſe. 109. 2
Luſus Aleæ Gallis Clericis frequens. 109. 3
Quæ pœnę Aleatorum clericorum. 109. 4
An titulus patrimonij alienari poſſit. 69. 18
Rerum Eccleſiaſticarum alienatio prohibita. 191. 1
Rerum quæ ſpiritualibus connexæ ſunt Alienatio pariter interdicta. 192. 2
Quæ alienationis rerum Eccleſiaſticarum prohibendæ origo. 192. 3.
Prohibitio Alienationis rerum Eccleſiaſticarum ad quælibet loca religioſa extenditur. 192. 4
Quæ pœnæ Alienantium res Eccleſiæ, 192. 5. & ſeq.
Qui actus Alienationis nomine comprehendantur 192. 7
An res mobiles Eccleſię liceat alienare. 192. 8
Res ſacrę quamuis mobiles alienari non poſſunt. 192. 9
Quibus caſibus res ſacrę alienari poſſunt, & diſtrahi. 192. 10
Quibus caſibus res ſacrę diſtrahi poſſunt, & oppignerari. 192. 11
Quibuſnam ex cauſis permiſſa rerum Eccleſiaſticarum Alienatio. 193. 1. & ſeq.
Enumerantur cauſæ propter quas Alienari poſſunt res Eccleſiæ. 193. 3
An diſcuſſio mobilium alienationem rerum Eccleſiaſticarum pręcedere debeat. 193. 4. & ſeq.
Cauſa adeſſe debet propter quam res Eccleſiæ alienentur. 194. 1
Ob publicas regni neceſſitates res Eccleſiæ alienari poſſunt. 194. 4
Qua forma & auctoritate res Eccleſiæ alienari debeant. 194. 5
Propter exſolutionem ſubuentionum facta alienatio rei Eccleſiaſticæ, prætextu nullitatis reſcindi non ſolet. 194. 6
Redemptio ſolarij Pariſienſibus ædibus impoſiti, etiam fauore Eccleſiæ fieri poteſt. 194. 7. & ſeq.
Quænam alienationis cauſæ præcipuæ. 154. 9
Inquiſitio commodi vel incommodi neceſſaria, in alienatione rerum Eccleſiaſticarum. 195. 1
Inquiſitio commodi vel incommodi præcedere debet alienationem. 153. 8
Certa & euidens debet eſſe alienationis cauſa. 197. 4
Solemnitates in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum neceſſariæ plures enumerantur. 197. 5
Alienatio quamuis publico programmate facta non valet abſque ſolemnitate. 197. 6

Quid

Digitized by Google

Quid ſit tractatus in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum neceſſarius. 198.1
Modus tractatus habendi in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum. 198.3
Vnicus tantum tractatus neceſſarius, in alienatione, niſi aliud de conſuetudine ſeruetur. 198.8
Tentatur plures tractatus in alienatione rerum Eccleſiaſticarum non eſſe inutiles. 199.10
Conſenſus maioris partis clericorum requiritur in alienatione rerum Eccleſiaſticarum. 199.1
Vox vnius reclamantis & conquerentis de alienatione plerumque exauditur. 199.2
Vbi Eccleſia caret conuentu & capitulo ſuperioris auctoritas neceſſaria in alienatione rerum Eccleſiaſticarum. 199.3
In alienatione rerum monaſterij conſenſus Abbatis & monachorum ſimul neceſſarius. 199.4
Conſenſus Abbatis & monachorum neceſſarius in alienatione rerum monaſterij licet diuiſo patrimonio vtantur. 199.5
Conſenſus in alienatione neceſſarius in congregatione præſtandus, non ſeparatim. 199.6
Auctoritas ſuperioris in alienationibus neceſſaria. 200.1
Conſenſus alienationem præcedere debet, aut ſaltem concomitari. 200.7
Duo concurrere debent vt valeat alienatio rei Eccleſiaſticæ cauſa & ſolemnitas. 201.2
Cuius Epiſcopi conſenſus requiratur in alienatione, an Eccleſiæ alienantis, an diœceſis in qua res ſitæ ſunt. 200.3
Probatur Epiſcopum Eccleſiæ alienantis conſenſum præſtare debere. 199. bis 4
Tutius eſt vtriuſque Epiſcopi adhiberi conſenſum. 199. bis 5
In alienatione rerum monaſterij exempti auctoritas S. P. requiritur. 199. bis 6
In monaſteriis inferioribus pleno iure ſubmiſſis Abbatibus alienantibus ſolius abbatis conſenſus requiritur. 199. bis 7
An vacante ſede capitulum alienationi auctoritatem præſtare poſſit. 199. bis 8. & ſeq.
In alienatione rerum inferioris Eccleſiæ an neceſſarius tractatus. 199. bis 10. & ſeq.
Epiſcopus res Eccleſiæ paſtore deſtitutæ ſolus alienare non poteſt. 199. bis 11
In qualibet alienatione Eccleſiæ alienantis, & Epiſcopi neceſſarius conſenſus. 199. bis 12
Res modici valoris ab Epiſcopis ſiue conſenſu fratrum alienari poſſunt, 199. bis 13. & ſeq.
Res modici valoris Abbas ſiue conſenſu fratrum donare poteſt. 200. bis 15
An Epiſcopus alienandæ rei quæ ſit de menſa auctoritatem præſtare poſſit. 200. bis 16
Vbi rerum de menſa Epiſcopi ſit alienatio Archiepiſcopus auctoritatem præſtare debet. 200. bis 16
In alienatione rei Eccleſiaſticæ neceſſarius patroni conſenſus. 200. bis 19
Inſtrumentum alienationis rerum Eccleſiaſticarum fieri debet. 200. bis 1
Subſcriptio eorum qui alienationi conſenſerunt olim requirebatur hodie non. 200. bis 2
Hodie ſola mentio fieri debet in inſtrumento eorum qui tractatui interceſſerunt. 200. bis 3
In pleriſque alienationibus ſola vtilitas ſpectatur. 201.4. & ſeq.
An ſolemnitates iuris ciuilis in alienationibus neceſſario ſeruandæ. 201.1. & ſeq.
Qua forma præſtandus conſenſus ſuperioris & auctoritas in alienatione. 202.2
Solemnitates non ſupplent cauſę defectum in alienationibus. 202.7
Quibuſdam caſibus alienatio valet abſque ſolemnitate. 202.9
Quibus caſibus res Eccleſiæ abſque ſolemnitate alienari poſſint. 202.10
Conſtitutiones Imperatoriæ alienationem rei Eccleſiaſticæ prohibentes non aliàs admittuntur, quàm ſi ab Eccleſia probatæ ſint. 205.5
Remitti poſſunt ſolemnitates in alienatione temporali. 204.11
Per tranſactionem alienatio rei Eccleſiaſticæ induci non poteſt niſi ſeruatis ſolemnitatibus. 208.1. & ſeq.
Quid altaris ſigillum, quid ſepulchrum. 161.5
Quid recondendum in ſepulchro altaris. 161.6
An altare viaticum reconſecrari debeat ſi moueatur. 161.10
Quid amotio manus Regiæ, & vt conſeruandorum beneficiorum remedium eſt inuentum. 441.15
Quis vſus amotionis Regiæ manus apud nos ſeruatus. 441.16
Differt manus Regiæ amotio à recedentia, & vindiciarum iudicio. 441.17
Manus Regiæ amotionis executio per appellationem, aut oppoſitionem retardatur. 441.18
Annatarum exactio condemnatur. 247.1
Annatarum origo & progreſſus. 247.2
Annatarum abrogatio Regum noſtrorum ſanctionibus. 247.3
Quæ compoſitio in locum annatarum ſucceſſerit. 247.4
Improbatur compoſitio concordatis inducta in locum annatarum. 247.5
Probatur communium ſeruitiorum præſtatio loco annatarum. 247.6
Annatarum retentio collationibus ordinariorum adu. rſatur. 400.19
In diuiſione & computatione fructuum beneficij, annus ineundus à menſe Ianuario. 225.11
Archidiaconi decanis ſubſunt. 32.2
Archidiaconi Archipresbyteris maiores, & inferiores. 32.4. & ſeq.
Quodnam fuerit olim miniſterium Archidiaconi. 32.7
Quæ munera hodie, & officia Archidiaconi. 32.8
Archidiaconi officium pars iuriſdictionis Epiſcopalis. 32.9
Archidiaconi debent eſſe Doctores. 32.10
plura ad dignitatem Archidiaconi adſtruendam referuntur. 33.11
Archidiaconi iuriſdictio tam ex iure, quam ex conſuetudine. 33.12
Archidiaconi quandoque iuriſdictionem non habent, nec deſinunt eſſe in dignitate. 33.13
Archidiaconi Pariſienſis, & eius Officialis iuriſdictio. 33.14. & ſeq.
Quodnam ius Archidiaconi Senonenſis. 33.19
Ius deportus debitum Archidiaconis duobus caſibus. 33.20. & ſeq.
Plures in vna Eccleſia eſſe poſſunt Archidiaconi. 33.22
Archidiaconus, & Archipresbyter quomodo curam animarum habere dicuntur. 40.4
Archidiaconis maxima diſpenſationis cura incumbit. 143.7. & ſeq.
Archiepiſcopi Patriarchis, & Primatibus inferio-

Digitized by Google

res. 23.1
Quidam Archiepiſcopi ſuarum diœceſeon capita dicuntur. 23.2
Archiepiſcopi metropolitani dicti. 23.3.& ſeq.
Archiepiſcopus diſtinctam habet diœceſim, nec concurrit cum ſuffraganeis. 23.7
Quænam iura Archiepiſcoporum in ſuffraganeos. 23.8
Archipresbyteris ſubſunt Archidiaconi. 32.3
Aſili, & refugij ius, Eccleſiarum venerationi debitum. 255.1
Quibus denegetur ius aſili, & refugij. 256.6
